
NAZIONALE
8
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
17 — E
16
ROMA

THEOLOGIA MORALIS

R. P. STEPHANI
A S. PAVLO
ORDINIS FF. B. V. MARIÆ
DE MONTE CARMELO,
ANTEA
PRIORIS BRVXELLENSIS,
NUNC
PROVINCIÆ SVÆ DEFINITORIS,
PASTORIS IN BOXMER & D. C. D.

OPUS PARI CLARITATE AC BREVITATE COMPLECTENS
quidquid ad ſpirituale regimen poteſt deſiderari.

Editio ſecunda, tertiâ ex parte auctior.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM, Bibliopolam ſub Monocerote. Anno 1669.
Permiſſu Superiorum, & cum Privilegio Catholici Regis Hiſpaniarum.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. OSWALDO

ALBERTO FRANCISCO,

COMITI DE MONTE,

COMITI DE VVALHAIN,
CHAMPLITE, &c.

SVPREMO BOXMERÆ DOMINO,
BARONI DE BYLANDT, VVISCH,
PERWEZ, &c.

DOMINO DE GENDERINGEN,
Etten, Homoedt, Millingen, Panderden, Sambeeck,
Hæps, Civitatis Dixmudanæ &c.

DVCATVS GELRIENSIS

ARCHI-VEXILLARIO.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

P*Hilippus Bonus, Belgii, Burgundiæque Dux, hortaturus equites ad bellum sacrum, aureo Vellere paulò antè insignitos, splendidissimis recreabat epulis: & ne oculis sua etiam deessent oblectamenta, cætera inter spectacula, conspicienda*

virgo dabatur, auro gemmisque coruscans, cui Leo *adhibitus custos minitantem hanc præferebat epigraphen:* Nemo tangat Dominam meam. *Ingeniosâ Ducis illius interpretatione non egens, utar meâ, huic uni insistens cum gaudio & applausu glorior, quòd adeptus sim* Leonem, *cui rerum* Dominam *ac vitæ moderatricem* Theologiam *hanc* Moralem *offeram custodiendam, ne quis illam invidiæ dente tangat. Quem* Leonem? *quem Illustrissimæ stirpis Tuæ clypeo præfers erectum, paratumque ad tutelam, qui originem ducit ex genuino Antiquissimorum ac Potentissimorum Zutphaniensium sanguine: qui togâ, sagoque fortunatus* Dominam *servando Cæsari & Regi Catholico fidem* intactam, *ad decora maxima fuit evectus. Historiâ Celeberrimi Tui Comitatus Montium, perlustratâ plerosque, brevitatis gratiâ,* Leone *tam pacifico, quàm Martio triumphantes præteriens, unicum* OSWALDUM *nominis & ominis Tui prodromum adduco: ubi præter alia multa laude digna, hæc de illo: anno* 1486, OSWALDUS Comes Montium, à Frederico Tertio Imperatore ad Illustrium Imperii Romani Comitum præclarum titulum dignissimè evectus transivit. *De hoc dum plura lego gesta vestris similia reperio.* OSWALDUS Monasterium à Comite Montium Guilielmo Patre suo fundatum, & nondum ante mortem perfectum, perfecit *REGALITER. Hæc dum meditor, non possum non recordari Illustrissimi ac Excel-*

lentissimi

lentissimi Comitis ALBERTI *Patris Tui : Ille tamquam* Leo Dominam suam, *fidem, inquam, Catholicam, virtutum suarum Ducem zelosè custodivit, ac propagavit: nihil majus religione, nihil majus fide habuit: quàm ut Boxmeræ veluti in faucibus hæreticorum periclitantem custodiret, Carmelitani Ordinis Religiosos instigante ac inflammante Excellentissimâ Dominâ Magdalenâ de Cuisance, eminentium virtutum parente Tua, cultui Divino ac Mariano addictissima, advocavit, quibus cœnobium, veluti fidei munimentum, munificè fundavit. Quem in finem eos etiam, ut populus incola & accola fidei haberet asylũ, ibidem præfecit Ecclesiæ, quam variis cumulavit muneribus, quorum præcipuum est pretiosum illud Monumentum, in quo Corporale sacro Christi Cruore tinctum servatur. Quid hæc omnia indicant, nisi zelum & custodiam fidei, pietatem ac munificentiam? Hanc dum recogito, illius magnitudine vincor, redigorque ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus; quamquam me silente saxa non sileant, clamat munificentiam* Leo *subpositus fundamento primus lapis; quid præterea? Clamore innuit Zelosissimum Parentem Tuum onus nostrum suscepisse, & hinc jure* Patronum. *Sed heu! fuit. Quis modò? Illustrissime Domine, Tu Heres, jure es* Patronus, *quia Patris onus suscipis. Quid inde? tanto Oneri debetur Honor. Quid igitur Tibi offeram? Virginem illam, per quam Reges regnant*: Domi-

 nam,

nam, *sine qu anullus verè Dominus*, Theologiam *hanc* Moralem *Moribus Tuis conformem, quibus Te probas verè* Dominum, *hancque* Dominam Tuam. *Hanc acceptas? Voce, ut Moribus annuis. Quid? imo ut Os & Mores, sic nomen*: *quid dicit* OSWALDUS?

OSVVALDVS. LAVDO VSVS.

Rectè Libri hujus laadat usus, *quippe qui omnes tollunt* Abusus, *docendo veros* Vsus, *quos moribus exprimis. Moribus? Imo & uaturæ dotibus gratiosis: cur has addo? quia, ut aptè Laconius,*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Quis Dotes & Mores illos Tuos planè aureos deprædicet? Veri Tibi sunt Vsus, *nec* abusus *ulli: quidquid cupidi quærunt, Tu possides, quidquid superbi optant, nactus es; sed divitiæ Tuæ Pietati serviunt*: *Morati Tui honores Deum loquuntur. Tu (quod exempli rarissimi est) summam vitæ integritatem cum summa comitate Comes copulasti. Quid plura? unicum; omnia meo & ore omnium, loquor*: Tu Gratiosissimus. *Liber igitur hicce meus Illustrissimo Dominationis Tuæ inscriptus Nomini, in publicum prodeat, ut mores Tuos, vitæque integritatem deprædicet, utque æternum* Carmelitani *affectus & cultus symbolum publicet: gratioso à Te acceptatus oculo apud*

bonos

bonos omnes, quibus laudas V∫us, *gratiam inveniet; tutelam verò apud malos, quibus* Leo *Tuus vetans* abusus, *inquit*: Nemo tangat Dominam meam. *Quapropter Tuus Carmelus plurimùm Tibi obligatus rogat Deum, ut Te diu servet incolumem, tandemque pro tot tantisque beneficiis nobis in* justos V∫us *collatis repositam Coronam Justitiæ, Justo Tibi Domino reddat justus Judex.*

Ita vovet

Perenni gratiæ ac gloriæ Tuæ Devotissimus Cliens

F. Stephanus à S. Paulo *Carm.*
Primus ex Ordine Pastor Tuus.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HAbes, *Benevole Lector*, in erudito hoc ſcripturientium ſæculo *THEOLOGIAM MORALEM*, novitate ſua non contemptibilem, methodo & ordine non ingratam. Sic ſpero, ſic fido: ut enim gratam redderem, conatus ſum ex melioribus omnibus Authoribus dare collectam. Placet omnibus brevitas, placet in omnibus: illam amplecti ſtudui, & amplexus ſum, præferens ſemper paucis multa ſtringere, quàm, in longas ambages diſcurrendo, oculos & animos laſſare Lectorum. Sed ut paucis omnia, neceſſaria nempè Confeſſario coacervem, tertia ex parte opus hoc auxi; ut ſic habeas plenam in brevitate abundantiam. Brevis ſum, abundans ſum, non tamen obſcurus ſum : ideo ſectatus ſum ſuper omnia claritatem. Inſpice, utramque bono nexu junctam invenies. Multos interdum cito Authores, ipſorumque oſtendo ſententias, licèt non probem aut ſequar: cito tamen & refero, ut & ſcias, quid ſentiant alii, & ut in perplexitate noſcas effugium. Sic ſæpiùs *R, P. FRANCISCUM BONÆ SPEI*, Magiſtrum quondam meum, adduco; quòd multùm illius tribuam doctrinæ, & ſuſpiciam ac venerer profundam in omnibus ſubtilitatem, licèt interdum ab ipſo (pace ipſius & veniâ) nonnihil deflectam. Hoc Te volui monitum, *Amice Lector*, unum quoque rogatum, ſcilicet ut, ſi qui per

per Typothetæ lapsum, ac meam absentiam incurrerint errores (quorum majores in calce libri annotavi) condonare digneris, adque eorum indiculum, si alicubi circà mentem meam cespitare aut hærere contingat, te conferre. Vale, *Amice Lector*, & labore nostro in tui & aliorum bonum diù feliciter fruere.

FACULTAS
REVERENDISSIMI P. GENERALIS.

FR. HIERONYMUS ARI Astensis, *Magister, ac humilis Prior Generalis Commissarius, & Visitator Apostolicus Ordinis Fratrum Beatissimæ V. Mariæ de Monte Carmelo.*

Ut Theologia Moralis *à* R. P. STEPHANO à S. Paulo *Nostræ Provinciæ Flandro-Belgicæ professo Sacerdote, & Nostri Conventus Bruxellensis Priore elucubrata, & à RR. Admodum* PP. FRANCISCO BONÆ SPEI, *&* MICHAELE à S. AUGUSTINO, *ejusdem nostræ Provinciæ Exprovincialibus examinata, ac probata, typis committi valeat, servatis aliàs servandis, auctoritate nostrâ, & tenore præsentium licentiam impartimur. In quorum fidem datum Matriti* 28 *Februarii*, 1654.

Fr. HIERONYMUS ARI, *Generalis Carmelitarum.*

Fr. SEBASTIANUS FANTONUS CASTRUCIUS, *Provincialis Hyberniæ, Secretarius Ordinis.*

FACVLTAS
R. A. P. PROVINCIALIS.

FR. DANIEL à VIRG. MARIA, *humilis Prior Provincialis Fratrum Beatissimæ V. Mariæ de Monte Carmelo, Provinciæ Flandro-Belgicæ.*

Visâ licentiâ datâ à nostro Reverend.[mo] *P. Generali imprimendi librum, cui titulus,* Theologia Moralis, *à* R. P. STEPHANO à S. PAULO, *Priore hujus Conventus nostri Bruxellensis compositum, etiam consentimus, ut typis detur, modò etiam accedat consensus aliorum, ad quos spectat, & alia à Constitutionibus nostris præscripta serventur. Datum in Carmelo nostro Bruxellensi die vigesimâ septimâ Maji, 1664. sub Officii nostri sigillo.*

Fr. DANIEL à VIRG. MARIA,
Provincialis qui suprà.

Fr. SERAPHINUS à JESU MARIA,
Assistens Reverendi Admodum P. Provincialis.

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

T*Heologiam Moralem* R. P. STEPHANI à S. PAULO, aliàs S. Theologiæ Professoris, Bruxellensis Carmeli Prioris, *(qui nunc est Provinciæ Definitor)* ex commissione

miſſione R. Admodum P. DANIELIS à VIRGINE MARIA Provincialis perlegi : calamo quidem ſtricta eſt; ſed ampla ſtudio, & plena judicio, paucis ſolidè & clarè complectens omnia, quæ Confeſſariorum inſtructionem, & pœnitentium reformationem moralem concernunt, varioſque caſus non vulgares acutè proponit, & ſubtiliter reſolvit, ubique Catholicæ fidei & ſanis moribus conformis: ideoque eam prælo mandandam, & omni caſuum ſtudioſo commendandam judicavi. Lovanii 31 Martii, 1664.

Fr. FRANCISCUS BONÆ SPEI, *Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Exprovincialis, S. Scripturæ & Theologiæ Profeſſor.*

INfraſcriptus, ex commiſſione R. Adm. P. DANIELIS à VIRGINE MARIA Provincialis, cum guſtu, pervolvi *Theologiam Moralem* R. P. STEPHANI à S. PAULO, anteà S. Theologiæ Lectoris, Prioris Conventus noſtri Bruxellenſis (*qui modò eſt Provinciæ Definitor*;) in qua, quia dilucidè, ſuccinctè & nervosè deducta inveni, quæ in tribunali Sacramentali, ſcitu utilia & neceſſaria ſunt, ac ab aliis in magnis voluminibus tractari ſolent, eam *medullam cedri*, *ſcientiæ*, inquam, *moralis*, meritò appellaverim; de qua quiſquis bene guſtaverit, & ſaturatus fuerit, tum propriæ conſcientiæ latebras tutus elucidare, tum ligandi, atque ſolvendi poteſtatem ſecurus exercere poterit. Eam proinde, quæ ad communem, tum Pœnitentium, tum Confeſſariorum utilitatem & inſtructionem, typis mandetur, digniſsimam cenſui Mechliniæ in Conventu S. Patris noſtri ELIÆ, Ordinis Fratrum Beatiſsimæ V. MARIÆ de Monte Carmelo, die 9 Junii, 1664.

Fr. MICHAEL à S. AUGUSTINO, *Ord. B. M. V. de Monte Carm. Exprovincialis, & modò Prior Mechlin.*

APPROBATIO
CENSORIS APOSTOLICI, &c.

THeologiam Moralem *Reverendi Admodum* P. STEPHANI à S. PAULO *Prioris Conventus Carmelitani Bruxellæ, & nuper S. Theologiæ Professoris, perlegi, quæ, cùm nihil veræ fidei, moribusque Christianis dissonum habeat, & omnes propemodùm, aut saltem scitu magis utiles & necessarias, tam ad forum soli, quàm ad forum poli spectantes quæstiones complectatur, easque magno studio ex optimis Authoribus collectas ac selectas, convenienti ordine dispositas ac propositas, admodùm eruditè, breviter, & clarè resolvat & explicet, idcircò censeo dignissimam, ut in communem utilitatem eorum, qui tam suæ, quàm alienæ vitæ benè prudenterque in illo utroque foro instituendæ curam gerunt, evulgetur. Datum Lovanii hâc 2 Aprilis,* 1664.

ANTONIUS DAVE S. Theologiæ Doctor, & Professor Regius Primarius, nec non librorum Censor Apostolicus, & Archiepiscopi Mechliniensis.

APPRO-

APPROBATIO
DD. DUACENSIUM.

CVm hæc compendiosa *Theologia Moralis* Authore *R. P. STEPHANO à S. PAULO* Priore Conventus Bruxellensis Fratrum Carmelitarum Reformatorum, & quondam sacræ Theologiæ Lectore, doctrinam sanam pietati conjunctam, & in nullo fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus dissentaneam complectatur, boni publici causâ evulgari poterit. Datum Duaci die 3 Iulii, 1664.

MATTHIAS GERTMAN, *S. Theol. Doctor, & Professor Regius ac Ordinarius, librorum in Universitate Duacena Visitator & Censor.*

JACOBUS RANDOUR, *S. Theol. Doctor, ejusdemque Regius & Ord. Professor.*

GERARDUS DU BOIS, *S. Theol Doctor, & Professor Regius, Ordinariusque Catecheses Duaci.*

FRANCISCUS DE LAVERDURE, *S. Theol. Doctor.*

APPROBATIO.

Librum, cui titulus est, *Theologia moralis*, à R.P. *Stephano à S. Paulo* Ord. Beatiss. V. MARIÆ de Monte Carmelo concinnatum, recognitum, & auctum, dignum censeo, qui typis in lucem prodeat; quia non tantùm nihil fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium continet, sed etiam cum fructu à Christi-fidelibus, maximè animarum rectoribus, & Theologiæ moralis candidatis, imò & Professoribus legi potest. Datum Coloniæ in Conventu S. P. Augustini anno 1669, 12 Januarii.

Fr. Joannes Schvveitzer, Ord. Erem. S. P. Augustini S. Th. Doctor & Professor, dicti Conventus Prior, *m. p.*

O*Pusculum, cui titulus*, Theologia Moralis R. P. F. Stephani à S. Paulo, &c. *attentè evolvi, ac revolvi; & nedum reperi immune ab omni labe, quæ vel Fidei orthodoxæ, vel bonis operibus, posset obesse: quin potiùs deprehendi raram doctrinam casibus impediendis idoneam continere. Quare judico, quòd pro opportunâ Orthodoxorum informatione, utilissimè typis procudi possit, ac debeat. Coloniæ in Conventu S. Crucis Ord. Præd. Anno* 1669. 9 *Februarii.*

F. Henricus Hilden, Ord. Præd. S. Theol. Doctor, ac Profess.

APPRO-

APPROBATIO CENSORUM ORDINARIORUM.

THeologia Moralis R. P. STEPHANI à S. PAULO *Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo, &c. est opus typis mandari dignissimum, in quo & scientia moralis, & doctrina Sacramentalis ita tractatur recto ordine, facili stylo, clara methodo & succincta, ut sperem omnibus, qui & excipiendis confessionibus, & obeundis Pastoralibus functionibus sese ex officio impendunt, futurum gratissimum, quia utilissimum; utpote in quo erit invenire in resolutionibus probabilitatem, in materiis, cæteroquin obscuris, claritatem, in praxi tutam viam, & pro occurrentibus casibus securam doctrinam, sine ulla macula contra fidem aut bonos mores. Ita censeo 1 Iulii, 1664.*

JOANNES DE CAPUA, Canonicus Theologalis in Eccles. Cathed. Antverp. Lib. Censor.

AUBERTUS VANDEN EEDE, J.U.L. Canonicus & Archidiaconus Antverpiensis, Lib. Censor. 4 Octobris, 1667.

THeologia Moralis R. P. Stephani à S. Paulo *ex Ordine FF B M.V. de Monte Carmelo, SS. Theol. Professoris, &c. à diversis ejusdem S. Facultatis Doctoribus antehac lecta, commendata & approbata, ac alibi luce donata publica, typis etiam Coloniensibus pro communi multorum bono & instructione evulgari poterit. Coloniæ Agrip. 14 Januarii, 1669.*

JOANNES FRANCKEN SIERSTORFF, J. U D. Metrop Colon. Canon. Capit. Librorum Censor Ordinar, *m. p.*

SUMMA

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps ; diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter ENGELBERTI GYMNICI Typographi Antverpienſis voluntatem, R. P. *STEPHANI à S. PAVLO* Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de Monte Carmelo, &c. *Theologiam Moralem*, &c. intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excuſam in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve exponat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem triginta florenorum Rhenenſium pro unoquoque exemplari perſolvendorum pœna mulctabitur, utí latiùs patet in litteris datis Bruxellis die XIX. Iulii, M DC. LXIV.

Signat

LOYENS.

Ius ſuprad. cti Privilegii ceſſit prædictus Engelbertus Gymnicus Ioanni Buſæo Civi & Bibliopolæ Colonienſi.


TRACTA-

THEOLOGIA MORALIS

R. P. F. Stephani à Sancto Paulo.

TRACTATUS I.

De actibus humanis.



Ctus humanus sive moralis hìc sumitur pro actu hominis libero; non verò pro omni hominis actu; nam cùm actus hominis, ut necessarii, communes sint brutis & hominibus, à Sancto Thoma, & aliis post ipsum, humani non dicuntur, sed soli liberi, qui propriè hominis sunt, & brutis non conveniunt. Est igitur actus humanus sive moralis, actus liber, vel omissio ejus. Ita noster P.M. Petrus Cornejo in sua Theologia *tom.1. tract.6. disp.1. dub.4.* ubi ostendit, alias conditiones, quæ ab aliis præter libertatem ad actum humanum requiruntur, in ipsa libertate inveniri: quare ante omnia de libero agendum esse judicavi. Sit itaque

DISPUTATIO I.

De voluntario, & libero.

DUBIUM I.

Quid sint, & quomodo distinguantur?

1. Dico primò, voluntarium est, cujus principium est intra eum cognitione finis & circumstantiarum: ita ex Sancto Damasceno *lib.2. de fide cap.24. &* 25. illud definit Cornejo *tom. 1. tract.4. disp.1. dub.1.* dicitque, hanc definitionem esse Aristotelis, Divi Thomæ, Gregorii Nisseni, & Damasceni. Per ly *cujus principium est intra*, exclude motum violentum, seu passionem, quam quis sustinet invitus ab altero. Per ly *cum cognitione finis*, exclude actus intellectus, & aliarum potentiarum

rum

bera est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere vel non agere, in sensu scilicèt composito ut supra; in eo enim videtur consistere ipsa ratio libertatis, quòd voluntas ex duobus mediis æqualibus, vel etiam inæqualibus sibi propositis possit quodlibet eligere vel non eligere iisdem omnibus motivis remanentibus.

7. Dixi *in sensu composito omnium prærequisitorum*, & non *requisitorum simpliciter*; quia cum ipsa actio sit unum ex requisitis, & manente actione nequeat poni non actio, impossibile est ut voluntas possit agere & non agere in sensu composito omnium requisitorum ad agendum.

8. Dices, adhuc omnia supradicta reperiuntur in brutis; ergo in iis precisè non potest consistere libertas. Probatur antecedens, quia videmus passim bruta coerceri à prosecutione rei delectabilis & appetitui eorum convenientis, nullo extrinseco prohibente; item modò videmus ea prosequi id quod heri detestabantur &c. Per quæ videtur inferri, quòd positis omnibus ad agendum prærequisitis etiam in sensu composito possint agere vel non agere.

9. Respondeo negando Antecedens. Ad ejus prob. Respondeo, ea & similia omnia fieri, non ex judicio aut appetitu indifferenti ad operandum vel non operandum omnibus prærequisitis remanentibus; sed ex appetitu determinato ad unum ab aliqua vehementiori passione. Exempli causa, canis licèt offam appetat in conspectu positam simpliciter loquendo; si tamen sit memor verberum priùs acceptorum ob similem offam commestam, abstinet à dicta offa, non liberè, sed timore ipsum determinante & necessitante ad abstinendum: quocumque igitur vehementior affectio traxerit, eò bruta impetu necessariò feruntur. Ita hæc sibi ipsi objicienti respondet Wiggers *de voluntariis q. 6. art.* 1. *n.* 5. Contrarium autem fit in homine, qui etiam gravissimas tentationes superare potest.

10. Dico tertiò (quod ex dictis sufficienter colligi potest) voluntarium & liberum distinguuntur, primò, quòd voluntarium sit magis commune quàm liberum: omne enim liberum est voluntarium, non econtrà; quia amor Dei in beatis est voluntarius, utpote elicitus à principio intrinseco cum cognitione finis, non est tamen liber (saltem quoad exercitium:) nam beati non possunt non amare Deum clarè visum & cognitum ut summum bonum, cùm nihil possit ipsos movere, ut ab illo amore summi boni desistant. Fateor tamen plerosque sanctos Patres interdum voluntarium cum libero confundere: sed tum sumunt voluntarium in impropria significatione, sicut impropriè sumeretur visio aut intellectio ab eo, qui eas cum visione clara & perfecta intellectione tantùm confunderet.

11. Secundò distinguuntur voluntarium & liberum; quia fieri potest ut in uno & eodem actu, qui simul sit liber & voluntarius, augeatur voluntarium & minuatur liberum; dum videlicèt accedit motus delectationis aut concupiscentiæ: tunc enim quò vehementior est motus, eò voluntas magis trahitur & inclinatur ad agendum; adeoque augetur voluntarium cùm magis, sive efficacius velit quàm ante: & tamen minuitur liberum; quia quò voluntas magis trahitur in unam partem, eò est minùs libera sive indifferens ad utramque. Ita Becan. *de act.hum.human.c.* 3. *q.* 3. cum cæteris communius, quos in his sequitur Cornejo *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *dub.* 2. ubi ostendit concupiscentiam posse esse tantam, ut tollat omninò voluntarium liberum.

DUBIUM SECUNDUM.

Quid requiratur ad hoc, ut omissio, & quod ex ea sequitur, sint voluntaria aut libera?

12. DIco primò, ut omissio sit libera, requiritur advertentia saltem interpretativa ad illam, & potestas ad oppositum actum. Secunda pars patet; quia qui invitus in carcere vel vinculis detinetur non dicitur liberè omittere auditionem sacri. Prima pars etiam est clara: nam, ut commune habet axioma, voluntas non fertur in incognitum: unde & hoc etiam necessariò requiritur ad omissionem voluntariam.

13. Dico secundò, ut omissio sit voluntaria & libera, non requiritur obligatio ad oppositum actum: quia positâ advertentiâ & potestate audiendi sacrum v. g. tam liberè ac voluntariè omittit quis illud audire die feriato, quàm die dominico aut festo, ut videtur manifestum, & bene probat P. Franciscus Bonæ Spei *tom.4.tract.2. de act.hum.disp.1.dub.2.res.1.* monens, obligationem ad oppositum actum solùm requiri, ut omissio peccaminosa sit libera: quidquid illam generaliter in omni omissione libera requirat Cornejo *tom.1. tract. 4.disp.1.dub.10.num.9.*

14. Dico tertiò, ut effectus per accidens ex omissione secutus habeat rationem voluntarii moralis non requiritur etiam debitum seu obligatio ad actum omissioni oppositum: quidquid & hîc à fortiori contrarium doceat Cornejo *loco cit. dub.9. num.22.* ob sequens fundamentum; quia cùm voluntas non possit esse causa istius effectus nisi moralis, opportet ut aliquid concurrat, ratione cujus possit censeri moralis causa illius; quod non videtur posse esse aliud, quàm lex aut præceptum, quo obligatur ponere actum omissioni oppositum. Exemplo res fiet clarior: si videam duos inter se pugnantes, quos possium quidem absolutè separare, sed non nisi cum manifesto vitæ meæ periculo eosque propterea separare omittam, nullus dicet homicidium per accidens ex omissione mea secutum mihi esse voluntarium: oppositum tamen omnes dicent, si facilè & sine ullo incommodo eos separare potuerim. Cur hoc, nisi quia in secundo casu adest obligatio eos separandi & non in primo? Atque hinc etiam est, quòd, licet ex eo, quòd Dominus Deus non impediat malas hominum voluntates, sequantur peccata, non sint tamen Deo voluntaria, eò quòd non obligetur Deus malas hominum voluntates impedire: unde dicitur peccata permittere, non verò velle. Et ex hac etiam parte deducit Cornejo *ubi suprà num. 26.* non peccare mulierem ornando seipsam, etiamsi prævideat peccaturum aliquem videndo & appetendo eam: de quo nos aliquid infra suo loco.

Verùm hæc omnia facilè solvo per distinctionem statim ex P. Francisco adductam, dicendo in primis homicidium illud esse mihi in utroque casu voluntarium, licet in primo non sit mihi voluntarium peccaminosum, sicut in casu secundo: deinde ad Deum quod attinet, respondet Franciscus, omnia peccata esse Deo permissivè libera seu voluntaria; quia habet advertentiam ad illa, & per gratiam suam illa impedire potest; verumtamen non ideo ei ad

ei ad culpam magis imputanda esse, quàm lupanaria publica principi, quando hæc impedire non tenetur.

Probo ergo resolutionem nostram tertiam cum Francisco hoc modo; ad voluntarium moraliter in effectibus ex omissione secutis, sufficit advertentia & potestas ad oppositum: ergo non requiritur debitum ad actum oppositum omissioni. Prob. assumptum: quia communiter dicitur velle frigere is, qui friget, ac videns & potens ad ignem accedere, non accedit, licèt nullo modo ad ignem accedere teneatur; & sic de pluribus aliis. Sed quid ad D. Thomam citatum à Cornejo, qui 1.2. *quæst.6.art.3. in corpore*, ut minùs docet, effectum per accidens ex omissione secutum, non nisi præsupposito præcepto, aut debito dicto, esse voluntarium? Respondeo cum eodem Francisco, illum intelligi debere de voluntario peccaminoso, seu culpabili, à quo nos præscindimus.

DUBIUM TERTIUM.

Quomodo violentia, metus & concupiscentia se habeant ad voluntarium vel liberum?

15. Dico primò, violentia tollit liberum & voluntarium: quia violentia juxta Aristotelem est à principio extrinseco nihil conferente passo. Ubi illud *nihil conferente passo* D. Thomas & alii communiter explicant positivè, ut idem sit quod *renitente*, *seu resistente passo*: si enim virgo, quæ opprimitur, merè passivè se haberet, quamvis voluntate displiceret ipse actus, non diceretur propriè pati violentiam; sed potiùs interpretativè velle ipsum actum malum, utpote secutum ex voluntaria omissione resistentiæ positivæ, quam tenebatur adhibere, ut actum malum impediret quantum poterat. An teneatur clamare, dicetur *disp.* 5. *num.*44. Ante resolutionem secundam.

16. Nota, metum esse perturbationem animi ex cognitione mali probabiliter eventuri: estque duplex; gravis, id est, natus ex grandi malo verisimiliter eventuro, qui dicitur metus cadens in constantem virum: & levis, id est, natus ex malo leviori, vel etiam majori, sed cujus exiguum est periculum; qui dicitur cadens in virum inconstantem. Dixi, *gravis, id est, natus ex grandi malo*, quod videl. absolutè, vel respectivè est grande. Malum grande absolutè est id, quod omnes communiter æstimant tale: respectivè verò, quod est grande respectu solius apprehensionis aut conditionis personæ: solent enim pueri & mulieres, imò & quidam viri multùm meticulosi aliqua apprehendere ut mala grandia, quæ vix curant homines constantes. Unde datur metus respectivè gravis, qui non sit cadens in virum constantem, quique tamen adeò imminuit voluntarium respectivè, quàm alius absolutè: pro quo vide Gobat *in Alphab. matrim. par.* 1. *casu* 12. *num.*247.*& seq.* Hoc notato.

17. Dico secundò, ea quæ fiunt ex metu, etiam gravi, sunt simpliciter voluntaria, eliguntur enim ad majus malum vitandum, adeoque sunt absolutè volita: sunt tamen aliquousque sive secundùm quid involuntaria, in quantum voluntas ea non vellet, si metus abesset; ideoque minuitur eorum malitia. Ita Cornejo *tom.1. tract.*4. *disp.*3. *dub.* 2. & Franc. B. Spei cum DD.

communiter. Imò ea, quæ fiunt ex metu gravi contra præcepta juris positivi Divini vel humani, non imputantur ad culpam sive peccatum: non quòd sint simpliciter involuntaria, ut constat ex statim dictis; sed quia non est verosimile, Deum aut homines voluisse mortales obligare in casu tanti mali, quale est quod timetur, ut v.g. cum periculo vitæ, amissionis omnium bonorum, famæ adhuc integræ jactura &c. Excipe tamen casus, in quibus id juberetur fieri in Dei contemptum, tunc enim jus naturale assistit juri positivo, & præcipit etiam cum jactura propriæ vitæ obedientiam præstari juxta illud, *Quicumque erubuerit coram hominibus me confiteri, & ego erubescam eum coram patre meo:* & ratio est; quia contemptus ille cedit in præjudicium honoris Divini, qui omnibus rebus creatis est præponendus, sicut ipse Deus est appretiativè summè diligendus; ut nimirùm casu quo vel ipse esset inhonorandus, vel vita propria amittenda, potiùs hoc ultimum eligatur. Sic v. g. Sacerdos, quem quispiam cogeret dicere Missam sine debitis ornamentis in contemptum Religionis, potiùs debet occumbere, quàm sic celebrare. Ita Noster Urbanus ab Ascensione *tract.1. cap.7.* suæ Theologiæ moralis, qui unicum casum contemptûs vult esse excipiendum. Verumtamen tu excipe etiam casus in quibus aliàs graviter præjudicaretur bono communi Reipublicæ, vel daretur occasio gravis valdè scandali infirmorum: sic enim miles tenetur servare stationem, etiam cum periculo propriæ vitæ; & Christianus non potest negare fidem suam etiam solùm exteriùs, licèt tyrannus minetur inferre mortem. Excipe insuper omnia quæ sunt intrinsecè mala; ea namque nullo metu possunt reddi licita: ex quo colligit Cornejo *ubi suprà dub.* 3. nullum posse licitè mentiri aut quodcumque peccatum veniale committere, etiam metu mortis: pro quo citat Augustinum: & dum aliqui se opponunt dicentes Deum præmiasse aliquorum mendacium; respondet, id factum esse ob ignorantiam invincibilem, quâ judicabant mendacium in illis casibus esse licitum.

18. Dico tertiò concupiscentia (quæ est actus quo appetitus sensitivus fertur in objectum delectabile & voluntatem allicit ad illud prosequendum) auget voluntarium & minuit liberum juxta dicta *dub.1. in fine*, estque D. Thomæ 1.2. *quæst.6.art.* 7. & aliorum communiùs. Quando verò D. Thomas alibi dicit, ex passione antecedenti minui voluntarium, intelligit de voluntario perfecto sive libero, non de voluntario in genere, prout eum etiam explicat Cornejo *dub.* 1. à nobis citatus. Addo & concupiscentiam & metum posse in aliquo in tantùm excrescere, ut turbetur mens ac tollatur deliberatio; quo casu indubiè actus essent involuntarii.

DUBIUM QUARTUM.

Quomodo ad voluntarium se habeant ignorantia & inadvertentia?

19. Ante resolutionem, nota ignorantiam variè dividi. Primò in ignorantiam juris, qua lex vel præceptum ignoratur; & facti qua ignoratur ipsum opus vel aliqua operis circumstantia.

20. Di-

20. Dividitur secundò ignorantia invincibilem seu culpabilem, & in invincibilem seu inculpabilem. Prima est, quæ præstando id quod præstari potest ac debet, superari potest: secunda verò econtrà, quæ præstito eo, quod potest & debet præstari, superari nequit. Sic villicus, qui templum adivit die dominico, quando Parochus solet proclamare jejunia septimanæ præsentis, quod hac vice obliviscitur, & ideo ea alter ignorat, dicitur invinciliter ignorans, quia præstitit ea, quæ potuit & debuit præstare ut jejunia sciret. Qui verò tali die se à sacro absentat, nec postea curat inquirere ab iis, qui sacro interfuerunt, an & quæ jejunia fuerint proclamata, sciens similiter ea ibi solere proclamari, si ea ignoret, dicitur vincibiliter & culpabiliter ignorans; quia si vel interfuisset sacro, vel ab aliis inquisivisset, quod potuit & debuit facere, scivisset quod ignorat: suppono enim tunc Parochum jejunia proclamasse. Addo tamen cum Diana *part.11. tract.4. ref.4. circa finem*, prædictum rusticum adhuc non censeri id ignorare culpabiliter, nisi aliquam cogitationem, aut dubitationem, vel scrupulum habuerit de obligatione id inquirendi; ita enim sentiunt Alexand. S. Bonavent. Albert. Mag. Henri. Gerson. S. Anton. Angelus, Sylvest. Cajet. & Armilla, quos omnes citat & sequitur Vasquez 1. 2. *tom. 1. disp.* 107. *cap.* 3. *num.* 6. & alii apud Dian. *loc. cit.* Ratio est, quia si nunquam in mentem venit cogitare aut suspicari de operis aut omissionis malitia, tunc homo malum deliberatè non operatur, cùm fieri nequeat, ut voluntas in malum peccati consentiat, nisi intellectus illud cognoscat.

21. Subdividitur ignorantia vincibilis in affectatam, crassam sive supinam, & vincibilem strictè sumptam. Affectata est, dum quis vult aliquid ignorare ut opus aliquod liberius faciat; unde ait Psalmista, injustus *noluit intelligere ut benè ageret.* Crassa est dum ignoratur id, quod cæteri similis conditionis sciunt, & facilè sciri potest ab eo, qui aliqualem ad sciendum adhibet diligentiam. Vincibilis strictè sumpta ignorantia est, dum quis quidem aliqualem adhibuit diligentiam ad sciendum, sed non tantam, quantam poterat, & debebat: ut si v. g. supradictus villicus petiisset ab uno aut altero quænam jejunia essent proclamata, & illi respondissent, vel se etiam abfuisse, vel non attendisse ad Parochum &c. Tunc enim adhuc alios tenetur interrogare, qui ipsi absolutè dicant unum vel aliud.

22. Tertiò dividitur ignorantia in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Ignorantia antecedens est, quæ est involuntaria & tanquam causa antecedit ipsum opus; quia nempe si ignorantia abesset opus non fieret. Concomitans est, quæ quidem est non voluntaria, sed non antecedit opus tanquam causa; quia licet abesset, adhuc opus fieret. Consequens est, quæ tanquam effectus consequitur actum voluntatis; quia nempe est directè vel indirectè voluntaria. His notatis.

23. Dico primò, ignorantia antecedens causat involuntarium interpretativè; quia laborans hâc ignorantiâ ita est dispositus, ut nullo modo vellet ponere opus quod ponit si ignorantia abesset, quâ laborat invincibiliter: unde hæc ignorantia à culpâ excusat.

24. Dico secundò, ignorantia concomitans nec facit opus voluntarium nec involuntarium; neque enim inducit operantem ad volendum aut nolendum, cum voluntas non feratur in incognitum. Unde & hæc etiam à culpa excusat ipsum opus externum. Exempli causa, occidit quis inimicum putans invincibiliter esse

feram;

feram;quem tamen adhuc occidiffet, licèt cognoviffet effe fuum inimicum, talis non eft reus homicidii externi, nec incurrit obligationem reftitutionis in foro confcientiæ,nec irregularitatem; nam,quamvis ita fuerit difpofitus, ut inimicum adhuc occidiffet fi fciviffet eum effe,ifta voluntas non influxit in homicidium factum;cùm magnam diligentiam fupponatur adhibuiffe, ne hic & nunc hominem occideret. Ifta tamen difpofitio prava eft ipfi culpabilis & mortalis.

25. Dico tertiò, ignorantia confequens facit opus indirectè & interpretativè voluntarium: quia qui vult id unde malum fequitur, cenfetur velle ipfum confequens malum; ignorantia autem confequens, ex qua opus fequitur,eft volita feu voluntaria,in quantùm vel eft affectata,vel craffa, vel vincibilis ftrictè fumpta. Quare hæc non tollit omnem culpam,fed eam auget, vel minuit fecundùm majorem,vel minorem negligentiam in prævidendo malo; ita ut ignorantia affectata nihil minuat de culpa,ficut nihil minuit de voluntario fecundùm æftimationem moralem, cum fit totaliter voluntaria: craffa parum de gravitate culpæ tollit, prout parum tollit de voluntario; fed plus vincibilis ftrictè fumpta. Ita Wigg. *1.2.q.6.art.8.n.24.* Sylvefter & alii. Vide etiam Cornejo *tom.1.tract. 4.disp.ult.dub.unico per totum*; ubi inter cætera, circa dubium; *an ignorantia fit antecedens an confequens, five an non exiftente ignorantiâ ineffet voluntati actus contrarius ei, qui fit per ignorantiam, nec ne*? Refpondet cum Ariftotele,id cognofci ex dolore, qui fequitur, vel non fequitur opus factum; fic enim ait Ariftoteles; qui ob ignorantiam quidpiam agit fi ipfum pœnitet, invitus fecifle videtur; id eft, renitente voluntate interpretativè.

26. Dico quartò, inadvertentia talis, quâ fit, ut nequidem dubitetur de prohibitione,vel malitia actus,aut obligatione inquirendi an actus prohibitus, vel malus fit, tollit voluntarium quoad malitiam, uti ignorantia invincibilis, & confequenter excufat à peccato. P. Franc. B. Spei de *de act. hum. disp.1.n.108.* Quare quæ fiunt ex furreptione, nifi importent aliqualem advertentiam quòd malè fiant, non funt peccata; fi verò levem importent, levia tantùm funt peccata: fi autem adfit plena advertentia de malitia actus, de qua nequidem dubitetur an mortalis fit an venialis, & an grave vel leve damnum inferat, non erit nifi leve peccatum juxta Navar. Ariag. P.Francifc. & alios. Ratio eft, quia magis favendum reo quàm actori: nec gravitas peccati, aut periculum ejufdem poteft id invincibiliter ignoranti ad gravem culpam imputari. Oppofitum tamen adhuc dicit Sylvius effe magis probabile,nifi talis ita in ànimo fit difpofitus, ut fi veniret ei in mentem,malitiam effe mortalem,nequaquam vellet illam committere; quia aliàs talis fe exponit periculo peccandi mortaliter fi ulteriùs non examinet, an malitia fit mortalis, an venialis tantùm. Verùm hæc ejus ratio mihi videtur nulla; quomodo enim prædictus tenebitur dictum examen inftituere cum fupponatur nullatenùs advertere ad periculum peccati mortalis, vel ad qualitatem malitiæ? Meo certè judicio fuperat humanam diligentiam expellere ignorantiam, vel inadvertentiam qualitatis malitiæ objecti,cujus nulla prorfus incidit cogitatio. Interim quidquid fit,puto ego id vix poffe habere locum in prudentibus. Addo tamen ex Urbano *tract.1. cap. 26.* eum, qui invincibiliter ignorat effe peccatum,agere cum dubio de malitia actus (quemadmodum poffunt fe multi ruftici habere) ab omni peccato excufari. Vide circa hæc

etiam

etiam Tambur. *in decal. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 1. §. 3. *num.* 30.

27. Dico quintò, dum advertitur gravis malitia in actu, ad mortale non sufficit semiplena advertentia, qualis est in semidormiente, aut semiebrio, licet ad veniale sufficiat. Ratio est, quòd in similibus non adsit plena libertas. An autem tantùm semiplenam advertentiam habuerit peccator distractus? Ipsius judicio relinquitur; nec aliter Confessarius scire potest: unde commune axioma, *non est prudentis dicere non putabam* vel *nesciebam*, solùm habet locum in foro externo, non in interno, in quo semper statur conscientiæ confitentis, qui contra seipsum deponit; nisi fortè ipse Confessarius aliunde internam pœnitentis dispositionem nosceret: ut v. g. quòd nullo prorsus modo velit exequi malum, quod est repræsentatum; quo casu levis censenda est advertentia: sicut etiam, si nunquam, vel rarissimè admittat in similia consensum: item si probus dubitet, an vigil, an dormiens, an sui compos fuerit &c. etiam standum erit pro semiplena advertentia. Ex his.

28. Colliges, non esse peccatum tam grave, quin defectu advertentiæ fieri possit veniale; cum enim bruta non peccent, eò quòd irrationabiliter, & sinè advertentia agant, quò magis ad eorum operandi modum, & conditionem naturalem acceditur, eò minus peccatur; ac consequenter ubi tantum parum ab eo receditur, parum tantùm, sive venialiter peccatur. Hæc tamen intellige de inadvertentia inculpabili: ac adde ignorantiam, & inadvertentiam excusantes à peccato, etiam excusare à censuris, & pœnis annexis: de quibus omnibus vide Urban. *cap.* 26. *citato & 27. sequenti.*

Petes, quid faciendum sit Confessario cum ignorante?

29. Resp. & dico primò, tenetur auferre ignorantiam, quâ facit pœnitens peccatum ubi non est: quod experior locum habere in multis circa requisita ad indulgentias, & privilegia obtinenda ratione Sacri Scapularis: item & circa alias materias, præsertim in fœminis, de quibus optarem similes instrui à suis Confessariis.

30. Dico secundò, debet etiam Confessarius auferre omnem ignorantiam vincibilem, utpote culpabilem & peccatum: examinet tamen prudenter an revera talis sit: nam si reperiatur esse inculpabilis, & nulla speretur emendatio ex ablatione ignorantiæ, debet pœnitens in sua ignorantia relinqui, ne loco peccati materialis ponatur imposterum ipsum formale peccatum: quod sæpe locum habet in conjunctis matrimonio bonâ fide cum impedimento matrimonium dirimente; & varii etiam locum habere docent in simili matrimonio contrahendo si Confessarius videat, quòd non obstante scientiâ dicti impedimenti adhuc contrahent; quia Confessarius semper tenetur cavere malum spirituale pœnitentis. Oppositum tamē quoad hoc ultimum verius judico, si nimirùm res sit adhuc in statu integro; quia si tunc nullus sequatur fructus, id provenit ex mera pœnitentis malitiâ, quæ peccatori non debet suffragari. Hinc mallem ego hoc secundum practicare, & similem pœnitentem monere de suo impedimento, ne fortè ipse postmodum conqueratur, dum matrimonio jam contracto ei innotuerit dictum impedimentum, quòd eum permiserim duci in tales angustias, quales sunt, vel cum scandalo, & multis fortè genitis prolibus debere separari à conjuge, vel continuò se exponere periculo formaliter peccandi; in quo certè viderer mihi minùs prudenter egisse, cum hæc non rarò con-

tingere experientia me doceat, & ista ei antea proponendo possem aliqualem spem habere eum avertendi à matrimonio simili contrahendo.

31. Dixi, *si res sit adhuc in statu integro*, quia si pœnitens v. g. esset filia honesta jam gravida, putarem Confessarium posse permittere, ut cum impedimento dirimente invincibiliter ignorato matrimonium contrahat; quia ex monitione de simili impedimento vix fructus posset prudenter exspectari, & tamen id in meram pœnitentis malitiam non posset refundi. Attendat interim Confessarius diligenter, an nulla spes fructus effulgeat, quia reverà hæc in casibus etiam difficillimis non semper abest. Narravit enim senex quidam Confessarius è nostris mihi, hunc casum sibi accidisse. Adolescens quidam insignis venit ad confessionem die statuto ad contrahendum matrimonium, unde amici erant invitati, & alia ómnia parata ad nuptias; colligit Confessarius subesse impedimentum dirimens invincibiliter ignoratum; interea advertit, pœnitentem horrere summopere peccatum mortale: erat ipse Confessarius concionator, qui sciebat homines movere, unde inspectis circumstantiis concipit spem fructus, monet alterum de impedimento, qui in omnibus secutus est consilium Confessarii, ita ut fructus à Confessario speratus fuerit obtentus: an autem hic Confessarius, in aliis ab omnibus habitus pro viro prudenti, in hoc casu prudenter egerit? Non examino, sed casum adfero, ne in aliis casibus, ubi res non ita procul devenit, statim desperetur de fructu obtinendo. An autem in tali casu raro non possit dispensatio obtineri ab Episcopo; vide quæ dicuntur *tract.* 5. *disp.* 8. *num.* 89

32. Dico tertiò, debet Confessarius auferre ignorantiam, etiam invincibilem, necessariorum necessitate medii ad salutem; quia sine his etiam invincibiliter omissis, sivè ignoratis non potest pœnitens salvari: communiter tamen non debet Confessarius esse sollicitus, an is, qui confitetur, laboret simili ignorantiâ, sed tum demum, dum advertit eum esse valde rudem: nec debet dimittere aliquem ob ignorantiam necessariorũ necessitate medii aut præcepti; nam vel illa fuit culpabilis, & tunc sufficit eum monere, ut de illa doleat sicut de cæteris peccatis, & proponat adhibere diligentiam necessariam: vel fuit inculpabilis, & hæc non impedit absolutionem, modò proponat acquirere scientiam anteà ignoratorum (suppono enim, eum scire & servare ea, quæ sunt de necessitate Sacramenti:) ac sæpè potest Confessarius brevi instructione supplere defectum notitiæ necessariæ. Quænam autem sint scitu necessaria necessitate medii; erues ex dicendis *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 3. §. 1. Circa hæc vide P. Franc. B. Spei *disp.* 6. *n.* 32. *& seqq.*

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Conscientia.

DUBIUM I.

Quid & quotuplex sit Conscientia?

1. DIco primò, conscientia, quæ est humanorum actuum regula, est dictamen rationis præscribens quid hîc & nunc oporteat facere, vel non facere, conformiter ad legem, vel præceptum: sive, ut loquitur Cornejo *tom.* 1. *tract.*8. *disp.*1. *dub.* 1. est regula æqui & iniqui indicans creaturæ rationali, quid fugiendum, quidve appetendum sit. Unde non agimus hîc de conscientia prout est judicium sive dictamen de factis; quia id ad materiam moralem non inservit, nisi in quantum inde sequitur obligatio aliquid imposterum faciendi vel omittendi, ut peccatum commissum deleatur, vel deinceps committendum vitetur. In formanda conscientia abhibenda est debitā diligentia ad ipsam actionem, circumstantias, & finem ejusdem, antequam procedatur ad opus: & si fortè posteà error aliquis, aut deceptio deprehendatur, ad culpam non imputabitur. Quare excusatur ille à peccato, qui adhibitâ dictâ diligentiâ bonam habuit intentionem, dum operatus est, existimans se non malè operari, quamvis postea cognoscat illam actionem verè esse malam: quia juxta præsentem conscientiam, non verò subsequentem attenditur bonitas, vel malitia actionis.

2. Dico secundò, conscientia dividitur in quinque membra; quorum primum est conscientia recta, quæ judicat bonum bonum, & malum malum: secundum est erronea, quæ judicat bonum malum, & malum bonum: tertium est conscientia opinabilis, quæ probabiliter judicat, unum esse sequendum cum formidine tamen de opposito: quartum est conscientia dubia, quæ neutri parti præbet assensum aut dissensum, sed hæret inter utramque: quintum denique est conscientia scrupulosa, quæ ex levibus motivis uni parti adhæret cum anxietate.

3. Adverte tamen, conscientiam dubiam non esse conscientiam propriè dictam; quia non præscribit quid hîc & nunc determinatè sit agendum vel omittendum, sed ambigua hæret inter utrumque. Idem dic de conscientia scrupulosa, quæ plus adhæret uni parti per solam apprehensionem, si verè sit scrupulosa, quàm per judicium practicum, quod in definitione conscientiæ intelligitur per dictamen rationis.

DUBIUM SECUNDUM.

Quid faciendum ei, qui laborat conscientiâ erroneâ?

4. SUppono ut certum apud omnes, conscientiam rectam ab omnibus & in omnibus sequendam esse tanquam rectam regulam humanarum actionum, cui contravenire, bonum esse non potest.

5. Dico primò, qui laborat conscientiâ invincibiliter erroneâ, eam sequi tenetur; nec eam sequendo peccat; peccat tamen, qui contra illam agit. Franc. B. Spei *de act. hum. disp. 6. n. 13.* Prob. prima pars, quia cum voluntas sit potentia cæca, tenetur sequi judicium intellectus ostendentis quid sit agendum & omittendum, dum intellectus positis his circumstantiis non potest prudenter aliud judicare; quod contingit in conscientia invincibiliter errante. Deinde nulli potest imputari malitia actus nisi sit ipsi voluntaria, qualis non est malitia actus procedentis ex ignorantia invincibili, prout colligitur ex illo *Joan. 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Probatur secunda pars, quia faciens id, quod judicat esse malum & prohibitum, vel omittens quod judicat esse bonum & præceptum invincibiliter, licèt à parte rei ita non sit, verè consentit in malum, & habet affectum sufficientem ad peccatum illud, quod intellectus judicat subesse: & hoc est quod dicit Scriptura *ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide* (id est secundùm Origin. Ambros. Chrysost. & alios apud Vasq. quod non concordat judicio rationis) *peccatum est:* atque hoc peccatum erit istius speciei, cujus per ignorantiam judicabitur esse; quia objectum tribuit actui speciem prout hîc & nunc ab intellectu proponitur. Hæc est communis omnium DD. Qui ergo fregit jejunium v. g. dum putabat esse præceptum, indubiè satisfacit confitendo se comedisse quando judicabat jejunium esse præceptum. Sed quid si dicat se comedisse die jejunii, dum verè non fuit dies jejunii? Videtur dicendum, eum mentiri, licet in re levi: attamen similem varii à mendacio excusant, eò quòd per diem jejunii non observatum intelligatur verus vel putatitius. Adde, eum, qui sic peccat contraveniendo conscientiæ invincibiliter erranti, non incurrere pœnas humanas; quia legislator humanus non intendit pœnas imponere, nisi transgressoribus legis veræ: ex quo fundamento suis in locis valde utiles sequelas deducemus circa censuras Ecclesiasticas.

6. Dico secundò, laborans conscientia vincibiliter errante, tenetur eam deponere, ac si negligat, sive eam sequatur sive non, peccabit. P. Franc. *ibid. n. 21.* Si enim non sequatur, non agit juxta regulam humanorum actuum; & voluntas, cùm sit cæca, non potest contravenire judicio rationis, nec ferri in objectum sub ratione honesti, quod intellectus proponit sub ratione mali. Si verò sequatur, sicut antea ex communi sententia dictum est, ignorantiam vincibilem non excusare à peccato, idem jam dicendum est de conscientia vincibiliter errante. V. g. Petrus ex conscientia vincibiliter erronea putat mendacium esse licitum ad tuendam alterius vitam; si mentiatur, cum error vincibilis eum non excuset, peccat: si verò non mentiatur, sed permittat alterum occidi, etiam peccat, quia facit contra dictamen rationis. Neque hinc sequitur, Petrum necef-

necessariò, & quidquid fecerit vel non fecerit, peccare; nam deponendo conscientiam erroneam, quam, utpote vincibilem, deponere potest, ab omni peccato immunis esse poterit. Ubi adverte, illum, qui ex conscientia invincibiliter errante putaret se peccaturum sive hoc agat v. g. infirmum deserat, sive oppositum, v. g. Missam non audiat die Festo, quorum tamen alterutrum necessarium est, non peccare sive unam sive alteram partem sequatur: quia in his casibus sine culpa occurrentibus non adest sufficiens libertas, ad peccandum, nec ex communi sententia umquam potest quis constitui in statu, in quo necessariò peccet: si tamen in casu posito unum judicaret esse majus peccatum aliô, teneretur eligere quod judicaret esse minus malum: sicut semper obligatur adhibere media ad talem conscientiam perplexam, ut vocant, tollendam, antequam tempus operis ponendi adsit, si fieri possit.

Petes primò an gravius sit peccatum agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quàm agere juxta eam?

7. Resp. ex diversitate materiæ nunc unum, nunc aliud esse majus; si enim quis judicet esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, gravius peccabit agendo contra conscientiam; quia erit reus homicidii, cum agendo juxta eam solum incurrat culpam mendacii officiosi. Si verò quis judicet esse furandum ex bonis avari ad dandam eleëmosynam pauperi constituto in communi necessitate, graviùs peccabit sequendo conscientiam, quia erit reus furti gravis ut suppono; quàm agendo contra eam, nam tunc solum incurret culpam venialem, sub qua judicat hîc & nunc dandam esse eleëmosynam. Ita post Durand. docent Azor. Becan. Sylvius & alii quos citat & sequitur Cornejo *tom. 1. tract. 8. disp. 2. dub. 2. conclus. 1.*

Petes secundò, quomodo conscientia erronea deponenda sit?

8. Resp. non esse deponendam temerè, sed prudenter ac rationabiliter. Censetur autem temerè eam deponere, qui pro sua voluntate avertit animum à dictamine conscientiæ, ut ita operetur quod vult sinę actuali conscientiæ remorsu: eô enim casu non verè deponitur conscientia, sed contemnitur, adeoque taliter operans graviter contra illam, virtualiter adhuc manentem, peccat. Insuper temerè etiam conscientiam, licèt erroneam, deponit, qui ad hoc movetur levibus & omninò insufficientibus rationibus; quamvis tamen conscientia ex levi motivo formata etiam ob motivum leve deponi possit: imo si omnino temerè ac sine ulla ratione suscepta foret, posset & sine ulla ratione deponi & in contrarium agere, prout advertunt Urban. ab Ascens. & Cornejo suprà *dub. ult. conclus. 2.* Item qui per culpabilem distractionem, vel oblivionem contra conscientiam priùs habitam agit, etiam temerè operatur. Econtrà verò prudenter conscientiam deponit, qui firmâ ratione, aut probatorum Auctorum auctoritate ad eam deponendam movetur: ad quod sequentia media te juvabunt. Primò humiliter ora Deum. Secundò exactè rem totam discute. Tertiò libros lege de simili re tractantes. Quartò à doctioribus te consilium pete, ac tandẽ quæ sunt lecta & audita sequere: atq; hęc media ita sunt necessaria, ut quãdo per unum quis non assequitur veritatẽ, cætera adhibere teneatur; si tamen omnibus adhibitis adhuc remaneat in sua ignorantia, erit ignorantia & error invincibilis. Neque est necessaria diligentia summa, sed tanta dumtaxat, quantam prudentes & timorati in simili negotio solent ordinariè adhibere. De quibus vide Sylvium 1. 2. *q. 19. art. 5. quæsit. 6.*

DUBIUM TERTIUM.

Quid faciet is, qui habet conscientiam dubiam?

9. NOta conscientiam posse esse dubiam dupliciter, speculativè; quando dubitatur in generali, sit ne res secundum se licita vel illicita: & practicè; dum dubitatur in particulari utrùm hîc & nunc sibi liceat, vel non liceat tale quid agere vel non agere.

10. Dico primò, dum quis laborat conscientiâ practicè dubiâ, si nulla adsit necessitas operandi, tenetur ab opere abstinere: si autem necesse sit operari, diligenter inquirat, utra pars sit vera, vel saltem tuta, & sic, deposito dubio, agat in eam partem, in quam se resolverit: sin verò cum conscientiâ practicè dubia egerit, peccabit ejusdem malitiæ peccato cum eo, de quo dubitat; ut si dubitet, an peccet mortaliter, peccato furti &c. peccabit mortaliter, peccato furti &c. Ratio est, quia quod non est ex fide (id est ex judicio determinato ac prudenti conscientiæ, ut supra) peccatum est: & talis revera se exponit periculo committendi peccatum, de quo dubitat: qui autem amat periculum peribit in illo. Quòd si verò dubium deponi nullatenùs possit, & necesse sit alterutrum agere, sequenda erit pars tutior; id est in qua eligenda, vel nullum committitur peccatum, vel levioris culpæ periculum est, quàm in electione alterius. Ita idem Sylvius *loc. cit. quæst.* 8.

11. Dico secundò, qui laborat conscientiâ speculativè tantùm dubiâ, contra eam agens non peccat, si sequatur conscientiam practicè securam: quia cum ex causa rationabili dubium in praxi deponat, non se exponit peccandi periculo, nec consequenter censetur habere affectum ad peccatum. Sic v.g. qui speculativè dubitans, an liceat molere die festo, judicat sibi hîc & nunc, stantibus his circumstantiis, id licere, non peccat si molat; quia sequitur conscientiam practicè certam. Ita Cornejo *tom.* 1. *tract.* 8. *disp.* 3. *dub.* 4. ubi asserit D. Thomam *quodlib.* 8. *art.* 10. docentem peccare eum, qui operatur juxta opinionem, de cujus veritate dubitat, intelligendum esse de dubio practico & non de speculativo, prout *dub.* 5. *seq.* etiam dicit, intelligendum esse axioma *in dubiis tutior pars est sequenda*, ita ut solùm locum habeat in dubio strictè sumpto, quando videlicet intellectus nulli parti determinatè adhæret, juxta nostram primam resolutionem. Vide quoad præcedentia eumdem *ibidem disp.* 4. *dub.* 1. & 2. Quænam autem ratio sufficiens sit ad agendum licitè contra conscientiam speculativè dubiam tradit Urbanus *tract.* 1. *cap.* 10.

An in confessione exprimendum sit, peccatum factum esse cum conscientia dictante aliquid absolutè esse peccatum, an cum practicè dubitante; controvertunt Auctores.

Petes, an dubitans, num quod superior præcipit, licitum sit, aut ipsius potestatem excedat, teneatur obedire.

12. Resp. quod sic, quamvis enim verum sit, Superiorem non posse illicita præcipere, cum tamen ipse licitum judicet præceptum, de cujus honestate dubitat subditus, æquiùs est, ut illius hac de re judicio stemus, quàm dubitationi subditi: deinde Superior possidet jus præcipiendi,

in

in dubio autem melior est conditio possidentis. Ita Petrus Ful. cum communi: & bene addit Sylvius, ordinariè tutissimum esse subditis dubitantibus remedium, sua dubia deponere ad sui Superioris sive Prælati consilium, aut Parochi, vel Confessarii, utpote qui habentur viri sufficienter docti, boni, & discreti. Si tamen subditus dubitans obediendo aliquod grave malum sibi, vel alteri tertio timeret, non teneretur statim obedire, sed posset præponere examen; ut benè docent Henriq. Medina, Lessius, & novissimè Franciscus Pellizzarius *in tract. de Monialibus cap.* 4. *sect.*3.*quæsit.*27. Idque etiam licitum judicant Rodrig.Reginal. & alii cum rès præcepta est valde laboriosa aut difficilis. Quibus casibus si post suum examen aliquam sententiam probabilem subditus repererit, secundùm quam non teneatur obedire, vel non esse licitum quod præcipitur, potest non obedire: quia licitum est sequi sententiam verè probabilem. Ita Sanchius, Ledesm. & alii. Pro quo vide etiam *Dian. p.*2.*tract.*13. *res.*10. & Pellizza. supra. Imo Cornejo *disp.*4.*dub.*2.*supra* expressè docet, quando obedire præcepto Superioris cedit in alterius damnum, tunc non solùm eum posse non obedire, quin potius peccabit obediendo: ut in casu quo Prælatus interroget de crimine proximi, quod non cedit in publicam perniciem, & dubium sit, an Prælatus juridicè interroget: nam tunc non licet contra proximum testificari; quia in dubiis anteponendum est bonum proximi præcepto Superioris. Hæc ille: qui bene addit, *quod non cedit in publicam perniciem*, Reipublicæ videl. Religionis &c. ad quod benè est attendendum. Miror Patrem de Scildere *tract.*2. *num.*55. hæc absolutè ponere, *subditus opinans, quòd præceptum superioris auctoritatem excedat, obedire non debet:* cum supra (postquam *num.*21. dixisset, *licitum est pro formanda conscientia sequi opinionem probabilem &c.*) *num.*22. dicat, *nisi superior nos jubeat sequi opinionem tutiorem, cum præcepto ipsius obediendum sit*. Peto, an opinio superioris opinantis præceptum suum suam auctoritatem non excedere, non sit opinio tutior? Indubiè quod sic; suppono enim præceptum ipsius non esse de re mala: ergo cum Superior tale quid præcipiens, simul debeat censeri præcipere, ut subditus hanc Superioris tutiorem opinionem sequatur, videtur ille debere obedire, *cum præcepto ipsius obediendum sit*, ut habent ipsiusmet ultima allegata verba.

DUBIUM QUARTUM.

An sit licitum sequi conscientiam opinativam.

13. Dico quando sunt duæ resolutiones opinativæ sive verè probabiles, licitum est, probabiliori relictâ, sequi minùs probabilem in iis, in quibus non est periculum injuriæ tertii. Ita P. Gobat *in Alphab.Ord.casu* 6.*num.*197. dicens se id in Clypeo Alphabetico confirmasse auctoritate sexaginta quinque Theologorum. Ratio est, quia opinio probabilis fundatur in recta ratione, & judicio prudentum eam ut veram sustinentium; licitum autem est sequi rectam rationem, & virorum prudentum judicium: & certè aliàs intollerabile, ac ferè impossibile foret de omnibus inquirere, utra pars sit probabilior.

Nec

Nec dicas, ad prudenter & licitè operandum, non sufficere si dicatur, *probabile est me non peccare, ita ut probabile sit me peccare, nam nunquam licitum est se voluntariè peccandi periculo exponere*: quia qui extra casus à nobis exceptos sequitur sententiam verè probabilem, non dicit, *probabile est me peccare*, nisi fortè materialiter: nam formando conscientiam, quòd hîc & nunc sequatur opinionem verè probabilem, judicat in conscientia se operari juxta prudens judicium & in ratione fundatam opinionem, ac consequenter verè prudenter operatur, ac sic operando dicit: *moraliter certum est, me formaliter non peccare*: nec dici potest in sic utrimque probabilibus legem prohibentem esse in possessione; quia lex à principio tales actus nunquam comprehendit, eò quòd legislator supremus ne innumeris anxietatibus vexemur, nolit nos cum majori securitate, quàm dicta sit, procedere. Unde potest vir doctus operari secundùm probabilem aliorum sententiam prætermissâ propriâ probabiliori: licet enim suam judicet speculativè probabiliorem, habet tamen aliam certam regulam, quam sequatur. scilic. *in dubiis licitum esse operari secundùm sententiam, quæ à viris doctis ut probabilis & in praxi tuta defenditur*. Neque sic agit contra propriam conscientiam, nec se exponit peccandi periculo, sive ipse operetur juxta aliorum sententiam minus probabilem, relictâ propriâ sibi visâ probabiliori, sive aliis juxta eandem det consilium. Ita DD. satis communiter. Adde tamen ex Sanchez & Sylvio, Doctorem vel Confessarium prudentius semper dare consilium secundum sententiam propriam, ne arguantur inconstantiæ: si tamen opposita aliorum sit pœnitenti multum favorabilis, explicari ei poterit aliorum sententia ejusque probabilitas, addendo suam sibi videri probabiliorem. Vide eundem Dian. supra *ref.* 14. & Franc. B. Spei *de act. hum. disp.* 6. *num.* 112.

14. Nec absolutè damnandi sunt qui adeunt varios Doctores, ut aliquos inveniant, sibi faventes, qui dicant, talem propositionem esse verè probabilem, & in praxi tutam, dummodo hi prudentes sint & pii: nam intendunt sequi opinionem verè probabilem, atque in hoc jure suo utuntur. Ita post Sanchez. Bonac. & alios docet Busenbaus contra Navarr. Dixi hîc & *num. praced. verè probabilem, verè probabiles*: quia si opinio sit improbabilis, & solùm innitatur levibus motivis, vel si sit solùm apparenter probabilis, nullus eam tutè sequi poterit, ob manifestum periculum peccandi, quod eam sequendo incurreret.

Dices ex P. Schilder *tract.* 2. *num.* 25. is, qui opinatur actum esse materialiter malum & nihil scit de opinione aliorum contraria, non potest formare judicium practicum, sive conscientiam quòd absque peccato formali illum positurus sit. Ergo nec ille, qui scit alios judicare actum illum esse licitum: quia opinio aliorum, quàm quis judicat esse falsam, non magis potest movere, quàm ignorata. Per hæc & alia, quæ ibi adfert, conatur contra nos probare, neminem contra propriam posse sequi aliorum probabilem opinionem. Verùm his plenè puto satisfieri dicendo, similem quidem judicare, opinionem aliorum esse falsam insistendo suis fundamentis, & prout ipse ea penetrat; sed quia hæc non sunt nisi opinativa, & à parte rei formidini subjecta, quantumvis ipse in sua ratione omnem formidinem conetur excludere, potest prudenter unà judicare, opinionem plurimorum doctissimorum virorum juxta eorum fundamenta à se ignorata, vel non satis penetrata manere:

verè

verè probabilem, & se verè prudenter agere talem eorum opinionem sequendo. Imò putarem ego contrarium sentiendo incurrere magnam præsumptionem, cùm experientia me docuerit, Auctores, qui judicabant suas sententias optimè fundatas, & aliorum fundamenta in contrarium explodebant, confundi dum illis objiciebatur fundamentum, quod fortè antea non legerant. Nec video quomodo sinè temeritate possim (etiam contrà torrentem DD.) propriam opinionem judicare certò à parte rei esse probabiliorem, simulatque id mihi ita apparet attentis &c. quod hìc ubique supponit ille Auctor. Accedit quòd Innocentius Papa *cap. extra dist. 64.* & Cœlestinus *cap. prudentiâ de offic. Jud. del.* absolutè dicant, *integrũ est judiciũ, quod plurimorũ sentẽtiis cõfirmatur*, scil. sive tua accedat sive nõ.

Dico insuper, ut satisfaciam secundæ probationi prædicti Patris, in eo casu opinionem aliorum suô modô fieri propriam practicè, & à se reputari verè probabilem, in quantum judicat, illam non posse à tot & tantis viris defendi sinè sufficienti fundamento, licèt sibi incognito. Nec urget quod dicit, nos debere observare hoc axioma lumine naturæ notum, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quia cum hanc sententiam doceam pro omnibus, volo omnes alios tutâ conscientiâ posse facere intuitu mei, quod ego possum facere intuitu aliorum.

Ad absurdum autem quod dicit sequi ex sententiâ nostrâ in materiâ fidei: quòd nimirum *sectarius credens omnia necessaria necessitate medii ad salutem, licèt opinetur esse peccatum materiale non credere puncta alia fidei Christianæ, possit tamen ob auctoritatem Lutheranorum, Calvinistarum, Hussitarum, inter quos viri etiam docti reperiuntur numero magno, formare rectè sibi conscientiam quòd non peccabit formaliter non credendo illa puncta, neque præcepta Ecclesiæ observando.* Respondeo illud absurdum nullatenùs sequi, quia nullus Catholicus potest in materia fidei ab Ecclesiâ ut credenda proposita opinionem Lutheranorum &c. ullo modo facere suam: licèt enim inter eos multi sint docti, nequit ob auctoritatem eorum, utpote heterodoxorum, qui contra communem sensum, imò & definitiones Ecclesiæ conspirant, judicare se verè probabiliter non peccaturum formaliter eorum opinionem sequendo contra communem sensum Ecclesiæ. Si dicas, illum, de quo agitur, ignorare communem sensum Ecclesiæ, nec scire Lutheranos esse heterodoxos, adeòque eum verè posse judicare, *id quod tam multi viri docti, à me ut probi habiti inculpabiliter, licitum judicant, & ego ob rationes ipsis visas prægnantes, licèt mihi incognitas verè probabiliter licitum judico, ita ut, etiam contra propriam probabilem opinionem id facere possim.* Ego salvô meliori, hinc nullum aliud malum possum timere, quàm materiale; dicam enim, cum D. Augustino, sic faciendo *errare possum, hæreticus non ero*: quidquid tamen casus modò sit metaphysicus.

Et nonne sequendo sententiam P. Scilder errare possumus? Imo, & plus fieri hæretici, ac heterodoxi. Unde enim Lutherus, Calvinus, & alii errarunt? Unde facti sunt heterodoxi? Quia noluerunt aliorum sententias sequi contra proprias. Dicent, nostræ judicabantur à nobis omnino fundatæ, solvebamus facilè omnes rationes aliorum, nostris nullo modo poteramus satisfacere; quæ alii contra nostras opponebant, judicabamus frivola. Quid hìc respondebit P. Scilder? Aliquid solidi ab ipso expectabo: licèt non videam, quomodo possit ab hac sua sententia amovere periculum, ne plures, his nostris temporibus satis in sua doctrina

præsumptuosi, inducant errores, & utinam non hæreses, si cum ipso judicent, se in probabilibus non posse sequi aliorum opinionem contrà suam: timeo enim, ne per illam sententiam (licèt fortè malè intellectam) plures captivare suum intellectum in obsequium fidei Christianæ detrectent. Sententiæ Scilder se opponit etiam Mendo *in Statera opin. benign. dissert.* 13. *quæst.* 15. ubi *num.* 199. dicit se diu à nostra sententia stetisse, & adhuc stare, probatque illam quatuor argumentis.

15. Addidi in conclusione, *in iis in quibus non est periculum injuriæ tertii*, quod aliqui incautè omittunt; quia si subsit tale periculum, locum habet axioma, *in dubiis tutior via eligenda est*: unde chirurgus & medicus debent sequi tutiora & probabiliora; nec adhibere possunt remedium probabile si certum vel probabilius habeant; aliàs enim imprudenter infirmum periculo exponerent. Potest tamen medicus uti remedio, de quo est probabile quod proderit, si nec adsit certum, nec aliud probabilius profuturum. Ita Urban. *tract.* 1. *cap.* 11. & Cornejo *tom.* 1. *tract.* 8. *disp.* 3. *dub. ult.* cum communi: quidquid aliqui apud Dian. *loc. citat. resol.* 7. dicant, medicum sequi posse sententiam minus probabilem relictâ probabiliori si certam sequi nequeat.

16. Difficilius est resolvere an dum nulla est spes sanitatis, licitum sit uti remedio dubio, de quo dubitatur an profuturum sit, an nociturum, si non adsit aliud remedium certum vel probabile? Communior est sententia negativa; cujus est ratio: quia tale adhibere remedium est dare causam mortis, cum nulla habeatur probabilitas, quòd tale non sit, ut vi suâ mortem sit allaturum: idque est velle experiri quænam vis tali medicamento competat, quod ab omnibus damnatur. His tamen non obstantibus absolutè sustinet Burghaber *centur.* 1. *casu* 12. oppositum, & ego idem cum Petro Ful. & aliquibus aliis quos ipse tacitis nominibus citat, non omnino judico improbabile: quia dum sanitas ægri est desperata, longè minus malum est, eum exponere aliquali periculo accelerandi mortem aliunde certò brevi obventuram, dando remedium dubium, quod fortè illi multum proderit, quàm omnem illius curam abjicere: neque hoc per se loquendo est dare causam mortis; quia medicus nescit an obfuturum sit & aliunde aliqualiter sperat illud sanitatem esse allaturum in summa illa morbi desperatione, nam aliàs non adhiberet: quare non videtur damnandus, quod in dicto casu medicamentum dubium velit experiri sicut meritò damnantur illi, qui id faciunt, dum alia remedia utilia & probata suppetunt, ut sic ægrorum periculo peritiores evadant. Ita Fuliens.

Imò P. Scilder *tract.* 2. *num.* 108. absolutè docet, medicum in præfato casu teneri adhibere tale remedium, idque licèt æger consensum amplius indicare non possit; nisi anteà significaverit se nolle tale remedium adhiberi. Monuerat autem *num.* 106. non teneri medicum sequi suam opinionem singularem, quam putat certiorem, quando æger curari desiderat juxta viam communem vel sententiam plurium, quod desiderare censetur instituendo consultationem plurium. In qua etiam medicus ille singulare suum remedium manifestare non tenetur aliis, si per illius manifestationem emolumenta sua perditurus sit: dummodo, si consensuros in illud alios verosimiliter existimet, significet se habere medicamentum soli sibi notum, quod ipse novit reliquis esse certius. Ita ille. Puto tamen ego, illum, in casu quo contrarium existimat, id debere significare ægro si capax

pax

pax sit, vel illius amicis, dum credit ægrum nō evasurum mortem per remedium consultationis, & probabiliter judicat eum sanandum per suum remedium singulare: hoc enim sperant obtinere, & meritò, qui plures medicos convocant; quia aliàs melius unicum expertum vocarent, qui per se solum viam communem satis percipit, & remedia sua particularia sic liberè adhiberet. Adhuc tamen excipio casum, in quo adhibendo tale suum remedium singulare, exponeret se periculo perdendi famam, si æger fortè non curaretur. Quid circa hæc fieri possit in judiciis & materia Sacramentorum, dicetur commodius suo loco. Solùm

17. Nota respectu doctorum eam sententiam esse probabilem vel probabiliorem, quæ sufficienti vel firmiori nititur ratione: respectu simplicium verò & indoctorum, quæ in auctoritate Doctorum magis est fundata. Franc. B. Spei *suprà n.* 67. Quot autem Doctores ad probabilitatem alicujus sententiæ sufficiant, inter se Auctores non conveniunt; alii enim sex, alii quatuor, alii duos, alii unicum requirunt: verùm juxta Caram. *in commentario in regulam D. Benedicti disp.6.num.53. in pacis Prodromo certam.1.num.26. & in Theol. fundam. p. 1.fol.* 137. Qui requirunt quatuor, sex, &c. concedere debent, unicum sufficere; nam qui unum habet Auctorem probatum pro aliqua sententia, non tantùm habet duos vel quatuor, sed & decem, imò & sedecim de probabilitate ejusdem sententiæ; ut minus enim sedecim diversi Auctores sustinent, sententiam unici probati Auctoris esse probabilem & in praxi tutam; quod & tenet P. Urbanus *tract.* 1. *cap.* 11. Monet hîc P. Scilder in hanc considerationem non venire Auctores, qui ex necessitate unum Auctorem sequuntur: quia fortè novit, in certis Religionibus subditos cogi per mandatum Superioris ad certas sententias propugnandas: sicut & subinde aliquos in Universitatibus sequi sententias aliorum contra judicium proprium, ne cæteris displiceant & disæstimentur. Monet insuper, & ego cum ipso, multa requiri ad probatum Auctorem ad hoc ut, etiam in sententia prædictorum Doctorum, ipsius opinio censeatur verè probabilis: non sufficit enim quòd eam ex incidenti proferat, sed necesse est, ut ex professo materiam illius tractet; ac etiam debet præsumi expendisse & solvisse omnia argumenta adversariorum: item si procedat contra torrentem Doctorum, debet inniti firmæ rationi, quæ ab aliis non fuit considerata. Requiritur etiam ut talis Auctor sit vir consideratus, qui in decidendis quæstionibus non leviter se gerat. Ex his satis constat, non quemlibet Theologiæ Professorem, imò nec quemlibet Universitatis Doctorem fundare opinionem probabilem eo ipso quo illam doceat, in cujuscumque sententia: & quia semper dubium manet, an ea omnia verè reperiantur in Doctore particulari, quicumque ille fuerit, non puto auctoritatem unius posse ullo modo aliquam sententiam reddere probabilem. Addo à Sanctissimo D.N. Alexandro VII. sequentem conclusionem, *si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem*, damnatam esse tanquam scandalosam. Per quod judico, sententiam nostram *num.* 13. allatam non parum roborari. Quare enim summus Pontifex judicavit dictam propositionem esse scandalosam, nisi quia reputabat conformiter sententiæ nostræ à tot Doctoribus defensæ, inde sequi, *si liber est alicujus junioris & moderni, debet censeri licitum esse ejus opinionem* (utpote verè probabilem juxta illam

illam propositionem) *sequi* ? ex quo certè hisce temporibus multa scandala sequerentur. Ast nullum ego video scandalum secuturum, licèt opinio junioris & moderni dicatur probabilis, modò sit illicitum illam in praxi sequi.

18. Dubitabis fortè, an ut quis formet conscientiam probabilem, debeat ipsi constare evidenter, talem opinionem esse probabilem ? Absolutè sufficere, si constet probabiliter opinionem esse probabilem, respondet Tambur. quia tunc satis firmatur certa moraliter illa veritas in hunc ferè modum dirigens. *Ego hic & nunc prudenter operor; quia dum probabiliter puto hoc esse probabile, satis prudenter illud judicium in praxi sequor:* Verùm hoc videbitur nimis laxum. Et ego ob varia fundamenta, quæ adferuntur ab Illustrissimo Dño Fagnano & Francisco Bonæ Spei, in suis libellis circa hanc materiam, in praxi suadeo non sequi opinionem probabilem præcisè.

19. Addo ex Franc. B. Spei *sua noctua Belgica dub. 2. sequela 2.* illum, qui semel sententiam aliquam probabilem secutus est, non posse posteà cum eversione observantiæ legis certò obligantis mutare sententiam; tunc enim certa possessio stat pro lege adversus ipsum: sic v.g. dum quis incipit longam navigationem & breviarium non confert, eò quòd se conformet sententiæ probabili docenti, *non esse mortale omittere solum matutinum sine laudibus*; talis non potest posteà sine gravi peccato omittere reliquam partem horarum, conformando se sententiæ docenti, *eum, qui non potest totum officium recitare, non teneri ad partem*, quamvis utraque hæc sententia esset verè probabilis: unde nullatenùs admitti potest quod adfert Caramuel *prima parte Theol. fundam. num.* 2080. Vide pro variis similibus casibus Tambur. *in Decal. p. 1. lib. 1. cap. 3. § 5.* Vide etiam P. Franc. *de act. hum. disp. 6. num. 240. & seqq.* Cæterùm inter diversas opiniones probabiles præferri debet quæ est antiquorum, eò quòd hæc censeatur diutiùs & à pluribus examinata: nisi fortè recentiores adferant rationem firmam ab aliis non consideratam, aut decretum, vel consuetudinem novam.

DUBIUM QUINTUM.

De Conscientia scrupulosa, & ejus remediis.

20. Dico primò, qui laborat conscientiâ verè scrupulosâ prudenter contra eandem agit illam contemnendo; quia talis nulli peccandi periculo se exponit, cum habeat oppositum judicium practicum dictans, licere sibi id, quod facit: neque agit contra conscientiam, sed contra inanem formidinem & anxietatem. Si tamen quis nesciret se esse scrupulosum, ac proinde non haberet simile judicium practicum probabile dictans licitum esse quod facit, non esset dicendus vexari scrupulo, sed versaretur in errore vel dubio, ac facere teneretur, quod antea de laborante conscientiâ erroneâ, vel dubiâ dictum est: atque in hoc sensu intelligendi sunt, qui docent, non esse licitum agere contrà conscientiam scrupulosam; inter quos est Bertr. Loth: atque etiam sic abusivè scrupulus sumitur dum in jure dicitur, habentem scrupulum de valore matrimonii non posse petere debitum. Adverte tamen

tamen dictum judicium practicum non necessariò debere esse expressum ad singulos actus, sed sufficere habituale vel virtuale desumptum ab experientiâ præteritorum actuum.

21. Dico secundò, communia scrupulosorum remedia sunt hæc: Primum, frequenter & devotè orare Dominũ Deum. Secundum scrupulos omnes contemnere, nec animo versare materiam scrupulorum; vehemens enim attentio ad scrupulum, scrupulum parit: quare Urbanus *cap.* 11. *suprà in fine* dicit, meliori viâ scrupulos expelli non posse, quàm agendo directè contra illos, ipsos contemnẽdo efficaciter: alioqui (ait, & experientia docet) quilibet eorum erit seminariũ infinitorum aliorũ. Tertium remedium est firmiter credere non esse mortale quòd non auderent jurare esse tale. Quartum se in omnibus submittere Superiori vel prudenti Confessario; ita ut omnia, quæ contra ejus resolutiones aut consilia occurrunt, negligantur, & tanquam tentationes repellantur: prudenter etenim quis deponit conscientiam scrupulosam per principia extrinseca, ut per auctoritatem Confessarii aut aliorum Doctorum, licèt illam nullatenùs deponere valeat, per principia intrinseca, ut per adinventas rationes, quod docent Navar. Nider & alii communiter apud Joannem Sanchez *in sel. disp.* 41. *num.* 7. & ratio est clara ex antedictis: si enim unus Doctor possit deserere propriam sententiam probabiliorem & sequi aliorum probabilem, à fortiori id poterit scrupulosus.

Non possum hîc præterire remedium, quo certus Superior sanavit suum subditum, qui majorem partem diei collocabat in recitando Divino officio. Præcipiebat illi, ut officium suum recitaret ad horologium arenarium, & in eo recitando non plus temporis insumeret, quàm communiter alii insumant; quòd si illô tempore elapsô totum suum officium non complevisset, reliquum pro illo die omitteret. At subditus ita allaborabat in pergendo, ut suô tempore totum absolveret, plus sollicitus ne aliquam partem cogeretur prætermittere, quàm ne fortè aliquid minus devotè, ut putabat, pronuntiaret. Sic igitur majori scrupulô minorem, quasi clavum clavô expulit.

22. Quintum remedium contra scrupulos est securè uti privilegiis scrupulosorum; ut nempè in agendo non adhibeant nisi valdè mediocrem diligentiam, & dum angit scrupulus nec potest peti consilium, liberè agant quod intendunt, nisi sit evidens esse malum. Ita Vasquez: deinde nihil repetant ex præteritis confessionibus, nisi certò sciant illud & mortale esse, & se confessos non esse: ita Sa & Layman. Ratio autem horum privilegiorum est; quia in scrupulosis ex nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non valeant rem bene examinare; quare licèt aliqua peccata confessi non essent, non tenentur cum tanto suo incommodo, ut est perpetua anxietas, procurare integritatem confessionis, cum minores sæpè difficultates alios ab eâ excusent, ut rectè notat Azorius cum aliis: quare prudens Confessarius non permittet scrupulosum suos scrupulos vel dubia confiteri, maximè si semel plenè omnia audierit; aliàs enim nunquam finem obtinebit. Attendant etiam Confessarii ne unquam vacillent, dubitent, aut se opinari dicant quando scrupulosis præbent consilium, ne novam anxietatis occasionem præbeant.

23. Adde insuper aliud remedium pro iis qui jam diu scrupulis sunt vexati, quod tradit Wiggers; ut nempe acceptent illas animi molestias cum magnâ humilitate & patientiâ de manu Domini, se ob præterita

delicta & divinæ gratiæ neglectum indignos reputantes illâ conscientiæ serenitate & quieti animi voluptatibus, quibus fidi Dei famuli frui solent; confidentes se aliquando tandem ad animi tranquillitatem perventuros, dum videl. impleta fuerit mensura panis lachrymarum: sicque fiet ut dæmon desistat istis vexis illos tentare, dum viderit, illis suas tentationes converti in materiam virtutis & patientiæ, quas ipse adhibet ad impatientiam aut bonorum operum neglectum. Qui specialia circa hanc materiam desiderat, consulat Sylvium 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. *quæsit.* 12. & 13.

Petes quis censendus sit verè scrupulosus, & unde hoc proveniat?

24. Resp. ad primum, illum esse scrupulosum, qui ex levibus & insufficientibus motivis cum anxietate timet, ac suspicatur de aliquo ad conscientiam pertinente, quod est oppositum parti, quam in animo judicat esse tenendam. An autem aliquis verè talis sit, colliges ex eò quòd consulat varios viros doctos, nec tamen adhuc eorum consilio acquiescat: item ex eo quòd ob minimam apparentiam sæpè mutet judicium, ac perturbatè agat in externis actionibus: nec non etiam ex eo quòd habeat advertentias ad infinitas ferè circumstantias.

25. Resp. ad secundum, causas scrupulorum posse esse varias: primò enim causa illorum in multis est complexio naturalis prona ad suspicionem & timorem, ut est complexio frigida & melancholica. Secundò infirmitas cerebri ob quam homo facilè turbatur. Tertiò occulta superbia proprio judicio nimium tribuens. Quartò indiscreta corporis castigatio, ut sunt abstinentiæ & vigiliæ nimiæ &c. quibus homo redditur tristis. Quintò conversatio cum scrupulosis. Sextò tentatio dæmonis humores melancholicos moventis per quos imaginatio erret vel turbetur ob timorem inordinatum. Inquirat autem prudens Confessarius, quænam ex his causis subsint, ut sic morbi radicem queat auferre, & aptum cujusque infirmitati applicare remedium; nam singulæ causæ singulas requirunt medendi rationes. Si verò ex assignatis causis nulla deprehendatur subesse, judicet tunc Dominum Deum scrupulos permittere, vel in pœnam præcedentium peccatorum, vel etiam in majorem scrupulosi perfectionem spiritualem, ut nempe inde sumat occasionem frequentius & ferventius cum humilitate recurrendi ad misericordiam Dei. Hæc ex S. Antonino & Sylvestro ferè eodem ordine adducit Bert. Loth *tract.* 8. *q.* 3. *art.* 4. §. 1. pro quibus & aliis in hâc materiâ eum poteris pro opportunitate consulere.

26. Sed quid ad sequentem casum perplexum? Certa persona, aliàs devota, videtur sibi una ex parte continuò irasci contra Deum, aliosque Sanctos, blasphemare, & pedibus illos velle terere &c. Atque hæc advertit non solùm in imaginatione hærere, sed ad cor, animumque pertingere: ex altera verò parte videtur sibi cupere omnia opposita, velle prædictis omnibus omnem assensum negare, non tamen posse, ideoque vehementer inde discrutiatur. Post Baldellum & Burghaber *Centur.* 1. *casu* 47. Respondeo dictam personam in hoc casu non peccare, quia in prædictis omnibus non est libera, sed ex nimia intensione & efficacia phanthasmatum depravatorum, quæ nimis importunè se ingerunt, fit ita perturbatæ rationis, ut libertas subsistere nequeat; idque planè ex eo conjicitur, quòd sincerè dicat, non posse se illas cogitationes abjicere, & assensum negare. Neque hoc mirum (subjungit Burghaber) quia cum intelle-

ctus

ctus in hac vita dependeat à sensibus & phantasmatibus, his corruptis, aut vitiatis, necesse est, etiam ipsum quoad suas operationes marcescere: quod benè notandum est. Vide hunc & alios casus similes apud Josephum Rossell. *in praxi deponendi conscientiam capite* 15. *circa medium*.

DISPUTATIO III.

De malitia peccati.

DUBIUM I.

Unde sumatur malitia peccati: ubi aliquid de circumstantiis.

1. Dico primò, malitia peccati sumitur ab objecto. Ita Cornejo *tom.* 1. *tract.6.disp.3.dub.*1. Prob. quia odium v.g. quod secundùm se nec est bonum nec malum, sed indifferens ad utrumque, fit bonum, vel malum, prout est hujus, vel illius objecti odium; si enim tendat in Deum, est malum, si in peccatum, est bonum; ergo ab objecto habet quòd sit bonum, vel malum. Idem dic de amore, & omnibus aliis actibus intrinsecè malis, id est qui non possunt reddi liciti, aut boni: non enim est ulla ratio, cur non de omnibus pariformiter loquamur.

2. Dices, odium Dei est malum, objectum tamen ejus est summum bonum; quomodo igitur sumere potest ab objecto suam malitiam? Resp. odium malum requirere objectum bonum, & odium bonum objectum malum: neque nos volumus malitiam peccati sumi à malitiâ objecti secundùm se considerati, sed ab objecto: quod omninò verum manet etiam in dicto actu odii. Explico, licèt Deus secundùm se sit totus bonus, prout tamen est objectum odii, est objectum disconveniens rationi, quatenùs scil. rationi repugnat, quòd ejusmodi actio, v.g. odium, circa tale objectum, ut est Deus, versetur: unde ab objecto quatenùs disconveniente rationi, ut talis actus circa illud versetur, sumitur talis actus malitia, non verò præcisè, quia objectum est secundùm se malum. Aliam hujus argumenti solutionem habes apud Cornejo suprà in fine.

3. Dixi *idem est de aliis actibus intrinsecè malis* (ut sunt peccata quæ versantur immediatè circa Deum, v.g. perjurium, idololatria, hæresis, &c. item furtum, homicidium, mendacium &c. quæ juxta communem dicuntur prohibita quia mala,) nam conclusio non videtur posse verificari de peccatis, quæ tantùm mala sunt, eò quòd prohibeantur aliquâ lege vel præceptò positivis, ut sunt comestio carnium die Veneris, fractio jejunii, omissio Sacri &c. Hæc enim accipiunt malitiam ab ipsa lege Dei præcipiente aut prohibente, & non ab objecto: quia cùm manente objecto eodem & absente lege actus idem, qui antè erat malus, reddatur licitus & non malus, videtur clarum, quòd ab objecto malitiam sumere non possit: nisi fortè velis cum Sylvio 1. 2. *quæst.* 18. *art.*2. *ad.*4. etiam hæc peccata sumere suam malitiam ab objecto, quatenùs illud est conforme legi divinæ; quòd tamen plus est sumere malitiam à lege divina, quàm ab objecto.

Vide

Vide circa hæc Franc. B. Spei *suæ Noctuæ dub.5.resol.circa principale dubium*, ubi tradit moralitatem omnis peccati debere sumi à lege Dei, & ubi multa doctè ac subtiliter discutit, ut solet.

4. Dico secundò, peccati malitia etiam sumitur à circumstantiis, ab electione medii, & intentione finis; ita ut uno ex illis vitiato, actus ipse simpliciter reddatur peccaminosus. Patet in sequentibus actibus: si quis exerceat opus servile die Festo, peccat propter circumstantiam temporis, quamvis opus secundùm se malum non sit: si fureris ut des eleēmosynam, malè facis; quia eligis malum medium, licèt finis sit bonus: item si ores ut obtineas vanam gloriam, oratio tua vitiatur ob malum finem, quamvis medium sit bonum: quorum omnium ratio sumitur ex communi axiomate, ***malum capitur ex quolibet defectu, bonum verò ex integra causa***: quæ latè confirmat Cornejo *tom.* 1. *tract.* 6.*disp.*5.*dub.*2. Unde quando ab aliis dicitur, malitiam & bonitatem moralem sumi ab objecto, sine addito, id intelligunt de objecto totali, quatenùs scil. includit ipsum objectum principale actus cum omnibus suis circumstantiis; sive prout hîc & nunc subjacet ipsi actui voluntatis. Cæterùm

5. Nota, per circumstantiam hic intelligi accidens actus moralis, quod sit quidem extra substantiam actus, sed tamen aliquid conferat ad ejus bonitatem, vel malitiam moralem; quare quòd peccatum committatur manu dextrâ vel sinistrâ, manè vel à prandio, & similia non veniunt hîc nomine circumstantiarum, eò quòd talia impertinenter se habeant ad peccati malitiam. Sunt autem circumstantiæ numero septem hoc versu contentæ,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Ly *quis* non significat tantùm personam operantis videl. hominem, sed aliquam ejus conditionem accidentalem conferentem aliquid ad malitiam, vel bonitatem operis: *ut sitne fornicator Sacerdos, conjugatus &c.* Ita etiam *quid* non significat objectum principale actus, sed conditionem ipsius objecti extrinsecam; ut *quòd res furto ablata sit sacra.* Item *ubi* non significat locum simpliciter, sed conditionem loci accidentariam; ut *quod in templo* committat quis homicidium, fornicationem. *Quibus auxiliis*; ut si quis *arte magicâ* conetur procurare sanitatem. *Cur* significat finem extrinsecum actus; ut si detur eleēmosyna *ob vanam gloriam.* Dico *finem extrinsecum*, id est actioni extraneum quem operans sibi proponit, ut *furari ad fornicandum*; quia finis intrinsecus & actioni proprius, ad quem actio dicit ordinem essentialem, non habet rationem circumstantiæ, eò quòd non sit extra substantiam actûs, ut v.g. furari ut res aliena obtineatur. Ly *quomodo* multa continet, ut an liberè an coactè; utrum scienter vel ignoranter; ex infirmitate an ex mera malitia &c. actus fiat. *Quando* denique non significat simpliciter tempus, sed conditionem tempori accidentariam; ut quod *die Festo* servile opus fiat. Vide Franc. B. Spei *de act. hum. totâ disp.*5. ubi per varia dubia, & resolutiones explicat, quænam personæ sub circumstantiâ *quis*, & quænam materiæ sub circumstantiis aliis sint in confessione aperiendæ; de quibus nos in decursu hujus Theologiæ propriis in locis, maximè *in tract.* 5. *de Sacram. disput.* 5. *num.* 140. *& seqq.*

DUBIUM

DUBIUM SECUNDUM.

An malitia peccati consistat in actu interno an in externo? & an hic isti adveniens superaddat novam malitiam?

7. DIco primò, formalis malitia peccati primariò consistit in actu interno: in externo verò non nisi secundariò, & per denominationem extrinsecam ab interno. Franc.B.Spei *disp.3. num.*133. Ratio est, quia libertas primariò competit actibus internis, externis verò non nisi per denominationem ab internis; formalis autem malitia à libertate debet procedere, ac proinde ab actu interno; quod & patet in actu externo secundùm se, sive objectivè optimo, qui elicitus ab homine ex conscientia erronea judicante illum hîc & nunc sibi esse prohibitum & malum, malus est malitiâ formali, quæ desumi non potest nisi per denominationem ab actu interno.

8. Dico secundò, actus externus non addit ullam malitiam formalem actui interno, si scil. actus internus sit efficax, ita ut voluntas actum externum imperaret si poni posset. Idem Franc. *num.*139. Prob. quia tunc involuntariè omittitur actus externus; involuntarium autem non potest minuere, vel augere malitiam formalem. Est S. Augustini *lib. de libero arbitrio cap.*3. ubi expressè dicit, non minùs reum esse qui efficaciter vult adulterium, quàm qui ipso facto adulterium committit. Est item D.Thomæ, Cajet. Bonav. & aliorum, quos vide apud Wiggers & Sylvium. Atque idem dicendum est de bonitate formali actus virtuosi; ita ut certum sit, non esse plus bonitatis formalis aut meriti in martyrio perpesso, quàm in voluntate omninò efficaci martyrium tolerandi si occasio adesset: unde (ut bene Urb. *tract.1. cap.*18.) voluntas apud Deum pro facto recipitur ubi factum excludit necessitas, tam in malis quàm in bonis, *Matth.* 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est.* Si verò aliqui PP. videantur interdum oppositum docuisse, loquuntur de voluntate inefficaci, vel ex suppositione, quòd occasione actus externi juxta statim dicenda *num.* 10. intendatur internus, vel diutiùs duret, prout ordinariè solet contingere; & oppositum Hugo Victorinus judicat ferè esse impossibile, dum ait, *vix fieri posse ut voluntas opere suo non augeatur.* His tamen non obstantibus,

9. Nota primò, actum externum semper esse confitendum, eò quòd malitiâ formali actus interni denominetur formaliter malus, constituatque unum actum formaliter malum cum interno in genere moris, tanquam ipsius actus interni ultimum complementum: deinde actus externus inhibetur à Deo præcepto distincto *non mœchaberis* à præcepto quo inhibetur internus *non concupisces*; ergo etiam est confitendus, licèt sit eadem utriusque malitia formalis. Neque ex eo quòd diversis præceptis inhibeantur sequitur esse diversos actus in genere moris, aut eos habere distinctas malitias formales; quia tantùm prohibentur diversis præceptis eò quòd actus internus possit separari ab externo, & ut daretur intelligi, actum externum malum junctum interno debere etiam exprimi in confessione. Quòd autem solùm in materia luxuriæ & furti

actus internus prohibeatur speciali præcepto, est, quia magis frequenter in his duabus materiis peccatum completur in solo actu interno quàm in aliis : & ex eò quòd fiat id in aliquibus, sufficienter trahitur consequentia ad omnes materias, cum de omnibus quoad hoc constet pariformiter esse loquendum.

10. Nota secundò, actum externum sæpè esse occasionem cur actus internus sit pejor vel melior moraliter : primò, quia frequenter contingit, ut actus interior crebro repetatur in exercitio ipsius actus externi, prout videre est in eo qui tentat alteri inferre mortem : deinde ratione operis externi non rarò diutiùs continuatur actus internus, ut patet in eodem. Tertiò quia sæpiùs actus extèrnus adveniens interno reddit hunc intensiorem & vehementiorem. Quartò denique ipse actus externus adfert subinde varia incommoda si malus, vel commoda si bonus sit : sic enim homicidium externum adfert infamiam, scandalum, inducit irregularitatem, obligationem restitutionis &c. & exterior Sacramenti perceptio adfert gratiam ex opere operato, consolationem animi &c. Atque hinc etiam actus externus malus confitendus est, non quidem tanquam per se aliquid addens malitiæ actui interno, sed tanquam signum ex quo major malitia ipsius interioris actus Confessario innotescat.

DUBIUM TERTIUM.

An detur actus indifferens in individuo, qui nec bonus sit nec malus ?

11. SUppono hic agi de actu deliberato, non de indeliberato ; cùm enim hic non sit voluntarius, clarum est eum nec bonum, nec malum esse moraliter.

12. Dico hujus difficultatis resolutio multos habet fautores pro utraque parte: pro negativa quidem D. Thomam, Durand. Cajet. Richard. & plures recentiores. Pro affirmativa verò habet S. Bonavent. Alexand. & Gabrielem cum aliquot etiam ex recentioribus : inter quos omnes vide Sylvium & Arriagam fusè hanc difficultatem tractantes ; quorum primus tenet partem negativam cum D. Thom. secundus affirmativam cum S. Bonav. ita tamen, ut neuter sententiam suæ oppositam improbabilem judicet ; ego autem utramque æquè esse probabilem sustineo, eò quòd utriusque fundamenta æquè mihi appareant stabilia, ac æquè solubilia. Vide etiam Cornejo *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *dub.* 1. & 4. Ubi sustinet sententiam negativam D. Thomæ, quam firmat, satisfaciendo rationibus in contrarium, per octo paginas.

13. Probat suam sententiam Sylvius cum cæteris communiter hoc modo ex verbis Evangelii *Matth.* 12. ubi dicitur ; *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Omne verbum deliberatè prolatum est otiosum vel non otiosum ; si otiosum, est malum, quia de eo erit reddenda ratio ; si non sit otiosum, est bonum : nam nihil ipsi ad bonitatem deest. Addit autem per verbum otiosum ibi intelligi verbum vanum, id est quod caret bono fine ; jam verò, inquit, de omni otioso opere loquendum est, sicut de verbo otioso.

14. Ar-

14. Arriaga, etiam cum cæteris, vult per *verbum otiosum* intelligi verbum nocivum, detractivum, mendosum &c. & Patribus Hieronymo, Basil. & Greg. à Sylvio pro sua sententia citatis opponit Chrysostomum clarè pro se sentientem; cui superaddit Theophylactum: & si alius instet, tres vel quatuor Patres debere uni prævalere; adfert Arriaga contextum, ex quo efficaciter, ut dicit, suam interpretationem confirmat; ac Franc. B. Spei opponit etiam S. Greg. Naz. & unum locum D. Thomæ. Deinde adhuc Arriaga aliter post Vasquez respondet, à Christo in Evangelio per verbum otiosum intelligi illud, quod nullam habet bonitatem, nequidem physicam; ut quod profertur solùm animo loquendi nullâ aliâ utilitate intentâ: quod verbum admittit esse malum, quia est contra rectam rationem talia verba proferre: non verò intelligi verbum carens solùm utilitate honestâ & morali, prout est verbum, quo alterum moneo, ut ambulet ad pellendum frigus v. g. ut lavet faciem maculatam &c. quæ à nullo, inquit Arriaga, dicuntur otiosa, sed sunt verè in individuo indifferentia. Verùm ad hæc

15. Respondet Sylvius, verba illa minimè esse indifferentia, sed bona, quia referuntur in debitum finem; ad quod negat requiri, ut referantur formaliter in ultimum finem sive Deum; sed sufficere asserit, si in eum referantur virtualiter, prout allata verba referuntur; idque probat ex D. Thom. hic *in respons. ad tertium*, ubi dicit; *nam hoc ipsum quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem corporis, ad bonum virtutis operatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.* Sed hæc ita se habere & sufficere, negabit Arriag. Si autem ulteriùs Arriaga dicat, nullum esse præceptum, quo homo teneatur omnes suas actiones in Deum dirigere; respondebit Sylvius, tale præceptum contineri in verbis Apostoli 1. *Cor.* 10. *Omnia in gloriam Dei facite*: quæ verba è contra solùm esse consilii defendet Arriaga, & Franc. B. Spei: vel si velis esse præcepti, subintelligitur (inquit P. Franc.) *ut mereamini vitam æternam.*

16. Insuper contra eundem Arriag. dicentem; neminem solere similia confiteri, ut v. g. se fricuisse barbam, purgasse nares &c. absque eo quòd retulerit illa in gloriam Dei; sustinet Sylvius similia esse materiam confessionis, dum fiunt cum deliberatione sine ordinatione in bonum finem. Addit tamen, ea ordinariè non esse confitenda, quia communiter fiunt indeliberatè solo impulsu naturæ & imaginationis, sicque nec sunt bona nec mala moraliter: sed de iis hic non agitur.

17. Denique si à Sylvio objiciatur, S. Augustinum suam docere sententiam; respondet Arriaga, illum loqui de voluntate prout est potentia, non verò de actibus voluntatis: unde omnibus inspectis apparet mihi utriusque sententia æquè probabilis. Interim certum manet in utraque sententia per accidens, vel ob ignorantiam invincibilem, vel ob judicium probabile opinionis D. Bonav. & Arriagæ, posse dari opus deliberatè positum, quod sit indifferens in individuo: nam ex opinionibus utrimque probabilibus possumus sequi utramlibet absque ullo peccato: & hoc ferè semper contingere asserit Arriaga: quia vix ullus est (inquit, & benè) qui, quando se calefacit, faciem lavat &c. cogitet se obligari ad apponendum finem bonum. Non minùs rectè tamen posset dici à Sylvio, id ita fieri, eò quòd similes actiones fiant indeliberatè juxta parum ante dicta. Maneat igitur utrumque probabile.

DISPUTATIO IV.

De peccato in genere, & peccatorum distinctione.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex peccatum?

1. Dubium procedit de peccato actuali consistente in actione transeunte, per quam homo dicitur peccans seu peccatum committens; non verò de habituali, quod consistit in macula peccati, quæ est culpa & deformitas relicta in anima hominis post peccatum commissum, à qua homo dicitur peccator, & privatus gratiâ, si sit macula peccati mortalis; si autem sit tantùm macula peccati venialis, dicitur, & est privatus fervore charitatis, ac familiaritate cum Deo.

2. Dico primò, peccatum est dictum, factum, vel concupitum contrà legem æternam. Ita S. August. Est autem lex æterna ipsa ratio Divina cui debent dicta, facta & concupita nostra conformari. Sub hac definitione comprehende etiam peccatum omissionis; quia negatio reducitur ad genus affirmationis: familiare enim est in moralibus de quopiam dicere, quòd malè faciat, qui non reddit alienum, non audit Sacrum &c. quæ tamen sunt peccata omissionis. Vel si mavis claritatis causâ cum Urbano *c. 1. sua Theol. moral.* dic, per datam definitionem rectè declarari naturam peccati commissionis; ac subjungendo contradictoriam, non dictum, non factum, vel non concupitum, quod erat dicendum, faciendum, vel concupiscendum juxta legem Dei æternam, omninò declarari naturam peccati omissionis. Deinde etiam sub data definitione comprehenduntur peccata commissa contra legem humanam & temporalem; quia & hanc lex ipsa æterna præcipit observari, ut patet ex Sacra Scriptura *ad Heb.* 13. *Mat.* 23. & *Rom.* 13. Deniq; etiam continentur peccata intrinsecè mala, licèt dicatur prohibita quia mala; nã dicuntur solùm lege positivâ prohibita quia mala, & reverà mala sunt, quia lege naturali prohibita sunt: quæ lex etiam naturalis servanda est vi legis Dei æternæ.

3. Adverte tamen, in rigore loquendo peccatum adæquatè definiri posse, dicendo, est factum contra legem Dei æternam; nam dicere & concupiscere sunt quoddam facere; meliùs tamen ista tria distinctè exprimuntur, ut definitio sit clarior, & per eam diversi hæreticorum errores refutentur, quorum unus docuit; *actiones internas non esse peccata quamdiu non proceditur ad opus externum*: alter verò, *opera externa neque esse bona, neque mala.*

4. Dico secundò, peccatum aliud est mortale, aliud veniale; quæ inter se differunt per hoc, quòd sint contra legem Dei æternam taliter vel taliter obligantem. Dicitur autem peccatum esse mortale, quia mortem spiritualem animæ infert: veniale, quia de eo facilè venia impetratur; definiturque peccatum mortale, dictum, factum, vel concupitum plenè liberum

rum

rum contra Dei legem graviter obligantem; veniale per se econtrà definitur, dictum &c. contra legem Dei leviter obligantem; per accidens autem est quodcunque dictum &c. non plenè liberum contra quamcunque legem Dei, si nimirùm defectus libertatis tantus sit, ut in subjecta materia à mortali excuset.

Petes, undenam dignoscatur, aliquam legem vel præceptum graviter obligare?

5. Respondeo, id dignosci ex eo quòd illius transgressio in S.Script. dicatur execranda, abominabilis, digna pœnâ æternâ, privare gratiâ sanctificante &c. Econtrà verò cognoscitur leviter tantùm obligare, dum Scriptura utitur mitioribus verbis, ut dum ejus transgressio dicitur solùm privare fervore charitatis, familiaritate cum Deo &c. Quomodo verò, & quare peccatum veniale dicatur solùm privare fervore charitatis, non autem charitatem ipsam imminuere? Habes quantum satis discussum apud Bachonem *in primum Sentent. dist.*47. *quæst. unica art.*1.2. & 3. Si autem ex Scriptura id haberi non possit, inspici debet Ecclesiæ traditio, ac Doctorum auctoritas communis: & si nequidem ex hac parte id innotescat, tunc ad rationem naturalem recurrendum est, considerando nimirum gravitatem rei, quæ præcipitur vel prohibetur, an parum vel multum prosit aut obsit charitati Dei aut proximi, vel communi Reipublicæ bono; item an virtus homini necessaria graviter lædatur per talis legis transgressionem. Insuper inspiciendum est, an transgressio talis præcepti hîc & nunc à mortali non excusetur ratione alicujus, quod peccatum ex genere suo mortale reddit veniale; de quibus *dub. seqq.* Denique ea ab omnibus dicuntur esse contra legem æternam graviter obligantem, quæ sunt multùm injuriosa Deo, sibi ipsi, aut proximo. Ex his igitur omnibus & aliis quæ adfert Urban. *tract.* 1. *cap.*6. & 12. quæque à nobis tanguntur *in tract. de leg.* distingues inter peccatum mortale & veniale; quod aliàs est valdè difficile.

6. Dico tertiò, peccatum mortale aliud est tale ex suo genere, aliud ex accidente: similiter & veniale aliud est ex genere suo veniale, aliud ex accidente. Peccatum ex genere suo mortale est, quod intra eandem speciem malitiæ accrescere potest ad mortale absque alia extrinseca circumstantia aut malitia adveniente: ut v. g. furtum, quod intra eandem furti speciem crescit ad quantitatem constituentem culpam mortalem. Veniale ex genere suo est, quod quantumcunque intra eandem speciem accrescat, non pervenit ad mortale; ut mendacium jocosum v. g. De mortali & veniali ex accidente agetur *dub.* 2. & 3. *seqq.* Alias peccati divisiones, ut in carnale & spirituale; in peccatum contra Deum, seipsum, & proximum, &c. vide apud Cornejo *tom.*3. *tract.*7. *disp.*5. *dub.*2. & 4. ac pro divisione peccati in peccatum cordis, oris, & operis vide eundem *ibid. dub.*9.

DUBIUM SECUNDUM.

Quot modis peccatum ex genere suo mortale possit fieri veniale?

7. Dico, peccatum ex suo genere mortale potest fieri veniale tribus modis: primò ex parte intellectus, defectu plenæ advertentiæ ad ipsum actum vel malitiam ejus; pro quo vide dicta suprà, & nostrum Urban. *tract.* 1. *cap.*16. & 17.

Sic ira ex suo genere mortalis sæpè fit venialis, dum concipitur ex subitâ passione.

8. Secundò, ex parte voluntatis, dum non adest perfectus consensus; quod ex variis cognosci debet: ut primò ex eo quòd quis non exercuerit actum externum, quem facilè & sinè incommodo poterat exercere: secundò ex eo quòd quis timoratæ conscientiæ dubitet an consenserit: tertiò ex animi dispositione, quâ operans mallet centies mori quàm Deum mortaliter offendere. Denique ex eo quòd quis semidormiens, aut non plenè sui compos fuerit in actuali operatione.

9. Tertiò potest peccatum mortale fieri veniale ex levitate materiæ. Circa quod. Nota primò, ut de materiæ levitate rectè judices, non sufficere materiam secundùm se absolutè considerare, sed debere etiam te attendere ad circumstantias: licèt enim quatuor aut quinque stuferi sint secundùm se materia levis in furto, & viginti sint materia gravis, tamen qui priores à valdè paupere auferret, sciens eum illis indigere ad sustendandam vitam, peccaret mortaliter; & qui auferret posteriores à valdè divite, peccaret solùm venialiter: ratio est, quia in illis circumstantiis per accidens quatuor stuferi censentur respectu pauperis materia gravis, & viginti respectu divitis materia levis.

10. Nota secundò, ut cognoscatur an aliqua pars rei præceptæ vel prohibitæ sit materia gravis aut levis, spectandam esse quidem absolutè & secundùm se, deindè tamen etiam in ordine ad totum: quare licèt tres floreni in se & secundùm se sint apud omnes materia gravis, tamen qui sæpiùs vovisset centum pistolas erogare pauperibus, juxta multos, non peccaret mortaliter si unâ vice tres florenos minùs erogaret; quia tres floreni in comparatione totius istius summæ non videntur multùm æstimandi. Adde hîc etiam (& maximè) attendendum esse ad finem, propter quem res præcipitur vel inhibetur; ita ut illa sit parva materia, quæ parum conducit ad finem intentum à legislatore; illa magna, quæ multùm: pro quo opus est judicio prudentis viri.

11. Nota tertiò, quòd in peccatis repetitis, si plures materiæ parvæ vel secundùm se, vel secundum suos effectus in unam materiam coalescant, faciant materiam gravem, quia censentur moraliter una materia: econtrà verò si nec secundùm se, nec secundùm effectus relictos inter se cohæreant. Ita DD. communiter. Quare, qui sæpè parum furatur, peccat mortaliter dum ad materiam gravem pervenit & priora furta non restituit: imo si in primo furto habuerit voluntatem sic sæpiùs materiam levem furandi, in eodem primo furto mortaliter deliquit; quia ex tunc habuit voluntatem grave detrimentum proximo inferendi: quare hanc pravam voluntatem suam tenetur confiteri sub mortali, licèt post primum illud minutum furtum nullum aliud committeret. De his latiùs infrà suo loco. Sic similiter qui interruptim psalmos aliquos ex officio ejusdem diei omittit, eodem festo per intervalla sæpè parum laborat &c. mortaliter peccat; quia istæ omissiones, & hæ operationes serviles moraliter conficiunt unam omissionem & unam operationem. Econtrà verò qui diversis diebus unum psalmum omitteret &c. non peccaret mortaliter, licèt hîc & nunc haberet voluntatem ita sæpius faciendi; quia, cum ista moraliter non coalescant inter se, & singula sint parva, non faciunt materiam gravem.

12. Adverte hîc obiter, communem ferè esse omnium DD. in peccatis quæ fiunt imme-

immediatè contra Deum, ut sunt idololatria, hæresis, odium Dei, perjurium assertorium &c. item in his contra proximum, homicidio, fornicatione &c. non dari parvitatem materiæ quæ à mortali excuset, si adsit advertentia plena, & perfectus consensus. Ratio est, quia in minimo materiæ horum fit adhuc gravis injuria proximo, & in minimo materiæ istorum Deo; ut consideranti patebit. Pro peccatis quæ versantur immediatè erga Deum, vide Urbanum *tract.* 1. *cap.* 13.

DUBIUM TERTIUM.

Quot modis peccatum veniale possit fieri mortale?

13. Dico, peccatum veniale potest fieri mortale ex accidente sextupliciter. Primò, ratione damni gravis, sive temporalis sive spiritualis: sic enim furando assem ab omnino paupere, imò & acum à sartore potest quis mortaliter peccare, dum scit quòd alter propterea diu cogetur à suo opere abstinere, eò quod non possit habere aliam acum quâ utatur.

14. Secundò, ratione finis, si nempe peccatum de se veniale ab operante ordinetur ad finem mortalem, ut si v.g. quis jocosè mentiatur ut inducat alteram personam ad secum fornicandum: quo casu tamen similis non obligatur necessariò confiteri se esse mentitum, sed satisfacit dicendo se desiderasse fornicationem, conatumque se esse alterum ad eam inducere; quia separatim à malitia istius finis mortalis manet ipsius mendacium solùm veniale.

15. Tertiò ratione contemptus formalis Dei, aut legislatoris quatenùs à Deo potestatem habentis: qui contemptus est necessariò in confessione explicandus, quia novam malitiam specie distinctam actui superaddit contra virtutem religionis, estque de genere illorum (ut benè advertit Urban. *suprà cap.* 14.) quæ totam semper includunt privationem oppositæ rectitudinis. Attamen idem Urbanus ibidem benè notat, quando retinetur æstimatio superioris potestatis, non committi contemptum formalem licèt despiciatur ejus imperitia, vel alius defectus naturalis aut moralis: quamvis tamen non minus benè moneat, semper esse ab eo cavendum, eò quòd facilè quis inde possit labi in contemptum formalem. Adde etiam, non omnem contemptum legis v. g. quia lex hæc levis est momenti, mortalem esse; nam tunc contemptus non versatur circa legislativam potestatem, sed circa objectum materiale legis, adeoque non est propriè contemptus legis. Ita idem ibidem. Verùm ego & hoc cavendum arbitror sicut priùs. Cæterùm non est distinguendum quoad hæc inter legis Divinæ & humanæ contemptum; sicut enim omnis potestas à Deo est, & omnis legislatio ab eodem derivata, ita qui legem humanam despiciunt, non hominem solùm, sed Deum despiciunt, ipso Deo id per Sacram Scripturam attestante. Interim tres actus requiruntur ad perfectum cōtemptum; quorum primus est actus intellectus, quo minus æstimatur aliquis Superior quàm prout est Superior æstimari debet: secundus est voluntatis, quo placet vilis illa æstimatio: tertius verò est actus externus, quo contemptor testatur suam vilem æstimationem, quod fit communiter per aliud vitium

vitium v. g. detractionem, calumniam, murmurationem &c. cujus proinde contemptus causa est, quamvis ipse in illa non consistat formaliter; unde consuetudo omnis, quamvis etiam diuturna sit, præcise secundùm se non est contemptus. Hæc omnia habes apud eundem Urbanum *loc. citato*.

16. Quartò peccatum veniale fit mortale, dum in illo constituitur ultimus finis: sic mortaliter peccat, qui ita afficitur ludo, verbis vanis &c. ut potiùs velit omittere suas horas, sacrum in die festo &c. quàm prædicta venialia peccata relinquere: ratio horum ab Urbano *cap.* 13. *suprà* benè redditur; quia nimirùm talis censetur dicta peccata venialia magis appretiativè diligere quàm Deum.

17. Quintò etiam potest peccatum veniale fieri mortale ex conscientia erronea dictante esse mortale id, quod hìc & nunc committitur: de quo supra satis.

18. Denique idem accidere potest propter periculum proximum incidendi in mortale; qui enim amat periculum peribit in illo: & reverà talis censetur animæ suæ salutem contemnere, qui sciens & volens subit periculum proximum labendi in culpam mortalem; teneturque similis in confessione exprimere peccatum cujus periculo se exposuit; nam peccatum ejusdem cum eo speciei commisit. Verùm ab hoc quis interdum potest excusari ob justam necessitatem tale periculum cohonestantem, de quo alibi latiùs. Solùm hîc adverte periculum proximum peccandi esse, in quo homo ordinariè labi solet. Sic juxta Urban. si quis ideò non curaret fugere peccata venialia contra castitatem, quia omnia simul juncta nequeunt constituere unum mortale, vel ideo proponeret illa non vitare, indubiè mortaliter peccaret propter periculum proximum peccandi mortaliter conjunctum cum tali proposito, vel cum crassa negligentia nulla venialia in ista materia vitandi. Non vult tamen hoc extendere Tambur. ad omnes materias; quia falsum est venialia semper esse proximas dispositiones ad mortale, atque adeò proximè periculosas: videmus enim plures, qui de venialibus non multùm curant, vel ad ipsum nomen mortalis horrere; & re ipsâ diu à mortalibus abstinent. Ita ille *in Decal. q.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *num.* 12. ubi contrariam sententiam Sanchez reprobat. Addo ex eodem Urbano, eum, qui adit sponte occasionem de se quidem venialem, sed quam suo damno est expertus sibi valdè periculosam propter suum privatum genium nimis labilem, peccare mortaliter.

DUBIUM QUARTUM.

Quandonam peccata specie multiplicentur, & distinguantur?

19. Circa multiplicationem specificam vide multa doctè subtiliterque pertractata à R. P. Francisco B. Spei *sua Noctua dub.* 6. *& seqq.*

20. Aliqui distinctionem specificam peccatorum sumere voluerunt ex legibus, & præceptis, quibus opponuntur; verùm id rejicit Cornejo *to.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 8. & meritò, quia unum & idem peccatum multis sæpè legibus vetatur: unicum enim peccatum numero & specie committit, qui frangit jejunium in vigilia aliqua incidente

cidente in quatuor tempora v. g. cujus ratio est, quòd sub unico motivo temperantiæ tunc illa duo præcepta jejunium præcipiant. Ita DD. communiter. Imò Cornejo *ubi suprà num.* 10. contra Vasquez sustinet, idem dicendum esse de Religioso, qui vi regulæ & præcepti Ecclesiastici tenetur feriâ sextâ quadragesimæ jejunare; quia regula sub eodem motivo temperantiæ præcipit jejunium sub quo illud præcipit Ecclesia: nec regula in suis præceptis (nisi specialiter exigat obedientiam) aliud intendit quàm virtutes in particulari juxta materiam præceptam, obedientiam autem solùm intendit generaliter sicut omnia alia præcepta. Dixi *nisi specialiter exigat obedientiam*; quia si Prælatus in virtute sanctæ obedientiæ præciperet jejunium in Quadragesima, illud non præciperet solùm sub motivo temperantiæ, sed etiam sub ratione voti obedientiæ; unde transgressio ejus esset duplex peccatum, licèt non præcisè quia faceret contra duo præcepta. Ita Cornejo *loc. cit.* quare pro alia regula hac in parte

21. Dico, peccata specie multiplicantur, & distinguuntur, quæ habent notabilem differentiam difformitatis ad ipsam legem Dei; vel (ut vult Bacho *in 2. dist.* 39. *quæst. unicâ art.* 4. ubi contra D. Thomam probat, eam non posse sumi ab objecto creato, ad quod peccans se convertit) distinguuntur specie per speciales aversiones à propriis finibus distinctis in diversis materiis, in quantum istæ diversæ aversiones diversas negant rectitudines à Deo præceptas observari. Atque hoc probat idem Bacho cum Herneo hoc modo; quia peccatum luxuriæ potest distingui specie à peccato avaritiæ, in quantum peccato luxuriæ privamur bono temperantiæ sive castitatis, & hujus rectitudine, & peccato avaritiæ privamur bono liberalitatis, ac sic de aliis. Hæc omnia demonstrat idem Bacho ex auctoritate S. Augustini, & duabus rationibus; satisfaciens rationibus D. Thomæ in contrarium. Attamen (pace tanti Doctoris dixerim) adhuc in uno videtur deficere, quòd nimirum pro regula generali distinctionis specificæ peccatorum videatur statuere privationem bonorum diversarum virtutum, earumque rectitudinum: in hoc, inquam, mihi apparet aliqualiter deficere, quidquid cæteri communiter post ipsum & Nerveum eandem regulam tanquam generalem constituant. Ratio mea est, quia odium Dei & omissio amoris Dei, tempore quo hic præcipitur, sunt omninò peccata specie distincta, & tamen solùm privant bono ejusdem virtutis videl. bono charitatis Dei, ejusdemque rectitudine. Idem dic de avaritia & prodigalitate, quæ eidem virtuti liberalitatis in pauperes opponuntur, & sunt tamen peccata specie distincta: quod sistendo in sententia nostra clarè probatur: quia habent notabilem differentiam difformitatis ad legem Dei. Quare nostram regulam amplectere, ita ut dicas, illa peccata specie distingui, vel quæ opponuntur diversis virtutibus notabiliter distinctis, quomodo furtum sacrilegum est duplicis speciei peccatum, quia quatenus furtum opponitur justitiæ, quatenus sacrilegum religioni, quæ virtutes sunt valdè distinctæ: vel quæ pertinent ad vitia notabiliter diversa licèt eidem virtuti opponantur, ac sic dictum odium & omissio amoris adhuc manent distincta specie. Hinc facile

22. Colliges quænam circumstantiæ mutent speciem peccati; eæ nimirum quæ superaddunt notabilem difformitatem ad rationem subjectam legi Dei, prout faciunt illę quæ opponuntur virtuti notabiliter diversæ à virtute cui opponitur actus principalis, vel ad vitium notabiliter distinctum

ſtinctum pertinent juxta ſtatim dicta. Ita ferè Cornejo *tom.1.tract.6.diſput.7.dub.1.* Sed

Petes primò quomodo circumſtantiæ debeant eſſe volitæ, ut actui ſuperaddant malitiam ſpecificam?

23. Reſpondeo cum Cornejo *loc. cit. num.7. & 10.* poſt D.Thomam, ut circumſtantiæ particulares (id eſt quæ accidentaliter adveniunt actui jam eſſentialiter conſtituto in eſſe moris, ut, quod res furto ablata ſit ſacra, quod committens fornicationem ſit religioſus, conjugatus &c.) dent actui malitiam ſpecificam, ſufficit, quòd ſint virtualiter, vel interpretativè volitę; generales verò ſeu tranſcendentales (quæ ſunt conditiones intrinſecæ actuum, ut inobedientia, ſuperbia, odium Dei, imprudentia ſpiritualis, mors animæ, & alia hujuſmodi, reſpectu cujuſlibet peccati mortalis) neceſſariò debent ad hoc eſſe volitæ directè & expreſsè. Prima pars eſt communis, probaturque hâc ratione, quia tale voluntarium ſufficit, ut actus ſumat ſpecificam malitiam ex objecto; ergo etiam ut illam ſumat ex circumſtantiis particularibus, quæ ſunt de conſtitutivo objecti totalis. Deinde praxis omnium Confeſſariorum eſt pro hac doctrina. Secunda pars etiam prob. quia eodem præcepto, quo tenetur quis v.g. non eſſe fur, tenetur ſimiliter non eſſe inobediens legi, non eſſe ſuperbus in tranſgreſſione ejus, non odio habere Deum per prævaricationem legis ab ipſo datæ, non eſſe imprudens ſpiritualiter, non inferre per furtum mortem animæ ſuæ &c. Ergo in furto non eſt alia malitia inobedientiæ, odii Dei &c. præter malitiam injuſtitiæ; ſi enim eſſent diverſæ malitiæ, eſſent & diverſæ difformitates, quæ diverſis legibus prohiberentur: deinde circumſtantia transferens peccatum ad novam ſpeciem ſupponit peccatum jam conſtitutum in priori ſpecie eſſentiali, quod non faciunt circumſtantiæ generales, niſi directè & expreſsè intendantur; quia ſunt de ipſa conſtitutione eſſentiali malitiæ primæ ſpeciei tanquam modi intrinſeci illius. Ita Cornejo citans D. Thomam Cajetan. Suarez, Azo. & alios.

Petes ſecundò, undenam colligatur è peccatis ſpecie diſtinctis unum alterò eſſe majus?

24. Reſpondeo, id debere præcipuè colligi ex eorum objectis; ex eo videlicèt quòd juxta rectam rationem plus dedeceat, ut talis actus verſetur circa hoc, quàm alter circa illud objectum: ſic enim majus peccatum eſt odium Dei quàm proximi, & univerſim peccata in Deum commiſſa majora ſunt, quam commiſſa in homines. Sic etiam ex iis, quæ committuntur in proximum majora ſunt quæ majus proximi bonum impediunt vel majus inferunt damnum; ita homicidium eſt majus peccatum detractione & furto; detractio majus furto &c. quia ſcil. vita eſt bonum præſtantius quàm ſit fama & divitiæ, fama quàm divitiæ. Hæc tamen intellige ubi cætera ſunt paria; nam aliàs gravius peccatum eſt, furari valde multum quàm detrahere parum de fama proximi.

DUBIUM

DUBIUM QUINTUM.

Quandonam peccata multiplicentur numero.

25. Dico, peccata interna multiplicantur numero quotiescumque actus internus voluntatis malus, moraliter ampliùs non perseverans, resumitur; quod in peccatis, quæ animo sive interiùs perficiuntur (ut sunt odium, hæresis, pravum desideriũ &c.) fit per solam interruptionẽ, & resumptionẽ: nã factâ interruptione nõ est in quo illa peccata moraliter perseverẽt. Unde tot numero peccata quis cõmittit, quot habet interrupta desideria prava, licèt versentur circa idem omnino objectũ, & mora interruptionis sit parva. Econtrà tamen fit in peccatis, quæ opere externo complentur; in quibus quamvis sæpiùs formaliter, & physicè proposita repetantur, non censentur toties multiplicari peccata, eò quòd primum propositum moraliter semper perseveret in ipso opere liberè semper exterius continuato. Declaro utrumque his duobus exemplis; delectatur quis in cogitatione actus turpis, ac visâ aliquâ fœminâ habet desiderium peccandi cum illa, intereà eâ visione cessante cessat malum desiderium; parum post eâdem iterum visâ, reassumit idem desiderium; eo casu indubiè peccat toties, quoties habet similia repetita proposita, quidquid se conetur opponere Tambur. volens requiri interruptionem per retractationem. Econtra verò si quis habens desiderium occidendi alterum, eô animô manè surgat, arma paret, inimicum exspectet, insequatur &c. non dicitur sæpiùs peccare, etsi aliquoties ob distractiones aut confabulationes propositum formale dimiserit; quia hoc censetur adhuc moraliter perseverare quamdiu opera illa externa liberè moraliter continuantur. Idem dic de exercente ipsum opus carnale externum, in quo omnes actus externi directi ad fornicationem, v.g. oscula, tactus &c. sunt unicum peccatum, quod sufficienter exprimitur dicendo, sum fornicatus; nisi fortè per tædium vel pœnitentiâ ductus propositum pravum fuisset retractatum, & iterum reassumptum: tunc enim essent duo peccata. Ita Franc. B. Spei seu Noctuæ *dub.* 11. *resol.* 1. 2. *&* 3. & cæteri satis communiter.

26. Nota tamen ex Layman & aliis; in dictis peccatis internis non esse necessariò exactè cõfitendas omnes omninò interruptiones, & numerum: id enim sæpè foret moraliter impossibile. Quare ut plurimum sufficiet exprimere durationem pravi sui desiderii, ut v.g. per hebdomadam habui desiderium fornicandi; nisi numerus interruptionum cognoscatur: nam tunc exprimendus esset. Circa quod vide Tambur. *met. exped. conf. lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. 6. *&* 8. ac Franc. B. Spei *disp.* 8. *num.* 76.

27. Petes quot peccata committat, qui uno actu odii, detractionis &c. fertur in decem homines; qui unico ictu occidit plures homines &c. Doctores hac in re minimè conveniunt; nam Navar. Filliuc. Bonac. & alii volunt esse unicum peccatum: plura verò esse, docent Azor. Vasq. & alii, quibus favere videtur N. Bacho *in* 2. *dist.* 39. *quæst. unica art.* 3. ubi docet distinctionem, & consequenter multiplicationem numericam peccatorum, sumi ab objectis. Ratio priorum est, quòd illa ob-

jecta sint unum moraliter, & formaliter quatenùs hîc & nunc in unico actu conjunguntur. Ratio verò posteriorum est opposita; quia nimirùm ista objecta sunt omninò diversa. Verùm in quacumque sententia sistatur, parum referre videtur in sententia Filliucii & Bonacinę docentium, illud unum peccatum in doctrina priorum æquivalere istis pluribus in doctrina posteriorum, ac proinde objecti gravitatem in confessione esse exprimendam; quia actum in suo esse individuali constituit. Dictis duobus Auctoribus addit Busenbaus Suarem *de pœnit. dist.* 22. *sect.* 5. qui tamen addendus non erat, quia istam sententiam ibi *num.* 33. refutat contra Navar. volens istam circumstantiam explicandam esse, quia est notabiliter aggravans, & independenter à speculatione Auctorum oppositæ sententiæ: quòd scil. pluralitas hominum occisorum v.g. sit de constitutivo actus secundùm suum esse individuale; quam speculationem, ait, ab illis Auctoribus adinventam, ut defendant similem circumstantiam in citatis casibus esse explicandam, cum nempè velint solas circumstantias mutantes speciem esse confitendas & illæ speciem non mutent: de qua sententia nos agemus *in tract. de Sacr.* ubi de integritate confessionis. Quidquid de his omnibus sit, placuit etiam hîc adducere verba Tamburini, qui abstrahendo ab omni speculatione determinat, quomodo prædicta peccata debeant explicari in confessione; verba igitur ipsius sunt hæc:

28. Si simul unicâ v.g. explosione bombardæ occidis decem, viginti &c. homines, satis est si dicas, *uno ictu occidi multos*, & ita sentit Lugo: non sufficit autem dicere, *uno ictu occidi hominem*, seu *feci homicidium*; quia sic Confessarius intelligeret, te unum tantùm occidisse, atque adeo non fatereris tuum peccatum, quo occidisti plures; at dicendo cum illa generalitate, *occidi multos*, intelligit, quantum satis est, peccatum, quod de facto commisisti. Ita ille, volens idem à pari locum habere in desiderio occisionis multorum, & copulæ cum multis, ac scandalo pluribus dato: pro quo vide Dian. *pag.* 11. *tract.* 5. *res.* 49.

29. Subjungit dictus Tambur. qui unico actu bona multorum lædit v.g. furatur bona communitatis, vel hæreditatis plurium, satis est si dicat, *furatus sum à communitate, vel ab hæredibus*; nec esse sollicitus debet, explicare quotnam personæ in illa communitate, vel hæreditate numerentur. Imo hac in re praxis communis est, solùm dicere, *furatus sum rem alienam* nihil aliud addendo; & meritò, quia ille respectus ad personas in hac materia videtur se magis materialiter habere, quàm in aliis materiis; potiùs enim hic consideratur quid injustè contrectasti, quàm à quo abstulisti. Ita idem, pro se in his omnibus citans de Lugo. Adde etiam Dianam *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 34. hæc verba ponere. Nota quòd licèt ego alibi aliter docuerim, tamen existimo probabile, eum, qui statuit toto anno non jejunare, non audire sacrum, non recitare horas, unicum peccatum committere, & sufficienter confiteri si dicat, habui propositum non jejunandi, non audiendi sacrum, non recitandi officium; sic si quis eodem actu auferret tria vasa argentea trium dominorum, unum peccatum committeret, & sufficienter confiteretur dicens, semel furatus sum materiam gravem. Ita docet Verricellus & Martinus de San Joseph. Hucusque Diana.

30. Nec dicas, numerum hominum in prædictis explicandum esse, eò quòd tot sint numero malitiæ, quot sunt personæ, quas occidis, quibus detrahis &c. nam quid-

quidquid sit de hac sententia, & ab hac difficultate abstrahendo, respondet Tambur. *loc.cit.* post de Lugo *disp.*16. *sect.* 5. *n.* 33. *& seqq.* nequaquam fideles compellendos esse, ut explicent omnes malitias peccati solo numero distinctas: quia ex Trident. solùm habemus præceptum confitendi singulas species, & singula numero peccata: numquam verò apparet præceptum explicandi singulas numero malitias, quæ fortè sint in singulis peccatis: & certè id scrupulos & perplexitates multas causare posset, ut asserit Tambur. Circa hæc omnia vide Franc. B. Spei *suæ Noctuæ dub.*12. ubi per plura rejicit ea quæ ex Tambur. attulimus; quæque omnia nos non absolutè reputamus esse vera, sed voluimus hic ponere, ut Confessarii sciant diversitatem sententiarum, & quia ea ante Tamburinum docuit tam præclarus Auctor, ac est emin. D. Card. de Lugo. Interim absolutè falsum reputo, quod circa medium numeri præcedentis Diana reputat probabile, nempe, eum, qui statuit toto anno non audire sacrum, non recitare officium, sufficienter confiteri si dicat, habui propositum non audiendi sacrum, non recitandi officium: quia sic Confessarius intelligeret te habuisse propositum non audiendi unum sacrum tantùm, non recitandi unum officium tantùm: quare saltem ut minus similis dicere debet, habui propositum, non audiendi multa sacra, non recitandi multa officia juxta ea, quæ *num.*28. ex Tambur. attulimus: vel juxta dicenda *num seq. in fine* ex Martino de San Joseph, etiam ut minus, debet dicere, habui propositum sæpius, vel aliquoties non audiendi sacrum, non recitandi officium. Atque hæc adhuc juxta illorum Auctorum mentem.

Petes hic iterum; an multiplicatis actionibus semper multiplicentur peccata?

31. Respondent aliqui, peccata externa multiplicari numero multiplicatis actionibus dum actio peccaminosa versatur circa terminum definitum, in quo perficitur & completur ipsa actio: dum verò actio peccaminosa non habet terminum definitum & limitatum, tunc multiplicatâ actione successivâ circa idem objectum sine morali interruptione non multiplicari peccata. Ita Suar. *p.* 3. *tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 7. & Castro apud Dian. *p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 11. ubi ex hac doctrina infert, eum, qui successivè ter fornicatur cum eadem, tria peccata committere, non verò eum, qui unico impetu tres blasphemias evomit; quia nimirum actus fornicationis habent terminum definitum in quo consummantur, nec unus habet dependentiam vel connexionem cum alio, unde non possunt dici sibi invicem uniri, nequidem moraliter; nam communiter in illa actione natura remanet ita lassa, & viribus destituta, ut egeat aliquo tempore, & novis incitamentis ad denuo fornicandum: blasphemiæ è contra non habent terminum definitum, sed unitate morali inter se uniuntur prout modò humanô æstimari solet; quæ æstimatio hic maximè inspici debet; ex qua conformiter oritur, aliquem tot peccata committere, quot successivè homines occidit; licèt Lugo *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 14. §. 2. *num.* 57. videatur docere contrarium: contra quem insurgit Dicast. apud Dian. *eâdem p.* 11. *tract.* 5. *resol.* 43. dicens, inde secuturum contra ipsum Lugo & omnes communiter, tres fornicationes v. g. in una pugna venerea (si sic liceat loqui) uno impetu luxuriæ factas, esse unicum peccatum, sicut vult eum, qui uno impetu iræ tres homines occidit in uno conflictu, unicum peccatum committere. Interim probabilius est, Confessarium non tot peccata committere, quot suc-

successivè in statu peccati mortalis existens absolvit: ratio, quia absolutiones juxta Trident. & communem DD. fiunt per modum judicii, ac proindè licèt sint diversæ actiones, moraliter tamen videntur uniri & effici per modum unius à Confessario. Atque hanc doctrinam tradit etiam Escob. *Theol.moral.tom.1.lib.8.sect.1. cap.2.num.51.* Additque Dian. per eam satisfieri Caramueli, qui *in Theol. fundam. tom.1. fund.29.num.* XLIV. vult esse paritatem inter blasphemantem & fornicantem: eruitque inde malè docuisse Zanardum Dominicanum dum docuit, eum, qui per integram noctem concubuit cum amasia, non debere explicare numerum fornicationum, sed sufficere si dicat, feci quod potui; quæ doctrina etiam rejicitur ab omnibus aliis, licèt eam adhuc sustineat Martinus de San Joseph quoad actum voluntatis, ita ut velit, eum, qui uno actu voluntatis vult cognoscere decem mulieres, unicum peccatum committere, & sufficere si in confessione dicat, habui voluntatem sæpiùs vel aliquoties fornicandi. Vide Dian. *p.* 11.*tract.*3.*resol.*3. & Franc. B.Spei *sua Noctua dub.* 11. ubi subtilissimè & latè hanc materiam examinat.

DUBIUM SEXTUM.

De peccato omissionis, & actibus ei conjunctis.

32. DE peccato omissionis, an videl. ad illud semper requiratur aliquis actus positivus voluntatis; agit Bacho *in 2.dist.* 44. per totam: pro quo etiam consule Cornejo *tom.1. tract.* 7. *disp.* 3. *dub.* 1. per multa hanc quæstionem agitantem: circa cætera verò ad praxim magis conducentia,

33. Dico primò, præter duo ad omissionem liberam supra requisita, advertentiam scil. & potestatem ad oppositum actum, ad omissionem peccaminosam insuper requiritur obligatio ad actum omissioni contrarium. Est certum: quantumvis enim supra docuerimus, omissionem esse liberam dum quis se advertit die feriato omittere auditionem sacri, ac sacrum audire potest: tamen nisi insuper aliqua lege, præcepto, vel voto ad auditionem sacri teneatur, minimè peccat, *Ubi non est lex nec prævaricatio*, inquit Apost. *ad Rom.* 4. Hinc bonam attulimus distinctionem supra *disp.*1.*num.*13.

34. Dico secundò, gravitas vel levitas peccati omissionis peti debet ex gravi vel levi obligatione ponendi actum omissioni oppositum: quod est per se clarum.

35. Dico tertiò, actus ita omissioni peccaminosæ conjunctus, ut sit causa vel occasio ejusdem, peccatum est: secus si habeat se merè concomitanter ad illam. Primam partem defendit idem Cornejo *tom.1.tract.7.disp.3.dub.3.num.7.* qui *dub.4. seqq.* cum communi addit, dictum actum esse malum malitiâ ejusdem rationis & speciei cum malitia omissionis: secundam verò partem defendit *ibid. dub.9.num.* 18. *& dub.* 10. *num.* 19. ubi plures pro se citat.

36. Probatur prima pars, quia libera causa peccati peccatum est, ut videre est in eo, qui se exponit proximo periculo peccandi; item in eo, qui alteri consulit malum: quorum uterque ab omnibus peccare dicitur, quia est causa libera ipsius peccati. Adverte tamen, si quis ad actum, qui est causa omissionis malæ, teneretur ex præcepto graviùs obligante, quàm teneatur

neatur ad actũ omissioni oppositum, eum nõ peccare ponendo causam omissionis; ut si v.g. quis omitteret auditionem sacri, lectionem horarum &c. ut infirmo valde periculosè laboranti assistat, dum utrumque præstare non potest.

37. Prob. secunda pars, quia cum actus ille ex se bonus, vel saltem indifferens sit, ut suppono, nec sit causa omissionis malæ, non est unde malitiam sumat: quare si quis post efficax propositum non audiendi sacrum die festo, eligat eo tempore studere vel orare, studium, vel oratio non imputabitur ei ad peccatum; quia sive studeat aut oret, sive non, dictum propositum efficax sortietur suum effectum; nec proinde ipsius studium, aut oratio erit causa vel occasio omissionis sacri, sed merè impertinenter se ad hanc habebit. Est contra Becan. *cap.3. de pecc. omiss. quæst.4.* ubi docet, opus incompossibile, quod primò eligitur post propositum omittendi, adhuc esse causam omissionis; & contra Valent. apud eundem, qui vult omnia opera, quæ tempore omissionis fiunt & sunt incompossibilia cum actu præcepto, esse causam omissionis ac consequenter peccata. Dicit Becanus tale opus primum vi cujus sequitur omissio impedit per se observationem præcepti: Valentia verò ait, illud omne est causa omissionis, quo posito sequitur omissio; atqui posito quocumque actu incompossibili sequitur omissio adimpletionis præcepti; ergo &c. Sed Resp. ad Valentiam illud ut summum opus incompossibile esse causam omissionis, ex cujus vi sequitur omissio; non sequitur autem ex vi omnis operis incompossibilis, nam primo opere incompossibili posito, v.g. mansione in domo, propter quam vult quis omittere auditionem sacri, necessariò ponitur omissio; ergo reliqua opera, quæ assumuntur secundariò, nullam habent causalitatem in omissionem. Ita ipse Becan. *loc. cit.* quæ judico esse certa: & confirmo à simili in physicis; nullus dicet corpus opacum post parietem existens esse causam impedientem, ne transmittatur lumen solis antea impeditum per parietem. Hæc inquam puto certa: & contra ipsum Becan. vim suam retinent; nam sicut posito primo opere incompossibili necessariò ponitur omissio, ac consequenter reliqua se habent merè concomitanter ad omissionem, cùm jam moraliter censeatur quasi facta omissio; ita positâ voluntate efficaci omittendi, necessariò ponitur omissio, & jam moraliter censetur facta, adeoque opus (licèt primum) subsequens ipsam voluntatem efficacem omittendi sacrum ex mero tædio vel odio præcepti, non potest esse causa istius omissionis, cum ex vi ipsius nullatenùs sequatur omissio: unde quidquid dixerit Becan. de primo opere respectu secundi, dicam de voluntate efficaci respectu operis primi subsequentis: & hanc nostram sententiam insuper aliis argumentis firmat Cornejo *ubi suprà dub.11. num.21.* Nec dicas hinc sequi, illum non peccare, qui facto firmo proposito non audiendi sacrum, se transfert ad locum, ubi ipsi impossibilis est auditio sacri: quia talis se sic transferendo non peccat quidem peccato omissionis simpliciter; quia per hoc non ponit illius causam: peccat tamen aliunde, eò quòd vi præcepti audiendi sacrum, obligetur malum suum propositum efficaciter retractare, ad quod volenter se reddit incapacem eò se conferẽdo. Vide P. Franc. *de act. hum. disp.7. n.72.*

Petes quo tempore committatur peccatum omissionis?

38. Resp. hoc inprimis certum esse, hominem constitui formaliter peccatorem, & objectum odii Dei eo instanti, quo advertenter, & liberè ponit causam omissionis

nis peccaminosæ; tunc enim ipsum peccatum omissionis interpretativè ponit: unde eo ipso, quo quis suum Breviarium in mare projicit sciens se non posse habere aliud, ponit interpretativè omissionem horarum, ac à primo instanti participat dicta projectio de omnibus omissionibus futuris prævisis: licèt enim tunc dictæ omissiones needum existant, sunt tamen volitæ ex tunc, & consequenter etiam ex tunc imputantur ad peccatum: & aliàs nunquam imputarentur ad peccatum, cum tempore subsequente fiant necessariò, ac ipse projiciens dolere possit de sua projectione quatenùs est causa omnium omissionum: si tamen eo tempore, quo impletio præcepti omittitur, omissio adhuc maneat interpretativè libera, eò quòd de ipsa non doleat, etiam tempore omissionis peccatum committitur; non quidem aliud novum in genere moris, ut statim dicemus, sed materialiter & physicè. Pro hac ultima parte citat Cornejo *tom.* 1. *tract.* 7. *disp.* 3. *dub.* 13. D. Thomam in quinque locis, Cajetanum, & alios plures; licèt dicat, sententiam oppositam etiam esse satis probabilem; nempè omissionem, aut etiam commissionem in somno vel ebrietate, non esse propriè malam etiam extrinsecâ denominatione à malitia, quæ præcessit in causa, sed tantùm esse malam impropriè ad eum modum, quo quilibet effectus peccati solet dici peccatum, atque ita prædictas omissiones & commissiones non esse absolutè malas, quando in ebrietate vel somno fiunt; quam sententiam absolutè docent Vasq. Azor. Salas & alii: quidquid Loth *tract.* 18. *quæst.* 13. refutatis aliorum placitis absolutè nobiscum sentiat. Cæterum ex prædictis

39. Colliges primò, eum, qui se ad somnum disponit sacro non audito & per hoc dat occasionem omissionis sacri, mortaliter peccare, licèt per accidens excitetur antequam tempus audiendi Missam exspiraverit, & propositum mutet, sacrumque audiat: quia quamvis peccatum ipsius non consummetur opere externo, adhuc tamen pravâ suâ voluntate exponendo se periculo sacrum non audiendi, peccavit peccato omissionis sacri, non quidem prout hæc dicit meram privationem actus audiendi sacrum, sed quatenùs significat peccatum habens malitiam omissionis sacri, juxta statim dicta. Fuliensis, & Cornejo *loc. cit. dub.* 12. per totum.

40. Colliges secundò, illum, qui de voluntate omittendi conteritur ante completam omissionem, ac confitetur se dedisse causam omissioni, quam jam evitare non potest, non teneri posteà ipsam omissionem subsecutam confiteri; quia non conjungitur ampliùs moraliter cum actu præterito libero, sed fit directè contra voluntatem: secutâ tamen omissione contrahuntur pœnæ ab homine latæ: nam hæ imponuntur propter actum externum procedentem à causa inimpedibili deliberatè posita: atque hinc per accidens fieri potest, ut in casu posito teneatur quis secutam omissionem adhuc confiteri, ut Confessarius cognoscat censuram incursam v. g. & similia; quidquid Cornejo *dub.* 13. *citato num.* 29. velit in tali casu solùm incurri censuras in foro exteriori, in quo non potest constare ipsum habuisse antea verum actum contritionis, non verò in foro interno & apud Deum. Pro horum complemento

41. Nota actum illum, qui est causa omissionis, nullam contrahere malitiam distinctam ab ipsa malitia omissionis secundùm se; unde, si ex se non est malus, non est necessariò in confessione exprimendus; si v. g. Missam audire omittis ut studeas, ambules &c. studium tuum, ambulatio

bulatio &c. non sunt mala absolutè, sed relativè, in quantum scil. respiciunt omissionem sacri, quam causant; atque hanc proinde sufficit confiteri, cùm hâc deletâ totum deleatur malum: & hanc esse communem DD. testatur Cornejo *disp.*3. *citatâ dub.* 6. ubi satisfacit fundamentis oppositæ sententiæ, quæ solet attribui Henrico. Secùs tamen dicendum foret, si quis ita studio, ambulationi &c. affectus esset inordinatè, ut potiùs quamlibet legem Dei mallet transgredi, quàm ab iis desistere; iste enim affectus confitendus esset, ut tota malitia actus explicaretur. Neque actus, qui est causa omissionis, semper confitendus est, prout actus externus secundùm dicta *supra num.*9. confitendus est, licèt & hic nullam superaddat actui interno formalem malitiam; quia inprimis actus, qui est causa omissionis, non est complementum omissionis peccaminosæ; nec inhibetur aliquo præcepto distincto, si in se malus non sit; neque ulla ratione reddit ipsam omissionem secundùm intensionem, vel durationem pejorem, propter quæ omnia actus dictus externus confitendus est juxta doctrinam omnium DD.

DUBIUM SEPTIMUM.

De peccato morosæ delectationis.

42. SUppono delectationem condistingui contra desiderium seu propositum peccandi; quod simplex delectatio semper excludit, quodque semper contrahit malitiam istius actus, qui efficaciter desideratur poni: hoc supposito,

43. Dico primò, delectatio morosa est voluptas seu complacentia habita de aliquo opere malo cogitato sine voluntate illud exequendi. Dicitur *de opere malo*, quia communiter ab omnibus sumitur in malam partem: dicitur verò *morosa*, non à mora temporis, sed à mora rationis, eò quòd voluntas ei cum advertentia inhæreat; quæ proinde mora in minimo temporis spatio inveniri potest.

44. Dico secundò, delectatio morosa in quacumque materia distincta à materia luxuriæ, si præscindat à prohibitione legis, & ratione peccati, probabiliter non est peccatum mortale. Ita Arriaga, pro se citans Vasquez. Ratio est, quia ut sic delectatio est de re indifferenti, prout res sub præcisione à ratione peccati non est mala, sed indifferens. Nec refert quòd præcisio ista nihil mutet in re sive objecto (maximè si sit intrinsecè malum, de quo communior sententia negat posse aliquem morosè delectari absque peccato mortali;) quia delectatio in sensu posito non est de objecto, prout est in se & à parte rei, sed tendit in illud, prout est in mente delectantis abstractum ab omni ratione peccati. Et certè aliàs etiam delectari de objecto, quod tantùm est malum quia prohibitum, abstrahendo à prohibitione & ratione peccati, ut v. g. de comestione carnium die Veneris cogitatâ, mortale peccatum esset, cum neque in hac abstractio quidquam à parte rei mutet; quod tamen est contra communem. Indubiè interim omnis delectatio morosa de re mala ut mala est, est peccatum; mortale vel veniale prout objectum fuerit, graviter vel leviter malum; & de hac intelliges Patres, si quandoque videantur nobis opponi. Ex his

45. Colliges, satis esse probabile, delectari de furto cogitato *si non esset prohibitum*, imò & de odio Dei *si esset licitum*, de destructione Dei *si fieri posset sine ejus offensa* &c. non esse peccata mortalia; quia illa conditio *si* designat manifestam præcisionem à malitia objecti prout hîc & nunc menti formaliter objicitur. Attamen similes actus non possum excusare à culpa veniali; vel quia sunt actus omninò otiosi & ad nullum finem honestum relati, qui probabiliter sunt mali juxta dicta suprà: vel quia ex illis oriri potest periculum saltem remotum consentiendi in ipsum opus: vel etiam quia ipsum delectari de re ita mala, etiam sub dicta conditione, adhuc retinet aliquã indecentiam; quare à similibus abstinendum est.

46. Cave insuper prædicta extendere ad conditiones, quæ purificatæ omnem malitiam ab objecto non excludunt, ut v.g. ad furtum quod committeres *si non esset infernus*, ad delectationem de occisione alterius *si non esset clericus*, &c. quia similes delectationes tendunt in objecta, adhuc sub præcisione, mala malitiâ mortali, prout consideranti constabit.

47. Dico tertiò, delectatio morosa in materia gravis luxuriæ semper est mortalis, quantumvis præscindatur ab ipsa prohibitione operis, & ratione peccati. Ratio est, quòd delectatio in hac materia habeat annexos motus graves carnis, unde creatur periculum consensus in ipsum opus, de quo cogitato delectaris: quod non habet locum in aliis materiis, quæ non sunt adeò lubricæ, & erga quas nullus in corpore excitatur motus: & si hæc ratio cuipiam non videatur efficax quin patiatur instantiam, conjuncta tamen communi omnium Theologorum auctoritati sufficit, ut opinio contraria unius aut alterius improbetur. Vide Franc. B. Spei *de act. hum. disp.* 9. *num.* 50. Intereà

48. Nota primò, multùm esse distinguendum inter delectationem habitam de peccato cogitato, de qua hîc agimus, & delectationem de ipsius peccati cognitione, vel de aliquo ipsum opus cogitatum subsequente, quæ sæpius excusantur à peccato; ut v.g. dum Confessarius aut Doctor delectatur, se penetrare malitiam actus luxuriosi, non peccant; sicut nec ille, qui delectatur de filio fornicationis quia est boni ingenii, aut alia laudabili qualitate præditus; qui delectatur de subtilitate vel magnanimitate operis: imo nec ille secundùm Urbanum *tract.* 1. *cap.* 18. qui delectatur de duello perpetrato, non quà malum fuit, sed quatenùs est generositatis testimonium, modò tamen absit periculum consensus in peccatum; quod ego raró putarem in hoc ultimo verè abesse.

49. Nota secundò, ut delectatio de opere venereo cogitato sit mortalis, duo necessaria esse requisita: primum, ut adsit plena advertentia ad delectationem & ejus malitiam: secundum ut non resistatur post plenam advertentiam, sed eidem adhæreatur cum consensu deliberato, saltem interpretativo in eandem: & ne quis hîc scrupulis angatur, appono verba Urbani *tract.* 1. *cap.* 16. ubi sic loquitur. Nota verò diligenter quod dixi de delectatione, nam potest illa diutissimè perdurare in membris, vel potentiis excitata, nec tamen peccatum includet, siquidem primò sensibile objectum ferit sensum externum, commovet & delectat. Secundò transit ad sensum internum imaginationis, cui subordinatur appetitus sensitivus, eoque magis titillat, quò illa potentia est magis effera, & violenta, undequaque rapaciter corradens unde sibi complaceat; nec tamen adhuc in his omnibus est peccatum, nisi velut in semine: verùm quando tertiò transit

transit demum ad mentem, quæ non amplius solùm respicit ad rationem delectabilis sicut potuit initio facere, sed ut rationi aut legi dissentaneum, jam nihil desideratur ad peccati generationem, quod erit perfectum ex parte intellectus cæteris concurrentibus. Atque id totum pernitidè declaratur *cap. sed pensandum dist.* 6. ubi inter cætera sic dicitur; in suggestione peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu fit perfectio: & sæpe contingit, ut id, quod malignus Spiritus seminat in cognitione, caro in delectationem trahat, non tamen animus eidem delectationi consentiat. Ita verbotenus Urbanus: quæ ut dixi pro scrupulosis posui: nequaquam tamen quis propterea sibi indulgeat, memor ante dictorum; quòd scil. etiam minimo tempore possit committi peccatum mortale delectationis morosæ.

50. Petes fortè primò, an licitum sit viduæ morosè delectari de cogitata copula habita tempore matrimonii; similiter & sponsæ de habenda cum sponso post initum cum eo matrimonium. Affirmant aliqui eò quòd copula illa ut præterita, & hæc ut futura sint actus liciti, licitum autem sit delectari de actu seu re licita. Tamen

51. Resp. absolutè negativè, quia etiam in iis militat ratio generalis pro omni soluto matrimonii vinculo; quòd nimirum similis delectatio habeat graves motus corporis annexos, & periculum consensus in copulam habendam tempore præsenti: imo existimo cum Sanchez, verisimilius esse, dictas delectationes non ferri in actum ut præteritum vel futurum, sive ut sub matrimonio præcisè, sed in ipsos actus repræsentatos ut præsentes. Deinde illæ delectationes naturâ suâ sunt quoddam initium copulæ illis pro nunc prohibitæ. Ceterùm quidquid dicant varii hac in parte, suadendum est omnibus viduis & sponsis, etiam juxta Auctores adversæ partis, ut ab illis delectationibus abstineant.

Petes secundò, an delectatio morosa sortiatur diversam speciem in materia luxuriæ ex diversa conditione personæ cogitatæ.

52. Resp. satis probabiliter à pluribus, præsertim recentioribus, partem negativam defendi, si delectatio tantùm feratur in personam *ut non suam, ut pulchram, &c.* at non in eam *ut conjugatam, ut affinem* &c. quod ultimum juxta mentem Tamburini rarissimè contingit; quia istæ conditiones nullatenùs augent, vel afficiunt delectationem, saltem ordinariè. Ratio conclusionis est, quòd qui primò modò delectatur, nullo modo inferat, aut inferre desideret injuriam marito &c.

53. Adde tamen consultius adhuc similes conditiones exprimi in confessione, cum sæpè nequeat dignosci, an affectus steterit in illa simplici delectatione: sæpius enim adest & voluntas operis, si adesset occasio, & timor infamiæ & alia incommoda abessent: in voluntate autem operis circumstantiæ personæ indubiè aperiendæ sunt, prout mutant speciem actus: nam in ipso opere à parte rei præscindi non potest ab illis circumstantiis. Dixi & *non in eam ut conjugatam, ut affinem* &c. quia aliàs sicut tunc delectatio tam est de injuria mariti cogitata, de speciali inhonestate copulæ cum affini &c. quàm de cogitato peccato luxuriæ, ita & diversam speciei malitiam imbibit, quæ in confessione debet explicari. Vide P. Franc. *disp.* 10. *num.* 80.

DISPUTATIO V.

De peccatis capitalibus.

1. DIsputationi de peccatis in genere annecto disputationem de peccatis capitalibus; quia horum notitia Confessariis est summè necessaria, cum sint, veluti fontes cæterorum peccatorum, & deinceps non se offeret occasio commodior de iis specialiter tranctandi: ob quam etiam rationem sub Dubio de gula materiam jejunii scitu etiam maximè necessariam attingemus. Sunt autem peccata capitalia numero septem; Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, & Acedia; quæ dicuntur capitalia, quia, ut insinuavi, sunt veluti fontes aliorum peccatorum: ut igitur de singulis in speciali agamus, sit

DUBIUM I.

Quid superbia, & quando sit mortalis.

2. DIco primò, superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ; quam si quis appetat manifestare exteriùs, fit vana gloria: dictus autem appetitus, fit inordinatus, primò ex parte rei, dum quis appetit excellentiam aut honorem de eo, quod non existit, vel non est honore dignum; sic multi appetunt excellere in vitiis & peccatis, etiam plerumque se in iis jactantes. Pro quo notandum venit, si in simili jactantia intermisceatur desiderium, debere necessariò exprimi speciem peccati juxta ante dicta; si verò solùm adsit peccatum jactantiæ nudæ v.g. de adulterio, stupro &c. satis probabile esse sustinet Tambur. *lib.2. met.conf.cap.7.* §.3. non solùm prædictas species non necessariò esse declarandas, sed sufficere si dicatur, toties jactavi me de peccato mortali; modò ut dixi sit nuda jactantia, id est, absit gaudium, delectatio, & desiderium commissi peccati, de quo fit jactantia. Ratio ipsius est, quia tota malitia jactantiæ consistit in eo, quòd offensa Dei eligatur, ut medium ad captandam gloriam apud homines; quæ magna irreverentia æquè in omnibus peccatis mortalibus reperitur: vel si quid aggravat peccatum, non videtur ejus malitiam in aliam speciem transferre. Ita ille; addens, sive peccata, de quibus perperam gloriaris, commiseris sive non commiseris, non esse de necessitate explicandum, quia æquè utrobique assumis offensam Dei pro medio gloriæ: ita etiam de novo docet Diana *p.11. tract.7. res.36.* citans pro se Leand. de Soria, Castrum palaum & de Lugo contra Pontium. Quod si verò alter ex tua jactantia infamatur, quia nimirum te jactas cum tali rem habuisse, id explicare teneris, sicut & peccatum scandali, si per hoc alios ad peccatum inducis: hine qui alterum præsentem de certo peccato laudat, debet in confessione exprimere speciem peccati; quia excitat talem ad gaudendum de commisso peccato, & forsitan ad iterum

de

de novo illud idem vel simile committendum.

3. Secundò fit appetitus excellentiæ inordinatus ex parte eorum, apud quos excellere & laudari quis appetit; ut si quis apud rusticos gloriam quærit, quòd sit doctus Theologus. Tertiò ex eo quòd gloriam & excellentiam non referat in debitum finem, ut in honorem Dei, aut salutem proximi: verùm hæ inordinationes constituunt tantùm culpam venialem.

4. Insuper juxta S.Gregor. & D.Thomam superbiæ quatuor sunt species: quarum prima est, dum quis bonum, quod habet, à seipso habere putat: secunda, dum id suis meritis accepisse existimat: tertia quando quis arrogat bona, quæ non habet: quarta denique dum ob bona, quæ habet, cæteros despicit, qui illa non habent; quæ species omnes ad vanam gloriam transferuntur, si earum appetitur manifestatio.

5. Dico secundò, superbia, & vana gloria tunc sunt mortale peccatum, quando propria excellentia, vel ejus manifestatio appetitur cum contemptu subjectionis ad Deum, Superiorem quà talem, vel ad ipsam legem; item quando id fit cum notabili irreverentia erga Deum vel Dei legem, aut cum gravi damno proximi: nec non etiam dum id appetitur de peccato mortali, vel in ordine ad mortale. Deinde etiam mortaliter quis peccat, quando falsè se finit laudari, sciens inde secuturum grave proximi damnum; ut si valde imperitus Doctor se multùm permittat laudari, ex quo alii detinebuntur accedere Doctores peritos in suis infirmitatibus. Denique dum quis in excellentia propria ultimum finem constituit. Cæterùm communius sunt tantùm peccata venialia.

6. Petes hîc fortè, quot sint filiæ vanæ gloriæ, & quando hæ sint peccata mortalia? In hoc numero Auctores minimè conveniunt: ast ego volens comprehendere omnia, quæ ad vanam gloriam referri possunt, quamvis magis propriè ad superbiam spectent,

7. Resp. esse decem, jactantiam, novitatum inventionem, hypocrisim, pertinaciam, discordiam, contentionem, inobedientiam, curiositatem, ambitionem, & præsumptionem. Harum prima scil. jactantia est mortalis, quando est contra gloriam, aut reverentiam Dei notabilem, aut notabilem proximi charitatem; aliàs est solùm venialis. Quandonam explicanda sit species mali objecti, breviter habes *supra resp.1. num.2.*

8. Inventio novitatum, ut novarum epularum, vestium, exercitiorum, ludorum &c. mortalis est si dirigatur in finem mortaliter malum, aut cedat in notabile detrimentum cultus Divini, vel boni publici aut privati; ut si notabiliter corrumpat juventutem, aut mores: item si in iis constituatur ultimus finis. Hinc culpam mortalem incurrit mulier, quæ ita afficitur curioso ornatui, ut mallet transgredi præceptum graviter obligans, quàm ab eodem desistere; sicut & illa, quæ per similem ornatum intendit aliquem allicere ad carnalem concupiscentiam. Nemo tamen peccat simpliciter loquendo, si se ornat juxta suum statum & patriæ consuetudinem, modò id bono fine fiat: & licèt quis modum notabiliter excedat, tantùm venialiter peccat juxta Cajetan. Navar. & alios; nisi fortè per hoc se redderet incapacem ad solvenda debita, vel præbenda alimenta quibus tenetur. Nec juxta illos eosdem Auctores mortaliter delinquunt fœminæ ostentantes pectus aliquousque nudum, ut inde pulchriores appareant absque alia

 in-

intentione mortaliter mala: quia id nullo jure naturali, Divino aut humano, saltem ad mortale obligante, vetatur, eò quòd illa corporis pars inter honestas habeatur, nec natura, aut pudor humanus absolutè postulet illam tegi: unde si quis inde mortalis lapsus sumat occasionem, ipsius malitiæ imputatur. Ita etiam præter duos citatos tenet Marchan. cum pluribus recentioribus. Attamen quidquid de hoc sit, id non potest locum habere in fœminis toto pectore denudato incedentibus per civitatem: & mihi certum videtur cum eodem Marchantio, quòd mortalem culpam incurrant illæ, quæ primò similem consuetudinem introducunt; quia ubi id est insolitum, ibi & est magis periculosum: docetque etiam ipse Navar. consuetudinem de facto introductam dignam esse ut paulatim extirpetur. Pro quibus omnibus vide Burghaber *Centur.* 1. *casu* 22. & Dianam *par.* 10. *tract.* 12. *resol.* 30. apud quem Albertus de Albertis docet, Principes laicos & Episcopos sub peccato mortali teneri talem consuetudinem extirpare, & tales fœminas esse à sacra Synaxi repellendas; qui, an nimis severè loquatur quoad obligationem, quam constituit in Episcopis & Principibus? Alii judicabunt. Burghaber dicit, se illi Auctori in hoc rigore non subscribere: attamen scio ego Illustrissimum Dominum Jacobum Boone Archiepiscopum Mechlinien. expressum mandatum dedisse omnibus Pastoribus, & aliis sibi subjectis, ne ulli fœminæ communionem distribuerent, quæ nudato pectore ad eam accederet.

9. Interea communiùs à mortali excusantur augentes & fingentes pulchritudinem majorem aliquo ornatu aut fuco: nisi tamen id fiat ad deformitatem aliquam particularem tegendam, à veniali excusari non potest; quia est quædam species mendacii operis. Item nullum est peccatum si vir utatur veste fœmineâ, aut econtrà ob causam rationabilem, ut verbi gratia, ne cognoscatur ab hoste; imò & ob honestam recreationem absque ullo periculo scandali, ut v.g. in actione publica: nec plus peccat quàm venialiter, qui id facit ex mera levitate. Ita D. Thom. Cajet. & Navar.

10. Hypocrisis, tertia filia vanæ gloriæ, est simulatio virtutis, quam quis non habet. Semper est peccatum, quia semper est mendacium: & qui intus malus esse vult ac foris apparere bonus, peccat mortaliter: qui tamen facit aliqua opera sancta, ut alii inde arbitrentur ipsum habere sanctitatem, quàm verè non habet, peccat tantùm venialiter. Ita D. Thom. Bonavent. Sylvest. &c. Interim ejus malitia augetur vel minuitur ex fine, quo quis se fingit sanctum, cum non sit.

11. Pertinacia mortalis est, quando in rebus fidei, vel ad bonos mores spectantibus quis pertinax perseverat contra Auctoritatem Ecclesiæ, vel in notabile proximi damnum: secùs venialis tantùm in rebus levioris momenti. Idem dic de discordia, & contentione.

12. Inobedientia, septima vanæ gloriæ filia, est mortale peccatum, quando quis non vult subdi præcepto Superioris justa præcipientis animô illum obligandi ad mortale.

13. Curiositas, quæ est inordinatus appetitus sciendi. Est mortalis, primò, dum appetitur scire id, quod sub mortali prohibitum est scire: ut velle scire, sive audire ea, quæ dicuntur in confessione, & similia. Secundò si res, quam scire inordinatè appetis, sit valde noxia; ut si quis cum periculo proximo gravis lapsus legat librum valde inhonestum. Tertiò dum quis ab altero scire vult, quod hic sine mortali revelare

velare non potest; ut v.g. id, quod alter tacere tenetur ratione juramenti, &c. Escob. March. & alii.

14. Ambitio, quæ est appetitus inordinatus dignitatum ac honorum, est ex suo genere tantùm peccatum veniale: mortale tamen erit, si quis appetat dignitatem cum notabili Reipublicæ damno, vel ad majorem delinquendi licentiam; ut si quis ambiat beneficium, vel officium, quo est indignus. Si quis tamen moderatè appeteret honorem ob finem honestum, non diceretur ambitiosus, sed potius ipsius actus referendus esset ad magnanimitatem.

15. Præsumptio denique est appetitus ostendendi se illustrem per opera, quæ vires suas superant. Est mortalis dum cedit in notabile periculum vitæ propriæ, vel in grave damnum temporale aut spirituale proximi; sic si quis ignarus artis medicæ ægros assumat sanandos, aut ignorans jura causas patrocinandas suscipiat, aut Theologiam moralem non callens se excipiendis confessionibus exponat, &c. mortaliter delinquit. Ita Escobar cum communi. Præsumptioni respondet pusillanimitas, quâ quis sibi nimium diffidens fugit honorem vel officium quo dignus est: ex suo genere est peccatum veniale; potest tamen fieri mortale si ex ea quis fugiat id, ad quod obligatur sub mortali.

DUBIUM SECUNDUM.

Quid sit avaritia, & quale peccatum.

16. Dico, avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Est ex suo genere venialis tantùm: fit tamen mortalis; primò dum quis ita temporalia appetit, ut non curet quâ viâ, aut mediô ea possit obtinere, sive justè sive injustè. Secundò si divitiis obtentis quis ita afficiatur, ut nolit subvenire necessitati pauperum, dum ad id tenetur vi præcepti graviter obligantis. Tertiò denique si ob earumdem inordinatum amorem, & appetitum quis se exponat probabili periculo mortis, sive temporalis sive spiritualis.

17. Avaritiæ opponitur prodigalitas, quæ consistit in defectu conservandi, & excessu elargiendi sua bona temporalia; estque etiam ex suo genere tantùm venialis, & peccatum levius quàm sit avaritia; quia minus recedit à virtute liberalitatis.

18. Filiæ avaritiæ, quatenus est peccatum contra justitiam, sunt prima, fraus, quę est deceptio per factum quoad res, & ut plurimum committitur in contractibus. Secunda est fallacia, quæ est deceptio per verba. Tertia est proditio, quæ est dolus, qui committitur in opere circa personas; sic Judas Christum prodidit: vel etiam circa res, ut si quis manifestet modum intercipiendi urbem, aut secretum sibi commissum aliis revelet, vel aliorum Epistolas aperiat & legat: quæ duo ultima sunt peccata gravia vel levia, prout secretum commissum, vel in litteris contentum fuerit magni, vel parvi momenti. Quarta filia avaritiæ est usura. Quinta simonia. Sexta perjurium. Septima violentia: quæ omnes sunt peccata mortalia ex suo genere, à quo tamen plerumque levitas materiæ excusare potest: ac de illis specialiter agemus *in tract. de jure & justitia.*

19. Qua-

19. Quatenus avaritia opponitur liberalitati, habet pro filiabus inquietudinem, sive immoderatam sollicitudinem in divitiis augendis aut retinendis; & obdurationem, quâ cor avari redditur durum erga pauperes. Est utraquè tantùm venialis, nisi eâ ratione omittatur aliquid, ad quod avarus tenetur sub peccato mortali; vel aliquid fiat, quod sub mortali inhibetur.

DUBIUM TERTIUM.

De Luxuria, & ejus speciebus.

20. Luxuria est libidinosæ voluptatis inordinatus appetitus: ejus completæ species septem sunt, fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, vitium contra naturam, & sacrilegium: præter ipsas tamen etiam ad luxuriam spectant delectatio morosa in re venerea, turpes motus carnis, oscula, aspectus, tactus &c. de quibus omnibus sufficientem notitiam debet habere Confessarius; quare de singulis aliqua in particulari trademus; & cum de delectatione morosa, quantum satis est, egerimus *disput. præced. dub. ult.* sit

§. I.

De motibus carnis, osculis, &c.

21. Dico primò, motus carnis venerei, si à voluntate excitentur, vel iis aliunde excitatis voluntas consentiat, sunt mortale peccatum dum adest plena advertentia ad ipsos motus, eorumque malitiam cum perfecta deliberatione. Patet ex *dub. ult. præced. disp.* quia tunc reverà adest morosa delectatio in re venerea. Imò Marchantius *in suis resol. Past.* hoc modo delectationem morosam in materia luxuriæ definit; quæ consurgit ex motionibus partis corporis inhonestæ, & spirituum generationi subservientium: in qua delectatione dicit, non dari parvitatem materiæ si adsit consensus; quod & cæteri communiter docent.

22. Dico secundò, motus carnis nec à voluntate excitati, nec aliquâ actione intenti, non sunt mortales ratione causæ datæ, si hæc sit ex se tantùm venialis. Ita Vasq. 1.2. *disp.* 108. addens de hoc hactenus non fuisse controversiam: & certè aliàs vix possemus quidquam aspicere, loqui, audire, tangere &c. sinè periculo peccati mortalis: cùm igitur dicti motus facillimè soleant exurgere, ut censeantur mortales, videtur requiri majus voluntarium, quàm sit id, quod solùm est aliquo modo voluntarium in causa venialiter mala. Ita etiam Marchant. *ibid.* Et P. Gobat *in praxi clement. Judic. Decade 2. num.* 237. hæc habet, *deducet Confessarius* (ex doctrina scil. antecedente) *lethalis noxa non esse damnandum illum, qui per actiones ex se, vel nullo modo, vel tantùm leviter turpes dat occasionem his motibus, nec statim cessat:* pro quo citat Lessium cum multis: debet tamen semper abesse consensus in illos motus juxta dicta

cta *resol.*1. & prævisio pollutionis, aut periculi illius: pro quo vide dicenda infra §.4.*num.*49.

23. Major est difficultas, an tales motus patiens possit absque culpa mortali se negativè habere, ita ut eos nec positivè reprimat, nec etiam approbet? Ad quod non omninò improbabiliter plures affirmativè respondent, si non adsit periculum ulterioris consensus, nec id faciat ex complacentia aut delectatione, quam habet in illis. Ita Cajet. Laym. Vasq. Busenb. & Urban. *tract.*1.*cap.*18. ubi sic ait; Non tenetur voluntas omnes motus compescere statim; sed satis est, quòd nolit aut delectari aut consentire: eo siquidem ipso fatiscent & concident appetitu sensitivo nullum influxum, aut firmamentum ex parte voluntatis recipiente. Ita ille: Prob. igitur Concl. quia si esset obligatio sub mortali eos motus positivè reprimendi dum exorti sunt, teneremur etiam sub mortali fugere causas, ex quibus oriuntur, quod tamen esse contra omnes statim dictum est. Interim non abs re monet Fuliensis primò, oppositam sententiam esse magis tutam in praxi. Secundò esse simpliciter tenendam, quando adest probabile periculum pollutionis, vel pravi consensus. Tertiò semper esse veniale, motus illos permittere, nisi adsit rationabilis causa eos negligendi, ut v.g. dum quis vacat auditioni confessionum, studet casibus sibi scitu necessariis, &c. quo casu idem Fuliensis docet, non esse peccatum veniale eos positivè non cohibere etiamsi adesset periculum pollutionis, modò absit periculum consensus. Addit tamen bene Layman, semper in praxi nos debere exercere actum formalis displicentiæ, qui licèt inefficax sit ad depellendum illos motus, est tamen efficax, inquir, ad tollendum voluntatis consensum: quod & videtur sentire Urbanus *loc. cit.* prout ejus verba consideranti constabit; quare id omnibus suadeo: nam licèt simpliciter possibile sit voluntatem in dicto casu omnem actum suspendere, tamen dum objectum est valde alliciens, id vel moraliter impossibile, vel valde difficile est. Cæterùm idem Urban. *tract.*1.*cap.*46. bene monet, non esse dictis motibus resistendum multiplicatis actibus contrariis nimis frequentibus, sed potiùs fugiendo, & potentiam imaginativam ad alia convertendo; quamdiu enim objectum erit ei præsens, non poterit non affici ad illud, & consequenter appetitus semper commovebitur. Vide Franc. B. Spei *de act. hum. disp.*10.*num.*18.*& seqq.* nec non *num.*89.

24. Dico tertiò, oscula, aspectus, tactus, verba turpia, cantilenæ inhonestæ, choreæ, missio litterarum ac donorum, & similia ex venere sive libidine, aut motu venereo intenta, sunt peccata mortalia. Est certum ex *resol.*1.*& dub. ult. præc. disp.* ac propositione damnatâ *num. sequenti* adferendâ. An verò in his sint exprimendæ conditiones personæ visæ, tactæ &c. distinguit Tamb. *lib.*2.*cap.*7.§ 1.*num.*4.*&* §. 2.*num.*6.*ac.*7. dicens, id in visione non esse necessarium si id fiat sine progressu ad eas concupiscendas; quia tunc, inquit, videtur interiùs tota delectatio consummari, sicut dictum est de delectatione morosa in cogitatione: quod idem dicit locum habere in delectatione de ipsa narratione turpi; ubi satis probabile est non necessariò esse explicanda objecta, an videl. fuerint adulteria, stupra, sacrilegia &c. nisi fortè delecteris de iis ut talia sunt, vel nisi dum de turpibus confabularis, eadem concupiscas. Secus verò dicendum esse asserit & meritò, dum persona aliqua venereo affectu attingitur; quia tunc actio exteriùs consummatur.

G 25. Dico

25. Dico quartò, oscula urbanitatis causâ & ex fine honesto; aspectus & tactus honestæ partis causâ curiositatis aut joci; verba scurrilia ex sola levitate; choreæ, missio litterarum aut donorum amicitiæ fovendæ gratiâ, non sunt mortale peccatum, si nulla intendatur delectatio: quod & sustinet Jacobus Marchantius, quamvis intendatur aliqualis delectatio sensualis, ac sequatur aliquis corporis motus non intentus. Probat, quia talis delectatio non est morosa propriè dicta sive venerea, sed reducitur ad delectationem sensualem ortam ex proportione, quæ est inter objectum sive sensibile, & ipsam potentiam sensitivam: debet tamen abesse periculum consensus ulterioris, & pollutionis. Ita Marchan. Mart. de Magistris, & alii; videturque in illam inclinari Navarrus *de pœnit. dub. 1. cap. si cui* apud dictum March. ubi dicit, difficile planè esse Confessariis peccati mortalis mox condemnare juvenes nubiles & procos, quos passim reperies aliquibus osculis uti erga procas aut puellas quas visitant, nec sibi hi vel hæ formant gravis peccati conscientiam, licèt aliquam inde voluptatem perceperint, vel quæsierint, si modò nulla intervenerit voluntas alicujus attactus impudici, vel periculum actus aut consensus ulterioris. Ita verbotenus Jacob. March. Et sanè multis moraliter impossibile videtur non incurrere quandoque oscula, manuum tactus, aspectus curiosos &c. cum aliquali voluptate, eò quòd debeant conversari inter puellas ad ambienda matrimonia, & honestas recreationes ac familiaria colloquia iis exhibere. Neque hinc sequitur, dari parvitatem materiæ in delectatione morosa aut re venerea aiunt; quia dicta voluptas non est morosa in re venerea, sed solùm sensualis sensu dato. Dixerat autem idem March. parum ante, oppositam sententiam esse communiorem & tutiorem (dico ego veram) si intendatur aliqualis delectatio licèt tantùm sensualis; quia, ut bene Urban. *cap. 46. cit.* in his omnibus facilis descensus averni est, eò quòd vix sit in potestate nostra sistere in dicta sensuali delectatione, aut parvo corporis motu ob conformitatem nimiam talium objectorum cum ipsa sensualitate; quidquid absolutè loquendo maneat adhuc liberum ulteriori delectationi non consentire. Interea Mendo in sua statera *dissert. 5. quæst. 1. num. 6.* distinguens inter delectationem veneream & non veneream seu connaturalem, in hâc cum dicto Marchantio admittit parvitatem materiæ, ut si captetur, inquit, ex visu, vel tactu manus, pedis, aut similis: quidquid meritò *num. 3. ante* absolutè asserat, certissimè & indubitanter tenendum esse, minimè dari parvitatem materiæ in rebus venereis: quia præterquam quòd exstent decreta Pontificum præcipientium denuntiari eos, qui contrarium conantur sustinere: Sanctissimus Dominus Alexander VII. ad minus ut scandalosam damnavit sequentem propositionem. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Cæterùm si aspectus & tactus sint partis inhonestæ alterius, licèt nulla prorsus intendatur delectatio: si quis studiosè aspiciat concubitum viri cum muliere, etiam ex sola curiositate: si sermones tendant in finem mortalem, vel gravi scandalo esse possint, de quibus alibi; si litteræ contineant res valde turpes ad venerem excitantes, vel si in aliis levioribus prævideatur, aut timeatur secutura pollutio, erunt peccata mortalia; quapropter prædicta omnia etiam non ita excedentia,

sunt

sunt periculosissima; vixque, ut testatur idem Urban. *ibid.* sine mortali labe admittuntur, quia sunt inchoationes pollutionis, cujus periculo se exponit qui deditus est illis. Dixi, *si in aliis levioribus praevideatur &c.* quia puto in prioribus secundùm se consideratis, & independenter à praevisione &c. contineri malitiam mortalem: quia in illis datur gravis indecentia, multumque pugnant cum honestate naturali, quidquid varii id non admittant. Addo hîc transeunter, Arriagam *tom.* 5. *disp.*58.*sect.*3.*num.*43. retractare quod *tom.* 3. antea docuerat, nempe in delectatione morosa, & motibus carnis à se insurgentibus, & non procuratis à voluntate, posse dari parvitatem materiae; rationem retractationis addit; quia, inquit, si appetitus agnoscit voluntatem sibi positivè consentire, sumere inde vires potest, ut fortiùs insurgat. Idem docet Tambur. *in Decal.p.* 1. *lib.*1.*cap.*1.§.3.*num.*10.

26. Adverte tamen, adhuc dictos aspectus & tactus excusari posse ex alia causa eos cohonestante, ut si fiant causâ medendi; tunc enim potiùs doloris, quàm delectationis sunt causa. Porrò quotiescumque mortale est tales aspectus aut tactus exercere, etiam mortale est eos in se permittere, partim ob idem periculum, quod est in patiente, partim etiam, quia patiens cooperatur peccato mortali alterius.

27. Dico quintò, qui componunt cantilenas omninò inhonestas, mortaliter delinquunt; quia moraliter certum est, se, vel alios inde mortalis libidinis occasionem accepturos. Idem dic de pingentibus picturas valde obscoenas: qui verò tales cantilenas canunt, vel dictas picturas aspiciunt, judicandi sunt juxta intentionem, quâ id faciunt, ac secundùm periculum, quod per hoc sibi, vel aliis creant. Caeterùm ab his omnibus semper & ubique abstinendum est. Vide Dian. *p.* 11.*tract.*4. *resol.*32.

28. Quale verò peccatum sit, pingere amasio imaginem concubinae? Respondeo cum Azor. Palao, & Bonac. esse peccatum mortale; quia talis imago est fomentum, & incitativum turpis amoris, estque quasi donatio gladii volenti alterum occidere: ita etiam docet Dian. *p.*5. *tract.*7. *de scandalo resol.* 4. quod de novo firmat *p.* 11. *tract.*5.*resol.*50. excusans cum Sanchez & aliis illum solum à mortali, qui id facit pressus gravissimâ causâ; ut si gravis metus mortis vel vulnerationis incuteretur; quamvis Ferrant. apud eundem Dian. existimet probabile esse, quòd pictor non peccet mortaliter, si habeat aliquam causam rationabilem non adeò gravem, qualis v. g. causa à mortali excusat in petitione mutui ab usurario; quia videlic. ille, qui similem picturam petit, jam ex se inductus & paratus est ad peccatum, ac imago est honestè depicta, nec pictor famulatur petenti in ratione petitionis ut malę, sed propriè indifferentis, idque ex causa legitima, licèt non tanta, quantâ est metus mortis aut vulnerationis. Ita ille contra communem.

§. II.

De simplici fornicatione, & adulterio.

29. Dico primò, fornicatio simplex est copula naturalis inter solutos omni vinculo. Est peccatum mortale, prout patet ex Script. 1.*Cor.*6. ubi dicitur hominem

minem excludere à regno Dei. Dicitur primò *copula naturalis*, id est in loco à natura ad id destinato habita inter homines diversi sexus; per quod excluditur sodomia, bestialitas &c. Dicitur secundò *inter solutos omni vinculo*, id est matrimonii, consanguinitatis, affinitatis, & voti; quæ vincula inducunt aliam speciem peccati, ut patebit ex sequentibus: supponitur autem, non esse adhibitam vim, ut excludatur stuprum. Adde ex DD. communiter, in confessione non esse explicandum, an quis cum diversis vel iisdem fœminis fuerit fornicatus, modò exprimatur numerus fornicationum; quia id nec auget nec minuit malitiam. Similiter etiam exprimi non debet, an fornicatio habita fuit cum filia confessionis (quidquid modò hic casus reservetur in Diœcesi Mechliniensi;) quia est tantùm simplex fornicatio ex hac parte: secus tamen dicendum esset, si quis elegisset munus Confessarii exercere tanquam medium ad faciliùs peccandum; quia in eo reperiretur malitia specie distincta contra reverentiam Sacramento debitam; propter quam irreverentiam etiam exprimi debet, si pœnitentem tempore confessionis ad id sollicitaverit. Sed

30. Dubium est, an tactus & oscula, quæ fornicationem sequuntur, sint exprimenda? Affirmativè respondent Suar. Vasq. & Coninck apud Dian. *p.* 11. *tract.* 5. *resol.* 41. contra quos ipse sustinet, similia unum peccatum cum copula componere nisi dirigantur ad novam copulam; in quo pro se citat Leand. Ovied. Sanch. Dicast. & alios, quibus ego jungo Burghaber *Centur.* 1. *casu* 34. Insuper addit idem Diana contra Suar. & Navar. delectationem habitam de copula immediatè post illam, non addere novam malitiam, neque in confessione esse necessariò explicandam; quia talis delectatio est permanentia quædam moraliter continuata cum actu, quô homo voluit habere copulam, & cum delectatione quam ex ipsa sumpsit. Ita Lugo, Leand. & Ovied. apud Dian. *loco cit.* Imò Sanchez asserit, idem esse verum de tactibus & osculis, etiamsi magna intercesserit mora post copulam, modò ad alia negotia se interea non diverterint, qui copulam habuerunt, sed in eodem statu & situ permanserint sese detinentes ad osculandum & colloquendum; vel si fortè fœmina decessit ex utriusque conventione, alter exspectet reditum ad iterum deosculandum. Verùm Palaus hoc additum non admittit teste eodem Dian. ibid. qui *resol.* 42. *seqq.* docet, etiam tactus, & oscula, quæ non ordinantur ad copulam, quæ tamen postea subsequitur, esse seorsim explicanda, quia non habent unitatem moralem cum copula, ad quam ex intentione non ordinantur. Ita Diana pro se citans Lugo & Dicast. præter plures alios quos alibi citavit, quos & sequitur Burghaber *loc. statim cit.* Attamen adhuc partem negativam defendit Leander volens illos tactus & oscula ratione finis ipsius operis conjungi cum fornicatione quæ sequitur, & efficere ex hac parte unum peccatum cum fornicatione, licèt vi intentionis cum illa non fuerint conjuncta; additque hanc sententiam docere DD. modernos ab ipso de casu hoc consultos, quam etiam non omninò rejicit Ovied. apud Dian. citatum. Quidquid sit, certum est illa non esse explicanda si præcedant, & ab initio ex intentione ad copulam dirigantur; quia in omnium sententia tunc unicum peccatum cum illa constituunt.

31. Dico secundò, adulterium est illicitus concubitus, quo conjugalis thorus violatur. Est peccatum mortale gravius fornicatione; quia in eo læditur justitia, cùm

cùm accedatur ad personam alterius: unde circumstantia matrimonii exprimenda est tanquam mutans speciem simplicis fornicationis: quod & verum est, licèt quis cognosceret uxorem præsente & consentiente ejus marito; tum quia vir non habet potestatem cedendi in hoc juri suo; tum quia adhuc committitur gravis irreverentia Sacramento matrimonii. Adde etiam explicandum esse matrimonium utriusque, dum ambo complices sunt conjugati; tunc enim committuntur duo peccata adulterii, unum quo quis peccat in persona propria, alterum quo cooperatur cum alia, ut illa etiam in propria persona peccet. Idem dic dum uterque complex est astrictus voto castitatis. Ita Lugo *disp.16. sect.* 5. *num.* 158. quem in hoc sequitur Tambur. & Urbanus: quidquid Ferrant. *disp.*1. *de scandalo quæst.66. num.* 119. velit sufficere, si priori casu dicatur, *commisi adulterium*, pro se adducens Sa *verbo confessio*, § *quidam putant*, ubi ait, unicam esse malitiam si conjugatus peccet cum conjugata. Verùm (ut notat Diana *p.*11. *tract.*5.*resol.* 51.) in editione Romanâ correctâ & impressâ ex ordinatione Magistri S. Palatii, hæc opinio ex Codice Emanuelis Sa deleta & expuncta fuit; quare oppositum tenendum est: quamvis illam adhuc de novo probabilé vocet Burghaber *Centur.* 1.*casu* 70. eandemque, tam quoad adulterium, quàm quoad sacrilegium, quando uterque complex est astrictus voto, sustineat Mart. de San Joseph apud Dian. ead. *p.*11. *tract.*3. *resol.* 3. qui dicit hanc illius sententiam sibi displicere.

Petes hîc fortè, ad quid teneantur adulteri?

32. Resp. & dico, si sequatur proles, & ambo æquè primò in adulterium consenserint, tenentur æquè primò ad restitutionem pro damno, quod subit maritus in alenda prole, & quod patiuntur proles legitimæ; & uno deficiente, tenetur alter in solidum: quia totius damni tam adulter quàm adultera sunt causa: quapropter omne simile damnum obligatur adultera impedire meliori quâ potest viâ; ut v. g. suadendo illegitimo, ut intret Religionem, vel efficiendo, ut adoptetur ab extraneo; aut saltem conando ita ex bonis sibi propriis ditare alias proles, ac inducere illegitimum ad laborem, & negotiationem, atque similiter per se negotiari &c. ut augeantur in tantum bona communia, donec pars illegitimæ prolis censeri possit de novo acquisita, & non detracta portioni legitimarum prolium. Quod si fieri nequeat, tenetur secretè spurio suum crimen revelare si sit moraliter certa per hoc impediendum fore damnum legitimorum sinè gravi detrimento propriæ famæ adhuc integræ, sinè gravi scandalo pusillorum, & sinè inimicitiis, odiis &c. prolium inter se: quæ valde raro simul omnia abesse reperiuntur. Dico *sine gravi detrimento propriæ famæ*, *sine gravi scandalo* &c. quia aliàs ad id minimè obligatur, cùm hæc sint majoris momenti, quàm bona temporalia legitimarum prolium: ob quam rationem à fortiori etiam id detegere non tenetur, si inde timeat incurrere periculum mortis. Unum tamen casum ponit Diana *p.*11. *tract.*1.*resol.*33. in quo mater absolutè tenetur manifestare filium spurium marito; nempe quando periclitaretur bonum publicum; ut si filius adulterinus, qui aliàs fieret rex v.g. esset noxius regno, compelleretque subditos à fide apostatare: tunc enim lege charitatis, inquit Diana, debet mater commune bonum preferre privato: quamvis Hurtad. *de Just. disp.*11. *diff.*20. existimet in tali casu matrem ad id teneri ex justitia commutativa. Vide hanc materiam latè discussam apud eundem Dian. eadem

eadem *p.* 11. *tract.* 6. *resol.* 56. Ubi in fine pro curiosis hæc adjungit ex Pontio: quòd si duo cognoverint eandem mulierem, ita ut planè incertum sit quis sit pater, uterque ex æquo debent concurrere ad sustentationem prolis, & ad restitutionem faciendam marito, & filiis mulieris, si hæc fuerit conjugata, & sit certum, quòd proles non sit legitima. Ratio est, quòd aliquis obligetur, & unus non potiùs quàm alter: ergo uterque. Conformiter ad hæc P. Scilder *tract.* 4. *num.* 346. docet, adulterum dubium, an aliqua proles sit nata (ex suo scil. adulterio) teneri pro ratione dubii, ad resarciendum &c. Verùm, est moraliter impossibile justâ hac in re ponere taxam. Quod fortè movit Dianam ut *loc. cit.* hæc subjungeret. *Si tamen mulier posset congruenter ex suo sustentare similem prolem, fortassis neuter* (ex duobus scil. dubitantibus) *teneretur succurrere, quia, cùm ipsa dederit causam dubii injustè, in hujus pœnam meritò ipsamet videri posset habere totam obligationem.* Hæc extende etiam ad fornicantes: & vide quæ dicuntur infra *num.* 35.

33. Cæterùm licèt mater filii spurii jam esset morti proxima, & in bona opinione apud filium spurium; adhuc non statim est consulendum, ut crimen suum ei revelet, propter odia, inimicitias &c. quæ antea meritò talem revelationem dissuadebant: & multò minus consultum est, ut ipsa post suam mortem jubeat per Confessarium idem revelari; ne aut incommoda sinè fructu sequantur, aut ipse Confessarius ob sigilli fractionem trahatur in judicium. Insuper ordinariè filius hac in re non tenetur matri credere; quia matrimonii favor meretur, ut præsumptio stet pro legitimitate, nisi aliunde constet oppositum: & aliàs dominante passione, ac inconstantiâ muliebri sæpè fraudaretur legitimus. Sed

Quid si proles exposita sit à matre adultera?

34. Respondeo, si adulter id consuluerit, vel aliter expositionis auctor fuerit, tenetur ad restitutionem domui, vel hospitali prolem nutrienti. Dico, *si expositionis auctor fuerit*; quia, si mater ipso invito aut inscio prolem exposuerit, multi ipsum excusant ab onere restitutionis, eò quòd tunc non sit vera causa damni, quod patitur ista domus; neque illud intendat, sed ex aliena libera actione proveniat. Nec refert, quòd matrem in quamdam necessitatem conjecisse videatur, ut hoc faciat, ne videl. aliàs grave periculum infamię, odiorum &c. incurrat si prolem non exponat; quia ipsam non invitam sed volentem in dictam necessitatem conjecit, ut suppono, unde id ipsa sibi debet imputare. Et hoc ipsum quidam etiam extendunt ad casum, quo mulier spurium supponit ut legitimum, si adulter non sit auctor suppositionis, ob eandem rationem: verùm mihi & aliis contrarium est verius; quia ex adulteri iniquo & injurioso facto fit, quòd proles credatur esse mariti, atque ex illa credulitate, cujus ipse causa est, sequuntur illa damna: unde simul cum adultera obligatur illa resarcire. Cæterùm

35. Nota primò, proles expositas, & alias incertis parentibus natas, præsumi legitimas in ordine ad Ordines & beneficia, nisi de illegitimitate sit fama. Ita octodecim celebres Auctores, quos citat & sequitur P. Scilder *tract.* 4. *num.* 13. id probans ex C. *Accedens de purgat. canon.* Dixi, *nisi fama sit de illegitimitate*: quia tunc similis proles tanquam dubia abstinere debet ab Ordine & beneficio, nisi se canonicè purgaverit. Ex eodem C. *Accedens.* Vide etiam Gobat *in Alphab. Ordin. casu* 11. *num.* 437. qui *num.* 438. habet sequentia: quamvis natus sis septimo mense post nuptias

nuptias tuorum parentum, vel duodecimo, vel decimo tertio post mortem mariti matris tuæ, non ideo tamen dicendus es esse furto genitus. Sicut etiam, licèt certum sit, matrem tuam commisisse adulterium cum Sempronio, tuque lineamentis corporis referas Sempronium, haud tamen idcirco es collocandus in classe spuriorum. Ita ille *loc. cit.* pro ratione lectorem aliò remittens.

Nota secundò, virum adulterum (& idem est de fornicante) si moraliter certò est pater, teneri alere prolem à tertio ipsius anno. Dixi, *si moraliter certò est pater*; quia ad nihil tenetur, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi: qualem sufficientem habet, si adultera sit valde levis; tunc enim potest prudenter præsumere, eam adhuc cum aliis adulteratam esse. Hujus autem ratio est, quia melior est conditio possidentis; ipse verò tamdiu possidet contra obligationem, quamdiu non constat se debere.

36. Petes tandem, an pater teneatur dotare filiam spuriam? Diana *p. 11. tract. 4. resol. 25.* citatis utrimque Doctoribus pro & contra, hæc habet; dico quoad filias naturales & spurias, si fortè cogendus est pater dotem illis constituere, excedere non debet alimentorum quantitatem, ad quæ administranda jure naturali astrictus est; si tamen aliunde habeant, vel polleant arte aut viribus, quibus hæc comparare possint, deobligatus est.

§. III.

De incestu, & stupro.

37. DIco primò, incestus est carnalis inter consanguineos, affines, vel legaliter aut spiritualiter conjunctos abusus. De conjunctione seu cognatione legali aliqua dicemus *in tract. de jure & justitia.* De spirituali verò *in tract. de Sacram.* ubi etiam adhuc aliquid de legali. Incestus terminatur in quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis contractæ ex copula licita; si ex illicita, terminatur in secundo gradu. Ut autem contrahatur impedimentum incestus, debet esse perfecta copula carnalis, quæ sufficiat ad generationem prolis. Vide à nobis dicenda *in tract. de Sacram.* ubi *de matrimonio*: & adde tanquam circumstantiam speciem mutantem reducendam ad incestum, aperiendum esse in confessione, an quis cognoverit matrem, filiámve suæ sponsæ de futuro juxta Tamburinum: cujus tamen contrarium etiam probabile esse tuebimur *loco citato.*

38. Adde insuper, gradus affinitatis specie differre à gradibus consanguinitatis in genere moris; quia conjunctio cum consanguineis notabiliter differt, utpote orta ex descendentia ab eodem stipite, à conjunctione cum affinibus, quæ solùm oritur ex copula carnali cum consanguineis alterius: quare in confessione exprimi debet, an quis cum consanguinea, an cum affine peccaverit, quidquid id non omninò improbabiliter neget idem Tamburinus: cujus ratio est, quòd in utroque sit eadem specie deformitas, nempe contra reverentiam debitam conjunctis, licèt una deformitas sit levior alterâ: & hoc etiam locum habere vult in cognatione legali comparatâ ad consanguinitatem & affinitatem; non verò in his tribus relatis ad cognationem spiritualem. Verùm quamvis in his minùs probabiliter sit locutus, satis tamen probabiliter docet, gradus con-

consanguinitatis inter se, sicut & affinitatis, specie non differre; quia hi nihil aliud inferunt nisi majorem vel minorem conjunctionem in eadem ratione; magis enim & minus præcisè non variant speciem, nisi aliunde probentur habere difformitatem ad rectam rationem seu legem Dei æternam notabiliter diversam; quod hîc reperiri satis probabiliter negat Tambur. cum aliis; quidquid alii non minùs probabiliter contrarium asserant; imò probabilius, saltem de primo gradu in ordine ad cæteros; de quo dubitare videtur N. Urbanus *tract.* 1. *cap.* 46. Legatur circa hoc Dian. *p.* 11 *tract.* 8. *resol.* 63. ubi de novo docet omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis inter se non differre specie, adeoque sufficere si dicatur, commisi incestum cum consanguinea, licèt quis propriam matrem; vel cum affini, licèt matrem uxoris suæ carnaliter cognoverit. Idem adhuc antea docuerat *tract.* 7. *resol.* 34. circa medium.

39. Dico secundò, stuprum est violatio virginis ipsâ invitâ; quare continet gravem malitiam injuriæ. Dixi *ipsâ invitâ*; quia si consenserit; probabiliùs non est stuprum; nam scienti & volenti non fit injuria. Neque quidquam eo casu ei restitui debet, nisi vi vel dolo esset inducta ad consensum: in foro tamen externo solet ordinariè præsumi pro illa. Deinde nihil refert quòd sit sub potestate parentum; nam ipsa nihilominùs est domina usus sui corporis: unde quòd virgo consentiens violetur invitis ejus parentibus, non inducit malitiam stupri: si tamen corruptor vel virgo quæ corrumpitur præviderent magnum mœrorem, vel infamiam parentibus, vel familiæ inde oriundam, vel injurias, lites &c. peccarent graviter contra charitatem, ac reverentiam parentum: non tamen ideo dicendum esset eos committere stuprum; quia etiam hæc possunt oriri ex copula cum corrupta. Ex his

40. Colliges, peccata delectationis, & desiderii venerei complendi cum virgine (& idem est de similibus malis desideriis ipsius virginis) non participare malitiam stupri, adeoque nec circumstantiam virginitatis explicandam esse in confessione, nisi id etiam per vim obtinere quis desideraret. Unde ab his interrogationibus meliùs abstinent Confessarii se huic nostræ probabiliori sententiæ conformantes; & aliàs putant pœnitentes interrogationes in similibus circa circumstantiam virginitatis ex mera curiositate fieri: atque hanc nostram sententiam defendunt Less. Sanch. Navar. Vasq. Urban. Tambur. Busenb. & alii.

Sed quid dicendum de eo, qui vim vel dolum in corruptione virginis adhibuit?

41. Respondeo, illum teneri ad compensationem omnium damnorum, vel eam ducendo in uxorem, vel dotando, ut non pejùs nubat, quàm si foret integra: quod ultimum si fiat absque eo quòd ullam dotem à corruptore recipiat, ad nihil tenetur: quia ipsa tunc nullum damnum temporale ex corruptione patitur. Deinde si quis illam, quam vi vel dolo cognoscit, deprehendat non esse virginem & copula sit occulta, ad nihil etiam tenetur: sin minùs, tenetur restituere, ut nubat quasi fuisset virgo, si nempe antea pro virgine habebatur: atque in foro externo præsumitur pro virginitate, ita ut stupratori contendenti coram Judice incumbat onus probandi, illam fuisse prius corruptam; prout rectè notat Gobat *in Alphab. matrim. par.* 2. *casu* 5. *num.* 211. Adde à Doctoribus communiter sub vim inferente comprehendi eum, cui petenti virgo non audet contradicere ex timore vel verecundia tanta, ut æquent vim

vim tollentem libertatem sufficientem ad validum contractum virginis; ut v.g. si petens sit princeps, vel dominus. Aliter tamen sentiendum est, quando simpliciter intercesserunt preces, etiam importunæ, absque metu mali alicujus intentati, eò quòd tunc relinquatur perfecta libertas, cum preces tales possint facilè repelli, sustinet post multos idem Gobat *num.*213.

Petes primò, quid dicendum sit de eo, qui promisit matrimonium virgini, quam corrupit?

42. Resp. ipsum teneri illam ducere, etiamsi tantùm fictè matrimonium promisisset. Ratio est, quia & fictè promittendo fecit contra jus virginis, quare tenetur eidem satisfacere per effectum veræ promissionis. Ita probabilior & communior tenet sententia; si verò intercedat impedimentum dirimens matrimonium, tenebitur illam dotare. Adverte tamen, eum non teneri illam ducere, si ex circumstantiis personæ promittentis, vel ipsius promissionis virgo facilè colligere potuerit, eum tantùm fictè matrimonium promittere; prout v. g. fieret si esset hic status longè altioris quàm ipsa. Ita sustinet Cornejo *tom.*2. *tract.*6. *disp.*2. *dub.*5. *resol.*3. etiamsi puella ignorarit illum excessum, & animus fallendi minimè prudenter ab ea præsumi potuerit: quod alii non admittunt. Tenebitur interim eam dotare. Insuper non tenetur etiam ad matrimonium, quamvis illud verè promisisset, si ex tali matrimonio prævideantur secutura gravia damna, vel scandala: in quo casu tamen tenetur promittens ad aliam compensationem. Similiter excusatur ab onere restitutionis, & multò magis ab obligatione eam ducendi in uxorem, si ipsa post promissionem cum alio fornicetur; quia tunc ipse potiùs decipitur quàm decipiat. Neque etiam ad dictam obligatur restitutionem si virgo vel parentes ejus nolint acceptare matrimonium post factam corruptionem; quia præter matrimonium nullam aliam compensationem promisit ut suppono. In his omnibus nobiscum convenit Gobat *loc. supra cit. à num.* 230. ubi illa ferme eodem ordine reperies. Quibus adnectit casum sequentem hic non omittendum: Titius adolescens tres virgines paris conditionis sub ficta promissione conjugii corrupit; quæritur ad quid teneatur? Gobat respondet ex Lessio, primò Titium teneri ducere primam, si hæc fraudem advertere nullo modo potuit: nec tenetur ducere secundam, vel tertiam, licèt contingat illum transigere, id est aliter rem componere, cum prima. Quod si prima potuit facilè advertere fraudem, & non secunda, tenetur ducere hanc &c. Respondet secundò, in casu, quo tenetur ducere primam, teneri cæteris de damno, si quod secutum occasione hujus fictæ promissionis: & in dubio, an damnum sit secutum, tenetur inquirere eo modo, quo potest, & debet in re magni momenti. Ita illi. Verùm non video, quomodo ille adolescens non teneatur ducere secundam si transigat cum prima: si enim prima moreretur, vel sponte cederet juri suo, videtur certò obligari ducere secundam, sicuti in casu, quo prima potuit advertere fraudem; quare ergo non in omni casu, quo cessat jus primæ, & consequenter dum est huic aliunde satisfactum. Certè uterer hic verbis ipsius Gobat *num.*231. *Sane merentur hi spurci ardeliones, ut de sua malitia non solum nullum commodum reportent* C. intelligimus de judic. *sed incommodum hoc referant*: quæ ipse adfert contra eum, qui solùm unicam virginem sic decepit.

Petes iterum, quid si promittens matrimonium ligatus sit simplici voto castitatis, vel ingrediendæ Religionis, aut si

 sit

sit consanguineus, aut affinis virginis, quam corrupit?

43. Respondeo, duos primos non teneri ad nuptias; quia observatio voti, etiam simplicis, magis obligat, quàm promissionis. Ita probabiliùs plures sustinent; licèt oppositum non sit improbabile, eò quòd hìc non sit promissio simplex, sed valde onerosa. Respondeo insuper consanguineum & affinem raro ob dictam promissionem teneri petere dispensationem, nisi possent eam facilè obtinere, vel nisi se expressè ad id obligassent: quòd si tamen suam consanguineam, vel affinem virginem decepissent dicendo consanguinitatem &c. non impedire matrimonium, vel cognovissent eam id invincibiliter ignorare, tenerentur eam dotare, ut tam bene nubat ac si esset integra.

Petes denique, an puella, quæ per stuprum opprimitur, vel impudicè per vim attingitur, teneatur clamare ut nō peccet?

44. Resp. ut non peccet coram Deo mortaliter, sufficit, ac debet obniti & consensum interiorem non præstare, licèt aliquam delectationem (quæ videtur necessariò esse conjuncta copulæ carnali, etiam habitæ per violentiam) percipiat, modò in eam non consentiat: quoad forum verò externum, illa præsumitur consensisse, nec vim passa esse, quæ existens intra civitatem non clamat, neque opem petit, nisi fortè constet, eam ab hoc fuisse impeditam per occlusionem oris &c. Sed quid si volens illam opprimere strictô gladiô mortem intentet, ni morem gerat? Illa nec tunc potest metu mortis consentire: quia neque hic metus tollit voluntarium simpliciter, licèt hoc nonnihil imminuat: ergo nec tollit malitiam actionis intrinsecè malæ. Ita ex communi Burghaber *Centur.* 1. *casu* 30.

§. IV.

De raptu, & vitio contra naturam.

45. Dico primò, raptus est abductio alicujus personæ ipsà invità, vel resistentibus ejus parentibus, curatoribus, vel illis, sub quorum cura est, per vim ad libidinem explendam, vel matrimonium ineundum: quare superaddit gravem injuriæ malitiam simplici fornicationi. Est formalis raptus sive abducatur virgo sive corrupta, conjugata sive soluta: imò sive sit vir sive mulier, ut communis habet sententia: quamvis tamen (ut bene docet Sanchez) minor sit injuria si fœmina rapiat virum. Neque hæc raptrix subjacet pœnis raptorum; quia lex has pœnas injungens solius viri rapientis fœminam mentionem facit: neque fœmineum sub masculino clauditur, præsertim in odiosis & pœnalibus. Insuper non erit raptus si fœmina in sua domo opprimatur, quamvis de uno in aliud cubiculum trahatur ab opprimente, ut eà tutiùs abutatur. Ita Bonac. Item si quis discedat cum amasia consentiente, insciis & invitis parentibus, non committit propriè raptum, nec consequenter incurrit hujus pœnas, ut docent Dian. Less. Filliu. Lugo, & Urbanus: qui ultimus addit, talem abductionem raptum esse coram Ecclesia & in foro externo; quia hujusmodi abductiones, inquit, omninò sunt prohibitæ & damnabiles.

Quænam verò sint raptorum pœnæ, & quandonam raptus impediat matrimonium

nium; habes in Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform. matrim.* Sufficiat notasse præcipuas eorum pœnas esse capitis, & amissionis omnium bonorum: item excommunicationis ipso facto incurrendæ, etiam à consulentibus, ac auxilium, aut favorem præbentibus.

46. Dico secundò, vitium contra naturam est voluntaria seminis effusio extra vas debitum; vel in vase quidem debito, sed indebito modo. Quatuor habet species, immunditiam, sodomiam, bestialitatem, & innaturalem concubendi modum. Immunditia (quæ alio nomine dicitur mollities sive pollutio) est quando absque concubitu ea effusio procuratur: circa quam

Petes primò quandonam pollutio sit peccatum, & quale?

47. Respondeo primò, esse peccatũ mortale, quoties quis eam procurat ex libidine: imò etsi eam procuret causâ sanitatis: quia adhuc talis directè consentit in pollutionem, quæ juxta Scripturam est mortale peccatum: potest tamen quis sumere medicinam ex se causativam sanitatis, licèt per accidens ex ea prævideatur secutura pollutio. Ita DD. communiter. Imò secundùm Arriag. si aliunde periculosa infirmitas vitari non possit, licebit resolutionem seminis in alium humorem procurare: item juxta Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 16. si semen judicio medicorum transivit in materiam venenosam, licitum est hanc per medicinam expellere, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis effusio, quod post Sanch. etiam docet Busenbaus. Verùm quidquid de his sit, semper consulendi sunt medici, ac prudentes Confessarii, quia res non caret periculo si quid temerè fiat in similibus. Nec puto ullô modô licere, dictam materiam venenosam expellere refricando partes verendas cum periculo prævisæ & non intentæ pollutionis, quamvis absit periculum consensus: ratio mea est, quia illa refricatio est causa proxima valde efficaciter & per se influens in pollutionem, qualis nunquam potest apponi. Accedit quòd illa refricatio sit proxima dispositio ad vehementem commotionem spirituum generationi inservientium, adeoque trahit secum periculum consensus in delectationem, quod proinde malè supponitur abesse. Ob has rationes meritò retractavit Thomas Sanchez sententiam nostrę oppositam apud P. Mendo in Statera benignarum opinionum *dissert.* 5. *quæst.* 4. *n.* 31. apud quem nihilominùs adhuc varii pro ea citantur.

Quærunt aliqui an pollutio in fœmina sit peccatum mortale; de quo tamen nullus dubitare potest, cum sacra Scriptura satis id indicet prohibendo omnem voluntariam pollutionem sub pœna exclusionis à regno Dei: & licèt probabile sit, semen fœminæ non esse necessarium ad generationem, est tamen ad eam valde utile: pro quo vide Loth. *tract.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2.

48. Resp. secundò, pollutionem secutam ex eo, quòd quis det operam rei illicitæ, ex qua propinquè nata est sequi, licèt non intendatur, esse mortale peccatum; ut v.g. si sequatur ex contactu turpi erga se vel alios, ex imaginatione rerum turpium cum delectatione &c. quia talis pollutio est absolutè volita in sua causa: si tamen tali rei ut v.g. simili contactui quis daret operam licitè, ut causâ medendi, pollutio inde secuta non esset peccatum; quia licitum est ob causam honestam & necessariam se exponere periculo, etiam proximo, cujuscumque rei, etiam mortaliter malæ; tunc enim non temerè, sed prudenter quis se illi exponit. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.* 10. *art.* 9. & cæteri cum ipso communiter.

muniter. Nec obstat commune axioma, *qui amat periculum peribit in illo*; quia in dicto casu non amatur periculum peccati, sed ingens illud bonum, ad quod sinè illo periculo perveniri non potest; unde sperari potest quòd Deus majus auxilium impendet per Divinam suam providentiam & misericordiam. Neque refert, quòd periculum proximum peccati mortalis (quae in tali casu reperitur in medico, consentiendi nimirum in morosam delectationem & ipsam pollutionem) sit majoris ponderis, quàm periculum mortis in fœmina, cum prius sit grave malum spirituale, posterius tantū corporale: nō refert, inquam, quia imprimis tollendo malum corporale fœminæ tollitur & spirituale, quatenus scil. removentur proxima pericula impatientiæ, desperationis &c. quæ essent si nullus illam vellet curare dum posset. Deinde malum corporale fœminæ est certum, spirituale autem medici incertum, cum per præparatam gratiam Dei adhuc possit vitari: accedit etiam quòd illud, utpote mors corporalis, sit malum irreparabile, hoc verò per pœnitentiam reparari possit.

49 Resp. tertiò, dum quis dat operam rei illicitæ, ex qua solùm remotè sequitur pollutio, pollutio secuta non est nisi veniale peccatum, si non fuerit intenta; ut si sequatur ex guloso esu eduliorum nimis calidorum, ex nimio potu, ex eo quòd quis nimis petulanter se exerceat in equitatione &c. licèt sciat quandoque, vel etiam sæpè sibi inde evenire pollutionem, modò absit periculum consensus in eandem: idem dic de secuta ex speciali situ in lecto, quamvis fuerit prævisa. Horum ratio est, quia pollutio ex dictis sequens non censetur nisi imperfectè volita in talibus causis: quod idem etiam juxta aliquos probabiliter dici potest de pollutione secuta ex causa venialiter tantùm mala in materia venerea, ut v.g. ex aspectu nimis curioso fœminæ, ex verbis amatoriis cum ipsa habitis, ex nimis affectuoso illius amplexu, licèt aliàs honesto, &c. debet tamen semper abesse intentio pollutionis & periculum consentiendi in illam secutam. Ita Bonacin. Sanch. Henriq. Dian. Sylv. Bassæus & alii. Ratio est, quia etiam hujusmodi causæ tantùm leviter concurrunt ad pollutionem. Ex his omnibus concludi potest, satis probabiliter juxta aliquos, nullum actum habere malitiam mortalem, eò quòd sit pollutionis prævisæ & non intentæ causa, nisi sit in seipso mortalis contra sextum præceptum non mæchaberis: quia soli tales actus censentur notabilis causa pollutionis. Ita tenent auctores statim citati. Videatur P. Mendo in Statera sua *dissert*. 5. *quæst*. 2. ubi accuratè hanc materiam tractat, cum quo non audeo hoc ultimum admittere: quia cum actus venialiter mali in materia luxuriæ, ex se tendant ad delectationem veneream, eam ut proprium effectum respiciant, atque in ipsam influant; quin alium effectum magis proprium non possint habere, nisi apponatur ex intentione extrinseca illos exercentis, non aliâ ratione prævidetur in ipsis pollutio, nisi quia est effectus ipsorum: quod sit aliter in pollutione per accidens secuta ex equitatione, & aliis de quibus parùm ante.

50. Resp. quartò, qui dedit causam culpabilem pollutioni, & antequam hæc fuerit subsecuta, legitimè pœnituit causæ datæ, non peccat dum postea subsequitur pollutio: & si antea fuerit confessus causam datam, non tenebitur postea subsecutam pollutionem confiteri; quia non conjungitur ampliùs moraliter cum causa mala, adeoque nō est peccatum. Ita Sanch. Henriq. Rodrig. Bass. & alii.

Petes

Petes secundò, an sit unquam licitum desiderare pollutionem, vel de ea habita gaudere?

51. Respondeo primò, non esse licitum desiderare pollutionem, aut de ea habita gaudere causâ voluptatis, etiamsi sine culpa accidisset; hoc enim esset in illam consentire: neque etiam licitum est eam alio fine desiderare, si ex vi illius desiderii disponatur, aut incitetur ipse desiderans ad illam habendam; quia tale desiderium esset causa illius. Tamen

52. Resp. secundò, desiderare pollutionem simplici affectu causâ alicujus effectus boni ei conjuncti, ut causâ extinguendæ tentationis, aut corporis sanitatis obtinendæ, non est peccatum: quia tale desiderium nec est causa pollutionis, nec fertur in malum, sed in opus per se indifferens relatum in bonum finem; desideretur enim pollutio, quæ fiat viâ naturali per causas à natura constitutas sinè ulla cooperatione libera: quapropter de ea ut sic facta etiam licitum est gaudere; nam quod licitè desideratur ut fiat, de eo etiam facto licitè quis gaudet. Ita Dian. Ferna. Bass. & Sanch. *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 17. citans & alios viginti duos: quibus adhuc se opponunt Sylv. Laym. Valent. & Sotus; quorum ratio est hæc, quia quod licèt desiderare, fas est etiam procurare ut fiat, saltem per alios, ajunt; jam autem certum est pollutionem procurari non posse. Verùm hoc tantùm locum habet in iis, quæ propter se & secundùm se desiderare licèt, non verò in iis, quæ tantùm licitum est desiderare causâ alicujus boni effectus inde secuturi, ut videre est in casu quo rex verè legitimus administrat Rempublicam cum plurimorum ruina: tunc enim affectu simplici desiderare ejus mortem ob bonum commune Reip. aut de ea secuta sic gaudere, vacat omni culpa; cùm tamen minimè liceat inferre ipsi mortem: & sic de multis aliis.

Petes tertiò, quale peccatum sit pollutio voluntaria causata per tactus inter maritum & uxorem?

53. Respondet Diana cum Dicast. illam esse peccatum majus quàm inter solutos, utpote præter malitiam peccati contra naturam insuper continens malitiam adulterii tam ex parte viri quàm uxoris consentientis, tenerique illos in confessione exprimere utramque circumstantiam adulterii: additque cum Sanchez etiam eos explicare debere illud peccatum esse commissum cum uxore vel marito proprio. Prima pars, quòd scil. sit majus peccatum quàm inter solutos, constat ex secunda, quam sic probat; quia neuter conjux servat alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei pertinet, neque enim alter alterius conjux est ad illum actum, sed ad naturalem. Tertiam partem hoc modo probat, quia si diceretur hoc peccatum commissum cum persona conjugata in genere, explicaretur gravis injuria adversus conjugem illius personæ, cùm tamen nulla talis interveniat. Hæc & alia habet Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 36.

Petes quartò, quid dicendum de pollutione nocturna sive in somnis habita?

54. Respondeo, eam secundùm se nunquam esse peccatum; quia non est voluntaria: potest tamen esse peccatum, etiam mortale ex causa antecedente, si videlic. hæc posita sit tempore vigiliæ ex intentione habendi pollutionem tempore somni, vel si prævisum fuerit, illam secuturam ex causa mala in materia luxuriæ voluntariè posita, pro quo vide dicta *num.* 49. Item ex eo quòd quis evigilans in eam consentiat, vel de ea habeat delectationem veneream. Cæterùm ordinariè pollutio in somnis habita vel vacat omni culpâ, vel non

est nisi veniale peccatum. Neque tenetur quis eam in somno inceptam absque sua culpa, jam expergefactus impedire si absit periculum consensus in voluptatem, sed potest permittere sanitatis causâ ut natura se exoneret; quia id non est procurare sed pati ut effluat id quod aliàs corruptum sanitatem læderet. Ita post Sanch. docet Busenbaus.

55. Sodomia, alia species peccati contra naturam, est copula carnalis habita inter homines ejusdem sexus; vel si sit inter homines diversi sexus, in qua non servatur debitum vas. Hæc ultima est tantùm sodomia imperfecta, & minùs propriè dicta. Multæ & gravissimæ pro hoc vitio sunt statutæ pœnæ, tam jure civili, quàm ecclesiastico, tam pro sæcularibus, quàm pro clericis: pro quibus vide Sanch *in sum. lib.2.cap.22.* Variatur sodomia specie si exerceatur cum conjugato, consanguineo, si vis adhibeatur, si fiat à persona astricta voto castitatis; unde hæ circumstantiæ sunt in confessione exprimendæ. Adde tamen per sodomiam incestuosam v.g. non incurri pœnas latas contra incestum; quia tales pœnæ tantùm feruntur contra incestum propriè dictum, qui solùm committitur per copulam naturalem. Insuper etiam adverte, juxta quosdam non satis esse dicere, sodomiam exercui, sed necessariò explicandum esse, an fueris agens vel patiens; agens enim pollutionem committit, quam non committit patiens, saltem ut talis. Verum contrarium docet Diana *p.11.tract. 1.resol.* 11. ubi pro se citat septemdecim DD. addens paucos docere oppositum: ratio autem ipsius est, quia agens & patiens concurrunt in sodomia ad idem scelus & ad eandem pollutionem, & copulam per modum unius causæ; sicut enim, inquit, conjugatus & soluta, vel solutus & conjugata peccantes ambo per modum unius causæ concurrunt ad frangendum matrimonii legem, adeoque eandem speciem adulterii contrahunt, ita agens & patiens sodomita &c. Ita Diana; addens insuper agentem non debere explicare an fuerit pollutus; quia pollutio non addit novam speciem malitiæ suprà copulam sodomiticam, sed est pars copulæ. Hæc omnia sunt retinenda diligenter à Confessariis; quia, utpote saltem probabilia, possunt ipsos juvare, ut se excusent à multis interrogationibus, quæ alioqui in his, & similibus faciendæ essent, & ut plurimum à pœnitentibus judicantur fieri ex curiositate. Vide eundum Dian. *ead.p.* 11. *tract.3.res.*4. ubi denuo idem defendit contra Lugo, ac Leand. & Franciscus B. Spei *sua Noctua dub.6.append.*4. etiam expresse docet, in sodomia agere & pati non differre specie: contradicens tamen Dianæ in eo, quòd hic velit, agentem non teneri explicare pollutionem eò quòd hæc sit pars copulæ; quidquid tamen & ipse eum excuset ab ea explicanda explicitè, quia communiùs actum hunc comitatur. Vide eundem Franc. *de act.hum.disp.* 10. *num.*126. ubi addit, pollutionem patientis sodomiam, cùm specie à sodomia distinguatur, exprimi debere; nisi dicatur eam sileri, quia etiam ordinariè concomitatur.

56. Bestialitas est carnalis commixtio cum re animata alterius speciei, ut cum bruto vel dæmone. Species bruti cum quo habita est exprimi non debet, nec item an fuerit bos vel vacca; quia hæc non mutant bestialitatem nisi materialiter. Exprimendum tamen est an cum bruto an cum diabolo contigerit: quia hoc peccatum cum diabolo perpetratum plerumque superaddit malitiam superstitionis, ac semper irreligiositatis, inquantum est commercium cum Dei & omnium nostrûm infe-

estissimo inimico: item exprimi debet, dæmon fuerit sub forma fœminæ, an i, aut sub forma talis conjugatæ vel tamonialis, tuæ consanguineæ &c. quia ic præter bestialitatem additur affectus talem personam. Ita Tambur. post alios.) maximis pœnis bestialitatis, vide Aures suprà citatos.

57. Innaturalis concubendi modus deue, est dum servatur quidem sexus de-is, & vas debitum, sed immutatur moà natura determinatus; ut si vir sucobat &c. Inter conjugatos non est nisi catum veniale, quamdiu abest pericu-i effundendi seminis extra vas debitum; turque mulier juxta Sanch. *lib.* 9. *disp. num.* 3. quoad modum illum viro ace-scere, licèt ipse eum veniali culpa a exigat: quod idem sentit Escob. apud Dian. *p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 41. qui & eorum sententiæ subscribit. Adde, si adsit aliqua necessitas similem modum hic & nunc exercendi, nequidem esse veniale illum exigere: erit tamen mortale si dictum periculum subfuerit, vel periculum aliud impediendæ generationis. Per innaturalem concubendi modum Tamburinus intelligit sodomiam imperfectam; unde in ipsius acceptione semper est peccatum mortale: ast nos sodomiam imperfectam cum cæteris meliùs ad sodomiam in genere reduximus. Vide circa hæc P. Franc. suprà *disp.* 10. *num.* 96. ubi per plures Appendices aggreditur Caram. cujus varias perniciosas sententias efficaciter improbat. Et *Append. ult.* ponit remedia contra luxuriam.

§. V.

De Sacrilegio.

Dictis sex luxuriæ speciebus additur sacrilegium, quod duobus lis committitur: primò dum persona ui Divino deputata violatur, ut est re-sus professus, religiosa, constitutus in ne sacro, & qui vel quæ votum castiemisit. Ubi adverte, probabiliter non explicandam necessariò solemnitatem, sed sufficere si dicatur, *ego ligatus voto atis peccavi contra castitatem tali pecca-* quod & verum est, licèt quis duplici o sit sacratus, ut quia est religiosus & il sacerdos; est enim ejusdem speciei tia, cum votum unum, sive simplex sit solemne, eandem virtutem religionis è respiciat quàm plura; atque hanc otiam absoluté sustinent Sanch. Dian. ibur. & alii. Adde secundùm eundem Tamb. post dictum Sanch. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 6 *num.* 10. eum, qui ligatus voto castitatis inducit alios voto solutos ad peccandum contra castitatem, probabiliter non teneri explicare in confessione circumstantiam voti, eò quòd hoc non videatur se extendere nisi ad obligandum voventem ne ipse in persona propria castitatem violet; hanc enim in se quidem servare promisit, non tamen in aliis. Ita illi.

59. Alio etiam modo sacrilegium in hac materia committitur dum violatur locus sacer; quo nomine venit sola Ecclesia cum cœmiterio: si tamen contingeret virum & uxorem necessariò diu in templo commorari debere, ut se salvent contra hostem v.g. tunc per eorum copulam templum

plum non violaretur, nec consequenter sacrilegium committeretur; quamvis & tunc consultiùs sit abstinere, si absit periculum incontinentiæ, vel saltem alia loca, ut turrim, sacristiam &c. ad hoc quærere. Ita DD. communiter; quidquid varii, quos citat & sequitur Dian. *p.* 11. *tract.*8. *resol.* 34. doceant, probabiliter non esse sacrilegium, nec consequenter mortale, si conjuges habeant copulam in Ecclesia, etiam extra casum necessitatis; quia sicut Ecclesia non polluitur nisi per effusionem sanguinis illicitam, ita nec per effusionem seminis licitam: sic illi. An verò per pollutionem voluntariam Ecclesia violetur? Variant Auctores: mihi probabilior est sententia affirmativa, cùm tunc fiat vera seminis voluntaria effusio, & quidem illicita; quare eo casu circumstantia loci exprimenda erit, prout & actus erit verum sacrilegium: quod idem absolutè dicendum est de eo, qui voluntariè in templo consentit in aliquod opus luxuriæ completum licèt opus non sequatur, si ejus voluntas feratur in circumstantiam loci sacri, ut si v. g. esset paratus istam voluntatem exequi in loco sacro si occasio adesset.

60. Cæterùm, ut bene Urbanus *tract.* 1. *cap.* 46. sacrilegium non incurritur contra castitatem per peccata merè interna solius loci sacri ratione habita; quia loci sanctitas, cùm jure canonicò tantùm violetur, actum externum requirit. Imò Tamburinus (licèt contra communiorem & probabiliorem, ut & ipse fatetur) vult Ecclesiam probabiliter non violari, nec consequenter sacrilegium committi per pollutionem, vel copulam illicitam occultè in Ecclesia habitam, quod & alii probati DD. docent apud Dian. *p.* 11. *resol.* 34. *citatâ*, quibus addo Burghaber *Centur.* 3. *casu* 58. atque horum rationes Diana vocat manifestas: subditque publicum in hac re dici, quod vel ipsâ confessione rei in judicio, aut evidentiâ facti in multorum notitiam devenit, & est quasi diffamata Ecclesia, & denigrata ejus reverentia: unde si duo aut tres, vel pauci homines scirent pollutionem, aut emissionem seminis in loco sacro admissam, adhuc neque egeret reconciliatione, neque esset speciale sacrilegii peccatum. Hæc omnia Diana: quæ saltem in perplexitate aliquem juvare poterunt; ut dum v. g. solus Parochus novit ejusmodi factum, ipse se huic sententiæ conformare poterit, cùm aliàs hæreret perplexus; nam non posset sine turbatione omninò à celebrando abstinere in ea Ecclesia, nec posset curare ut reconcilietur, cùm nequeat factum probare; neque etiam securè in ea posset celebrare sicut antea, quia semper dubitabit an hìc & nunc sit sufficiens necessitas celebrandi in Ecclesia polluta. Insuper idem Dian. *p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 58. asserit DD. communiter docere, ad violationem Ecclesiæ non sufficere, quòd in Ecclesia effluat una aut altera gutta seminis, quia hæc non venit nomine effusionis seminis. Insuper *resol.* 59. sustinet cum plurimus, Ecclesiam violatam remanere reconciliatam, & consecratam si aliquis sacerdos in ea consecrarit; ex quo cum Tambur. deducit probabiliter, si sacerdos diceret Missam in calice non consecrato, eum remanere consecratum. Circa Ecclesiæ reconciliationem vide eundem Dianam eâdem *p.* 11. *tract.* 8. *resol.* 23. ubi inter cætera varios DD. adfert, asserentes, Prælatos Regulares posse per se suas Ecclesias violatas reconciliare. Ex supradictis

61. Colliges, satis probabile esse, Ecclesiam non violari per oscula, tactus, & similia, etiam publicè in Ecclesia habita sine seminis effusione; quæ non sunt ex hoc capite

:e sacrilega: si tamen quis ea in loco
) exerceret cum magna Ecclesiæ irre-
ntia, ut si quis meretricem publicè
altare impudicè tangeret, si in tem-
lascivas comœdias repræsentaret &c.
legii scelus in sua propria specie com-
eret, etiamsi hoc humanitùs non fo-
rohibitum; nam id esset gravis irre-
ntia cultui Divino facta, atque adeò
s summi Dei notabilis injuria. Ita
ıbur.

'etes hîc fortè, ad quam speciem
riæ reducatur abortus voluntarius?

2. Respondeo, eum reduci ad vitium
ra naturam: & dico matrem nullo
o, etiam ad sui conservationem, posse
tum procurare si proles animata sit:
Auctor naturæ sibi soli jus in fœtum
vavit: si tamen medicina posset con-
re ad salutem matris aliâ viâ, quàm
ındo abortum, ita ut tantùm per
lens fortè sit secuturus abortus, posset
r. eam sumere directè ex motivo sa-
is, saltem si fœtus needum sit anima-
ta DD. communiter. Imò licèt esset
atus, si aliàs de matris sanitate despe-
; quia equidem moriente matre fœ-
cessariò morietur; unde ei potiùs
medicina est favorabilis quàm inju-
, cùm matre sanatâ possit fœtus su-
vere; quamvis fortè per accidens sit
urus abortus. Dicitur autem com-
ter fœtus animari post quadraginta,
raginta quinque, vel quinquaginta
Insuper dico, fœminam conjugatam
modo posse expellere semen viri
ost concubitum ad vitandas partus
ıltates, ne graventur prolibus &c.
nec virginem, aut adulteram ad
um suum honorem, nisi sint vi op-
:; tunc enim fortè probabiliter id
ebit immediatè post coitum, ut vult
Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 22. num.* 13.
quia, inquit, in eo casu censentur se de-
fendere contra injustum invasorem mo-
raliter adhuc invadentem per semen suum.
Verùm id non nisi valde rarò potest ha-
bere locum in adultera, quæ potest per
petitionem debiti à suo marito infamiam
facilè evitare.

Petes iterum, an in speciebus luxuriæ
possit dari ignorantia invincibilis?

63. Respondeo, id vix fieri posse apud
Christianos in fornicatione, aut aliis spe-
ciebus consummatis; nam sufficienter de
his omnibus instruuntur, præsertim hôc
nostro ævo, & in his partibus; ac deinde
ipsa recta ratio dictat, sicut & pudor à
natura inditus, quòd oporteat à similibus
abstinere. Dico *vix*, & non omninò ab-
solutè; quia (ut bene notavit Marchan-
tius *in suis Resol. Pastor.*) fortassis aliquis
rudis rusticus, dum videt in urbibus pu-
blicè meretrices permitti, putansque esse
licitum quidquid est permissum, posset
ignorare, ad meretricem accedere, esse
mortale peccatum, si ea de re nunquam
fuerit instructus, maximè ubi videret
illud esse adeò commune, ut vix pro
peccato reputetur, ut quidam de aliqui-
bus locis Italiæ tradunt. Verùm quid-
quid sit de fornicatione, puto frequen-
tiùs id posse contingere in peccato mol-
litiei, seu pollutionis voluntariæ, quam-
vis hoc sit peccatum majus fornicatione:
quod fortè potuerunt advertere qui diu
audiendis confessionibus vacarunt, præ-
sertim rusticorum: & nominatim Mar-
chan. testatur se plures rusticos reperisse,
qui id nunquam confessi fuerant in sua
juventute, aientes se nunquam ea de re
sibi conscientiam formasse, nec fuisse in-
structos. Additque idem inter conjuga-
tos adhuc reperiri, qui existimant, absen-

te conjuge sibi licitos esse illos contactus, quibus seipsos polluunt. Hæc Marchant. de rusticis; an idem locum habere possit in iis, qui in civitatibus degunt, norunt illi, qui eorum confessionibus audiendis sæpè implicantur. Interim, si verum sit, quòd prædicti nunquam aliquid audiverint in oppositum, neque aliunde unquam de gravi malitia, quæ inesse posset, dubitarint (in quibus iis fides adhibenda est) non video cur dici nequeant invincibiliter id ignorare: prout id absolutè dicit Burghaber *Centur.* 1. *casu* 97. post Arriagam, & alios. Quare posset Confessarius similes non obligare ad reiterandas suas confessiones.

64. Addo tamen securius esse, eos ad id inducere; quia difficile est judicare, an talis ignorantia fuerit omninò invincibilis: unde monentur Pastores, Confessarii, Concionatores & Catechistæ à Marchantio, ut de his rudem plebem pro occasionis opportunitate erudiant: quod tamen cum dexteritate fieri debet, ut colligitur ex statim dicendis. An licitum sit permittere publica lupanaria & meretrices? Commodiùs dicetur alibi. Hîc solùm pro horum omnium complemento

65. Adverte ex Urbano *tract.* 1. *cap.* 46. satius esse Confessorem esse parcum in omnibus dictis vitiis discutiendis; nam nimis immorari in hujus materiæ interrogationibus, tam Confessori quàm pœnitenti periculum creat, ac proinde debet se quàm citissimè ab eis expedire interrogando sola necessaria, nec descendendo nimis ad particularia; præsertim cùm (ut bene dictus Urban.) satis intelligatur gravitas, & species peccati, quantum necesse est ad Sacramenti essentiam, si dicantur actus præcipui talis peccati. Imò Conink *disput.* 7. *de Sacrament. dub.* 7. *num.* 56. non veretur apponere verba sequentia, *Præstat aliquando sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi vel sibi aliquod scandalum creare.* Vide etiam Filliuc. Angel. Homob. & alios citatos à Tamburino. Quare quòd præcedentia peccata ab aliquibus tam minutim sæpè explicentur, & à nobis per plura, quàm alia peccata hîc tacta sint, solùm est; tum quia frequenter casus non ita obvii & plerumque etiam difficulter ex generalibus principiis resolubiles occurrunt; tum ne continuò cogaris diversos Auctores consulere, quos legendo plùs te videris confundere ob eorum diversas sententias. Quæ hîc desunt circa peccata conjugatorum *in tract. de matrimonio* reperies. Cæterùm adhuc unum monent passim Auctores, ne videlicèt Confessarii aut alii quicumque unquam in vulgo de his luxuriæ speciebus discurrant, vel mentionem faciant ob rationem statim assignatam.

DUBIUM

DUBIUM QUARTUM.

De Invidia.

'Nvidia est tristitia de bono proximi .quatenùs minuit excellentiam invi- is ; unde est vitium oppositum chari- , quæ gaudet de bono proximi. Est 10 genere peccatum mortale, si sit erata circa grave alterius bonum: fit peccatum veniale defectu pleni con- ıs , prout accidit in imperfectis in- c motibus; vel ob levitatem mate-

7. Principales filiæ invidiæ sunt o- ı,detractio, susurratio,ac gaudium de › proximi : quæ omnia etiam sunt talia ex genere suo : ac de iis infra ıihil agemus suis in locis ; de odio ac lio circa malum proximi *in tract. de t.* de detractione verò & susurratio- ı *tract. de jure & just.* Hic solùm

8. Nota primò sæpè à pœnitentibus undi invidiam cum æmulatione; quæ em est tristitia de alieno bono , non :n quia alius bene habet, quod est in- ı ; sed quia ipsemet idem vel simile habet, quod ordinariè non est nisi a venialis : imò plerumque est lauda- si nimirùm versetur circa bonum ho- ım. Æmulatio (prout bene notat Mar- ıt.) frequens est inter homines ejus- artis ac professionis : quare dum hi itentur, se fuisse invidos, quòd alii plus vendant, plus proficiant &c. exa- ındum est à Confessario, an subsit ratio invidię, an verò tantùm sit æmulatio. Addo Burghaber *Centur.* 1. *casu* 88. post Lorca docere, etiamsi prædicti committant veram invidiam, eò quòd v.g. tristentur, quia hoc est commodum aliis, & ipsi inde negliguntur & patiuntur, non esse tamen nisi peccatum veniale : quia hoc non est absolutè dolere de bono alieno, sed quatenùs hoc sibi illum molestum effectum causat. Ac tunc ille Auctor solùm vult invidiam esse peccatum mortale, graviterque repugnare Charitati, dum quis ita vehementer bono proximi invidet, deque eo tristatur, ut ex illo affectu moveatur ad injustè removendum proximi bonum : Sed ego hoc non admitto, quia sic invidia non esset peccatum mortale ex suo genere. Interea

69. Nota secundò tristitiam de alterius bono, quatenus ex eo times nocumentum tibi vel aliis, vel etiam ipsi possidenti, ut si v. g. ideò maneat in occasione peccandi ; non esse invidiam, sed timorem, qui per se non est malus nisi modum excedat. Item tristitia de bono proximi quatenùs ipse indignus est id possidere, non est similiter invidia, sed indignatio, quę in se etiam non est mala, nisi fortè quis inde Dei providentiam arguat ; hoc enim esset peccatum mortale blasphemiæ si deliberatè fieret. Ita Cajet. & alii, quos sequitur Busenb. addens indignationem etiam mortalem esse, si quis per eam se, vel alios inducat ad imitandum malum.

DUBIUM QUINTUM.

De Gula, & Jejunio.

§. I.

Quid Gula, & quale sit peccatum.

70. Dico gula est inordinatus appetitus cibi & potus. Est ordinariè tantùm peccatum veniale, licèt mortale fiat dum quis ita inordinatè afficitur cibo aut potui, ut mallet potiùs transgredi præceptum graviter obligans, quàm ab iis abstinere; quod est ultimum suum finem in cibo & potu ponere, quodque & faciunt illi, de quibus ait Scriptura *Quorum Deus venter est.* Item adhuc gula mortalis est, dum dirigitur in finem mortaliter malum.

71. Inordinatio in dicto appetitu quinque modis contingit, juxta hunc versum.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præproperè, id est dum debita hora, non necessitate, sed voluptate prævenitur. *Lautè*, dum quæruntur cibi aut potus valde exquisiti quoad gustum. *Nimis*, quando committitur excessus in quantitate, sumendo plus quàm exigat necessitas. *Ardenter*, quando cibus & potus nimis avidè sumuntur non servando debitum modum. *Studiosè*, quando nimis accuratè præparantur cibi, vel condiuntur vina. Hi omnes modi ordinariè non inducunt nisi veniale peccatum; quamvis satis frequenter mortale committi possit per notabilem excessum tertio modo, sive per excessum in quantitate, dum nimirùm ille excessus causat gravem corporis infirmitatem, vel turbationem cerebri.

72. Vitii gulæ, duæ sunt species principales, crapula scil. quæ consistit in immoderata sumptione cibi, & ebrietas, quæ in sumptione potus superflui. Quoad primam

Petes fortè, an sit peccatum vesci carne humanâ?

73. Respondeo, esse peccatum mortale si fiat absque gravissima necessitate. Ita Cajet. Navar. Less. & cæteri communiter. Ratio est, quia hoc est contra instinctum naturæ id abhorrentis, repugnatque pietati defunctis debitæ, ut ait, Busenbaus: qui tamen addit, excusandos eos, qui id facerent causâ medicinæ, aliâve justâ causâ, v.g. extremæ famis in obsidione: in qua tamen necessitate constituti sic vitam conservare non tenentur. Ita ille. Addit Diana idem licere in casu, quo quis sub pœna mortis alteri esum carnis humanæ præciperet: quorum omnium ratio reddi potest ex Bassæo, quia caro humana mortua, est res inferior, licitumque est eam exponere feris vel avibus dilaniandam, quando vivi ob crimina sunt promeriti; cur ergo homo non posset ex ea sumere in dictis casibus necessitatis? Insuper licitum est secundùm Dian. haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum ad acquirendum vigorem corpori senili, ac causâ

isâ senectutis protogandæ, quod medi- inquit, vocant remedium singulare, nominatim Marsilius Ficinus. Et sic etiam idam apud Busenb. excusant illos lictores, qui, ut officium suum meliùs administrent, haustu sanguinis humani se animare cuntur; præsertim cum sanguis secundum multos non sit animatus.

Petes iterum, an excessus in cibo vel potu causans vomitum, sit mortalis?

74. Respondeo communius quòd non, quamvis etiam esset prævisus: si quis tamen ex gula sumptos cibos evomeret, ut se de novo ingurgitaret, juxta plures mortaliter peccaret: & reverà id involuit magnam difformitatem contra ipsam naturam, quidquid Burghaber *Centur.* 1. *casu* 64. velit, illam non esse tantam, ut inducat mortale peccatum, etiamsi quis id aliquoties faciat. Tu interim attende diligenter ad circumstantias: si enim id fiat coram aliis, grave scandalum committitur; ac si prædicta ingurgitatio cedat in grave sanitatis detrimentum, ac id potuerit ac debuerit prævideri, mortalis culpa certò incurritur; secùs si tantùm sit causa doloris capitis absque periculo ulterioris infirmitatis. Ita DD. communiter. Quoad secundam speciem gulæ sit

§. II.

De Ebrietate.

75. Ebrietas dupliciter sumi solet, pro defectu usus rationis inducto ex nimio potu, & sic est effectus ebrietatis potiùs quàm peccatum: & pro ipsa potatione nimia, prout propriè peccatum est, & definiri potest, excessus in potu usque ad privationem usus rationis. Est peccatum mortale si sit voluntaria directè, vel indirectè, ita nimirum bibendo, ut non curetur sive ebrietas sequatur sive non; vel in potu pergendo, per quem ebrietas secutura advertitur. Ita DD. communiter: & patet ex Script. *ad Galat.* 5. & 1. *Cor.* 6. ubi ebrietas dicitur excludere à regno Dei: cujus & rationem bene reddit Urbanus *tract.* 1. *cap.* 45. quia ebrius voluntariè se privat excellentiori hominis bono secundùm ipsius naturam, quod est usus rationis; idque viâ omninò turpi: imò valetudini nocet & familiæ: quod licèt fortè aliquando non contingat, id fit per accidens, quod non tollit peccatum. Pro locis verò, in quibus S. August. D. Thom. & alii in contrarium objici possent, vide Loth. *tract.* 18. *art.* 7. ubi omnibus satisfacit, dicens, suam ac nostram sententiam esse certam, prout modò etiam ab omnibus æstimatur. Adde similiter, peccatum mortale esse, scienter procurare inebriationem alterius; sicut enim seipsum inebrians sibi multùm nocet se privando rationis usu, ita notabiliter nocet alteri, qui alterum inebriat: quare qui ad æquales haustus provocat alterum, quem novit debiliorem se in potando, animo eum inebriandi, vel prævidens eum sic inebriandum, mortaliter delinquit, ut docet Wigg. *tract. de temper. cap.* 2. *dub.* 7. post alios communiter; colligiturque ex D. Thom. 2. 2. *q.* 150. *art.* 1. *ad* 7. Nec excusat hîc bonus affectus aut mos patriæ. Secùs tamen dicendum de eo, qui se vel alium inebriat, eò quòd non noverit qualitatem aut fortitudinem potûs, vel eò quòd non advertat

muniter. Nec obstat commune axioma, *qui amat periculum peribit in illo*; quia in dicto casu non amatur periculum peccati, sed ingens illud bonum, ad quod sinè illo periculo perveniri non potest; unde sperari potest quod Deus majus auxilium impendet per Divinam suam providentiam & misericordiam. Neque refert, quòd periculum proximum peccati mortalis (quale in tali casu reperitur in medico, consentiendi nimirum in morosam delectationem & ipsam pollutionem) sit majoris ponderis, quàm periculum mortis in fœmina, cum prius sit grave malum spirituale, posterius tantū corporale: nō refert, inquam, quia imprimis tollendo malum corporale fœminæ tollitur & spirituale, quatenus scil. removentur proxima pericula impatientiæ, desperationis &c. quæ essent si nullus illam vellet curare dum posset. Deinde malum corporale fœminæ est certum, spirituale autem medici incertum, cum per præparatam gratiam Dei adhuc possit vitari: accedit etiam quòd illud, utpote mors corporalis, sit malum irreparabile, hoc verò per pœnitentiam reparari possit.

49 Resp. tertiò, dum quis dat operam rei illicitæ, ex qua solùm remotè sequitur pollutio, pollutio secuta non est nisi veniale peccatum, si non fuerit intenta; ut si sequatur ex guloso esu eduliorum nimis calidorum, ex nimio potu, ex eo quòd quis nimis petulanter se exerceat in equitatione &c. licèt sciat quandoque, vel etiam sæpè sibi inde evenire pollutionem, modò absit periculum consensus in eandem: idem dic de secuta ex speciali situ in lecto, quamvis fuerit prævisa. Horum ratio est, quia pollutio ex dictis sequens non censetur nisi imperfectè volita in talibus causis: quod idem etiam juxta aliquos probabiliter dici potest de pollutione secuta ex causa venialiter tantùm mala in materia venerea, ut v.g. ex aspectu nimis curioso fœminæ, ex verbis amatoriis cum ipsa habitis, ex nimis affectuoso illius amplexu, licèt aliàs honesto, &c. debet tamen semper abesse intentio pollutionis & periculum consentiendi in illam secutam. Ita Bonacin. Sanch. Henriq. Dian. Sylv. Basslæus & alii. Ratio est, quia etiam hujusmodi causæ tantùm leviter concurrunt ad pollutionem. Ex his omnibus concludi potest, satis probabiliter juxta aliquos, nullum actum habere malitiam mortalem, eò quòd sit pollutionis prævisæ & non intentæ causa, nisi sit in seipso mortalis contra sextum præceptum non mæchaberis: quia soli tales actus censentur notabilis causa pollutionis. Ita tenent auctores statim citati. Videatur P. Mendo in Statera sua *dissert*. 5. *quæst*. 2. ubi accuratè hanc materiam tractat, cum quo non audeo hoc ultimum admittere: quia cum actus venialiter mali in materia luxuriæ, ex se tendant ad delectationem veneream, eam ut proprium effectum respiciant, atque in ipsam influant; quin alium effectum magis proprium non possint habere, nisi apponatur ex intentione extrinseca illos exercentis, non aliâ ratione prævidetur in ipsis pollutio, nisi quia est effectus ipsorum: quod fit aliter in pollutione per accidens secuta ex equitatione, & aliis de quibus parùm ante.

50. Resp. quartò, qui dedit causam culpabilem pollutioni, & antequam hæc fuerit subsecuta, legitimè pœnituit causæ datæ, non peccat dum postea subsequitur pollutio: & si antea fuerit confessus causam datam, non tenebitur postea subsecutam pollutionem confiteri; quia non conjungitur ampliùs moraliter cum causa mala, adeoque nō est peccatum. Ita Sanch. Henriq. Rodrig. Bass. & alii.

Petes

Petes secundò, an sit unquam licitum derare pollutionem, vel de ea habita dere?

51. Respondeo primò, non esse licitum derare pollutionem, aut de ea habita dere causâ voluptatis, etiamsi sine cul- ccidisset; hoc enim esset in illam con- ire: neque etiam licitum est eam alio desiderare, si ex vi illius desiderii dis- atur, aut incitetur ipse desiderans ad m habendam; quia tale desiderium esset sa illius. Tamen

52. Resp. secundò, desiderare pollu- nem simplici affectu causâ alicujus ctus boni ei conjuncti, ut causâ extin- ndæ tentationis, aut corporis sanitatis inendæ, non est peccatum: quia tale iderium nec est causa pollutionis, nec ur in malum, sed in opus per se indiffe- s relatum in bonum finem; desideretur m pollutio, quæ fiat viâ naturali per ısas à natura constitutas sinè ulla coo- atione libera: quapropter de ea ut sic ta etiam licitum est gaudere; nam quod tè desideratur ut fiat, de eo etiam facto tè quis gaudet. Ita Dian. Ferna. Bass. Sanch. *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 17. citans alios viginti duos: quibus adhuc se ponunt Sylv. Laym. Valent. & Sotus; orum ratio est hæc, quia quod licèt de- rare, fas est etiam procurare ut fiat, em per alios, ajunt; jam autem certum pollutionem procurari non posse. Ve- n hoc tantùm locum habet in iis, quæ pter se & secundùm se desiderare licèt, n verò in iis, quæ tantùm licitum est iderare causâ alicujus boni effectus in- secuturi, ut videre est in casu quo rex è legitimus administrat Rempublicam m plurimorum ruina: tunc enim affe- simplici desiderare ejus mortem ob bo- m commune Reip. aut de ea secuta sic idere, vacat omni culpa; cùm tamen minimè liceat inferre ipsi mortem: & sic de multis aliis.

Petes tertiò, quale peccatum sit pollu- tio voluntaria causata per tactus inter ma- ritum & uxorem?

53. Respondet Diana cum Dicast. il- lam esse peccatum majus quàm inter so- lutos, utpote præter malitiam peccati con- tra naturam insuper continens malitiam adulterii tam ex parte viri quàm uxoris consentientis, tenerique illos in confessio- ne exprimere utramque circumstantiam adulterii: additque cum Sanchez etiam eos explicare debere illud peccatum esse commissum cum uxore vel marito pro- prio. Prima pars, quòd scil. sit majus pec- catum quàm inter solutos, constat ex se- cunda, quam sic probat; quia neuter con- jux servat alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei pertinet, neque enim alter alterius conjux est ad illum actum, sed ad naturalem. Tertiam partem hoc modo probat, quia si diceretur hoc peccatum commissum cum persona conjugata in ge- nere, explicaretur gravis injuria adversus conjugem illius personæ, cùm tamen nulla talis interveniat. Hæc & alia habet Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 26.

Petes quartò, quid dicendum de pol- lutione nocturna sive in somnis habita?

54. Respondeo, eam secundùm se nun- quam esse peccatum; quia non est volun- taria: potest tamen esse peccatum, etiam mortale ex causa antecedente, si videlic. hæc posita sit tempore vigiliæ ex intentio- ne habendi pollutionem tempore somni, vel si prævisum fuerit, illam secuturam ex causa mala in materia luxuriæ volunta- riè posita, pro quo vide dicta *num.* 49. Item ex eo quòd quis evigilans in eam consen- tiat, vel de ea habeat delectationem vene- ream. Cæterùm ordinariè pollutio in som- nis habita vel vacat omni culpâ, vel non

est nisi veniale peccatum. Neque tenetur quis eam in somno inceptam absque sua culpa, jam expergefactus impedire si absit periculum consensus in voluptatem, sed potest permittere sanitatis causâ ut natura se exoneret; quia id non est procurare sed pati ut effluat id quod aliàs corruptum sanitatem læderet. Ita post Sanch. docet Busenbaus.

55. Sodomia, alia species peccati contra naturam, est copula carnalis habita inter homines ejusdem sexus; vel si sit inter homines diversi sexus, in qua non servatur debitum vas. Hæc ultima est tantùm sodomia imperfecta, & minùs propriè dicta. Multæ & gravissimæ pro hoc vitio sunt statutæ pœnæ, tam jure civili, quàm ecclesiastico, tam pro sæcularibus, quàm pro clericis: pro quibus vide Sanch *in sum. lib. 2. cap. 22.* Variatur sodomia specie si exerceatur cum conjugato, consanguineo, si vis adhibeatur, si fiat à persona astricta voto castitatis; unde hæ circumstantiæ sunt in confessione exprimendæ. Adde tamen per sodomiam incestuosam v.g. non incurri pœnas latas contra incestum; quia tales pœnæ tantùm feruntur contra incestum propriè dictum, qui solùm committitur per copulam naturalem. Insuper etiam adverte, juxta quosdam non satis esse dicere, sodomiam exercui, sed necessariò explicandum esse, an fueris agens vel patiens; agens enim pollutionem committit, quam non committit patiens, saltem ut talis. Verum contrarium docet Diana *p. 11. tract. 1. resol.* 11. ubi pro se citat septemdecim DD. addens paucos docere oppositum: ratio autem ipsius est, quia agens & patiens concurrunt in sodomia ad idem scelus & ad eandem pollutionem, & copulam per modum unius causæ; sicut enim, inquit, conjugatus & soluta, vel solutus & conjugata peccantes ambo per modum unius causæ concurrunt ad frangendum matrimonii legem, adeoque eandem speciem adulterii contrahunt, ita agens & patiens sodomita &c. Ita Diana; addens insuper agentem non debere explicare an fuerit pollutus; quia pollutio non addit novam speciem malitiæ suprà copulam sodomiticam, sed est pars copulæ. Hæc omnia sunt retinenda diligenter à Confessariis; quia, utpote saltem probabilia, possunt ipsos juvare, ut se excusent à multis interrogationibus, quæ alioqui in his, & similibus faciendæ essent, & ut plurimum à pœnitentibus judicantur fieri ex curiositate. Vide eundum Dian. *ead. p.* 11. *tract. 3. res.* 4. ubi denuo idem defendit contra Lugo, ac Leand. & Franciscus B. Spei *sua Noctua dub. 6. append.* 4. etiam expresse docet, in sodomia agere & pati non differre specie: contradicens tamen Dianæ in eo, quòd hic velit, agentem non teneri explicare pollutionem eò quòd hæc sit pars copulæ; quidquid tamen & ipse eum excuset ab ea explicanda explicitè, quia communiùs actum hunc comitatur. Vide eundem Franc. *de act. hum. disp.* 10. *num.* 126. ubi addit, pollutionem patientis sodomiam, cùm specie à sodomia distinguatur, exprimi debere; nisi dicatur eam sileri, quia etiam ordinariè concomitatur.

56. Bestialitas est carnalis commixtio cum re animata alterius speciei, ut cum bruto vel dæmone. Species bruti cum quo habita est exprimi non debet, nec item an fuerit bos vel vacca; quia hæc non mutant bestialitatem nisi materialiter. Exprimendum tamen est an cum bruto an cum diabolo contigerit: quia hoc peccatum cum diabolo perpetratum plerumque superaddit malitiam superstitionis, ac semper irreligiositatis, inquantum est commercium cum Dei & omnium nostrûm infe-

estissimo inimico: item exprimi debet, dæmon fuerit sub forma fœminæ, an i, aut sub forma talis conjugatæ vel tamonialis, tuæ consanguineæ &c. quia ne præter bestialitatem additur affectus talem personam. Ita Tambur. post alios. maximis pœnis bestialitatis, vide Auores suprà citatos.

57. Innaturalis concubendi modus deque, est dum servatur quidem sexus deus, & vas debitum, sed immutatur moà natura determinatus; ut si vir sucnbat &c. Inter conjugatos non est nisi catum veniale, quamdiu abest pericu effundendi seminis extra vas debitum; eturque mulier juxta Sanch. *lib. 9. disp. num.* 3. quoad modum illum viro acescere, licèt ipse cum veniali culpa exigat: quod idem sentit Escob. apud Dian. *p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 41. qui & eorum sententiæ subscribit. Adde, si adsit aliqua necessitas similem modum hic & nunc exercendi, nequidem esse veniale illum exigere: erit tamen mortale si dictum periculum subfuerit, vel periculum aliud impediendæ generationis. Per innaturalem concubendi modum Tamburinus intelligit sodomiam imperfectam; unde in ipsius acceptione semper est peccatum mortale: ast nos sodomiam imperfectam cum cæteris meliùs ad sodomiam in genere reduximus. Vide circa hæc P. Franc. suprà *disp.* 10. *num.* 96. ubi per plures Appendices aggreditur Caram. cujus varias perniciosas sententias efficaciter improbat. Et *Append. ult.* ponit remedia contra luxuriam.

§. V.

De Sacrilegio.

Dictis sex luxuriæ speciebus additur sacrilegium, quod duobus lis committitur: primò dum persona ui Divino deputata violatur, ut est reosus professus, religiosa, constitutus in ne sacro, & qui vel quæ votum castiemisit. Ubi adverte, probabiliter non explicandam necessariò solemnitatem, sed sufficere si dicatur, *ego ligatus voto atis peccavi contra castitatem tali pecca-* quod & verum est, licèt quis duplici o sit sacratus, ut quia est religiosus & il sacerdos; est enim ejusdem speciei tia, cum votum unum, sive simplex sit solemne, eandem virtutem religionis è respiciat quàm plura; atque hanc ntiam absolutè sustinent Sanch. Dian. ibur. & alii. Adde secundùm eundem Tamb. post dictum Sanch. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 6 *num.* 10. eum, qui ligatus voto castitatis inducit alios voto solutos ad peccandum contra castitatem, probabiliter non teneri explicare in confessione circumstantiam voti, eò quòd hoc non videatur se extendere nisi ad obligandum voventem ne ipse in persona propria castitatem violet; hanc enim in se quidem servare promisit, non tamen in aliis. Ita illi.

59. Alio etiam modo sacrilegium in hac materia committitur dum violatur locus sacer; quo nomine venit sola Ecclesia cum cœmiterio: si tamen contingeret virum & uxorem necessariò diu in templo commorari debere, ut se salvent contra hostem v.g. tunc per eorum copulam tem-

plum

plum non violaretur, nec consequenter sacrilegium committeretur; quamvis & tunc consultiùs sit abstinere, si absit periculum incontinentiæ, vel saltem alia loca, ut turrim, sacristiam &c. ad hoc quærere. Ita DD. communiter; quidquid varii, quos citat & sequitur Dian. *p.* 11. *tract.* 8. *resol.* 34. doceant, probabiliter non esse sacrilegium, nec consequenter mortale, si conjuges habeant copulam in Ecclesia, etiam extra casum necessitatis; quia sicut Ecclesia non polluitur nisi per effusionem sanguinis illicitam, ita nec per effusionem seminis licitam: sic illi. An verò per pollutionem voluntariam Ecclesia violetur? Variant Auctores: mihi probabilior est sententia affirmativa, cùm tunc fiat vera seminis voluntaria effusio, & quidem illicita; quare eo casu circumstantia loci exprimenda erit, prout & actus erit verum sacrilegium: quod idem absolutè dicendum est de eo, qui voluntariè in templo consentit in aliquod opus luxuriæ completum licèt opus non sequatur, si ejus voluntas feratur in circumstantiam loci sacri, ut si v. g. esset paratus istam voluntatem exequi in loco sacro si occasio adesset.

60. Cæterùm, ut bene Urbanus *tract.* 1. *cap.* 46. sacrilegium non incurritur contra castitatem per peccata merè interna solius loci sacri ratione habita; quia loci sanctitas, cùm jure canonicò tantùm violetur, actum externum requirit. Imò Tamburinus (licèt contra communiorem & probabiliorem, ut & ipse fatetur) vult Ecclesiam probabiliter non violari, nec consequenter sacrilegium committi per pollutionem, vel copulam illicitam occultè in Ecclesia habitam, quod & alii probati DD. docent apud Dian. *p.* 11. *resol.* 34. *citatâ*, quibus addo Burghaber *Centur.* 3. *casu* 58. atque horum rationes Diana vocat manifestas: subditque publicum in hac re dici, quod vel ipsâ confessione rei in judicio, aut evidentiâ facti in multorum notitiam devenit, & est quasi diffamata Ecclesia, & denigrata ejus reverentia: unde si duo aut tres, vel pauci homines scirent pollutionem, aut emissionem seminis in loco sacro admissam, adhuc neque egeret reconciliatione, neque esset speciale sacrilegii peccatum. Hæc omnia Diana: quæ saltem in perplexitate aliquem juvare poterunt; ut dum v. g. solus Parochus novit ejusmodi factum; ipse se huic sententiæ conformare poterit, cùm aliàs hæreret perplexus; nam non posset sine turbatione omninò à celebrando abstinere in ea Ecclesia, nec posset curare ut reconcilietur, cùm nequeat factum probare; neque etiam securè in ea posset celebrare sicut antea, quia semper dubitabit an hic & nunc sit sufficiens necessitas celebrandi in Ecclesia polluta. Insuper idem Dian. *p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 58. asserit DD. communiter docere, ad violationem Ecclesiæ non sufficere, quòd in Ecclesia effluat una aut altera gutta seminis, quia hæc non venit nomine effusionis seminis. Insuper *resol.* 59. sustinet cum plurimus, Ecclesiam violatam remanere reconciliatam, & consecratam si aliquis sacerdos in ea consecrarit; ex quo cum Tambur. deducit probabiliter, si sacerdos diceret Missam in calice non consecrato, eum remanere consecratum. Circa Ecclesiæ reconciliationem vide eundem Dianam eâdem *p.* 11. *tract.* 8. *resol.* 23. ubi inter cætera varios DD. adfert, asserentes, Prælatos Regulares posse per se suas Ecclesias violatas reconciliare. Ex supradictis

61. Colliges, satis probabile esse, Ecclesiam non violari per oscula, tactus, & similia, etiam publicè in Ecclesia habita sine seminis effusione; quæ non sunt ex hoc capite

e sacrilega : si tamen quis ea in loco
exerceret cum magna Ecclesiæ irre-
ntia, ut si quis meretricem publicè
altare impudicè tangeret, si in tem-
lascivas comœdias repræsentaret &c.
egii scelus in sua propria specie com-
eret, etiamsi hoc humanitùs non fo-
rohibitum ; nam id esset gravis irre-
ntia cultui Divino facta, atque adeò
summi Dei notabilis injuria. Ita
bur.

etes hîc fortè, ad quam speciem
iæ reducatur abortus voluntarius?

. Respondeo, eum reduci ad vitium
a naturam : & dico matrem nullo
,etiam ad sui conservationem,posse
um procurare si proles animata sit :
Auctor naturæ sibi soli jus in fœtum
avit : si tamen medicina posset con-
e ad salutem matris aliâ viâ, quàm
ndo abortum, ita ut tantùm per
ens fortè sit secuturus abortus,posset
eam sumere directè ex motivo sa-
s, saltem si fœtus needum sit anima-
a DD. communiter. Imò licèt esset
itus, si aliàs de matris sanitate despe-
; quia equidem moriente matre fœ-
ecessariò morietur ; unde ei potiùs
nedicina est favorabilis quàm inju-
, cùm matre sanatâ possit fœtus su-
vere ; quamvis fortè per accidens sit
urus abortus. Dicitur autem com-
er fœtus animari post quadraginta,
aginta quinque, vel quinquaginta
n super dico, fœminam conjugatam
modo posse expellere semen viri
st concubitum ad vitandas partus
ltates, ne graventur prolibus &c.
nec virginem, aut adulteram ad
um suum honorem, nisi sint vi op-
; tunc enim fortè probabiliter id
bit immediatè post coitum, ut vult
Sanch. *lib. 2. de matrim. disp.* 22. *num.* 13.
quia, inquit, in eo casu censentur se de-
fendere contra injustum invasorem mo-
raliter adhuc invadentem per semen suum.
Verùm id non nisi valde rarò potest ha-
bere locum in adultera, quæ potest per
petitionem debiti à suo marito infamiam
facilè evitare.

Petes iterum, an in speciebus luxuriæ
possit dari ignorantia invincibilis?

63. Respondeo, id vix fieri posse apud
Christianos in fornicatione, aut aliis spe-
ciebus consummatis ; nam sufficienter de
his omnibus instruuntur, præsertim hôc
nostro ævo, & in his partibus ; ac deinde
ipsa recta ratio dictat, sicut & pudor à
natura inditus, quòd oporteat à similibus
abstinere. Dico *vix*, & non omninò ab-
solutè ; quia (ut bene notavit Marchan-
tius *in suis Resol. Pastor.*) fortassis aliquis
rudis rusticus, dum videt in urbibus pu-
blicè meretrices permitti, putansque esse
licitum quidquid est permissum, posset
ignorare, ad meretricem accedere, esse
mortale peccatum, si ea de re nunquam
fuerit instructus, maximè ubi videret
illud esse adeò commune, ut vix pro
peccato reputetur, ut quidam de aliqui-
bus locis Italiæ tradunt. Verùm quid-
quid sit de fornicatione, puto frequen-
tiùs id posse contingere in peccato mol-
litiei, seu pollutionis voluntariæ, quam-
vis hoc sit peccatum majus fornicatione :
quod fortè potuerunt advertere qui diu
audiendis confessionibus vacarunt, præ-
sertim rusticorum : & nominatim Mar-
chan. testatur se plures rusticos reperisse,
qui id nunquam confessi fuerant in sua
juventute, aientes se nunquam ea de re
sibi conscientiam formasse, nec fuisse in-
structos. Additque idem inter conjuga-
tos adhuc reperiri, qui existimant, absen-

te conjuge sibi licitos esse illos contactus, quibus seipsos polluunt. Hæc Marchant. de rusticis; an idem locum habere possit in iis, qui in civitatibus degunt, norunt illi, qui eorum confessionibus audiendis sæpè implicantur. Interim, si verum sit, quòd prædicti nunquam aliquid audiverint in oppositum, neque aliunde unquam de gravi malitia, quæ inesse posset, dubitarint (in quibus iis fides adhibenda est) non video cur dici nequeant invincibiliter id ignorare: prout id absolutè dicit Burghaber *Centur.* 1. *casu* 97. post Arriagam, & alios. Quare posset Confessarius similes non obligare ad reiterandas suas confessiones.

64. Addo tamen securius esse, eos ad id inducere; quia difficile est judicare, an talis ignorantia fuerit omninò invincibilis: unde monentur Pastores, Confessarii, Concionatores & Catechistæ à Marchantio, ut de his rudem plebem pro occasionis opportunitate erudiant: quod tamen cum dexteritate fieri debet, ut colligitur ex statim dicendis. An licitum sit permittere publica lupanaria & meretrices? Commodiùs dicetur alibi. Hîc solùm pro horum omnium complemento

65. Adverte ex Urbano *tract.* 1. *cap.* 46. satius esse Confessorem esse parcum in omnibus dictis vitiis discutiendis; nam nimis immorari in hujus materiæ interrogationibus, tam Confessori quàm pœnitenti periculum creat, ac proinde debet se quàm citissimè ab eis expedire interrogando sola necessaria, nec descendendo nimis ad particularia; præsertim cùm (ut bene dictus Urban.) satis intelligatur gravitas, & species peccati, quantum necesse est ad Sacramenti essentiam, si dicantur actus præcipui talis peccati. Imò Conink *disput.* 7. *de Sacrament. dub.* 7. *num.* 56. non veretur apponere verba sequentia, *Praestat aliquando sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi vel sibi aliquod scandalum creare.* Vide etiam Filliuc. Angel. Homob. & alios citatos à Tamburino. Quare quòd præcedentia peccata ab aliquibus tam minutim sæpè explicentur, & à nobis per plura, quàm alia peccata hîc tacta sint, solùm est; tum quia frequenter casus non ita obvii & plerumque etiam difficulter ex generalibus principiis resolubiles occurrunt; tum ne continuò cogaris diversos Auctores consulere, quos legendo plùs te videris confundere ob eorum diversas sententias. Quæ hîc desunt circa peccata conjugatorum *in tract. de matrimonio* reperies. Cæterùm adhuc unum monent passim Auctores, ne videlicèt Confessarii aut alii quicumque unquam in vulgo de his luxuriæ speciebus discurrant, vel mentionem faciant ob rationem statim assignatam.

DUBIUM

DUBIUM QUARTUM.

De Invidia.

INvidia est tristitia de bono proximi quatenùs minuit excellentiam invitis; unde est vitium oppositum chari-, quæ gaudet de bono proximi. Est uo genere peccatum mortale, si sit berata circa grave alterius bonum: fit) peccatum veniale defectu pleni conius, prout accidit in imperfectis inæ motibus; vel ob levitatem mate-

;7. Principales filiæ invidiæ sunt on, detractio, susurratio, ac gaudium de o proximi: quæ omnia etiam sunt talia ex genere suo: ac de iis infra nihil agemus suis in locis; de odio ac dio circa malum proximi *in tract. de ir.* de detractione verò & susurration *tract. de jure & just.* Hic solùm

:8. Nota primò sæpè à pœnitentibus fundi invidiam cum æmulatione; quæ dem est tristitia de alieno bono, non en quia alius bene habet, quod est ina; sed quia ipsemet idem vel simile habet, quod ordinariè non est nisi a venialis: imò plerumque est lauda-, si nimirùm versetur circa bonum houm. Æmulatio (prout bene notat Marnt.) frequens est inter homines ejus artis ac professionis: quare dum hi fitentur, se fuisse invidos, quòd alii plus vendant, plus proficiant &c. exaandum est à Confessario, an subsit ratio invidię, an verò tantùm sit æmulatio. Addo Burghaber *Centur. 1. casu* 88. post Lorca docere, etiamsi prædicti committant veram invidiam, eò quòd v.g. tristentur, quia hoc est commodum aliis, & ipsi inde negliguntur & patiuntur, non esse tamen nisi peccatum veniale: quia hoc non est absolutè dolere de bono alieno, sed quatenùs hoc sibi illum molestum effectum causat. Ac tunc ille Auctor solùm vult invidiam esse peccatum mortale, graviterque repugnare Charitati, dum quis ita vehementer bono proximi invidet, deque eo tristatur, ut ex illo affectu moveatur ad injustè removendum proximi bonum: Sed ego hoc non admitto, quia sic invidia non esset peccatum mortale ex suo genere. Interea

69. Nota secundò tristitiam de alterius bono, quatenus ex eo times nocumentum tibi vel aliis, vel etiam ipsi possidenti, ut si v. g. ideò maneat in occasione peccandi; non esse invidiam, sed timorem, qui per se non est malus nisi modum excedat. Item tristitia de bono proximi quatenùs ipse indignus est id possidere, non est similiter invidia, sed indignatio, quę in se etiam non est mala, nisi fortè quis inde Dei providentiam arguat; hoc enim esset peccatum mortale blasphemiæ si deliberatè fieret. Ita Cajet. & alii, quos sequitur Busenb. addens indignationem etiam mortalem esse, si quis per eam se, vel alios inducat ad imitandum malum.

DUBIUM QUINTUM.

De Gula, & Jejunio.

§. I.

Quid Gula, & quale sit peccatum.

70. Dico gula est inordinatus appetitus cibi & potus. Est ordinariè tantùm peccatum veniale, licèt mortale fiat dum quis ita inordinatè afficitur cibo aut potui, ut mallet potiùs transgredi præceptum graviter obligans, quàm ab iis abstinere; quod est ultimum suum finem in cibo & potu ponere, quodque & faciunt illi, de quibus ait Scriptura *Quorum Deus venter est*. Item adhuc gula mortalis est, dum dirigitur in finem mortaliter malum.

71. Inordinatio in dicto appetitu quinque modis contingit, juxta hunc versum.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præproperè, id est dum debita hora, non necessitate, sed voluptate prævenitur. *Lautè*, dum quæruntur cibi aut potus valde exquisiti quoad gustum. *Nimis*, quando committitur excessus in quantitate, sumendo plus quàm exigat necessitas. *Ardenter*, quando cibus & potus nimis avidè sumuntur non servando debitum modum. *Studiosè*, quando nimis accuratè præparantur cibi, vel condiuntur vina. Hi omnes modi ordinariè non inducunt nisi veniale peccatum; quamvis satis frequenter mortale committi possit per notabilem excessum tertio modo, sive per excessum in quantitate, dum nimirum ille excessus causat gravem corporis infirmitatem, vel turbationem cerebri.

72. Vitii gulæ, duæ sunt species principales, crapula scil. quæ consistit in immoderata sumptione cibi, & ebrietas, quæ in sumptione potus superflui. Quoad primam

Petes fortè, an sit peccatum vesci carne humanâ?

73. Respondeo, esse peccatum mortale si fiat absque gravissima necessitate. Ita Cajet. Navar. Less. & cæteri communiter. Ratio est, quia hoc est contra instinctum naturæ id abhorrentis, repugnatque pietati defunctis debitæ, ut ait Busenbaus: qui tamen addit, excusandos eos, qui id facerent causâ medicinæ, aliâve justâ causâ, v.g. extremæ famis in obsidione: in qua tamen necessitate constituti sic vitam conservare non tenentur. Ita ille. Addit Diana idem licere in casu, quo quis sub pœna mortis alteri esum carnis humanæ præciperet: quorum omnium ratio reddi potest ex Bassæo, quia caro humana mortua, est res inferior, licitumque est eam exponere feris vel avibus dilaniandam, quando vivi ob crimina sunt promeriti; cur ergo homo non posset ex ea sumere in dictis casibus necessitatis? Insuper licitum est secundùm Dian. haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum ad acquirendum vigorem corpori senili, ac

causâ

usâ senectutis prorogandæ, quod medi- ,inquit, vocant remedium singulare, no- inatim Marsilius Ficinus. Et sic etiam iidam apud Busenb.excusant illos licto- s, qui, ut officium suum meliùs admini- ·ent,haustu sanguinis humani se animare cuntur; præsertim cum sanguis secun- ım multos non sit animatus.

Petes iterum, an excessus in cibo vel otu causans vomitum,sit mortalis?

74. Respondeo communius quòd non, iamvis etiam esset prævisus: si quis ta- en ex gula sumptos cibos evomeret,ut se : novo ingurgitaret, juxta plures morta- er peccaret: & reverà id involuit magnam difformitatem contra ipsam naturam, quidquid Burghaber *Centur*. 1. *casu* 64. velit,illam non esse tantam,ut inducat mortale peccatum,etiamsi quis id aliquoties faciat. Tu interim attende diligenter ad circumstantias: si enim id fiat coram aliis, grave scandalum committitur; ac si prædicta ingurgitatio cedat in grave sanitatis detrimentum, ac id potuerit ac debuerit præviderì,mortalis culpa certò incurritur; secùs si tantùm sit causa doloris capitis absque periculo ulterioris infirmitatis. Ita DD. communiter. Quoad secundam speciem gulæ sit

§. II.

De Ebrietate.

Ebrietas dupliciter sumi solet, pro defectu usus rationis inducto ex mio potu, & sic est effectus ebrietatis tiùs quàm peccatum: & pro ipsa pota- me nimia, prout propriè peccatum est, definiri potest, excessus in potu usque privationem usus rationis. Est pecca- m mortale si sit voluntaria directè, vel directè,ita nimirum bibendo,ut non cu- tur sive ebrietas sequatur sive non; vel potu pergendo, per quem ebrietas se- tura advertitur. Ita DD. communiter: patet ex Script. *ad Galat*.5. & 1. *Cor*.6. ıi ebrietas dicitur excludere à regno ei: cujus & rationem bene reddit Ur- nus *tract*. 1. *cap*. 45. quia ebrius volun- ·iè se privat excellentiori hominis bono :undùm ipsius naturam, quod est usus :ionis; idque viâ omninò turpi: imò letudini nocet & familiæ: quod licèt ·tè aliquando non contingat, id fit per :idens, quod non tollit peccatum. Pro locis verò, in quibus S.August. D.Thom. & alii in contrarium objici possent, vide Loth. *tract*. 18. *art*. 7. ubi omnibus satisfacit, dicens, suam ac nostram sententiam esse certam, prout modò etiam ab omnibus æstimatur. Adde similiter, peccatum mortale esse,scienter procurare inebriationem alterius; sicut enim seipsum inebrians sibi multùm nocet se privando rationis usu, ita notabiliter nocet alteri, qui alterum inebriat: quare qui ad æquales haustus provocat alterum, quem novit debiliorem se in potando, animo eum inebriandi, vel prævidens eum sic inebriandum, mortaliter delinquit,ut docet Wigg.*tract*. *de temper*. *cap*.2. *dub*.7. post alios communiter; colligiturque ex D. Thom. 2. 2. *q*. 150.*art*.1.*ad* 7. Nec excusat hîc bonus affectus aut mos patriæ. Secùs tamen dicendum de eo,qui se vel alium inebriat,eò quòd non noverit qualitatem aut fortitudinem potûs, vel eò quòd non advertat

ad potûs nimietatem: talis enim, aut non peccat, aut ut summùm venialiter: idem est de eo, qui est occasio ebrietatis in eo, quem putabat fortem in potando & revera non est. Quare

76. Nota ex D. Thom. *loc. cit.* immoderatum usum vini, aut cerevisiæ posse contingere tripliciter: primò, ita ut utens nesciat potum esse immoderatum & potentem inebriare; & sic ebrietas potest accidere sine peccato. Secundò quando quis percipit quidem potum esse immoderatum, non tamen æstimat posse inebriare: & sic potest esse cum peccato veniali. Tertiò dum quis bene advertit potum esse immoderatum & inebriantem, nec tamen vult à potu abstinere; & tunc ebrietas est mortalis.

Petes primò, an nullâ ratione sit licitum se, vel alium inebriare?

77. Id ita illicitum esse volunt S. Antonin. *p.2.tit.6.cap.*3.§.1. Angel. & Sylvius. 2.2. *q.*150. *art.*2. ut nequidem velint id licere, dum causâ sanitatis id ordinant medici, etiam in absentia alterius remedii. Verùm contrarium quoad hoc puto verius cum Cajetan. Sylvest. Toleto, Layman & aliis, quos citat & sequitur Loth. *loc. cit. art.* 8. qui relinquens medicis disputandum, an verè talis casus sit possibilis, suam sententiam probat hoc modo. Sumptio illa potus, v. g. vini adusti, abundantior, videtur omnino excusanda à peccato ebrietatis, cum actus ille non videatur esse contra virtutem temperantiæ eò quòd non sit potus superfluus aut nimius respectu talis personæ; congruit enim valetudini & vitæ ipsius conservationi, qui sunt fines proximi sumptionis cibi & potus: quòd autem inde sequatur privatio usus rationis est præter intentionem; quia, ut suppono, expressè non intenditur; ac justa videtur adesse causa exercendi talem actionem tanquam congruam hîc & nunc suo fini proprio & proximo. Ita ille. Nec video cur in hoc cuipiam scrupulus inhæreat, cùm juxta dicta supra, satis communiter nobiscum DD. asserant, sumptionem medicinæ directè tendentis ad sanitatem matris, quæ aliâ viâ obtineri non potest, excusari à peccato, licèt inde sequatur abortus, cùm tamen vita fœtus sit majus bonum quam usus rationis, præsertim cùm hic tantùm amittatur ad modicum tempus.

78. An verò similiter licitum sit seipsum inebriare ad evadendam mortem, quam minatur Tyrannus nisi evacuetur poculum vini fortis, ex cujus sumptione prævidet quis certo se inebriandum? Affirmativè respondet Less. cujus sententiam probabilem dicit Diana apud Loth. *ubi supra art.* 11. qui contrariam sententiam à S. August. sustineri clarè demonstrat, quidquid eum conetur Lessius aliter explicare: quique subdit. *Hæc doctrina S. August. in re morali & Christiana auctoritatis irrefragabilis movere debuisset Lessium, ne in novam illam doctrinam sine ulla auctoritate irruisset. Dicit quidem idem secum sentire multos viros doctos in Universitate Lovaniensi consultos; sed Wiggers publicus & ipse in eadem universitate per multos annos professor testatur, illam doctrinam nunquam in scholis Academicis fuisse defensam aut probatam.* Ita ille, addens rationem à priori suæ sententiæ esse; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Neque est hîc eadem ratio quæ supra, in quo errat Lessius: quia actus, quô quis se inebriat ad mandatum tyranni ut evadat mortem, est contra temperantiam, per se minimè conducens ad finem, ad quem sumptio potus est ordinata; quæ non ideò censeri debet licita, quia per accidens servit ad aliquod grave malum corporis evadendum. His tamen nonobstan-

bstantibus sententiam Lessii de novo de-ndit Burghaber *Centur.3.casu* 99. citans nsuper pro ea Dicastillum *de virt. Card. l.* *.dub.3.num.*154.

79. Adde licitum esse inebriare alium, i præbendo potum fortissimum, cujus vi gnoratâ decipiatur, si aliàs grande malum on possit impediri: sic v.g. posses ine-riare hostes tuos, qui te captivum deti-ent, ne te abducant; vel eos, qui aliàs sent prodituri urbem: quia, cùm ipsi in isu posito non peccent, nec tu coopera-s eorum peccato. Ita Sanch. Laym. Bu-nb. & alii. Imo Lessius & Villalobos uorum sententiam probabilem judicat iana apud Loth. *art.12.tract.*18.)docent, dictis casibus etiam licere alios induce-ad ebrietatem voluntariam: quia, in-iiunt, licitum est suadere & inducere ad alum minus, ut impediatur majus: ita iam docet Vidal. *sua Arca vitalis Inquis. de praecd. char. fol.* 46. *num.*41. Negant men hoc ultimum Layman, Busenb. onac.& Wigg. quos ultimos citat ac se-uitur Loth. *loc.cit.* probans suam senten-um ex Apostolo *ad Rom.* 3. ubi dicit, eo-m damnationem justam esse, qui dicunt, *iamus mala, ut eveniant bona*; ergo ne-e licitum est inducere aliquem ad ali-od peccatum, cujus non habet volun-em, ut sic omittat aliud quod concepit ere, quamvis hoc gravius fuerit: vi-ntur enim illa esse ejusdem rationis, *ere malum, ut eveniat bonum, & inducere quem ad peccatum minus, ut non faciat ud majus.* Nec dicas cum Lessio & Vi-. non intendi absolutè ebrietatem alio-n, sed solùm desiderari tale medium, ut impediatur proditio v.g. civitatis, quæ er vitari non potest: quia licèt indu-is fortè in animo suo spectet præcisè tum medium ut impeditivum majoris li, revera tamen actio illa ipsius cum omnibus suis circumstantiis fit, ut abso-lutè alter inducatur in novum peccatum, quòd nec actuali nec virtuali voluntate contraxerat: quod semper illicitum est, ut volunt Layman & Busenb. Ad funda-mentum verò Lessii, & aliorum respondet Lothus, illud tantùm habere locum, dum aliquis est omninò paratus indifferenter committere plures actus externos malos; tunc namque licitum erit suadere, ac in-ducere, ut potiùs exequatur actum minùs malum, & minùs proximo nocivum. Sic latroni volenti Petrum occidere licitum est suadere, ut potiùs eum spoliet ac di-mittat &c. quia in similibus suasionis & inductionis objectum est tantùm omissio majoris mali ac minoritas mali alterius, non autem aliquod novum malum; unde nullo modo per hoc alter inducitur in no-vam culpam, sicut in casu priori: quid-quid P. Mendo in Statera benignarum opinionum *dissert.* 1. *quaest.*18. *num.*216. dicat, peccatum minus, quantumvis longè diversum, & de quo alter non cogitat, contineri eminenter in majori, ac sic nec illud suaderi ut malum novum, sed ut pars malitiæ majoris, si hæc secundùm se & in communi inspiciatur.

80. Rejicit secundò sententiam dicto-rum Auctorum Lothus hac ratione; si mihi sit licitum urgendo æquales haustus alterum inducere ad intemperantiam, & ebrietatem, ut non exequatur malum con-tra Rempub. quod machinatur, licebit etiam mihi illum ducere ad lupanar, & ad libidines concitare, ut voluptatibus carnis quasi absorptus non perficiat malum grande quod meditatur, si illud aliter im-pedire non possim: quod probat à pari. Quare omninò abstinendum judico ab illa sententia.

81. Petes secundò, an peccent caupo-nes promendo potum iis, quos inde ine-brian-

briandos prævident ?

82. Respondeo affirmativè, si nempe eos jam videant proximos ebrietati, & sine notabili incommodo ipsis petentibus vinum denegare possint, sicque eorum ebrietatem impedire. Ratio est, quia tunc censentur consentire in eorum ebrietatem, cùm non solùm illam non impediant dum possunt, sed etiam ebrietatis materiam suggerant. Ita DD. communiter; qui tamen adhuc ut plurimùm similes excusant, eò quòd hîc & nunc nequeant potum recusare similibus sine magnis incommodis: timendæ enim inde essent graves rixæ, convitia, juramenta &c. imò subinde non vellent solvere ea, quæ ex nunc expenderunt, nisi plus promatur: deinde ad alias tabernas postea ituri essent, adeoque peccatum per hoc non impediretur. Quando verò similia verè timentur, non est peccatum eis plus promere quàm ferre possint: quia id tunc censetur fieri involuntariè, & sola res indifferens fieri voluntariè; neque enim ullatenùs intenditur ebrietas, sed potus promitur merè ad vitanda incommoda. Ita Marchan. addens idem dicendum esse de iis, qui apponunt cœnam in die jejunii eam petentibus, licèt sciant eos non excusari à jejunio, eò quòd eadem incommoda & hîc timeantur, & peccatum equidem ab uno negante impediri non possit. Vide circa hæc Loth. *tract.19.quæst.1. art.*8. ubi nobiscum sentit. Addo Burghaber *Centur.1.casu 62.*docere, opificem Catholicum (per se loquendo, si desit scandalum & periculum alicujus majoris mali) posse, non improbabiliter, peritis & fidelibus famulis hæreticis carnes in quadragesima apponere, si aliàs sint discessuri, & ipse laboribus non sufficiat, nec alios possit habere, quos substituat: quia hoc non est formaliter cooperari peccato, sed solùm permittere ad cavendum grave incommodum. Ita ille: quidquid Layman meritò in hoc contrarium doceat *lib.2.tract.3.cap.13.num.*5. quia hæc cooperatio est nimis propinqua.

Petes tertiò, an mala in ebrietate commissa ebrio imputentur ad peccatum?

83. Respondeo quòd non, si ebrietas sit inculpabilis: si verò sit culpabilis, dico cum Urbano ab Ascensione *tract.* 1. *cap.* 45. rationem peccati habere omnia ex ebrietate consequentia, quæ per se mala sunt, si prævisa fuerint, vel prævideri potuerint ac debuerint: unde perjuria, blasphemiæ, rixæ, & similia vel scandalosa vel alteri nociva, sunt peccata ebrio, non quidem in se, sed in causa, in qua censentur volita. Ita Urban. Intellige tamen de iis, qui similia in ebrietate facere solent; quia aliàs ea antea prævidere non potuerunt, adeoque nec sunt voluntaria, cùm nihil sit volitum quin præcognitum. Imò secundùm Vasquez apud Dian. *p.3. tract. 6.misc.resol.*52. multa dicta vel facta ebriorum non reputantur peccata, saltem gravia, quæ alioqui essent, etsi prævideantur, eò quòd in hominum æstimatione non censentur injuriosa, prout sunt dicta, facta, & contumeliæ, ex quibus non sequitur aliis ullum detrimentum. His addit & alia peccata esse, quæ facta in ebrietate non imputantur, quia debent scienter fieri ut imputentur: hujusmodi, inquit, est peccatum blasphemiæ, infidelitatis, & perjurii; nam qui non videt vel dubitat esse falsum, quod jurat, perjurus non est. Ita Vasquez. Verùm quoad hoc ultimum, sententiam Urbani omninò tenendam esse existimo, quam tuentur Cajetan. Sanch. Med. & alii apud Dianam citatum: quibus adde Vidal. *inquis.unicâ de blasph.fol.16.num.*27.& 31. ac Loth. *tract. cit. art.* 12. Ratio est, quia licèt dicta peccata in se non sint voluntaria

luntaria nec scienter facta eo tempore quo fiunt, sunt tamen omninò voluntaria in causa, cum supponantur prævisa. His interim nonobstantibus sententiam Vasquez adhuc propugnant Salas, Sayr. & Tanner. eamque non omninò improbabilem judicare videtur Diana, cùm ea, quæ ex Vasquez citavimus, & pauca alia subsequentia, dicat mente tenenda esse à Confessariis.

84. An qui ex voluntaria ebrietate prævidet se blasphematurum, vel aliud peccatum commissurum, quod habet annexam censuram aliquam vel pœnam, incurrat illam eo ipso quòd exteriùs illud committit? Affirmat Urbanus *loc.cit.* quidquid Vidal id negare videatur de peccato blasphemiæ; quod in ebrietate commissum, licèt fuerit prævisum, negat esse peccatum reservatum, quamvis aliàs reservatum esset: postea tamen *de Judice inquisit.* 1. *fol.* 231. *num.* 41. docet, ebrietatem, quæ fit suâ culpâ, non excusare à pœna imposita alicui peccato, quod ebrius committit; quamvis dicat mitiùs esse puniendum & extraordinariâ pœnâ.

Quæres hìc fortè, an, si quis se inebriando tantùm venialiter peccaverit, & malum inde secutum sit grave, ut v.g. homicidium, tale malum imputetur ei in culpam mortalem?

85. Respondeo cum Loth. *ubi supra* tale homicidium esse solùm veniale: quia in ebrietate commissum non est in seipso voluntarium, cum fiat à carente rationis usu, sed solùm est voluntarium in causa, quæ est ebrietas: ergo non potest contrahere majorem culpam, quàm ipsa causa hìc & nunc habeat, atque adeò quàm voluntas illa, à qua illa ebrietas dicitur voluntaria; nam tota culpa est in illa voluntate, & solùm per denominationem extrinsecam tribuitur ebrietati ac effectui secuto; ergo non potest esse major culpa in opere secuto, quàm in voluntate antecedente ebrietatem.

Petes quartò, undenam colligi possit, aliquem verè fuisse ebrium?

86. Respondeo cum Urbano *loc. toties cit.* optimum signum esse, si non recordetur in crastinum eorum, quæ pridie in ebrietate constitutus gesserit; si fecerit ea, quæ aliàs nunquam solet facere; ut si juraverit, blasphemaverit, domum turbaverit &c. Si verò recordetur factorum, & post potum adhuc potuerit discernere inter bonum & malum, non est dicendus verus ebrius, licèt pedibus titubaverit, & domus ei verti visa fuerit; sed semi-ebrius secundùm Urbanum, ac tantùm peccasse venialiter dici debet; quamvis tamen ejus peccatum veniale sit ex gravioribus, ut volunt Lessius, Busenb. & Burghaber *casu* 1. *trium Centuriarum*; qui ultimus dicit prædictum non esse *Theologicè* ebrium, licèt *vulgò* denominationem ebrii habeat.

87. Adverte insuper ex Lotho, eos, qui sæpè multum potant, licèt ob consuetudinem, aut aliunde rationis usu nunquam integrè destituantur, adhuc posse peccare mortaliter, si nempe inde notabiliter lædant suam naturam, eam fermè quotidie onerantes potu immoderato; quos & Script. *Isaiæ* 5. condemnat dicens, *væ qui potentes estis ad bibendum vinum* &c. Item *Prov.* 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixa? cui fovea* &c. *Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Væ autem in Script. positum passim comminationem damnationis æternæ significat. Adde & similes etiam graviter peccare, quia bona familiæ dissipant, plerumque cum suorum summa miseriâ. Quare verò vitium ebrietatis in Belgio parvipendatur? Reddit dictus Loth. *tract.* 18. *art.* 9. quin-

que diversas rationes; addens propter eas difficulter curari: quomodo tamen vitandum & curandum sit, tradit *art.* 10. scilic. per fugam occasionum, quæ plerumque reperiuntur in conviviis & societatibus ebriosorum; ac per ferventem & frequentem orationem ad Deum pro obtinenda sobrietate. Iis insuper, qui hoc vitium in consuetudinem duxerunt, dat S. Augustinus *serm.* 231. sequens remedium; qui, inquit, se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit, ita paulatim subtrahendo, ad sobrietatis lucem redeat. Hæc de ebrietate. Jam, quia alibi, ut dixi supra, melior occasio non occurrit tractandi de jejunio, sit pro eo

§. III.

Quid jejunium, & de primo ad illud requisito.

88. JEjunii nomen juxta Sylvest. Lezan. Vidal, & alios, sumitur à quodam intestino *jejunium* dicto, eò quòd ut plurimùm vacuum sit & exinanitum. Est autem jejunium triplex; naturale, de quo aliquid *in tract. de Sacramentis*: morale, quod alii jejuniũ virtutis appellant, quodque consistit in temperantia cibi & potus juxta rectæ rationis judicium, & naturæ exigentiam: & ecclesiasticum, quod est abstinentia à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel probatam in ea consuetudinem. Huic triplici jejunio à DD. communiter per quandam metaphoram additur jejunium spirituale; quod nihil est aliud, quàm abstinentia à vitiis & peccatis, de quo loquitur Script. *Isaia.* 58. & ad quod hortatur S. Petrus 1. *sua epist. cap.* 2. Verùm nos hîc solùm agimus de jejunio ecclesiastico; quod noster Bacho in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 1. etiam tripliciter dividit, quâ tamen devisione prætermissâ,

89. Observa, tria ad observationem jejunii ecclesiastici requiri; nempe abstinentiam à quibusdam cibis; unicam in die refectionem; & certam hujus refectionis horam. Quoad primum Lezana in Summa *verbo jejunium num.* 3. sic ait. Consistit primò jejunium in eo, quòd abstineamus à quibusdam cibis, scil. carnibus, ovis & lacticiniis in jejuniis quadragesimæ; in aliis verò diebus jejuniorum jure communi à carnibus quidem necessariò, ovis verò, & lacticiniis juxta regionis & patriæ consuetudinem. Ratio primæ partis, quæ est de jejuniis quadragesimalibus sumitur ex *cap. denique dist.* 4. & ex Synodo Constantinop. in Trullo celebrata *can.* 56. S. Thomà, Sylvest. & Azo. Ratio secundæ, quæ est de aliis diebus jejunii extra quadragesimam, sumitur etiam ex eodem *cap. denique*, ubi solùm pro diebus quadragesimæ exigitur abstinentia à carnibus, ovis & lacticiniis. S. Thomas, Sylvest. & Azo. relati. Ita Lezana *loc cit.* Quibus adde (juxta Vasquez, Sanch. Dian. Portel, & alios, quos citat, & sequitur Vidal *de jejunio Inquisit.* 1. *fol.* 201. *num.* 45.) illam consuetudinem, quæ viget in aliquibus locis abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis extra quadragesimam, non obligare in conscientia sub mortali: potestque quilibet, ad quemcumque locum devenerit, se accommodare consuetudini contrariæ loci illius, sicut & aliis hac in parte consuetudinibus sine ullo scrupulo, prout constat ex Sanctis Hieron.

Hieron. *Epist.*28. August. *Epist.*86. Ambr.& D.Thoma. Interea licèt Marchantius doceat, non esse mortale, in Belgio comedere lacticinia in quadragesima, etiam in diebus reservatis, ut die cinerum, ultimis feriis septimanæ sanctæ &c. quia hæc transgressio non censetur ibi esse tanti momenti: certum tamen manet, illam consuetudinem in Belgio & ubique absolutè obligare: quia ab Alexandro VII. Pontifice maximo nuperrimè damnata est inter cæteras hæc propositio. *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget.* Unde patet, quòd Burghaber *Centur.3.casu* 13. prius ponens paritatem inter obligationem abstinentiæ à pinguedine ex larido & adipe, ac ab ovis & lacticiniis etiam in quadragesima, malè doceat sequentia de abstinentia à pinguedine. *Dicimus, hanc consuetudinem non introductam esse absolutè & liberè animo se obligandi, sed initio ex devotione mera: postea verò ex errore creditum, adesse obligationem; quod autem ex errore vim legis habere putatur, eandem non habet, etsi omnes illud observent:* plus enim per hoc asserit, quàm ibi damnatur. Addo insuper, plurimos in Belgio putare, consuetudinem certis diebus quadragesimæ abstinendi à lacticiniis, & reliquis diebus jejunii abstinendi à pinguedine absolutè, obligare sub mortali, adeoque multi ex illa conscientia (licèt fortè erronea quoad hæc; puto enim omnes certò in quadragesima sub mortali debere per se loquendo abstinere ab ovis) mortaliter peccant ea tunc commedendo, ad quòd est bene attendendum. Pro casibus dispensationis, & necessitatis, vide dicenda *infra num.*95.*&* 96.

90. Adverte hîc à Lezana nullam factam esse mentionem de abstinentia à potu; quia juxta ipsum & alios communiter post D.Thom. 2. 2.*quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 2. liquidum non frangit jejunium: quod intellige (inquit idem Lezana *num.* 2. *circa medium*) etiamsi vinum sumatur, ut dicitur, in fraudem jejunii, id est ad sedandam stomachi inediam & famem: quia lex non attendit intentionē observantis sed ipsum actum: cùm ergo hic actus scil. vinum bibere, non sit contra præceptum jejunii, intentio illa non faciet ipsum esse contra præceptum. Ita cum Lez. sentiunt Navar. & Sanch. ab ipso citati, & cæteri communiter; quidquid pauci (inter quos est Sylvius) contrarium sustineant. Interim potus lactis, & juris, aut similium jejunium frangit; quia hujusmodi liquida habent rationem cibi, etiam dum sorbentur.

91. An verò potus lymoenade, ipocras & similium, frangant jejunium? Vide Dian. *part.*11. *tract.*6. *resol.* 54. ubi idem inquirit de simili potu dicto chocolata, de quo potu affirmativè respondet Lezana, contrariam sententiam vocans improbabilem: eam tamen ut probabilem admittit Diana, licèt antea absolutè contrarium sustinuerit: sed fortassis circa hoc placebit alicui responsio Leandri, data sub distinctione; igitur *de præced. Eccle. tract.*5 *disp.*5.*quæst.*5. sic discurrit. Si potio chocolatica parum habet admixtum sachari, amigdalarum, nucum, anizi & aliorum ingredientium, verè ex natura sua non franget jejunium, quia tunc remanet absolutè in ratione potus: si verò talis potio multum habet admixtum materiæ chocolatæ, ita ut quantitate valde excedat aquam, cum qua miscetur, tunc ex natura sua franget jejunium, quia remanet simpliciter in ratione cibi, si nimirum sumatur in magna quantitate. Hæc Leander: & secundùm hanc secundam partem distinctionis ait Diana fuisse locutum Lezanam, posseque concordari per illam responsionem pugnantes sententias DD. hac

in parte. Hinc non video, quomodo Lymoenade possit frangere jejunium si sistatur in hac doctrina, cùm semper retineat rationem potus: idem dic, saltem ordinariè, de ipocras: & nota, quòd stando etiam in sententia rigorosa, teste Diana supra, si quis sumeret duas uncias chocolatæ, non frangeret jejunium ratione parvitatis materiæ: ita etiam Murcia, Leander, & alii.

92. Dicitur etiam in definitione jejunii *à cibo*, inquit Lezana; quia ea, quæ sumuntur per modum medicinæ, etiamsi aliàs nutriant, non frangunt jejunium. Ita etiam Navar. Tolet. & Vidal: qui dicit, id non solùm intelligendum esse de pharmacis curativis, sed etiam de præservativis, dummodo non sumantur in fraudem jejunii, prout fieret, si quis in magna quantitate, vel sæpiùs in die electuaria sacharo condita, vulgo conservam, sumeret plusquàm necessitas exigat.

Petes primò, an abstinentia à carnibus sit de essentia jejunii ecclesiastici?

93. Respondeo affirmativè. Ita cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 147. *art.* 8. sentiunt Azor. Fagun. Bonac. & alii octo, quos citat & sequitur Vidal. supra *fol.* 198. *num.* 11. idque probatur, tum ex Ecclesiæ institutione ejusque generali, ac perpetua praxi, & consuetudine, tum etiam ex auctoritate, & testimoniis SS. PP. Theodoreti, Augustini, Basilii, Chrysostomi, & aliorum apud eundem Vidal: atque hinc apud Dian. *supra resol.* 25. Cajetanus, Liamas, Ledes. Gomez, Tolet. & alii bene inferunt, dispensatum in esu carnium censeri dispensatum hôc ipsô ad non jejunandum; quod & docet Vidal, ac ipso teste cæteri DD. communiter: quidquid id aliqui absolutè negent apud Dianam citati; & aliqui distinguant cum Lezana *loc. cit. num.* 11. qui tamen nostram sententiam probabilem esse fatetur, quam probat Vidal quatuor argumentis, confirmatque ex communi usu, & conceptu hominum statim judicantium, illum non jejunare, quem vident comedere carnes.

94. Dices, juxta capit. *Cum dilecti de do. & contum.* quando præceptum ecclesiasticum non potest observari quoad totum, servari debet quoad partem, dum potest; ergo non omnis, qui est dispensatus in esu carnium, est necessariò dispensatus in pluribus refectionibus. Respondeo Antecedens solùm esse verum, dum materia præcepti est divisibilis, ita ut servando partem, salvetur substantia & forma essentialis actus præcepti; non verò dum materia præcepti est indivisibilis, prout hîc contingit; quia non observatâ abstinentiâ à carnibus stare nequit substantia & essentia jejunii, quod hîc est actus præceptus; sublatâ autem essentiâ præcepti necessariò etiam tollitur totum præceptum. Neque hinc inferri potest, dispensatum in pluribus refectionibus esse dispensatum in esu carnium; quia non repugnat non jejunare, sive duas refectiones sumere, & à carnibus abstinere ut patet, prout juxta statim dicta repugnat edere carnes & jejunare, si jejunare sumatur propriè prout idem est ac observare jejunium ecclesiasticum, & non impropriè ac latè, prout est quædam abstinentia, ac parsimonia in quibuslibet cibis. His

95. Adde primò juxta communem DD. dispensatum ad edenda ova, censeri ipso facto etiam dispensatum ad alia lacticinia; quia sunt ejusdem rationis, sicque habet praxis Ecclesiæ: unde ubi est consuetudo comedendi ova, etiam licitè lacticinia comeduntur; quo nomine veniunt lac, butyrum, caseus &c. An verò illis diebus, quibus hæc licitè comeduntur, liceat etiam comedere laridum? Affirmant apud Loth.

art. 3.

art. 3. *suprà*, Glossa *in cap. Presbyter, dist.* 28. Hostien. *in summ. rubrica de jejunio*, Sylvest. *verbo jejunium num.* 16. insinuatque Fagundez: quorum ratio est, quia laridum non videtur esse caro. Verùm in hoc sentio cum Lotho, nimirum esse adhærendum locorum consuetudini; quamvis enim pinguedo in rigore non sit caro, magis tamen ad naturam carnis accedit, quàm ova, vel lacticinia. Ita etiam Vivald. Filliuc. Sylvius, & alii apud dictum Lothum: quidquid Gobat *in praxi clement. Judic. Decade* 4. *num.* 282. testetur, consuetudinem abstinendi à larido in Germania non esse introductam cum intentione se obligandi sub mortali.

96. Adde secundò juxta Vidal, tam agricolas, quàm reliquos pauperes in jejuniis quadragesimæ tutâ conscientiâ posse comedere ova & lacticinia, si ratione paupertatis commodè non possint alios cibos concessos habere; quia necessitas non habet legem: atque ipsa Ecclesia approbat ut bonas consuetudines illorum locorum, quibus ob penuriam piscium in quadragesima adhibentur ova & lacticinia. Ita ille, idem dicendum esse affirmans datâ paritate cum communi DD. ut ait, de cibo carnium, quando nempe non adsunt alii cibi pro nutrienda & conservanda vita: quæ vera sunt licèt habeatur panis; tum quia panis non est cibus omninò substantialis ordinatus ad vitæ sustentationem, ad eamque sufficiens; tum quia Ecclesia per præceptum jejunii non intendit tantam, ac tam difficilem abstinentiam: & hæc plures DD. apud Pasqual. *decis.* 49. *num.* 2. extendunt ad itinerantes, dum adveniunt ad illa loca, in quibus non reperiuntur pisces, vel ubi hi non possunt haberi nisi difficulter & magnò pretio; tunc enim est moraliter idem, ac si haberi non possent. Ita dictus Pasqual. quem sequitur Vidal *fol.* 205. *num.* 74. Cæterùm requiritur major necessitas, ut comedantur carnes, quàm ova & lacticinia; debetque in his omnibus semper caveri à scandalo. Vide circa hæc Dian. *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 59. qui non audet admittere, eum posse carnes comedere, qui per unum solùm diem careret aliis cibis præter panem; quem in hoc sequor, nisi fortè persona esset delicata & assueta epulari splendidè, vel è contra robusta valde & enutrita vilibus escis, ut sunt rustici pauperes, qui vix unquam saturari possunt micis &c. Ita etiam nobiscum sentit Leander.

Petes secundò, an parvitas materiæ in esu carnium die jejunii excuset à mortali?

97. Sententiam affirmativam satis esse probabilem, asserit Busenb. *lib.* 3. *tract.* 6. *dub.* 1. ex Bonac. & Tannero; quibuscum ego absolutè respondeo affirmativè, atque ita DD. communiter teste Dian. *loc. cit. resol.* 22. Ratio est, quia non est cur in hac materia non æquè ac in aliis id contingat. Verùm difficile est determinare, quænam quantitas carnis hìc censeatur materia parva. Respondet Pasqualig. *decis.* 42. *num.* 5. *& seqq.* esse circiter dimidiam unciam: sed hanc ejus opinionem nimis laxam esse asserit Leander *de præcept. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 12. & rectè (inquit Dian. *p.* 10. *suprà*) nam aliàs in die jejunii lubenter sumeret quis mediam carnis unciam cum duabus vel tribus unciis panis in collatione serotina; sicque enim non parùm, sed multùm corpus reficeretur. Rectius itaque Hurtad. & Trullench asserunt, materiam parvam in hoc casu esse frustulum exiguum, sive particulam minimam carnis. Quibus omnibus

98. Adde, licitè ministrari carnes parvulis ante completum septennium diebus jejunii. Ita DD. communiter teste eodem

Diana *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 42. contra Sylvium; qui tamen concedit id licere ubi non adest consuetudo in contrarium: sed immeritò apponit hanc limitationem; si enim parvuli ante septennium non ligentur legibus (etiam juxta Sancium in selectis *disp.* 41. *num.* 31. licèt aliquis in particulari ante sit doli capax, si agatur de legibus positivis, de quibus hìc) à fortiori non ligantur consuetudinibus, quæ sunt leges non scriptæ. Idem circa hoc dicendum esse de perpetuò amentibus, asserunt Sanch. & Fagund. quos *loc. cit.* sequitur Diana contra Sancium: vide eundem Dian. de novo id agitantem *p.* 10. *tract.* 12. *resol.* 37. *& p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 56. ubi rejicit sententiam Marci Serra, quâ contra communem omnium, paucissimis exceptis, docet, pueros non teneri à carnibus abstinere ante annum duodecimum; additque, hanc sententiam fuisse correctam in libro Emman. Sa à Magistro S. Palatii. Fundamentum autem Serra erat, quia pueri non tenentur ante dictam ætatem ad leges ecclesiasticas; quod universaliter docuit S. Antoninus, sed in hoc non audiendus, quia loquitur contra communem usum Ecclesiæ & omnium DD. mentem. Vide etiam Gobat *in Alphab. commun. casu* 6. *num.* 129.

99. Petes tertiò, quomodò liget præceptum abstinentiæ in diebus Rogationum & similibus. Eam abstinentiam olim in Ecclesia Romana usitatam fuisse tradit Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 8. & adhuc modò eam in pluribus locis, ait, observari, licèt non ex præcepto, sed consilio. Verùm pro Belgio nostro, Respondeo cum Lotho *suæ Theol. moral. tract.* 19. *quæst.* 2. *art.* 6. esse abstinendum à carnibus, idque sub peccato mortali, vi consuetudinis ibi sic introductæ. Sic etiam habet pro Belgio *in Tribun. tract.* 12. *tit.* 3. *quæst.* 2. *resol.* 1. Petrus Marchant. Cæterùm abstinentiam à carnibus certis diebus rectè ab Ecclesia institutam esse, demonstrat Lothus *tract.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. contra hæreticos. Attamen quia Catholicus ac Religiosus Joannes Caramuel quærit, an sit mortale vesci carnibus die Veneris? ei pro modulo satisfacere conemur. Sit igitur

QUÆSTIUNCULA.

An sit mortale peccatum comedere carnes die Veneris.

100. CAramuel *Theol. suæ fund. par.* 1. *fol.* 191. sic discurrit: *Petrus vir robustus & fortis, & qui piscibus libenter vescitur, se ait in abstinentia à carnibus, quam Catholici observant, nullam incommoditatem, nullam utilitatem, nullam mortificationem sentire: & concludit abstinentiam à carnibus erga se esse rem, quæ leviter potest conducere ad finem, quem proponit Ecclesia. Cum igitur non solùm peccet venialiter, qui omittit medium, quod ad finem levem ordinatur, sed & ille, qui medium omittit, quod ad finem gravem leviter censetur conducere; si abstinentia à carnibus die Veneris leviter conducat ad finem, quem intendit Ecclesia, putat solùm obligare venialiter. Confirmat, magis enim necessaria sunt jejunia & abstinentiæ ad vitam monasticam & religiosam, quàm ad vitam Christianam: at in multis Ordinibus jejunia regularia creduntur esse res parvi momenti & solummodò obligare ad veniale: ergo idem à fortiori de ecclesiasticis dicendum. Sic philosophari solet* Petrus,

Petrus, at multò duriùs & exorbitantiùs Fredericus. Venus è mari oriri dicitur, quòd marina omnia sint venerea: ardet luxuria in undis, & in omni conchatum genere evidentiùs, & in omnium piscium genere satis clarè excitatur. Carnes suavioris & purioris nutrimenti nec sunt, nec ita concupiscentiam irritant nec alterant lascivos humores. Ergo finis, quem intendit Ecclesia, cessare videtur contrariè: ast quando finis contrariè cessat, cessat absolutè ipsa lex; ergo nemo comedere pisces tenebitur. Ita Caramuel nomine Petri & Frederici. Ad quæ

101. Respondeo, argumento Petri plenè satisfieri improbando sententiam docentem, cessante fine legis in particulari cessare ipsam legem similiter in particulari; quam esse falsam ostendemus *in tract. de leg.* Deinde omninò falsum reputo, quod adfertur à Petro, videl. se nullam utilitatem &c. invenire in abstinentia à carnibus; quia, velit nolit, fateri cogitur, eam reprimere carnis concupiscentiam; nam carnes (quidquid ipse fortè pro aliquot vicibus libentiùs pisces comedat) plus nutrimenti adferunt quàm pisces, atque adeò copiosiorem materiam nutrimento ultimo superfluam & spirituosam important, quæ in corpore servatur, & ad propagationem speciei ordinatur. Hæc autem materia quantò est abundantior, tantò majus est incitamentum luxuriæ; ut notat Loth *loc.cit.art* 2. & alii omnes contra Petrum. Ad id verò, quod adferri posset de quibusdam piscibus raris, constabit ex dicendis contra Fredericum.

102. Insuper Arriaga *tract. de leg. disp.* 27. *sect.* 3. ubi docet, *cessante fine legis in particulari cessare & obligationem legis similiter in particulari*, ad hæc respondet, in præcepto abstinentiæ ac jejunii duos ab Ecclesia intendi fines, nempe præter illum extrinsecum allatum à Caramuele, etiam honestatem quamdam, videl. imitationem Christi patientis ac jejunantis, cultum alicujus Sancti &c. quam honestatem dicit Arriaga consideratam à legislatore jejunii, huncque eâ motum fuisse.

103. Dicet fortè Caramuel in persona Petri, fateor quidem hanc honestatem aliquo modo movisse summum Pontificem, ut legem jejunii aut abstinentiæ ferret, sed adeò leviter, ut ob eam secluso alio fine legem non condidisset. Sed

104. Respondeo, transeat hoc, interim adhuc manifestè apparet, illud objectum (jejunium videl. & abstinentiam) tunc adhuc manere dignissimum ut imperetur; ergo tunc meritò possumus præsumere, inquit Arriaga, de voluntate legislatoris, quá velit perseverare obligationem suæ legis; imò id debemus præsumere, inquam ego, eò quòd lex permaneat in possessione; juxta ea, quæ habet ipse Caram. *fol.* 192. *in fine*, ubi dicit, in dubio standum esse omninò pro possessione, quæ erat ante illud dubium; unde si electio Superioris sit dubia, standum erit pro non electione; si autem depositio sit dubia, standum erit pro non depositione. Quod idem est ac si diceretur, si publicatio & acceptatio legis sit dubia, standum erit pro non publicatione; si autem abrogatio sit dubia, quod hîc contingit, standum erit pro non abrogatione. Nec requiritur tanta causa ad continuandam legem, ac ad eam primò condendam, ut ostendo in simili: dum quis de facto amat aliquam rem ob duos fines particulares, erga quam jam multùm afficitur, quam tamen nunquam incepisset amare in absentia unius ex istis finibus, licèt postea unus finis cesset, facillimè tamen in ejus amore perseverat. Addo & aliud simile magis ad propositum; præcipit Superior Confessario subdito, ut exeat ad invisendum unum ægrum & alterum sanum,

sanum, id minimè præcepturus, si æger non esset invisendus; fertur nuntium, ægrum obiisse, unde cessat hic finis; tamen quia jam præcepit egressum, in præcepto perseverat ob solum finem alium, qui non movisset eum ad præceptum ferendum.

105. Si verò dicat Petrus, ad præceptum de jejunio & abstinentia non esse motum summum Pontificem à dicta honestate, vel cultu Sanctorum, sed præcisè ne concupiscentia excitetur: præterquàm quòd ostenderimus hunc finem semper perseverare, respondeat mihi cur jejunia & abstinentiæ rectè incidunt, vel in diem Veneris & Sabbathi, in quibus habetur memoria Passionis Christi & Virginis Mariæ, vel in Vigiliis Sanctorum. Deinde si finis dicti præcepti præcisè sit quietatio concupiscentiæ, unde dicetur mortaliter peccare, qui per totum annum diebus Martis & Jovis à carnibus abstinens, illas comedit diebus Veneris & Sabbathi? Qui die Veneris sancto & in Vigilia Paschatis carnes comedit & ab illis abstinet duobus primis festis Paschalibus? An hic non obtinebit finem illum præcepti tam bene quàm cæteri? Vel fortè plus carnes excitant concupiscentiam die Martis & Jovis, quàm Veneris & Sabbathi? Videat igitur Petrus, quis sit finis adæquatus jejunii & abstinentiæ.

106. Accedamus ad confirmationem Petri, cui facilè, meo quidem judiciô, potest satisfieri. Fateor igitur magis necessaria esse jejunia & abstinentias ad vitam monasticam & religiosam, quàm ad Christianam: sed an non etiam magis est ad vitam religiosam necessarium, & plùs ad perfectionem conducens, amore duci quàm timore? Non ergo jejunia Religionis solùm obligant ad veniale, quia jejunium res levis est; sed quia legislator eorum, vel ipsa Regula non intendit Religiosos ad jejunia Ordinis obligare nisi sub veniali peccato, neque est Regula aliter à Religiosis acceptata. Et hoc mihi manifestum est ex eo, quòd quidam Religiosi ad jejunia sui Ordinis sub mortali obligentur, alii sub veniali tantùm, imò & alii sub nulla culpa. Miror hæc à Petro non fuisse considerata.

107. Audiamus insuper Fredericum: *Venus*, inquit, *è mari oriri dicitur* &c. *Ergo nemo comedere pisces tenebitur*. Peto inprimis, an qui Frederico concederet consequentiam, malefaceret, aut quidquam falsi admitteret? Ego certum reputo, & laudabile semper fuit à carnibus simul & piscibus abstinere, præsertim istis extraordinariis, qui plùs cæteris concupiscentiam excitant. Respondeamus interim ad præmissas: transeat, Venerem dici è mari oriri, & marina omnia esse venerea, ardere luxuriam in undis &c. Nego tamen finem Ecclesiæ per hæc cessare contrariè: primò, quia cùm ex duobus ad Venerem excitantibus (prout sunt carnes & pisces) ad quæ ambo poteras te priùs determinare, unum Ecclesia tibi inhibet, adhuc multum efficit in ordine ad te retrahendum à luxuria, maximè si inhibeat id, quod magis aliò excitat, prout facit. Nec Ecclesia per hoc quemquam cogit ad comedenda ista marina extraordinaria, ad quæ tanquam omninò particularia non attendit, sed ad carnes & pisces in communi, prout intendit omnes in communi suâ lege obligare. Sicut ergo Ecclesia non esset dicenda frustrari suo fine, si inhiberet vinum, ne sua membra inebrientur, quamvis permitteret potum cerevisiæ potentis; imò sicut è contra neque id verè dici posset, si in Belgio (ubi usus cerevisiæ est frequens & communis, prout ubique communis est usus carnium) inhiberet cerevisiam potentem

tentem tantùm, quamvis aliunde certum sit vinum plùs inebriare quàm cerevisiam, eò quòd inhibendo cerevisiam fortem non compellat ad bibendum vinum, sed ex duobus inebriantibus removet unum inebrians: ita similiter dicendum est de casu nostro.

108. Deinde nihil refert, quòd Venus plùs excitetur per conchas; quia ad has Ecclesia non cogit ut dixi, hasque anteà simul cum carnibus sumere licebat; & illas non inhibuit, quia voluit condere legem generalem, quæ prodesset omnibus, & ligaret omnes. Ex his apparet argumentum Frederici esse reverà valde durum & exorbitans. Hæc latè volui ponere, quia vereor, ne similia falsò deducta, & nulli prorsus fundamento innixa ab aliquibus practicentur ob apparentiam veritatis, quam primâ fronte videntur habere suppositâ veritate sententiæ Dianæ, Arriagæ, & aliorum; quam nos ostendentes esse falsam, nullam in his difficultatem patimur. Dixi similia nulli prorsus fundamento, etiam apparenti, esse innixa, quod hoc modo clarè ostendo; ista & similia non fundantur nisi in auctoritate dictæ sententiæ (secundùm rationem enim huc usque ab omnibus tanquam mera absurda sunt habita:) dicta autem auctoritas nulla est, quia vel ex ista sententia non sequuntur similia, ut contendunt omnes ejus Auctores: vel si reverà sequantur, est improbabilis & absurda sententia, prout illa, quæ inde deducuntur, sunt absurda ipsis ejus Auctoribus spontè fatentibus. Atque hæc ratio omninò convincit, nihil in praxi tutum esse istorum, quæ Caramuel propositivè licita esse probare conatur ex supposita veritate dictæ sententiæ de cessatione legis cessante ejus fine in particulari: quæ omnia non sequi ex illa sententia, potiùs tenetur Caramuel ostendere quàm nos, nisi velit absurda esse licita; nam ipse prædictam sententiam Dianæ suam esse dicit *in comment. in regul. D. Bened. num.* 50. eamque (licèt malè) asserit videri evidentem *par.* 1. *Theol. fundam. fol.* 384. citatque pro ea alios decem Auctores; quorum tamen auctoritas nihil conducit ad ea, quæ Caram. adfert ex Petro, & Frederico, ut statim ostendimus.

§. IV.

De secundo ad jejunium requisito, quod est refectio unica: & de collatione.

109. DE illa sic loquitur Lezana *ubi suprà num.* 4. Consistit secundò ritus jejunii ecclesiastici in eo, quòd in illo tantùm una refectio seu comestio fiat: ita enim Ecclesiæ consuetudo obtinuit, esto nullus textus pro eo adferri possit. S. Thomas *suprà art. 6.* & Theologi communiter: non tamen propterea tollitur quo-minùs sumi possit aliquid in parva quantitate ratione officii, ut contingit in pincernis Principum ad faciendam credentiam, vel ratione urbanitatis, ut si aliquis post prandium finitum invitetur ab amico ad modicum cibi gustandum, vel propter aliquas causas similes honestas. Similiter nec tollitur quo-minùs, si aliquis ob aliquod negotium prandium interrupit, possit absoluto negotio aliquâ etiam morâ temporis prudentis arbitrio judicandâ interjectâ, prandium perficere, si,

animo continuandi illud, discessit: talis enim intentio facit quòd duplex illa refectio censeatur moraliter una. Cajet. Azor. Layman. Similiter nec tollitur jentaculum seu refectiuncula serotina, vulgò collatio: ita enim consuetudine ferè universali introductum est. Iidem, & alii communiter. Quamvis autem circa quantitatem vel qualitatem cibi, qui edi potest in hac refectiuncula, varietas sit opinionum, & aliquæ tam laxæ, ut verendum sit ne jejunium ecclesiasticum vel omninò de medio tollant, vel rem de solo nomine faciant; ea tamen amplectenda est, ut in hac re attendi debeat ad consuetudinem legitimam inter probos & timoratos regionum: cum enim hæc refectiuncula consuetudine introducta sit, consuetudine etiam (qualis non est ea, quæ reperitur inter parum timoratos, quia hæc potiùs est corruptela seu abusus) inter probos & timoratos quoad modum mensurari debet. Tolet. Bonac. Credo tamen regulariter non debere in ea excedi in quantitate tres aut quatuor uncias, nec in qualitate posse esse ex alio cibo, quàm ex pane, fructibus, herbis, oleribus: talis enim est usus inter regulares & morigeratos. Hæc verbotenus Lezan. quæ quia breviter sunt dicta, quoad singula, pauca subjiciam. Quare

110. Addo primò, unicam refectionem esse de essentia jejunii ecclesiastici, ut cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6. docent omnes; atque ita habet Ecclesiæ universalis consuetudo: quæ sola præscribit unicam refectionem faciendam esse in die jejunii, ut notavit Lezana: quidquid tamen habeatur quidam textus canonicus *in cap. Quadragesima de consecrat. dist.* 5. qui teste Vidal multùm suffragatur & juvat ad affirmandum in jejuniis unicam tantùm refectionem esse faciendam. Hinc videtur posse deduci satis probabiliter, illum non peccare, saltem mortaliter, qui post secundam refectionem adhibet tertiam & quartam; quia cùm post secundam refectionem jejunii observatio reddita sit impossibilis, & nemo ad impossibile cogi possit, non videtur ampliùs ligari præcepto jejunii. Ita apud Dian. *p.* 1. *tract.* 9. *res.* 44. DD. communiter, & nominatim quatuordecim quos ipse citat, præter alios plures quos citat & sequitur Fagund. *præcepto* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Imò idem Dian. *ibi res.* 53. docet, nequidem peccari venialiter in tertia aut quarta refectione, pro se citans Sancium & Villal. quamvis nuperrimè Lothus cum multis dicat, etiam in tertia & quarta refectione probabiliùs peccari mortaliter. Verùm quidquid de hoc sit, omninò mortaliter delinquitur, quoties in die jejunii carnes comeduntur, ut cum omnibus communiter docet Dian. *supra resol.* 45. Ratio sumitur ex mente Ecclesiæ in die jejunii absolutè interdicentis carnes, ne unquam scil. comedantur, seu nulla parte diei: quare cùm quoad reliquas diei partes maneat hoc præceptum observatu possibile, licèt quis manè v.g. carnes comederit, adhuc pro reliquis diei partibus obligat. Ita quoad hæc omnia etiam docet Urban. *tract.* 1. *cap.* 48. *in fine.*

111. Addo secundò, eum, qui rogatus ab amico sumit modicum cibum, non tantùm non violare jejunium, sed nequidem venialiter peccare juxta Vidal *fol.* 205. *num.* 86. qui pro se citat Lezanam, & alios septem. Ratio ipsius est, quia ille cibus non sumitur per modum comestionis, neque ex deliberata intentione comedendi, sed solùm urbanitatis causâ in obsequium amici, cui obsequi pertinet ad specialem virtutem. Ita Vidal; addens tamen, id solùm esse verum, si sistatur in illa cibi quantitate,

titate, quæ continetur inter parvitatem materiæ (quæ juxta Dian. *p.* 10. *tract.* 14. *resol.*56. circa finem, est quantitas duarum unciarum) sive interim id fiat semel sive pluries. Si verò adsit periculum, inquit, quòd totus cibus sic sumptus excedet terminos parvitatis materiæ cum prava intentione violandi jejunium, mortale peccatum erit. Ubi adverte eum addere, *cum prava intentione* &c. per quod videtur velle, eum adhuc non peccaturũ, saltem graviter, qui excedet dictam quantitatem si desit prava intentio: quod videtur mihi nimis laxum, & puto contrarium omninò esse verum si adsit advertentia in comedente ad dictum excessum: quia non requiritur sumptio cibi tam ampla ut urbanitati plenè satisfiat. Imò fortè rogatus inter Christianos ut comedat, inurbanitatis notam non incurret si dicat, *ego hodie jejuno*; præsertim si eo die præceptum ecclesiasticum urgeat.

112. Insuper etiam satis laxa sunt, quæ habet idem Vidal *fol.*211.*num.*154.*& seq.* licèt primum etiam doceant Pasqual. & Diana; nempe posse jejunantem sine gravi culpa, primò manè comedere duas uncias cibi & bibere ad tolerandum faciliùs jejunium, & postea circa meridiem prandere, & ad vesperas sumere refectiunculam, idque etiam sine veniali culpa si adsit justa causa. Item posse jejunantem sumere extra prandium sine fractione jejunii ad sitim sedandam pomum, vel pyrum, vel mala medica vulgò aranci vel quid simile; quamvis enim hæc sint res comestibiles, attamen non ordinantur principaliter ad nutriendum, sed sumuntur loco potus: ergo sine fractione jejunii, dummodò sint in modica quantitate, si loquamur de pomis, & pyris, & aliis ejusmodi fructibus; at si loquamur de malis massilicis, vulgò limoni, vel de malis medicis vulgò aranci, & cæteris similibus fructibus, poterunt adhiberi ad sedandam sitim quoties libuerit; quia etsi videantur habere rationem cibi, at, dum conteruntur dentibus, in liquorem resolvuntur, & per modum potus in stomachum transmittuntur. Ita asserit Pasqual. qui doctissimè addit (ob eandem scil. rationem) posse per diem adhiberi uvam recentem etiam in notabili quantitate ad sedandam sitim sine jejunii tractione. Hæc omnia Vidal *loc. cit.* Quibus addendum adhuc erat ex Dian. Villalob. Homobono, & aliis; sine violatione jejunii licitum esse sumere interdiu parum cibi ne potus noceat, ut est v. g. exigua portio alicujus electuarii, quinque vel sex amigdalæ saccaro confectatæ, vel quid simile, imò & modicum panis, herba &c. quidquid in hoc reclamet Azorius, quem falsi arguunt Laym. & Fagundez; quia (inquiunt) etiam ista per modum medicinæ sumi possunt ne potus noceat: quod & Dian. *p.*1.*tract.*9. *resol.*24. cum Fagundez ait intelligendum esse toties quoties quis biberit, dummodò id non faciat in fraudem jejunii, sed ne potus noceat. Quantitas verò, quæ sumi potest ne potus noceat juxta Leand. quẽ citat & sequitur Dian. *p.*10.*tract.*14.*resol.* 59.*in fine*, est regulariter loquendo infra dimidiam unciam, eò quòd hæc quantitas, inquit, videatur necessaria & sufficiens, ut potui in stomacho commixta impediat ipsius nocumentum: unde carpit Pasqual. quòd admittat quantitatem infra unam unciam. Verùm ego omnibus, qui desiderant integrè & fructuosè ad intentum Ecclesiæ adimplere jejunii præceptum, suadeo, nisi saltem aliqualis adsit necessitas, ut abstineatur à potu, qui solus sine nocumento sanitatis sumi non potest: tunc enim non nocebit sanitati potus, nec cibus integritati jejunii. Atque

has sententias nullatenus proferendas esse coram sæcularibus existimo: facilè enim iis abuterentur; & puto de facto sub colore *ne potius noceat*, sæpiùs à variis aliqua sumi, ut potus meliùs sapiat. Deinde Dian. *par.* 10. *supra resol.* 56. improbat id, quod de uvis recentibus ex Vidal & Pasqual. retulimus, pro se citans Leandrum, cujus probationes adfert in contrarium, quique evertit fundamentum Pasqualigi & Vidal *ibid.* Etiam rejicitur sententia eorumdem de pomis & pyris supra, & præcipuè Pasqualigi docentis, licitum esse esum istorum si solus succus deglutiatur, & ejiciatur substantia alia habens rationem cibi: quod revera mihi apparet ita speculativum, ut nequeat in praxim deduci, quin continuò aliquid dictę substantiæ succum ad stomachum descendentem comitetur: videat igitur & legat Dianam, Leandrumque Vidal, & videbit, quàm indoctè ipse & Pasqual. superiora docuerint, maximè si advertat ad propositionem nuperrimè ut scandalosam damnatam à Sanctissimo Domino Alexandro VII. per expressum Decretum editum die 18. Martii 1666. *In die jejunii; qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Certè omnes illæ parvæ quantitates in illam notabilem coalescunt: quia licet fortè illas sumens ab initio non intenderit ad hanc pervenire, illæ tamen quoad nutrimentum & refectionem conjunguntur & retinentur. Nec improportionatè fit paritas à furante plures parvas materias, qui dum pervenit ad eam, quæ simul cum aliis constituit materiam gravem seu notabilem, peccat graviter in retentione; & de hoc ad casum nostrum paritatem trahit Mendo *in statera benign. opinionum dissert.* 8. *quæst.* 5. *num.* 22. Videatur etiam circa hæc Thomas ab Amedæo Guimenio *tract. de jejunio prop.* 6.

113. Addo tertiò, quoad divisionem refectionis non convenire DD. quænam sit illa mora temporis inter media, post quam quis, qui prandium interrupit ob aliquod negotium, possit eo absoluto prandium perficere. Pasqualigus enim *decis.* 121. *num.* 5. & 6. contendit non frangi jejunium, etiamsi (urgente aliquo negotio) usque ad noctem prandium interrumperetur. Ratio ejus est, quia cum illa interruptio, licèt satis longa, non sit voluntaria sed ex necessitate, secunda comestio censetur pars & complementũ prioris, quæ imperfecta fuit relicta. Diana verò contrarium sustinet cum aliis pluribus si per longum tempus ad arbitrium boni viri prandium fuerit interruptum; quod & vult Lezana, ut ex ipsius verbis constat: illud autem longum tempus juxta Doctores communiùs est, si excedat unam horam, vel saltem, secundùm aliquos, duas. Verùm, meo quidem judicio, neutra ex allatis sententiis potest esse generaliter vera: quare ego ad propositum cum Leandro *de præcept. eccles. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 33. Respondeo sub distinctione, & dico, eum, qui etiam ob justam causam interrumpit per amplius, quàm per unam aut duas horas prandium; non posse sine violatione jejunii ad ipsum complendum redire, si aliàs in prima comestione sumpserit quãtitatem cibi sufficientem ad jejunium sine magno incommodo tolerandum; quia in eo casu videtur hoc tempus sufficientissimum ad constituendas duas comestiones distinctas: sic ergo approbo ex parte sententiam Lezanæ & Dianæ, qui ultimus *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 62. adhæret sententiæ Leandri. Secus verò puto locum habere sententiam Pasqualigi in casu, quo interrumpens, talem sufficientem cibi quantitatem non sumpsisset in comestione prima: quod à nullo judico negandum.

Cæterùm

Cæterùm utroque casu licitum erit iterum accedere ad prandium, si mora temporis interjecta fuerit minor quàm unius horæ, vel etiam duarum secundùm Leandrum, qui in hoc pro se citat Sancium, Angles, & alios: debet tamen semper adesse intentio perficiendi prandium negotio absoluto; quia hæc est quæ moraliter continuat duas prandii partes, efficitque ut sint unum prandium.

114. Addo denique quoad collationem, rectè quidem à Lezana dici esse servandam consuetudinem timoratorum cujusque regionis, quod & asserit Urban. *tract.* 1. *cap.* 28. *circa medium*: qui bene addit, etiam quantitatem collationis diversam esse pro diversa necessitate jejunantium, aitque quartam partem integræ refectionis non excedere limites justæ collationis, prout satis communiter, inquit, putant recentiores, modò comedatur solus panis, fructus, aut herbæ coctæ etiam cum oleo vel butyro. At Dian. *par.* 1. *tract.* 9. *resol.* 1. hanc sententiam nimis laxam existimat, licèt concedat, licitum esse sumere sex, imò & octo uncias ciborum, asseratque sibi semper summoperè placuisse sententiam, quam sustinet Lezan. & Urban. nimirùm quoad quantitatem collationis attendendam esse locorum consuetudinem. Sed ego non video quomodo Dian. admittat generaliter licitè sumi in collatione quantitatem octo unciarum, & neget, etiam generaliter, posse sumi quartam partem integræ refectionis: cum plurimi in integra refectione non excedant, imò non sumant, quantitatem triginta duarum unciarum in solo cibo.

115. Cæterùm quamvis aliqui recentiores (inter quos sunt Bonac. Pasqual. Vidal & alii) doceant, in collatione serotina non esse attendendum ad qualitatem ciborum, modò non excedatur in quantitate; omninò puto insistendum sententiæ aliorum DD. oppositum docentium, è quibus Dian. *loc. cit.* citat triginta-unum, simul adferens singulorum verba; qui idem Dian. *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 57. acriùs invehitur in Patrem Vidal & Pasqual. permittentes lacticinia, & ova in collatione extra quadragesimam: ac *resol.* 58. *seq.* Ubi quærit, an in collatione sumi possint pisces; sic ait; Hic casus fuit à me sæpiùs pertractatus; sed quia sæpiùs oppugnatus, erit etiam sæpiùs defendendus, ut firma remaneat consuetudo tot sæculorum, & communis DD. sententia: à qua sola consuetudine sumo ego fundamentum meæ, Lezanæ, Urbani, & Dianæ sententiæ; quia sicut solà consuetudine collatio est introducta, ita & regi & moderari debet consuetudine proborum virorum, qui hucusque non solent pisces, & ova apponere. Verùm his non obstantibus præter Bonac. & alios ante citatos, Petrus, & Jacobus Marchant. cum Wiggers, quos citat & sequitur Loth. docent non esse curandum de qualitate cibi, qui in collatione sumitur, modò non excedatur in quantitate: quare puto excedere Dianam, dum hanc sententiam improbabilitatis notâ inurit; judicoque contra ipsum, non esse mortale, sed veniale dumtaxat, in collatione parvam quantitatem piscis sumere: imò fortè in aliquibus locis neque erit veniale, si verum est, quod tradit Lothus, nempe in aliquibus locis solitum esse, etiam inter timoratos, aliquid piscis sumere in collatione serotina non excedendo debitam quantitatem. Ubi

116. Adverte primò, juxta Vidal *fol.* 210. *num.* 146. non esse mortale peccatum, excedere quantitatem pro collatione supra assignatam ad unam vel duas uncias tantùm; quia quantitas ipsius moraliter mensuratur; unde, inquit, censetur non

excedere terminos refectiunculæ si excessus sit in modica quantitate. Atque hoc etiam docent Leand. & Dian. *p.* 10. *tract.* 14. *resol.* 57. *in fine*: quod ex eo deducunt, quia quantitas duarum unciarum est parvitas materiæ excusans à violatione jejunii: quidquid tamen sit peccatum veniale eam sumere.

117. Adverte secundò, juxta Lezan. & Urban. locis citatis, licitè sumi ampliorem collationem in Vigilia Nativitatis Domini, sicut & in die Cœnæ Domini, propter consuetudinem: unde Azor. & Dian. *par.* 1. *tract.* 9. *resol.* 35. volunt, in Vigilia Nativitatis posse accipi duplo majorem collationem adeoque sedecim uncias juxta aliam sententiam Dianæ. Imò Sanch. apud Loth. *suprà*, dicit, posse sumi ad saturitatem ex fructibus sive conservis, non tamen ex rebus ad cœnam deservientibus. Quod dicitur de Vigilia Nativitatis, extendit etiam Vidal *fol.* 211. *num.* 151. cum Vasq. ad Vigilias Paschatis & Pentecostes, quia, inquiunt, etiam in illis est jejunium lætitiæ, nam solemnitates festi subsecuturi incipiunt in ipsis vigiliis. Verùm quoad has vigilias standum omninò est consuetudini, quæ est in contrarium. Adde juxta Busenb. in quibusdam locis plus permitti sæcularibus quàm religiosis, nobilibus quàm plebeis, & in frigidis regionibus quàm in aliis; idque ob consuetudinem: quod cum grano salis accipiendum existimo, si nimirùm talis consuetudo vigeat inter viros timoratæ conscientiæ, ac Prælati Ecclesiastici non reclament.

118. Adverte tertiò, secundùm Vidal *fol.* 211. *num.* 139. licitè sumi coctam cum jusculo totam illam quantitatem cibi, quæ cruda non excederet; quia aqua mixta cibo cocto non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem, sed solùm temperat cibi qualitatem in ordine ad faciliorem concoctionem in stomacho. Ita Vidal.

§. V.

De tertio ad jejunium requisito, quod est certa refectionis hora.

119. De hac Lezan. *verbo jejunium n.* 5. iterum breviter sic ait. Tertiò consistit ritus jejunii ecclesiastici in eo, quòd illa unica refectio fiat tempore, Ecclesiæ consuetudine, determinató, scil. circa meridiem; ita ut aliter sine causa rationabili facientes peccent. Sylvest. Navar. licèt autem aliqui dicant hoc peccatum esse mortale; credo tamen non esse nisi veniale. Id certius quòd causâ rationabili subsistente, puta itineris faciendi, vel aliâ piâ causâ, nullum sit peccatum anticipare hoc tempus, quia hoc modo & non alio intellecta est obligatio hujus præcepti. Cajetanus, Navar. & Tolet. Idem dicendum si ex rationabili etiam causa, puta studii, itineris &c. collatio serotina fiat manè, & prandium nocte propter eandem rationem, Ita Lezan. & Urban. qui fere eodem utitur loquendi modo. Imò Joannes Sanchius in selectis *disp.* 53. *n.* 2. dicit, id nequidem esse veniale, licèt sine ullâ causa fiat; judicatque id perfectius & strictius, eò quòd tunc inedia sit productior, & longior corporis afflictio; cujus tamen sententiam rejiciendam esse dicit Diana *p.* 11. *tract.* 3. *resol.* 9. quia aliena est ab usu Ecclesiæ: ipse interim cum aliis inter causas justas dictæ mutationis admittit venationem & piscationem ob solam animi relaxatio-

relaxationem, lusum pilæ post refectiunculam, faciliorem aliorum negotiorum expeditionem, hospitum dimissionem vel receptionem &c.

120. Addit supradictis Urban. etiam non frangere jejunium eum, qui ut legat vel serviat in refectorio, aliquid sumit; censetur enim, inquit, tantùm inchoare prandium. Idem dicit Vidal de famulis inservientibus mensæ dominorum, ac comedentibus fragmenta ciborum, quos de mensa tollunt, dommodò tamen sint pransuri post dominos: additque etiam non violare jejunium illum, qui paulò ante prandium sumit aliquid cibi, etiam in magna quantitate, dummodò ante prandium non interponatur notabile tempus, sed tantùm illud quod moraliter censetur idem cum tempore prandii, ut est per quartam partem horæ aut tertiam ad summum: ratio ipsius est, quia tunc illa comestio habetur tanquam proxima dispositio ad prandiũ, & veluti inceptio ipsius. Hæc etiam fere omnia sustinet noster Bacho *in* 4.*dist*.20. *q*.1.*art*.2. Imò consuetudo est in quibusdam partibus Belgii, quòd horâ undecimâ sumatur aliquid cibi, differendo prandium ad horam duodecimam: & scio varios Confessarios super hoc à pœnitentibus consultos dixisse, talem consuetudinem non frangere jejunium.

121. Cæterùm Vidal *fol.*206.*num.*95.*& seq.* probat, non esse de essentia jejunii, ut servetur hora consueta refectionis: unde deducit (quod docent Lezan. Urban. & alii communiter, ut vidimus) non esse mortale horam istam anticipare; quod & satis fusè probat. Quibus tamen omnibus non obstantibus, contrarium adhuc sustinet Lothus *suprà art.* 9. quia si salva jejunii substantiâ potest hora refectionis solita ad libitum anticipari ad quamcumque horam, evacuaretur finis jejunii, ejus difficultas, & carnis mortificatio, sicque eluderetur præceptum Ecclesiæ; quia quamprimùm inciperet homo pati famem, posset optimam sumere refectionem, & eâ ratione diem sine difficultate transigere. Ita Lothus. Dixerat autem parum ante, conveniunt DD. nullum esse peccatum prævenire illam horam refectionis etiam notabiliter, si fiat ex causa legitima v.g. quia non vacabit horâ consueta comedere &c. Sententiam Lothi docent etiam Covar. *lib.*4.*variar.cap.*2.*n.*14. Navar. Sylvius & alii. Vide Dian. *p.*1.*tract.*9.*resol.*27. *&* 48. ubi Sancius docet, eum, qui putabat se iter facturum & ideò manè sumpsit integram refectionem, non teneri ampliùs ad jejunium, licèt posteà ab itinere impediatur; quia juxta hanc sententiam jejunium est ipsi redditum impossibile & consequenter etiam observatio præcepti illud præcipientis. Vide etiam eundem Dian. *p.*10.*tract.*14.*resol.*61. ubi in contrarium sic loquitur; notandum est hic obiter, quòd si quis inadvertenter cibum sumeret in die jejunii, jejunium non frangeret, adeoque teneretur illud reliquo tempore diei servare: nam illa comestio, vel quia carnium, vel quia pluries facta, licèt substantiæ jejunii adversari videatur, tamen prorsus est involuntaria respectu jejunii, nec præceptum videtur solvi nisi per actum voluntarium: & si casus acciderit, in praxi ita me gererem, ut si comestio sit æquivalens prandio, eo die non sumatur nisi refectiuncula: si verò æquipolleat refectiunculæ, sumatur tantùm prandium; si neutri, ob parvitatem, æquivaleat, tunc sumatur prandium & refectiuncula servando formam jejunii. Ita Dian. *loc.cit.* qui alibi cum omnibus communiter docet refectionis horam (scil. duodecimam) non esse sumendam mathematicè & indivisibiliter,

sed

ſed moraliter, quod idem eſt ac circa duodecimam. Ubi obſervat Religioſos Regulares gaudere pontificio privilegio, ut ad unam horam ante meridiem anticipare valeant prandium in diebus jejunii.

§. VI.

Quinam ligentur præcepto jejunii Eccleſiaſtici?

122. Dico, præcepto jejunii eccleſiaſtici obligantur omnes fideles, qui annum vigeſimum primum expleverunt, & ad annum ſexageſimum needum pervenerunt.

123. Dixi primò, *qui annum vigeſimum primum expleverunt*; quia juxta Lezan. poſt D. Thom. 2.2.*q*.147.*art*.4.*ad*.3. & alios omnes, ex generali Eccleſiæ conſuetudine communiter recepta habetur, neminem ligari hoc præcepto ante tempus illud: annum autem vigeſimum primum debere numerari de momento in momentum, ita ut, ſi quis eum expleat in die jejunii horâ octavâ matutinâ, teneatur reliquâ parte diei jejunare, docet Sanch. *de matri. diſp*. 24. *n*. 23. & Lezan. *Verbo annus n*. 9. *ac Verbo ætas n*. 8. licèt contrarium doceant Sancius & Dian. quos in hoc ſequitur Loth. *tract*.19.*q*.3.*art*.4. quia, inquit, præceptum jejunii reſpicit diem integrum ut individuum objectum, adeoque debet vel totum diem comprehendere, vel nullam partem illius.

124. Dixi ſecundò, *& ad annum ſexageſimum needum pervenerunt*: quia DD. paſſim excuſant ſenes illo tempore expleto; quidquid Lezan. non velit quoad hoc certum tempus ſtatuere, ſed dicat ſenes excuſari à jejunio eccleſiaſtico, quibus inedia, vel una tantùm refectio, notabilem affert virium debilitatem; quod aliis in ſexageſimo, aliis & magis regulariter in ſeptuageſimo, aliis, etſi raro, quandoque ultra octuageſimum annum contingit. Ita Lezan. & Bacho *in* 4. *diſt*. 20. *q*. 1. *art*. 2. ubi ſic loquitur, pro quanta autem ſenectute ſolui poſſit jejunium arbitrio boni viri eſt limitandum potiùs, quàm per aliquam doctrinam generalem. Verùm, non eſt, cur hîc tam præciſi ſimus in aſſignando anno, quo obligatio hujus præcepti expiret, magis quam in aſſignando anno, quo hoc præceptum incipiat obligare, cum etiam plurimi jejunare poſſint anno decimo-ſeptimo, decimo-octavo, vel vigeſimo, ut conſtat ex multorum piorum praxi: & revera niſi in his ſtatueretur tempus certum, multa orirentur dubia & ſcrupuloſitates, quare, teſte Lotho, omnes DD. conveniunt, communiter & ordinariè excuſari ſexagenarios. Idem docet Urbanus *loc. cit.* dicens. Senes ſexagenarii ut plurimùm, quamquam poſſint multi eſſe exempti ante illud tempus, non tenentur ad jejunium: & Liamas teſtatur Pium V. de hac re interrogatum ita vivâ voce reſpondiſſe. Ratio eſt, quòd ſanitas ſenum non ſit firma & ſtabilis, quamvis robuſta videatur, ſed fallax & incerta, mediaque inter morbum & perfectam ſanitatem, cui proinde inedia, vel etiam nimia repletio graviter noceret: quare, licèt fortè aliquis in particulari ultra annum ſexageſimum adhuc robuſtus appareat, tamen ejus natura frequentioris cibi adminiculo eget, ſi non ut præſenti, ſaltem ut futuro ejus ſtatui provideatur. Atque ad hanc excuſationem Diana poſt varios, quos citat *p*. 11. *tract*. 3. *reſol*. 9. docet ſufficere, ſi annus

si annus sexagesimus sit inceptus.

125. Nec dicas, senes facillimè jejunium ferunt secundùm Hippocratem *Aphor.* 13. & pauciore cibo indigent eò quòd sint frigidiores: ergo potiùs omnes ad jejunium sunt obligandi: nam meritò adhuc excusantur, quia (ut bene Galen. *in illum Aphoris. Hippoc.*) sicut lucernæ penè extinctæ continuam exigunt olei suffectionem, multam autem & subitam nequeunt simul sustinere; sic senibus oportet dare cibum necessarium, sed paucum, & in multas portiones divisum, nec ulla longa inedia est iis injungenda.

126. Idem est, inquit Loth *loc. cit. art.* 5. de fœminis quinquagenariis, quæ etsi ob naturam suam phlegmaticam faciliùs patiantur jejunium quàm viri, & pauciori egeant alimento: at illam cibi paucitatem præ senectute æquali cum viris sexagenariis, ac majori frigiditate, non possunt simul sustinere, sed indigent ut in multas dividatur portiones; nec poterunt unicâ comestione cibum necessarium vitæ tuendæ inposterum sumere, ac proinde à jejunio, quod in unica comestione consistit, excusabuntur. Propter hæc fundamenta Sanch. *de matri. lib.7. disp.* 32. *num.* 17. judicat, hanc sententiam speculativè probabilem, quamvis non audeat eam consulere in praxi; quia fortassis primus eam discussit: at eam tanquam absolutè probabilem sustinent Narbona, Machadus & Pelliz. nec eam audet damnare Dian. *p.9. tract.7. resol.*73.

127. Si verò dicas, fœminæ non tenentur ad jejunium ante annum vigesimum primum, licèt citius adolescant quàm masculi; ergo etiam licèt citiùs senescant, non liberabuntur citiùs à lege jejunii: negat Loth conseq. Ratio disparitatis est, quòd consuetudine ita interpretandi receptum sit, ut lex ecclesiastica neutrum sexum obliget usque ad annum vigesimum primum; non reperiatur autem consuetudo explicans senectutis terminum, ac proinde relinquitur locus disputationi; & assignandi diversas rationes pro utroque sexu, & præfigendi diversum senectutis terminum. Imò etiam Tolet. & Angel. apud Dian. *p.*11. *tract.* 3. *res.* 9. pro dicto termino in viris constituunt annum quinquagesimum quintum; quos tamen ipse refellit cum Leana dicens, satis laborare DD. ut ostendant sexagenarios viros excusari generaliter.

§. VII.

Quinam excusentur à jejunio.

128. Causæ, excusantes à jejunio ad tria capita à DD. communiter referuntur; impotentiam, laborem, & pietatem. De quibus Lezan.num.8. hæc ponit. Excusantur autem à jejunii præcepto, primò infirmi, vel valetudinarii, qui consilio Medici, vel Superioris non possunt absque notabili damno jejunare. Secundò senes, de quibus nos ante. Tertiò pauperes, qui non possunt simul habere unum prandium sufficiens ad jejunandum pro ea die. Quartò laborantes corporaliter, quibus una tantùm refectio sufficiens non est pro supportanda abstinentia jejunii. Quintò laborantes etiam spiritualiter, ut sunt Concionatores in tota quadragesima, continui Confessarii &c. Hæc Lezana: quæ omnium DD. auctoritate sunt nimis vera; sed hæc determinare quando contingant in particulari, hoc opus, hic

 labor.

labor. Quoad infirmos bene monet Lezana, ſtandum eſſe conſilio Medici vel Superioris in caſu quo infirmus dubitat, an reverà excuſetur; quòd ſi & Medicus dubitet, petatur diſpenſatio ab Epiſcopo, vel etiam in communibus neceſſitatibus ab ipſo Parocho, quia tam pro jejunii fractione, quàm pro comedendis carnibus, ſi opus fuerit, creditur Epiſcopus Parocho hanc dare poteſtatem ob nimis frequentes neceſſitates, prout docet Urbanus *ſupra*. An verò diſpenſatio ſit petenda, dum infirmo conſtat de ſufficientia cauſæ? Fusè multi diſputant: rationabiliter Bacho *in* 4. *diſt.*20.*quaſt.*1.*art.*2. & D. Thomas 2.2.*quaſt.*147.*art.*4. monent, ob periculum ſcandali eam petendam eſſe, ſi non conſtet vicinis de cauſa.

Quid ſi quis ſub initium quadrageſimæ impetret diſpenſationem in jejunio quadrageſimæ ob morbum, à quo poſt quindenam integrè ſanatur? Eum manere diſpenſatum etiam reliquâ parte quadrageſimæ reſpondet Burghaber *centur.* 1. *caſu* 24. citans Salas. Ratio illius eſt, quia univerſim diſpenſatio ſemel facta non revocatur, ſicut nec lex redit abſque voluntate Legiſlatoris. Verùm ego contrarium judico ſuſtinendum cum Sanchez *lib.*8.*de Matrim.d.*30.*num.*4. quia in illa diſpenſatione debet cenſeri diſpenſans ſub intellexiſſe, *ſi cauſa illa permaneat*, ne aliàs dicatur iniquè egiſſe, diſpenſando pro reliquo tempore ſinè ulla cauſa. Inſerviat interim doctrina Burghaber pro caſu, quo dubitatur an perfecta ſanitas obtenta ſit; ſicut & pro ſcrupuloſis.

129. Infirmis à jejunio excuſatis annumerat Lothus eos, qui tam infirmæ ſunt complexionis, ut vacuo ſtomacho capitis dolorem aut vertiginem patiantur: item & eos, qui niſi cœnâ ſumptâ dormire nequeunt; atque in his cum ipſo ſentiunt Cajetan. Lopez. Fagund. Sylvius & alii, quos ipſe citat: quibus jungo Marchan. *in reſol. paſtor.p.* 2. *c.* 2. *quæſit.* 2. Ratio eſt, quia tales non poſſunt ferre jejunium niſi cum notabili damno; magnum enim incommodum eſt ducere noctes inſomnes. Si verò dicas Lotho, poſſe optimè ſuccurri huic incommodo ſumendo manè collationem, & refectionem veſperi. Reſpondet, eos ad hoc non teneri; quia non obligatur aliquis, inquit, ordinem refectionum pervertere, ſed tutò poteſt ſe communi hominum jejunantium conſuetudini aptare, ut Sanch. Dian. & alii ſentiunt.

130. Quoad pauperes id bene etiam limitat Lezana ad eos, qui nequeunt ſimul habere unum prandium &c. prout faciunt etiam Bacho & Urban. Ratio eſt, quia non eſt undè excuſentur alii pauperes, niſi fortè ob præcedentem inediam ita ſint debilitati, ut jejunium tollerare non valeant; aliàs enim paupertas ut ſic, non excuſat à jejunio. Velim tamen hîc notari, Paſqualigum *in praxi de jejun.deciſ.* 275. docere, pro congruenti refectione ſeu prandio non ſufficere panem cum fructibus & oleribus in quantavis quantitate, ſed requiri cibos majoris nutritionis, ut notant Angles & Sanchez; nam cibi prædicti moraliter cenſentur incongrui, & inſufficientes ad completam ſuſtentationem, eò quòd natura indigeat meliori cibo. Ita ille. Sed quidquid hoc fortè verum ſit, ſi quis per notabilem partem quadrageſimæ nihil aliud haberet niſi olera aut herbas cum pane: nullatenus tamen id verum exiſtimo ſi loquamur de uno aut altero die. Deindè abſolutè etiam falſum eſſe judicio, quod idem Paſqual. ibid. docet, videl. non teneri ad jejunium eum, qui non habet vinum, aut quod ſolet loco vini adhiberi in regionibus ubi adeſt

adest vini penuria: ratio ipsius est, quia eô subtractô subtrahitur magna refocillatio, & quæ plurimum roboris afferat, unde subtractô etiam cibô, nimis complexio maceraretur, & jejunium nimis fieret onerosum. Ita ille idem: sed falsò, ut dixi, nisi fortè quis in particulari grave damnum incurreret ex eo, quòd per unũ aut plures dies non haberet vinum. Ratio mea est: quia absque vino & eo quod loco vini bibitur, potest haberi sufficiens & congrua refectio quæ prandium vocetur. Vide circa hæc Dian. *p.10 tract.12. res.* 25. ac *tract.16.res.77. circa finem:* nec non Leand. *tom.3. de præcept. Eccles. tract.5. disp.* 8. *q.* 41. ubi in dictam Pasqualigi sententiam invehitur.

131. Ob impotentiam etiam ab omnibus excusantur à jejunio mulieres pregnantes vel lactantes, quę, si timeatur probabiliter de periculo ipsarum, fœtus in corpore, vel pueri ad ubera dum jejunant, non solùm possunt, sed & tenentur jejunium solvere. Ita Bacho *in 4. dist.* 20. *q.* 1. *art.*2. Ubi nota ex Marchan. *supra*, mulierem gravidam, si timeat proli ob desiderium vehemens carnium, non peccare eas comedendo in die jejunii: quia ex simili appetitu non saciato ordinariè proles patitur incommodum. Adde insuper, teste Busenb. DD. excusare uxorem à jejunio, quæ ob maciem vel pallorem nimium non potest cum jejunio se gratam reddere marito. Ratio est, quia talis ex jejunio notabile patitur detrimentum. Atque id etiam locum habere dicit Loth. in fœmina volente nubere, si jejunio deformis efficiatur, & ideo multò difficilius nubere valeat, in quo pro se citat Lopez & Sanchez. Insuper Busenb. Loth. & alii plures excusant conjugem, quæ cum jejunio non potest reddere debitum, eò quòd præceptum justitiæ de reddendo debito Divinum & naturale, præponderet præcepto humano de servando jejunio. Ita etiam docent Cajetanus *Verbo jejunium num.* 3. Armil. & Navar. Verum id tantùm existimo habere locum dum conjux inde fieret notabiliter impotens ad reddendum debitum, non verò si tantùm parum debilitetur: nam uterque conjux habet jus ad opera spiritualia, licèt per ea aliquantulum minùs potens reddatur ad debitum solvendum. Ita expresè limitat noster Cornejo *tom.2. tract.6. disp.5. dub.1. in fine.* An autem uxor licitè frangat jejunium ad præceptum sui viri? Respondeo quòd non, absolutè loquendo, quia magis obligatur obedire Ecclesiæ quàm marito. Dico *absolutè loquendo*; nam secus dicendum foret, si aliàs timeret graves discordias, eò quòd juxta DD. satis communiter præcepta positiva non obligent cum gravi scandalo: & aliunde amor mutuus inter conjuges videtur præponderare jejunio. Id tamen intellige, nisi vir id præcipiat in contemptum Ecclesiæ vel jejunii, tunc enim juxta à nobis alibi dicta, Sylvestrum *verbo jejunium quæst.* 9. & alios communiter, potiùs vita periculo exponenda esset.

132. Major difficultas mihi est, hac in parte determinare, quinam excusentur ob laborem; quia in hoc DD. summè disconveniunt. Aliqui cum Bachone *loc. cit.* solùm excusabant olim eos, qui ex magna necessitate exercent opus magni laboris per seipsos: verùm jam non requiritur tanta necessitas, ut infra patebit. Aliqui cum Tolet. *l. 6. c. 4. n.5.* nolunt excusare sutores, ubi alii excusant etiam sartores; inter quos sunt Fagun. & Ledes. citati à Dian. *p.1. tract.9. res.*8. qui & addunt barbitonsores; quos tamen unà cum sartoribus cæteri communiter obligant. Intereà certum existimo ex privilegio Eugenii

IV. & ob manifestam rationem, à jejunio excusari figulos, argentarios, textores, cæmentarios, coriarios, & alios in labore similes: quales meo judicio sunt sutores, quos excusandos judico cum sartoribus, si hi multò impensiùs laborent per magnam partem noctis, uti solent, secus tamen si tantùm laborent tam diu quàm alii operarii communiter operantur: quare rectè Urban. relinquit prudenti judicio decidendum an sutores, sartores, & pictores teneantur ad jejunium? Item an continuæ occupationes famulorum eos excusent? An quis ob laborem diei præcedentis aut sequentis à jejunio incidente in diem festum excusetur? Eum excusari, qui ex labore præcedenti lassatus manet, & ad laborem sequentis diei minus aptus redditur, excusat Mendo, addens & sententiam aliorum decem, quos citat, absolutè eo die excusantium omnes illos artifices, qui laboriosis operibus incumbunt, esse probabilem. Videatur ille *in statera sua dissert.8.quæst.7.*

Puto insuper prudentum judicio relinquendum esse, quantum itineris requiratur, ut quis eô vel equitando vel pedibus confectô desinat obligari ad jejunium: nam alii plus, alii minus itineris aut laboris ejusmodi suscipere possunt sine necessitate solvendi jejunium. Deinde unum iter quatuor leucarum propter montes, & alia incommoda, longè difficilius est alterô planô quinque vel sex leucarum. Item idem iter est tempore pluvioso, vel ob ventum contrarium, duplo laboriosius, quàm dum aura est serena &c. Unde non videtur hic posse pro regula generali statui tale vel tale spatium itineris. Atque hoc magis adhuc locum habet in equitantibus, vel curru incedentibus: aliqui enim sine ullo labore aut molestia toto die equitant, ubi alii mallent ire pedites; item aliquis mallet duodecim leucas conficere cum uno equo, quàm sex cum alio &c. Interim his omnibus non obstantibus,

133. Determinat Dian. quantitatem certam itineris pro peditibus & equitantibus *p.18.tract.14.res.2.* ubi sic habet. Iter ad minus duodecim milliarium excusat à jejunio. Leand. verò sic loquitur. Respondeo nec sufficere iter pedestre septem millarium ad eximendum aliquem à jejunio, ut vult Pasqual. nec esse ad id necessarium iter quindecim aut viginti milliarium, ut Azorio, Bonacinæ & Fagundio placet; sed sufficere & esse omninò necessarium, præcisis aliis circumstantiis, iter novem milliarium seu trium leucarum, ad tollendam obligationem jejunii: quia ejusmodi iter, absolutè loquendo, sufficit & requiritur ad generandam eam lassitudinem corporis, & defectionem spirituum animalium, quæ, ut restaurari possint, necessariò requirat ac petat multiplicem refectionem, quam vetat jejunium. Ita Leander: qui pro equitantibus statuit viginti quatuor, aut triginta milliaria. His jungo verba Marchan. *in resol.pastor.p.2. c. 5. quæst. 3. in fine*, ubi sic loquitur. Qui pedibus iter agunt majori parte diei, excusantur, puta quinque circiter leucarum nostratium (quæ continent quindecim milliaria Italica, de quibus loquuntur supradicti, unde in hoc convenit Marchan. cum Azor. Bonac. & aliis:) si autem curru vel equo, non excusantur nisi fortè equitent pluribus continuis diebus, aut certè extraordinariè longum omninò iter conficiant aliquo die, puta decem vel duodecim leucarum cum gravi labore. Ita Marchant. Hæc Auctorum varietas mihi est in confirmationem meæ & Urbani sententiæ: in quam, velit nolit, incidit Marchant. saltem quoad equitantes: cùm enim

enim pro iis determinasset decem vel duodecim leucas, addit, si iter illud cùm gravi labore confectum sit. Vide pro equitantibus specialiter Dian. *p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 57. Et observa, Italos in sua patria raro incedere pedites, tum ob excessivos calores, tum ob vias montosas & difficiles: & inde fortè facilius à jejunio excusant eos, qui minus iter pedibus conficiunt, quàm Auctores aliarum nationum.

134. Quæsierat Dian *par.* 10. *suprà*, an sua sentētia (& idem est de omnibus aliis) procedat, si iter sit merè voluntarium, & possit differri in diem quo non jejunatur? Respondent plures cum Bachone supra, tunc debere differri itinerationem; quod idem dicerent de labore: sed Dian. dicit probabilem esse sententiam oppositam, quam ipso teste defendit Leand. *de præcept. Eccles. tract.* 5. *disp.* 8. *q.* 98. cum aliis: ratio est, quia præceptum jejunii non prohibet iter pedestre aut equestre; ergo voluntariè potest suscipi à quocumque, & ab eo non observari jejunium, casu quo labor itineris sit magnus & incompatibilis cum illo. Imò multi apud Dian. *loc. cit. resol.* 11. sustinent probabile esse (quod Pasqual. *in praxi de jejun. decis.* 320. absolutè docet) eum, qui in die jejunii dat operam ludo pilæ, venationi &c. ea intentione, ut factus impotens excusetur à jejunio, non peccare contra legem jejunii, licèt vesperi sumat integram refectionem: ratio eorum est, quia talis solùm intendit se reddere impotentem ad implendum præceptum, quod est intendere excusationem præcepti: neque intendit infringere præceptum quando est obligatio, sed modum, quo non obligat, quærit. Attamen quidquid plures pro hac sententia citet Dian. ipse eam fusè refutat adhærens Azorio & aliis communiter, qui tanquam certissimum & indubitatum habent, prædictum verè violare præceptum jejunii: quia qui vult & apponit causam ex qua necessariò sequitur omissio impletionis præcepti seu eventus à præcepto inhibitus, eâ intentione, ut talis omissio seu eventus sequatur, directè peccat contra tale præceptum, prout directâ intentione tendit contra præceptum, & ex hac intentione applicat causam tanquam medium, ut ejusdem præcepti violatio sequatur, prout facit is, qui projicit Breviarium in mare, ut postea reddatur impotens ad legendas horas. Unde ergo dicendum est, præceptum jejunii, (quamvis absolutè non inhibeat lusum pilæ, venationem &c.) obligare, ut à prædictis abstineatur quatenus sunt proximum impedimentum ne observetur præceptum jejunii; vel saltem expressè non intendatur in iis excusatio à jejunio.

135. Ob pietatem denique excusantur qui dediti sunt operibus jejunio præstantioribus, vel ex officio, vel ex necessitate; minus enim debet cedere majori. Sic ex dictis excusantur Concionatores quadragesimæ & Confessarii continui, Lectores, & similes si illis non sit possibile jejunare, ut loquitur Urbanus: quod tamen dicit frequenter possibile esse, si bene pensetur, cum non ex multis cibis pendeat sanitas aut robur, sed etiam ex temperantia. Unde præstat hoc etiam judicio prudentum relinquere; observando tamen, legem Ecclesiæ non obligare cum valde magna difficultate. Addit Marchantius, notandum esse generaliter, eum, qui bonâ fide putat se excusari & ideò non jejunat, non peccare, saltem mortaliter: atque idem dicendum ait de collatione majori. Ex his omnibus facilè est colligere, quàm pauci ad jejunium cogi possent, si omnes vellent laxiores sequi sentētias. P. Hurtad. & Pasqual. apud Dian. *p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 12. excu-

ſant generaliter omnes miniſtros, qui plurimùm occupantur in negotiis publicis, ut ſunt Conſiliarii, Judices magnæ Curiæ, Senatores, & Regentes alicujus Cancellariæ, Præfecti urbium, Duces exercitus, & ſimiles, qui ſemper negotia difficilia animo revolvunt: verùm Dian. dicit quoad hos in particulari, judicium relinqui debere penes prudentem Confeſſarium; cùm enim paſſim videamus Conſiliarios & ſimiles ſtrictè ſua jejunia obſervare, non eſt cur dicatur, obſervatio jejunii aut impoſſibilis, aut nimis moleſta ipſis, generaliter loquendo. Et Sanctiſſimus Dominus Alexander VII. per Decretum editum 18. *Martii* 1666. inter alias hanc generalem propoſitionem ut ſcandaloſam damnat. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit incompatibilis cum jejunio.* Vide inſuper querimoniam ſanctæ Abſtinentiæ apud Marchant. *loc. cit. in append.* ubi poſt varia ſic ait, quoniam verò, multorum ſubire domos abſtinentia ſancta nequit, ſed à palatiis, magnatumque aulis, à divitum & mercatorum ædibus, ab artificum officinis, à pauperum tiguriis, à cauponum tabernis ſecedere debet, quò ſe recipiet? Ad clauſtra & cœnobia? Sanè & ibi quandoque protruditur, niſi ſe recipiat in interiorem Conventum: quia, cum pleraque cœnobia propter adventantes obligentur ad hoſpitalitatem, ibi charitas debet præſidere ſic amplè & decorè, ut vix det locum abſtinentiæ. Hæc & alia Marchant. Sed ut in toto mundo non ſit locus, in quem abſtinentia ſive jejunium ſe poſſit recipere, quærit Caramuel *Theol. Fundam. tom. 1. fol.* 537.

An Religioſi teneantur ad jejunium?

136. Legis, inquit Caramuel, *titulum, mirariſq; in dubium reduci rem tam claram. Teneri Eccleſiaſticos ais & præcipuè Monachos, qui majorem perfectionem profeſſi. At ego te non incuſo, ſed hunc ſyllogiſmum propono. Muſici, inquam, à jejunio excuſantur. At omnes Religioſi ſunt muſici, nec in mundo muſici, qui plus cantent quàm Monachi: ergo Monachi non tenentur jejunare. Quæ ratio idem de cæteris Religioſis evincit. Nulli enim qui non cantent plus quàm ſæculares. Puto quidem conſequentiam legitimam, minorem certam, & majorem probo, citando Sancium, Dianamq;. Ille in ſelectis ſic, inquit, cantores conducti ad canendum, ſive ſalarium aut præbendam ad id habentes, poſſunt non ſervare jejunium ſi ad canendum redderentur inhabiles. Et Presbyteris ovis in Quadrageſima veſci fas erit causâ vocis conſervandæ. non enim causâ jejunii aſtrictus eſt aliquis diminutè ſuum exequi munus &c. Addit Diana par. 1. tract. 9. reſol.* 11. *hoc urgentiùs procedere in cantoribus aulæ &c.* Hæc Caram. ſubdens: *Volo non ſeverè ſed ſincerè erudiri.*

137. Non ego Caramuelem erudire auſus, meam ſimpliciter nec ſeverè ſubdo mentem, conatus pro modulo ſatisfacere iis, quæ à Caram. adducta ſunt. Admitto igitur ea, quæ ex Dian. & aliis Caram. adfert, ſaltem tanquam probabilia ſecundùm auctoritatem. Nego tamen, inde poſſe deduci conſequentiam quoad Religioſos: cujus inconſequentiæ rationem reddo; quia Diana (ut ex ipſius verbis à Caramuele citatis, & quæ habet *loc. cit.* liquet) excuſat muſicos conductos ad canendum, ſive ſalarium aut præbendam ad id habentes; quia nimirum vocem conſervare debent, ut ex ea vivant, & non præcisè ob difficultatem jejunii. Religioſi verò non

canunt

canunt pro stipendio; & voce mutatâ aut ingratâ redditâ, imò eâ fractâ æquè bene iis providebitur: musici verò (qui ordinariè nullam callent artem aliam quàm canendi) voce turbatâ à statu & conditione sua turbantur. Deinde Religiosus, qui est pars communitatis, si quandoque ob jejunium cantare in choro nequeat, commodè ad tempus submissè canere potest, aliis officio satisfacientibus, quod gratius erit Superiori, quàm ut die jejunii jentet aut cœnet. Quod non habet locum in musico, qui non ut pars communitatis sed ut persona privata considerari debet, quique continuò cogitur prosequi suam partem. Quòd verò dici posset, sic omnes Religiosos ob jejunium posse reddi inhabiles ad munus chori, locum non habet, cum hucusque sententia de obligatione jejunii quoad Religiosos fuerit practicata nec id unquam legatur factum, unde casus est metaphysicus, qui nullum excusat ab impletione præcepti. Et licèt fortè aliquis vel aliqui in certo monasterio sint choro absolutè necessarii ob paucitatem aut incapacitatem aliorum, illique ob vocis crassitiem, vel aliunde habeant valde magnam difficultatem in sustinendo choro, & idcircò possint vel debeant à jejunio excusari. An ideò quæstio sub his terminis erat proponenda, *An Religiosi teneantur ad jejunium*? Sanè miror Caramuelem dicere, se non velle hîc severè erudiri, cùm longè severiores in seipsos sint Religiosi quàm cæteri DD. ipsos ad jejunium ecclesiasticum obligantes; nam ultra hanc obligationem ipsi seipsos voto ad plura jejunia obligarunt, etiam stante quotidiano cantu, dum videl. votum obedientiæ juxta Regulam emiserunt, quę Regula, ipsis minimè ignorantibus, obligat ad diu noctuque in choro canendum, & tamen simul imponit præter jejunia Ecclesiæ longè plura, quæ in Ordine, quem ingrediuntur, inviolabiliter observantur: at quis Religiosos in seipsos nimis severos hac in parte dixerit? Cæterùm supradicti Auctores solùm excusant cantores à jejunio, quando aliter ad canendum redderentur inhabiles, quod meo quidem judicio rarissimè contingit; quia ad vocem conservandam, & difficultatem cantus superandam videtur sufficere potus; cui, fortè propterea, cantores plus addictos esse constat quàm cibo; potum autem sumere possunt absque violatione jejunii. Vide circa hoc noviter Dian. *p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 4. & pone hanc sinceram nec severam resolutionem: *Neque musici passim à jejunio excusantur; neque regulares, qui in choro cantant, passim ad jejunium obligantur: sed horum uti illorum sub jejunio, debilitatis, incommodi &c. gravitas aut levitas attendi debet.* Ita Franc. B. Spei *suæ Noctuæ dub.* 24. *res.* 5. Pro complemento hujus materię,

Petes an parens teneatur compellere filios ad jejunandum: idem est de Domino respectu famulorum?

138. Respondeo quòd non; quamvis enim lege charitatis teneantur subditos monere, & inducere ad observandum jejunium, non tamen cogere, cum hoc nimis durum & rigorosum foret. Ita docent Vegha, Filliuc. Rodrig. Homob. Azor. Navar. & alii quos citat & sequitur Dian. *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 28. contra Ledesma. Imò juxta Vegham & Rodrig. potest Dominus apponere cœnam famulis non excusatis à jejunio, si aliàs eum avarum deprædicarent: ex quo deducitur idem ob eandem rationem posse fieri ab eo cui alter in die jejunii defert summam pecuniæ debitam, maximè si aliàs times, ne amplius frequentet tuam officinam v. g. difficilius aliis annis solvat decursus ejusdem census &c. Tandem

139. Ad-

139. Adverte me in hoc dubio quoad jejunium multas insinuasse sententias probabiles, & multas etiam quas improbabiles reputabam; non ut in praxim facilè reducantur, sed ut Confessarii eas ab aliquibus defendi sciant; per quod non rarò à variis anxietatibus poterunt se extricare circa aliquos pœnitentes difficiles, circa quos, ut docet March. sufficit quandoque uti DD. opinione probabili, ita dictante prudentiâ.

DUBIUM SEXTUM.

De Ira.

140. IRa est appetitus inordinatus vindictæ. Dico *inordinatus*, quia si ordinatus sit, non est peccatum; ut dum parens culpis filiorum, vel Superior erratis subditorum irascitur, eosque punit, sive vindicat moderatè; quibus competit illud *Psalm.* 4. *Irascimini & nolite peccare.* Potest verò inordinatio in dicto appetitu secundùm D. Thomam contingere dupliciter. Primò ex parte modi irascendi, si nempe interiùs nimiùm quis inardescat, aut exteriùs patefaciat se magis iracundũ quàm ratio hîc & nunc exigat. Secundò ex parte objecti, si videl. quis appetat vindictam injustam; vel majorem quàm factum iniquum mereatur; vel propriâ auctoritate contra juris ordinem infligendam; vel denique non ex zelo justitiæ, sed ad sedandam animi sui malevolentiam, aut ex odio & mera vindicta.

141. Inordinatio primo modo secundùm se solam inducit culpam venialem; mortalem tamen quandoque ex accidente, si nimirum detur occasio gravis scandali, prout sæpè potest fieri in ira Ecclesiasticorum; vel si addatur maledictio, aut blasphemia. Hinc patet illud *Matth.* 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, non esse intelligendum de omni ira.

142. Inordinatio secundo modo, sive ex parte objecti, causat peccatum mortale ex genere suo; quia per eam committitur gravis injuria in Dominum Deum dicentem, *Mihi vindicta & ego retribuam:* item & in proximum, cùm appetatur ipsi inferri grave damnum vel injustè, vel viâ indebitâ. Dixi *ex genere suo*, quia ex accidente potest id sæpè à mortali excusari: ut quando prævenit perfectum usum rationis, vel vindicta, quæ inordinatè appetitur, est levis &c. Sic ira puerorum sese percutientium sine intentione gravis læsionis, est venialis tantùm.

143. Ex ira vitio capitali tanquam filiæ nascuntur indignatio & tumor mentis, quæ in corde perficiuntur: clamor, blasphemia, contumelia, & maledictio, quæ ore fiunt: ac rixæ, pugnæ, & seditiones, quæ opere externo committuntur. De quibus omnibus, & singulis pauca subjiciemus.

144. Indignatio est, quando quis non vult alium videre, aut cum eo conversari eò quòd eum reputet ad hoc indignum. Communiter est tantùm venialis, nisi vel fiat cum magno scandalo, vel crescat in notabilem contemptum, vel grave odium talis personæ: imò sæpè quis alteri indignari potest sine ulla culpa, si nimirum id fiat justa de causa, ut v.g. causâ correctionis, vel ne ipse indignans labatur in peccatum

peccatum ob exemplum & malam conversationem alterius, &c.

145. Tumor mentis est, dum quis excogitat diversos modos, quibus se possit melius vindicare. Est mortalis, vel venialis secundùm gravitatem, vel levitatem vindictæ, quæ intenditur.

146. Clamor hîc dicitur, dum quis, inordinatè & confusè loquendo, iram suam demonstrat. Est solum peccatum veniale, si absit periculum gravis scandali.

147. Blasphemia committitur, quando proferuntur verba contra Deum aut Sanctos ipsius, vel dum exercentur signa, quæ ad inhonorationem, vel vilipensionem Dei tendunt; vel etiam si quis sola mente id faciat. Hoc peccatum valde grave est: neque à mortali hîc excusat levitas materiæ, si blasphemia tendit in Deum; quia tunc gravis semper fit injuria Deo, cui summus honor strictissimo jure debetur: si tamen tendat in Sanctos, multi teste Busenb. levitatem materiæ in ea admittunt. Ut verò dignoscatur, an & quando indeliberatio ac surreptio blasphemantem à mortali culpa excuset: distingue duplicem modum, quo blasphemia fieri potest. Primò, dum quis non advertit id, quod dicit vel facit, esse blasphemiam; ut dum aliquis subitò ex vehementi passione profert verba blasphemiæ, non considerando eorum significationem: & hæc indeliberatio à mortali excusat. Secundò, dum quis advertit esse blasphemiam considerans signa verborum, sed tamen ea ex passione antecedente completam omnino deliberationem profert: atque hæc à mortali non excusat blasphemantem; sicut nec à mortali excusatur, qui ex subito motu iræ alterum occidit, eo quòd gravitas rei eum cogat ad deliberationem, eo ipso quòd advertit ad id, quod facit. Ita docet Fab. Incarn. post D. Thom. 2, 2. *q.* 13. *art.* 1. Cæterùm si quis iratus in hominem, non indignando Deo, sed soli homini, proferat mortem Dei, septem Sacramenta, vulnera, sanguinem Christi, &c. non committit blasphemiam, sed solùm inanem usum Divini nominis; qui est grave peccatum veniale, & sæpè etiam mortale, vel propter periculum incidendi in blasphemias, vel propter periculum gravis scandali: unde tenetur quisque consuetudinem proferendi similia verba tollere quantum potest, quia apud audientes Deus ejusque Sacramenta verè inhonorantur. Adde, blasphemiam in Deum probabiliùs differre specie à blasphemia in Sanctos, quare id erit in confessione explicandum. An blasphemet qui dicit: ***Hoc est tam verum, quàm Deum existere***, &c. habes *tract.* 4. *disp.* 12. *num.* 105.

148. Contumelia est, qua quis alteri objicit, quod est contra ejus honorem. Est mortalis ex suo genere: venialis, si materia sit levis; imo etiam nullum peccatum, si fiat v. g. à Superiore causa correctionis aut humiliationis: in quo tamen requiritur discretio, ne subditus aliàs plus inhonoretur quàm mereatur, vel quàm hîc & nunc expediat. Potest contumelia etiam exerceri per facta; ut si quis alterius effigiem conculcet, cornua ad januam alterius appendat, vel aliquid

repræſentet læſivum alterius honoris, vel inducens ejus confuſionem: quæ ſi gravis fuerit, vel ſaltem ob eam alter multùm contriſtetur, idque fuerit prævisum, erit peccatum mortale juxta Bonac & alios: atque honor ſic ablatus reſtituendus eſt, vel per amicam, ac honorificam ſalutationem; per invitationem ad prandium, vel per rogationem veniæ, etiam ſubinde genibus flexis & coram teſtibus (ut volunt Lugo & Buſenb.) prout læſio fuerit gravis.

149. Maledictio eſt, qua quis optat, vel imprecatur alteri malum. Eſt mortalis, ſi fiat deliberatè circa grave alterius malum ſub ratione mali: ſi verò ſolùm oretenus fiat abſque deſiderio executionis, nec reſpectu perſonæ ſit graviter contumelioſa, tantùm eſt peccatum veniale: ac ſic plerumque parentes maledicunt filiis. Item dum quis maledicit diei, in qua natus eſt, in qua junctus eſt matrimonio, &c. ſolùm intendens maledicere creaturæ irrationali, cenſetur etiam tantùm venialiter peccare; mortaliter tamen peccaturus, ſi per hoc intendat maledicere ſibi, vel aliis perſonis iſta die natis, matrimonio junctis, &c. Similiter maledicere brutis, ut bruta ſunt, à mortali excuſatur, eò quòd res vana exoptetur, cùm rei carenti uſu rationis bonum aut malum ſecundùm ſe ſumptum non conveniat. Ita Eſcob. cum communi: ſi verò quis imprecetur malum brutis propter damnum quod inde redundat in proximum, erit peccatum grave vel leve juxta gravitatem vel levitatem materiæ deſideratæ. Cæterum imprecari alteri malum ſub ratione boni, id eſt, ut inde bonum proveniat, nullum eſt peccatum, ut v.g. imprecari adoleſcenti infirmitatem, ut à peccatis deſiſtat. Ita DD. communiter: limita tamen, modò bonum, ſub cujus ratione alteri optatur malum, ſit majoris, vel ſaltem æquè magni momenti, quàm malum ipſum, quod optatur: indubiè enim peccaret, qui optaret, vel imprecaretur alteri mortem, vel gravem infirmitatem, ut ſic reddatur impotens ad vexandum optantem vel alium in re levi v.g. quale peccatum ſit ſibi ipſi mortem imprecari, ad evadendas alias difficultates? habes *tract.3.diſp.3.n.40.*

150. Utrum autem quis oretenus tantùm, vel ex animo alteri maledixerit, præcipuè colliges ex animorum ſpeciali conjunctione: qui enim ex ſubito motu iræ amico ſuo imprecatur grave malum, cenſendus eſt id ſolum oretenus facere: ſi namque mox ab eo petas: *Talemne vis damnari, mori, &c.* ? Reſpondebit: *Hoc Deus avertat.* Qui verò contra ſibi inviſum aut odioſum in aliqua occaſione gravis iræ imprecatur malum, ut plurimum cenſendus eſt animo idfeciſſe, & cum intentione eventûs. Cæterùm multum dedecet Chriſtianum aſſueſcere ſimilibus maledictionibus, atque ob periculum gravis ſcandali poſſet conſuetudo eſſe peccatum mortale, licet tantum oretenus verba proferantur: quare qui paſſim filiis aut ſervis dicunt: *Diabolus te auferat*, & ſimilia, ſeriò monendi ſunt à Confeſſariis. Quoad eos autem, qui ipſi dæmoni maledicunt, ſi id faciunt propter ipſius culpam & odium, quod habet adverſus homines, nullum

nullum peccatum committunt; secus si maledicant ei quoad suam naturam bonam, & à Deo conditam. Insuper

151. Adverte hîc ex Cajet. & Jac. March. quosdam advertenter aliis malum imprecari in ipso fervore iræ, atque in id pro tunc etiam consentire, statim verò placari ac pœnitere de malo imprecato: & hi quandoque se excusant, quia mox malum noluissent, quasi ideo graviter non peccassent: sed id non sufficit; potuit enim in præcedenti morula esse advertentia, & consensus sufficiens ad graviter delinquendum: quamvis tamen putem inde sæpiùs posse colligi, defuisse perfectam advertentiam & consensum plenum: quapropter Confessarius diligenter congerat omnes circumstantias, juxta quas diximus id colligi debere.

152. Rixa denique est contentio per facta: ut v.g. projiciendo sordes, lutum, &c. vel etiam se invicem percutiendo; & tunc dicitur pugna; in qua, si quis lædatur, erit seditio. Rixa (quæ solet communiter confundi cum contentione facta verbis) nisi modum multùm excedat, est tantùm peccatum veniale: unde dum in Script. ponitur rixa inter opera carnis, quæ à cælo excludunt, per rixam intelligitur pugna; quæ in aggrediente mortalis est, si alteri per eam grave damnum inferatur vel intendatur: in defendente verò se, vel nullum est peccatum, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, de quo *in tract. de Iur. & Iust.* vel veniale tantùm, si levis solummodò motus odii aut vindictæ se immisceat, aut si ratio non multùm excedat moderatam defensionem: erit tamen etiam in defendente mortalis, si hic obstinato animo contra invadentem insurgat ad se vindicandum, alterum occidendo, vel graviter lædendo.

DVBIVM SEPTIMVM.

ET ULTIMUM.

De Acedia.

153. Acedia est fastidium rerum spiritualium, eò quòd sint spirituales. Est peccatum mortale si acedia sit perfecta, ut si v.g. quis deliberatè tristetur, quòd sit creatus ad gratiam, ad merita, vel ad gloriam: aut si ex tali tristitia optet mortem, vel se esse bestiam. Insuper acedia mortalis est, si ob eam omittatur aliquid necessarium ad salutem, tum corporis, tum animæ: qui tamen facit ea ad quæ præcepto obligatur, licèt cum tædio, venialiter tantùm peccat; sicut & ille, qui solùm laborat acediâ inchoatâ existente in sola sensualitate, quæque necdum pertingat ad plenum

rationis usum. Dixi in definitione acediæ, *eò quòd sint spirituales*, quia qui tristatur ex eo quòd teneatur implere opus spirituale laboriosum, ut jejunare, audire sacrum, &c. opus tamen facit, non peccat juxta Navar. Tolet. & Fernand. Quid de eo, qui desiderat perpetuò manere in terra, & cedere Deo cælum suum? Respondeo eum, si deliberatè id desideret, mortaliter peccare contra præceptum spei Divinæ, quâ quisque obligatur Deum & Divina præ omnibus concupiscibilibus nobis concupiscere. Ita tenet Burghaber *Centur.* 1. *casu.* 13. ubi addit, etiam peccare conjuges dicentes, se desiderare, ut detur sibi perpetuò in terra convivere; nisi hoc loquendi modo solùm velint indicare vehementiam amoris conjugalis.

154. Acediæ sex sunt filiæ: quarum prima est malitia, quâ quis odio habet bona spiritualia secundùm se, vel dolens se fecisse quæ facere tenebatur, vel dolens se nosse Deum & res fidei, vel se esse Christianum, &c. Est ex genere suo mortale peccatum. Secunda est rancor, quo cuipiam fastidio sunt illi, qui cæteros ad spiritualia hortantur, quales sunt Concionatores, Confessarii, &c. Est ordinariè tantùm venialis, nisi procedat ex gravi odio, vel iis optetur grave malum. Tertia est pusillanimitas in rebus spiritualibus tanquam arduis: quæ ex se etiam est tantùm venialis, nisi ob eam omittatur aliquid, ad quod extat gravis obligatio. Quarta est desperatio de salute aut statu gratiæ obtinendo; & hæc quandoque oritur ex nimia pusillanimitate, estque peccatum mortale gravissimum, si adsit plenus consensus. Quinta est torpor in observantia Divinorum præceptorum, dum bona fiunt sinè debito fervore, ut loquuntur Binsf. & Busenb. Secundùm se est tantùm peccatum veniale: unde dum Bassæus tradit, torporem esse peccatum mortale, puto ab eo torporem sumi magis strictè, & prout eum Escobar definit esse, quô homo negligit seipsum, & facere omittit ad quod præcepto tenetur: aliàs enim in nostra satis communi torporis acceptione id falsum esset. Denique ultima acediæ filia est evagatio mentis in exercitio spiritualium circa illicita. Est communiter venialis tantùm, nisi ea, ad quæ fit evagatio, sint illicita, sive inhibita sub mortali, vel nisi ex præcepto graviter obligante, hîc & nunc exigatur attentio ad opus spirituale quod exercetur: Vel etiam nisi ipsa dignitas operis, quod exercetur, attentionem sub gravi culpa exigat; prout consecratio illam in sacerdote exigit: adeò ut benè Tamburinus *in expedita Iuris moralis expositione lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 4. *& in opusc. de sacrif. Missæ lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. doceat, voluntariè in ea distrahi, esse mortale peccatum, propter gravem irreverentiam quæ Deo fit, dum in sacrificio, opere omnium præstantissimo, aliò animus intenditur.

Addo, otiositatem etiam causari ab acedia, quæ dicitur pulvinar diaboli: ob quam vitandam præcisè permittit Burghaber *centur.* 1. *casu* 77. viduis & puellis diebus Dominicis & festis exercitium artis mechanicæ.

Ratio-

Rationem dat, quia ut evitetur damnum temporale, licitè tunc laborant opifices: item uxores, filii familias, & famuli marito, patre, & hero jubentibus, ut ex communi docet Bonacin. Cur ergò non multò magìs licitè laborent illæ, ut evitent damnum spirituale, quod ab otio, & curioso per fenestram prospectu meritò sibi timere possunt? Ita ille citans Sa, Sylvestrum, & Homobonum, qui prædictas à mortali excusant, ut ait. Verùm contrarium est sustinendum cum Suarez, & Comitolo ab eodem Burghaber citatis, quia in dicto casu verè violatur præceptum Ecclesiæ in re gravi, quod extra necessitatem omnes obligat: quæ autem necessitas cogit ad illud exercitium ut vitetur otium, cum ubique suppetant alia exercitia pietatis? Quid unam puellam cogit ad curiosum per fenestram prospectum, si non operetur die festo? An fortè poterit se continere intra domum & non audire sacrum, ne in plateis vel templo committat curiosos prospectus? &c. Non est ergò necesse operari die festo, ut succurratur malo spirituali puellarum, sicut est necesse ut succurratur aliquorum necessitati temporali. Deinde si hoc permittat Burghaber puellis ob causam datam, à fortiori permittendum erit opificum famulis, ut ex otio, vel ob otium fugiendum se illis diebus conferant ad tabernas, ibique potitent, exerceant lusus inhibitos, &c. Nec fuit necesse abrogare tot festa in pauperum levamen, si in illis licitum erat omnibus (cur enim puellis potiùs quàm juvenibus masculis?) causâ otii fugiendi præcisè, suas artes exercere.

Interea probabiliter poterit aliquis licitè pingere die festo, ut post varios docet dictus Burghaber *centur.* 3. *casu* 7. quia hoc non est opus mechanicum ac servile, nec proinde inhibitum die festo. Pictio enim perinde ac scriptio in ducendis lineis ac figuris consistit: nec minus pictores in pingendo, quàm studiosi litterarum in studendo animi voluptate capiuntur & detinentur, quod signum est, inquit idem Burghaber, artem pingendi liberalem esse. Caveatur interim à scandalo. Hæc de peccatis capitalibus. Nunc de Legibus, quæ sunt regula externa actuum humanorum, pro compendii exigentia quædam magis scitu necessaria Confessariis subjiciemus.

* * *

TRACTATVS II.

De Legibus.

DISPVTATIO I.

De Lege in generali.

DUBIUM I.

Quid sit Lex.

1. LEx in genere est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. cujus definitio teste Lezana *Verbo leges Regularium* communiùs recipitur. Ordinatio hîc activè sumitur pro actu rationis, quo superior ordinat, ac præscribit cum obligatione exequendi; per quod excluditur consilium & oratio: per ly verò *ad bonum commune* exclude præceptum, quod particulari homini dari solet, vel saltèm quod in privatum præcipientis, aut alterius commodum cedit. Præceptum etiam excluditur per *ly ordinatio*, quæ in lege debet esse fixa & stabilis habens quamdam perpetuitatem, cùm tamen præceptum quodcumque morte præcipientis finiatur, nec ordinariè, nisi ad tempus certum durare soleat.

2. Ad legem multæ requiruntur conditiones, quas bene enumerat Urbanus *Theol. suæ moralis tr.* 1. *cap.* 3. Prima est, ut lex sit honesta; id est (juxta Lezan. post Isido.) quod religioni conveniat, quòd disciplinæ congruat, & quòd saluti proficiat: aliàs non obligat, quia tunc, ut bene Urbanus, adhiberi potest illud Petri: *Oportet Deo obedire magis quàm hominibus.* Secunda conditio est, ut lex sit justa, id est, ut onera æqualiter dividantur in subditos, non quidem æqualitate arithmetica rei ad rem, sed geometrica proportione personæ ad personam, ne videl. pauperes graventur sicut locupletiores, sed inspiciantur vires, ac merita singulorum. Tertia est, ut lex sit observatu possibilis, non solùm physicè, sed & moraliter, ita ut non sit nimiùm difficilis, maximè si sit humana; at si sit Divina, de fide est, Deum impossibilia non jubere. Debet igitur, juxta Lezan. *loc. cit num.* 9. post Isido. relatum, lex esse secundùm naturam & consuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, id est accommodata

fragilitati humanæ, patriæ, honesto usui, loco & tempori. Quarta insuper est, ut sit utilis; ne aliàs sine ratione feratur, adeòque sit irrationabilis: unde debet esse congrua ad removendum malum seu abusum, & ad introducendum bonum sive actus honestos contrarios. Quinta est, ut feratur in bonum communitatis, ut constat ex ipsa legis definitione; quamvis tamen secundariò etiam simul cedere possit in commodum alicujus privati. Sexta est, ut sit perpetua, id est, ut non finiatur morte conditoris, vel subditorum, qui primò eam acceptarunt. Septima est, ut sit promulgata; nam ex ipsius juris dispositione, *tunc solùm leges instituuntur, dum promulgantur.* Octava denique est, ut sit acceptata; quia eadem dispositione juris, *lex firmatur, cùm moribus utentium comprobatur.* Verùm de illis duabus ultimis conditionibus plura dicemus infrà. Pro aliis autem vide Lezan. *suprà à num. 7. usque ad 12.*

3. Dices, lex naturalis non fertur in bonum communitatis; quia erat in Adamo, quando solus erat: deinde quilibet in particulari lege naturæ tenetur conservare vitam propriam, quod solùm respicit bonum privatum; ergo allata legis definitio cum illis conditionibus non est legis in genere. Respondeo cum Fuliensi, dictas conditiones principaliter quidem requiri in legibus positivis; posse tamen etiam accommodari legi naturali: quòd enim lex naturalis, saltèm aliqua, procuret bonum particulare, non obest quò minùs adhuc omnis ordinetur ad bonum commune: quia sicut Respublica non conflatur nisi ex particularibus hominibus, ita bonum commune non coalescit nisi ex bonis particularium. Unde, cùm Deus homines crearit ad constituendam unam Remp. non est dubium, quin lex naturæ ex intentione Dei in commune ipsorum hominum bonum ordinetur. Hinc patet ad id, quod dicebatur de Adamo. Et nonne reverà plurimùm conducit ad bonum commune, quòd quisque ex lege naturali teneatur vitam suam conservare, cum salus Reip. à vita particularium dependeat: ac maximè cùm eadem lex naturalis hominem moveat ad vitam propriam pro salute patriæ exponendam, ubi occasio & necessitas adfuerit?

4. Lex alia est naturalis, alia positiva. Naturalis, alia naturalis creata, alia increata. Positiva item, alia positiva Divina, alia humana. Positiva humana iterum alia civilis, alia Ecclesiastica. De quibus omnibus infrà in particulari agemus. Jam pro lege in communi sit

DUBIUM SECUNDUM.

An ad obligationem legis requiratur promulgatio?

5. Dico, ad obligationem cujuscumque legis necessariò requiritur promulgatio. Ratio est, quia lex non potest obligare nisi cognoscatur,

tur, nec cognosci nisi per promulgationem: unde bene Lezan. *num.* 3. *suprà*, si lex ignoratur, perinde est ac si lata non esset: & *num.* 4. *seq.* ait, est autem adeò intrinseca & necessaria promulgatio pro legis obligatione, ut etiam ipsi, qui astiterunt, dum lex condebatur, vel etiam qui ipsam cum aliis condiderunt, non teneantur ad ipsius observantiam, antequam debito modo publicetur. Idem dic de casu, quo aliquis miraculosè nosset legem factam, quæ tamen nondum publicata est. Ita ille cum aliis, quos citat. Verum

6. Adverte, non omnes leges eodem modo promulgari: ut enim lex humana promulgetur, debet legislator suam voluntatem signo externo subditis manifestare, idque solemni ritu, ut rectè notat Becan. post Vasq. quia Rex aut Princeps, v. g. non censetur suam legem promulgare tanquam Rex aut Princeps, sive cum potestate obligandi, nisi ritu solemni id faciat. Quoad legem verò Divinam, promulgari potest, vel per revelationem internam, vel per externam expositionem cum vel sine solemnitate: per quemcumque enim ex his modis potest nobis Deus mentem suam sufficienter indicare. Insuper lex naturalis promulgatur per naturale dictamen rectæ rationis secundùm D. Thom. *quæst.* 70. *art.* 4. ita quidem, ut Deus censeatur promulgasse legem naturalem per modum habitûs, hoc ipso quòd dedit nobis lumen naturale: & per modum actus, quando eo lumine naturæ utimur, sive quando recta ratio nobis dictat, quid hîc & nunc faciendum sit. Unde dicit Scrip. legem naturalem scriptam esse in cordibus nostris; signatum esse super nos lumen vultûs Domini, &c. Hinc solutum habes argumentum plurimorum, quo probare conantur nostram definitionem legis dubio præcedenti datam, non esse legis in genere, sed legis positivæ dumtaxat; quia, inquiunt, lex naturalis non promulgatur, adeòque sub illa legis definitione non comprehenditur?

Petes, an lex obliget statim à promulgatione?

7. Respondeo, juxta legum varietatem variè id esse resolvendum. Ac primò lex naturalis obligat statim à promulgatione, id est, statim ac alicui indita est, etiam à principio nativitatis, ut aliqui loquuntur; non quidem, ut illam pro tunc observent, sed suo tempore: cùm enim lex naturalis originem ducat ab ipsa natura rationali, hæcque insit à nativitate, sequitur & illam ejúsque obligationem tunc inesse debere. Ita Becan. *de lege in com. c.* 1. *q.* 4. *conclus.* 3. & Fuliens. Sed fortè mallet quis dicere, legem naturalem tantùm obligare propriè loquendo, quando inest homini per modum actus sensu statim dato; nisi loquamur de obligatione in actu primo.

8. Secundò lex positiva tam Divina quàm humana, & hæc tam civilis quàm ecclesiastica obligat post promulgationem statim, vel non statim secundùm intentionem Dei, vel hominis legem ferentis: si enim legislator quicumque certum tempus determinarit inchoandæ obligationis, certum est, neminem è subditis ante illud obligari.

ligari. Atque hinc leges civiles cæsareæ, seu imperiales non obligant diversarum provinciarum incolas, nisi post duos menses à promulgatione facta in loco, in quo tales leges promulgari debent; ita enim habet Authen. *ut factæ novæ constitutiones*: loca verò, in quibus promulgari debent, sunt singulæ provinciæ, quas Imperator intendit obligare: alias subditi illius provinciæ, in qua non est facta promulgatio, non obligantur, ut habet eadem Authen. Si autem in provinciis Imperatori non subjectis contraria habeatur consuetudo, vel expressa legislatoris voluntas fuerit in contrarium, standum erit ejus voluntati vel consuetudini.

9. Tertiò lex ecclesiastica papalis obligat omnes provincias post unam promulgationem Romæ in Campo Floræ, Martio, &c. factam: vel non nisi provinciam, in qua est promulgata, prout Pontifex alterutrum expresserit, vel aliunde de ipsius mente sufficienter constiterit: quia sicut à mente legislatoris pendet legem condere vel non condere, idque sub hac vel illa obligatione, ut postea videbimus, ita à mente ejusdem pendet per suas leges hos vel illos, vel etiam omnes suos subditos obligare; neque jure naturali aut positivo alia promulgatio requiritur: jure enim naturali sufficit illa promulgatio, quæ necessaria & sufficiens est, ut lex, morali & humano modo loquendo, devenire possit in notitiam subditorum, quos legislator intendit obligare. quod habetur, quantum sat est, per supradictam promulgationem: de positivo autem jure nihil constat. Deinde diversi Pontifices apud Sylvium *hic q. 96. art. 4. quæsit. 11.* expresse volunt, diversas suas leges ubique esse obligatorias post solam promulgationem Romæ factam; quare hanc nostram sententiam sustinent Sylvest. Vasq. Azor. Tanne. Valen. Becan. & alii, eamque jam usu receptam esse ideòque amplectendam tradit Bassæus verbo *Lex*: qui omnes volunt id verum esse, etiam in casu, quo Papa non exprimit, se illud intendere, modò non exprimat se intendere oppositum. Contra quos tamen

10. Existimo probabile esse, si summus Pontifex promulgando aliquam legem Romæ, non expresserit mentem suam de obliganda tota Ecclesia, nec aliunde de hac ejus mente certò constet, ipsius legem solùm obligare provinciam Romanam, vel aliam, in qua est promulgata, Ratio mea est, quia si mentem suam non exprimat, videtur standum esse juri civili, adeòque, sicut lex imperatoria non obligat ubique post unam promulgationem factam in curia Imperatoris, ita nec lex pontificia, &c. nam jus civile, ubi juri canonico non adversatur, ab Ecclesia servari solet, ut videre est *cap. 1. de novi operis nuntiat.* ubi dicitur: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* & *cap. si in adjutorium, dist. 10.* habetur, leges Imperatorum in adjutorium Ecclesiæ assumi posse: super quod caput Glossa ait, *ubi desunt canones, leges citari possunt*: hîc autem desunt canones exprimentes mentem Pontificis; ergò leges civiles citari possunt. Ita Becan. *cap. 6. de leg. hum. q. 6.* per quæ

conatur probare sententiam Soti, August. Moli. & aliorum docentium, leges pontificias nunquam obligare diversas provincias nisi post promulgationem in illis diversis provinciis, probabilem esse. Verùm licèt id convincere nullatenus videantur in casu quo Pontifex exprimit suam mentem in contrarium, ut consideranti patebit: convincunt tamen, id habere locum, quando Pontifex mentem suam non declarat. Quod confirmari ulterius potest ex legibus à Sylvio citatis suprà: si enim, cùm illi Pontifices vellent omnes provincias post unicam Romæ factam promulgationem, obligare, necessarium duxerint mentem suam quoad hoc declarare, consequens videtur, solam illam Provinciam obligari in qua sine dicta declaratione lex fuerit promulgata. Atque ideo Tridentinum expresè vult legem suam de clandestino matrimonio in singulis parochiis promulgari. Neque idem Tridentinum Romæ sufficienter promulgatum obligat alias Provincias, in quibus non est facta promulgatio, nisi quoad leges pertinentes ad reformationem & jus canonicum, circa quas Pius IV. in confirmatione ejusdem Concilii Trid. expresè declaravit mentem suam, quâ volebat, eas ubique obligare post solam promulgationem Romæ factam: quod iterum multùm roborat sententiam nostram. Certum igitur ex his omnibus mihi videtur, ut minùs mentem summi Pontificis obscuram esse circa hæc, ubi eam non declarat: juxta regulam autem juris, *In obscuris quod minimum est sequimur; in pœnis* (ac idem est de odiis) *benignior interpretatio facienda est; ac odia sunt restringenda.* Cæterum

11. Nota, quando dicimus, *legem obligare statim à promulgatione dum intendit legislator*, illud *statim* esse sumendum moraliter, id est simul atque moraliter loquendo legis notitia, ad subditos pervenerit vel pervenire potuerit: ubi non requiritur, ut lex omnibus & singulis è communitate denuntietur; sed sufficit quòd in loco publico proclametur, vel scripta affigatur: tunc enim eo ipso secundùm Lezan. *verbo leges regularium n.* 4. post D. Thom. & alios, habet vim obligandi omnes in actu primo, esto quòd in actu secundo non obliget nisi ipsius notitiam habentes.

12. An verò lex obliget eos, qui eam invincibiliter ignorant diu post ejus promulgationem? controvertunt Authores. Ego judico, in hoc probabiliùs dici, utendo terminis D. Thomæ statim adductis, legem eos obligare in actu primo, seu quoad aliquem effectum, secundùm quem quis lege obligatur, qui à legislatore lege comprehenditur; qualiter comprehenduntur omnes legislatoris subditi, pro quibus lex fertur: non tamen legem obligare eos in actu secundo, seu quoad integrum effectum legis, ita ut legem transgrediendo, vel contrarium legi faciendo pœnam aut culpam incurrant, saltèm quoad forum conscientiæ. Unde qui iniret aliquem contractum irritum per legem à se invincibiliter ignoratam, invalidè quidem contraheret; ast culpam & pœnam, pro sic contrahentibus statutam, minimè incurreret.

D U-

DVBIVM TERTIVM.

An ut lex obliget, requiratur acceptatio?

13. Dico primò, ut lex naturalis vel Divina positiva obliget, certum est nullam requiri acceptationem: quia, cùm lex naturalis sit indita à Deo, & Divina positiva immediatè à Deo feratur, clarum est eas obligare independenter omnino ab hominibus, sicut Deus ejusque Dominium est omninò independens.

14. Dico secundò, ùt lex humana obliget, etiam non requiritur populi acceptatio, nisi legislator cum tali limitatione legislativam potestatem acceperit. Prob. quia aliàs esset legislator independens, cùm supponatur suam potestatem accepisse sine limitatione & dependentia à suis subditis: & non esset independens, cùm suam potestatem exercere non posset, nisi dependenter ab acceptatione subditorum; quæ sunt contradictoria. Unde leges ecclesiasticæ, & leges Principis, qui justo bello, vel alio titulo populum sibi subjugavit, obligant omninò independenter à populi acceptatione: quia cùm summus Pontifex suam potestatem acceperit illimitatè per hæc verba. *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*: & similiter dictus Princeps suam potestatem independenter à populo acceperit, eam ad dictam acceptationem non possunt habere limitatam nisi velint. Idem dic de Principe, qui quidem potestatem legislativam à populo accepit, sed illimitatè. Ita communius & probabilius DD. Tamen adhuc

15. Sententiam nostræ oppositam sustinent Tanne. Valen. Filliu. Becan. Less. Navarr. & alii apud Lezan. verbo *leges regul. num. 16.* quibus adjungo Vidal. *de cens. inquis. 4. fol 98. num. 31.* Ratio eorum est, quòd omnes leges humanæ promulgentur sub tacita conditione, si nimirum à populo acceptentur, ne aliàs legislatores suis subditis nimis onerosi videantur: atque id (inquiunt) determinatum videtur in lege *de quibus FF. de leg.* ubi dicitur: *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ sint*: idque etiam satis conforme esse capiti *in istu dist. 4.* tradit Lezan. *loc. cit.* Deinde quoad leges Ecclesiasticas probant ex Script. 2. *ad Cor. 13.* ubi Christus dicitur dedisse suo Vicario potestatem in ædificationem: ergò, inferunt, præsumendum est, Prælatos Ecclesiæ non velle uti potestate suâ contra communem populi consensum, quod esset eâ uti in destructionem. Atque hinc Putean. Filliuc. Sanch. & Azor. judicant Bullam Cœnæ, ubi non est usu recepta, non obligare in conscientia. Verùm his non obstantibus, quoad leges Pontificias maximè, existimo cum Diana, non esse recedendum à nostra sententia: & contra rationem allatam dico, multò plura secutura incommoda, si Papa penderet ab acceptatione populi in con-

dendis legibus, prout attendenti facilè apparebit. Cæterùm quamvis peccent juxta nostram & probabiliorem sententiam, qui primò legem promulgatam infringunt, vel eam non acceptant; dum tamen lex à majori parte communitatis infringitur, reliqua pars non censetur obligata: siquidem onera debent esse communia inter omnia membra ejusdem communitatis. Ita Lezan. Urban. & alii communiter: qui Urbanus *tract.* 1. *cap.* 4. expresè docet sententiam nostram quoad leges Ecclesiasticas; quidquid quoad civiles dicat, non absque ratione posse sustineri, requiri acceptationem. Vide etiam Lezan. *n.* 16. *suprà* ubi ait; ad hoc autem quòd lex non recepta à tota vel majori parte communitatis non obliget, requiritur quòd adsit rationabilis, & justa causa ad non acceptandum illam: tali enim causâ non subsistente tenentur omnes obedire legibus sibi impositis, & peccant eas transgredientes; quia tunc non præsumitur in legislatore voluntas eos non obligandi, sed potiùs contraria. Attamen Vidal. *de iud. inquis.* 4 *fol,* 246. *n.* 15. dicit, rationabilem hac in parte causam esse, quando aliquis, volens servare legem, videt suos majores, vel majorem partem civitatis, cui imposita fuit, eam non servare, vel non cepisse servare: & in hoc pro se citat D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. *&* 2, 2. *q.* 47. *art.* 3. Rodericum & Archiad.

16. Adde, lege latâ posse subditos sollicitare apud legislatorem, ut promulgata lex possit non observari si habeant aliquam causam; & interea temporis lex eos obligare non censetur, quamdiu non habent resolutionem in contrarium. Ita Urban. *suprà*, & Pourrè *p.* 1. *verb. Lex. num.* 4. citans Suar. & Maldon. Quòd si tali supplicationi legislator non respondeat, præsumitur condescendere, & obligationem tollere; nisi ex circumstantiis constet de opposito, nempe ipsum tacere, ut suaviter, & cum minori offensione, ac damno rejiciat supplicationem: tunc enim non licebit amplius suspendere legis executionem, ut tradit idem Pourrè *ibid.* Quod ultimum tamen adhuc bene limitat Urban. nisi manifesta sit in lege injustitia, vel iniquitas.

DVBIVM QVARTVM.

Quisnam possit condere leges:

17. NOn spectare ad quemlibet condere legem, sed tantùm ad multitudinem, vel ad eum qui præest multitudini, docet D. Thom. 1, 2, *q.* 90. *art.* 3. Ratio est, quia lex necessariò debet ordinari ad bonum commune, ut antè dictum est: spectat autem vel ad totam multitudinem, vel ad gerentem vicem multitudinis, aliquid ordinare ad commune bonum. Per multitudinem autem hîc intellige Rempubl. non habentem Superiorem legitimum

ac

ac per eum, qui præest multitudini, Imperatorem, Regem, aliumve supremum Principem, vel eum, qui ab his potestatem accepit.

18. Dices, Plato vir privatus multas legitur condidisse leges, fortè quòd ipse esset prudentior illo, qui suæ præerat multitudini, non rarò enim valdè ignari sunt, qui præsunt multitudini: atque ideò fortassis 2. *polit. c. ult.* dicitur, illos qui agunt vitam privatam, leges interdum statuere.

19. Respondeo Platonem varias quidem leges conscripsisse, non verò condidisse, quia vim legum non habebant, nisi & essent approbatæ & constitutæ à Republ. Neque sequitur aliquem non habere potestatem necessariam ad leges statuendas ex eo, quòd non habeat prudentiam sufficientem ad ritè illas condendas; quamvis tamen inde inferatur, tales non debere uti sua potestate legislativa, nisi prius inito prudentum consilio: & quia subinde contrarium accidit; dicit Script. *Væ populo, cujus rex est puer.* Jam verò in particulari,

20. Dico primò, clarum est Deum pro omnibus posse condere quascumque leges sibi visas honestas independenter à quacumque creatura.

21. Secundò potest summus Pontifex potestate sibi à Christo immediatè traditâ ferre per totum orbem leges ecclesiasticas, id est, per se ac directè versantes circa res spirituales ordinatas ad salutem animarum: civiles verò, id est, directè spectantes commodum temporale, in territorio sibi temporaliter subdito. Neque ipse ab Ecclesia potest judicari; nam, cùm ab ea potestatem suam non habeat, sed à Christo, eam perdere non potest nisi Christo permittente & auferente: quod juxta DD. fit in quatuor casibus; primò, si in hæresim notoriam labatur. Secundò si exterius se gerat ut hæreticum, ideoque Ecclesia eligat alium. Tertiò tempore schismatis, si Ecclesia scire non valeat, quis sit verus Pontifex, potest alium eligere. Denique, si ipse Pontifex Papatum resignet acceptante Ecclesiâ.

Similiter Episcopi idem valent facere in suis Diœcesibus, quod potest Papa in tota Ecclesia, cum dependentia tamen à Papa, à quo suam potestatem accipiunt. Quod idem dic de Abbatibus exemptis respectu suorum territoriorum, nisi aliundè constet hoc iis esse inhibitum. Idem etiam extende ad Cardinales in loco, seu Ecclesia sui tituli, cujus territorium per leges obligare possunt: necnon ad Patriarchas ac Archiepiscopos in suis Diœcesibus. Ubi adverte, Archiepiscopum non posse in subditos coëpiscoporum ordinariè ullam jurisdictionem exercere, nisi ad ipsum à suo Episcopo appellarint: &, licèt sit ordinarius Superior coëpiscoporum provinciæ; non debet tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur, contra eos procedere sine Sedis Apostolicæ authoritate, prout docet Escob. *tract 1. de legib. cap. 2.* Potest insuper Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante, ferre leges duraturas donec à subsequente Episcopo revocentur: nihil tamen circa legislativam potestatem possunt Capitula

cæterarum Ecclesiarum, nisi fortè id à legitimo Superiore impetrarint.

22. Tertiò potest Imperator ferre leges civiles per omnes provincias sibi subditas: item & Rex aliique Principes supremi non habentes Superiorem in jurisdictione temporali: qui verò Superiorem agnoscunt, solùm possunt condere leges intrà terminos ab eo sibi præscriptos. Adde & Reginam posse leges condere, si sit domina regni: idque etiamsi sit jam matrimonio juncta, nisi vices suas viro commiserit. Aliàs enim jus & dominium regni per matrimonium non transfertur in virum.

23. Quartò communitates, civitatesque, quæ per se gubernantur, nec legitimum Superiorem agnoscunt, possunt ferre leges pro omnibus suis subditis, sive membris. Est clarum. Quod attinet ad patremfamilias, habet hic quidem potestatem dominativam, seu œconomicam in filios, non tamen jurisdictionis: adeoque potest quidem præcepta ferre intrà limites suæ potestatis, & filios suos iis obligare, etiam sub culpa mortali, si materia fuerit gravis; non tamen potest leges condere. Idem dic de præceptore respectu discipulorum. Ita Layman. Qui benè addit, statuta domestica ordinariè tantùm sub pœna obligare, quia videl. paterfamilias aliam obligationem non intendit: Quidquid in conscientia obligetur, proles suas educare in bonis moribus, & correctionem, castigationemque necessariam suo tempore adhibere, juxta illud *ad Ephes. 6: Vos Patres educate illos* (scil. filios) *in disciplina, & correptione Domini.*

DISPVTATIO II.

De Lege naturali, & positiva Divina.

DUBIUM I.

Quid Lex naturalis, & quæ præcipiat?

1. DIco primò, lex naturalis est rectæ rationis dictamen, judicans bonum esse prosequendum, & malum fugiendum. Est duplex, Divina & humana. Lex naturalis Divina, est dictamen rationis Divinæ, judicans quid sibi sit faciendum vel omittendum: & sic sumitur lex naturalis Divina, prout est in Deo & quoad se tantùm: prout verò est in Deo in ordine ad creaturas rationales (qualiter sic sumpta vocatur lex æterna) est summa ratio boni communis totius mundi in Deo existens, per quam cuncta gubernantur, bona præcipiendo, & malo prohibendo; quam defini-

definitionem Lezana dicit se extraxisse ex D. August. *l 1. de lib. arbit. c. 6.* & D. Thom. 1, 2. *q.* 91. *a.* 1.

2. In lege naturali Divina nullam posse fieri mutationem, certum est: quia dictum dictamen ipsi Deo est identificatum; Deum autem immutabilem esse, de fide est: neque à fortiori in eam potest cadere dispensatio, tum ob eandem rationem, tum quia Deus nullum habet Superiorem, qui ipsum possit vel solvere vel ligare.

3. Lex naturalis humana, est dictamen rationis humanæ, quo homo obligatur ad agendum, vel omittendum ea, quæ lumine naturæ cognoscit præcepta vel prohibita esse; quæ lex naturalis est quædam participatio legis æternæ: quare *Psal.* 4. dicitur: ***Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*** Ita Lezan. post D Thom.

4. Dices, nemo sibi legem imponit, sed Superior inferiori: ergo lex naturalis non potest esse dictamen nostræ rationis, quod in nobis est, & à nobis producitur.

5. Respondeo, illud dictamen rationis ita in nobis & à nobis esse, ut tamen sit nobis inditum, & impressum nostro intellectui ab Authore naturæ, sive Deo, qui est verissimus noster Superior. Quare hoc videtur tantùm militare contra legem naturalem Divinam, quam ultrò concedimus non esse legem propriè & strictè sumptam: neque enim videtur posse dici, quòd Deus propriè ligetur lege, vel lege obligetur: quamvis tamen dici possit lex latiori modo sumpta, in quantum videl. lex naturalis Divina, est regula secundùm quam Deus ordinat universa.

6. An in lege naturali humana fieri possit mutatio strictè sumpta, vel aliqua dispensatio; quæstio difficilis est: in qua non pauca ad quæstionem de nomine spectantia à DD. ingeruntur; & quia paucis discuti vix potest, nec est scitu necessaria ad intentum nostrum, eam scholasticis relinquo. Adverte interim (quamvis sententia negativa quoad mutationem, & dispensationem sit communis contra paucos, qui affirmativam omni diligentiâ sustinere conantur) omninò licitam esse, & necessariam interpretationem circa multas leges & præcepta naturalia, ut eorum proprius & adæquatus sensus statuatur; non enim tam adæquatis & præcisis verbis exprimuntur, quàm à ratione naturali dictentur dum dictamen illud magis exactè inspicitur & examinatur; v.g. in præcepto naturali ***non occides***, necesse est explicare, quid nomine occisionis lex intelligat; quia non omnis omninò occisio, etiam hominis, inhibetur; sed illa sola, quæ authoritate privatâ, & extra casum necessariæ & justæ defensionis fit. Quod idem contingit in multis aliis legibus naturæ. Potest autem dicta interpretatio, seu declaratio fieri à Deo, vel ab hominibus prudentioribus, qui sinè affectu & passione diligentiùs inquisiverunt, quid recta ratio naturalis in similibus dictet, vel qui idipsum ex aliis Dei legibus, & doctrina clariùs & perfectiùs didicerunt. Ita Wiggers cum communi.

7. Dixi, resolutionem supradictæ quæstionis non esse scitu necessariam ad intentum nostrum: quòd enim illi, qui affirmativam sententiam sustinent,

nent, dicant, furtum Israëlitarum iis fuisse licitum, quando auferebant bona Ægyptiorum, & sic eo casu mutatam esse legem naturæ de non furando: alii verò velint, dictam ablationem non fuisse furtum, eò quòd vel Deus transtulerit dominium istorum bonorum in Israëlitas, vel ipsi Israëlitæ per suos labores ea jam essent promeriti, adeoque abstulerint bona propria; nihil refert ad nostrum intentum: sive unum enim, sive alterum dicatur, semper ablatio illa est facta absque peccato; quod solum cognoscere, est Confessario necessarium. Igitur

8. Dico secundò, ea, quæ sub legem humanam naturalem cadunt, triplicia sunt. Primò enim lex humana se extendit ad ea, quæ sunt communia homini cum quolibet ente, in quantum inclinat ad conservationem sui proprii esse; & ut sic dictat, aliquando esse comedendum, bibendum, dormiendum &c. Secundò ad ea, quæ homo habet communia cum irrationalibus seu bestiis, quatenus inclinat ad conservationem speciei, seu generis humani: atque ita præcipit matrimonium, proles alendas esse, &c. Tertiò extendit se lex naturalis humana ad illa quæ sunt communia creaturis rationalibus, hominibus scil. & Angelis, ac ut sic inclinat ad vivendum juxta rectam rationem, v.g. ad Deum colendum, parentes honorandum, nemini nocendum, non furandum, &c.

9. Adverte tamen hîc cum Sylvio circà duo priora, ad obligationem legis, aut præcepti naturæ non sufficere, quòd res, ad quam est inclinatio naturæ, sit in se bona: sed insuper requiritur, ut juxta dictamen rectæ rationis sit hîc & nunc aliquo modo necessaria: aliàs enim omnia, quæ aliquam commoditatem adferunt naturæ, & in quæ propterea natura inclinat, caderent sub præceptum legis naturalis, quod nemo dixerit: nam quis dicet, quandocumque natura inclinat ad cibum vel potum sumendum, ad matrimonium ineundum, &c. statim adesse præceptum obligans ad ista facienda? Tunc ergò solùm dicendum est, istud præceptum urgere, quando adest aliqua necessitas, ob quam recta ratio dictat, ea hîc & nunc esse facienda. Ita Sylvius 1, 2. q. 94. a. 2.

Peres hic fortè, an lex naturæ possit à corde hominis aboleri?

10. Respondeo cum D. Thom. non posse eam quoad præcepta communissima universaliter deleri: nemo enim negare aut sibi persuadere potest, quàm quòd peccata sint fugienda, & amplectenda ea, quæ honesta sunt: quod idem etiam docet August. *lib. 2. conf. cap.* 4. ubi ait: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas*; puta universaliter, & quoad præcepta naturalia communissima. Quoad præcepta verò magis particularia & propria, potest lex naturæ de corde hominis deleri, vel persuadendo sibi contraria legi naturæ particulari, vel per pravas consuetudines & mores corruptos. Quod probatur ex *Psal.* 21. ubi dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: & *ad Rom.* 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum*: confirmatque idem experientiâ, quâ constat apud diversas nationes regnasse diversa vitia contra particulares naturæ leges, quæ ab omnibus

nibus approbabantur tanquam licita, ut enecatio parentum propter senium; immissio uxoris in ignem, dum corpus mariti defuncti comburebatur; cultus plurium idolorum, &c.

DUBIUM SECUNDUM.

Quid Lex Divina positiva, & an semper obliget sub peccato?

11. Dico primò, lex positiva Divina, est quædam rationis increatæ ordinatio ad commune bonum ipsi communitati promulgata cum voluntate eam perpetuò obligandi. Quamvis lege positivâ plurima præcipiantur & prohibeantur, quæ lege naturali anteà præcepta vel prohibita erant, ut videre est in præceptis Decalogi; non additur tamen per hoc nova obligatio major quâm antea erat: quia hoc voluit Deus facere, eo quòd lex naturæ non esset satis determinata ad casus particulares, ne videl. rudes & indocti eam quoad multa ignorarent.

12. Lex Divina positiva est duplex, vetus scil. seu Mosaica, & nova, seu Evangelica. Verùm cùm illa abrogata sit; vel in totum, ut aliqui volunt, vel saltem quoad plurima, ut alii: & cùm ea, quæ secundùm hos abrogata non sunt, comprehendantur lege novâ & Evangelicâ; de hac solùm agere necessarium duxi: quare imposterum nomine legis Divinæ positivæ intelligemus novam.

13. Lex Divina positiva præcipit & prohibet omnia, quæ decem Decalogi præceptis continentur: item præcipit amorem proximi, ac ejus odium vetat: insuper mandat in sua Ecclesia observari septem Sacramenta, sub Eucharistia etiam comprehenso Missæ sacrificio; cæremonialia tamen circa illa relinquit suis Vicariis determinanda. Quæ omnia sunt extrà controversiam inter Catholicos.

14. Dico secundò, omnis lex Divina positiva obligat ex natura sua sub peccato. Patet ex dictis suprà, ubi peccatum definivimus, dictum, factum vel concupitum contra legem Dei. An autem, & quæ obliget sub peccato mortali, vel veniali, sôlius voluntatis Divinæ est decernere; quæ Dei voluntas, unum vel alterum decernens, erui debet, vel ex Scriptura, vel ex traditione, vel ex Pontificum declarationibus, vel ex ratione evidenti deducta ex uno illorum trium. Ratio est, quia per hæc censetur Deus moraliter loqui, & suam mentem hominibus declarare.

15. Adverte, peccatum in conclusione debere sumi latè, prout etiam comprehendit transgressiones, quæ non sunt peccatum propriè & strictè loquendo, mortale scil. vel veniale: quia cùm lege Divina positiva præcipiatur, obediendum esse omni Superiori legitimè mandanti, omnis transgressio legis humanæ, est transgressio

legis Divinæ, nec tamen semper peccatum propriè dictum, mortale vel veniale; quia multæ leges feruntur, quæ obligant sub sola pœna, ut patet in statutis Ordinis nostri, Regula PP. Dominicanorum, & Jesuitarum, ac aliis multis, quæ ideo leges pœnales dicuntur.

16. In lege Divina positiva variæ contingere possunt mutationes. Prima, ratione statûs, quando videl. est lata pro uno statu determinatè: sic lex circumcisionis lata pro statu veteris Testamenti, eo desinente, in legem Baptismi mutata est. Secundò fieri potest ratione materiæ, quando scil. id, quod est in se materia levis, v.g. occisio hominis privata authoritate, ratione adjunctæ aut mutatæ circumstantiæ, ut accedente sententiâ Judicis, cessat esse legis materia dumtaxat. Tertiò mutatio fit per regulam charitatis; quando nempe actus majoris charitatis & bonitatis incompossibilis est cum alio hic & nunc lege positiva Divina præcepto: sic si stante lege, vel præcepto Divino colendi Sabbatum v.g. concurrit præceptum incompossibile hic & nunc assistendi infirmo extremè laboranti, cessat prior obligatio colendi Sabbatum. Ratio est, quòd finis cujuscumque legis & præcepti, saltem remotus, sit charitas & bonitas. Hæ omnes mutationes à fortiori contingere possunt in lege positiva humana: pro qua sit

DISPVTATIO III.

De Lege humana.

DUBIUM I.

An in hominibus sit potestas condendi Leges?

1. Dico primò, certum est in hominibus esse potestatem condendi leges. Probo ex plurimis locis Scripturæ: ut *Rom.* 13: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Proverb.* 8: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Quoad potestatem ecclesiasticam verò *Actor.* 15. scribunt Apostoli diversis populis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria*: ergò habebant potestatem illis per leges onus imponendi. Item *Matth.* 16. dicit Christus Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Et *Ioan.* 21. eidem ait: *Pasce oves meas.* Deinde Prælati Ecclesiæ habent potestatem coercendi, ac puniendi subditos, si non obediant: quod passim patet ex Apostolo, nominatim 2. *Cor.* 13. ubi dicit: *Hæc absens scribo; ut non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus mihi dedit.* Idem ferè habet 1. *Cor.* 4. Ergo Prælati Ecclesiæ habent potestatem condendi leges. Imò

2. Dico secundò, utilissimum simul, ac necessarium fuit generi humano,

mano, quòd aliquæ leges conderentur. Ita D. Thom. & post eum cæteri DD. communiter. Prob. ex Scriptura 2. *Machab*. 4. ubi de Onia dicitur: *Videbat enim sine regali providentia impossibile esse, pacem rebus dari.* Et *Proverb*. 11: *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Item *in lib. Iudic.* sæpius repetit Scriptura malorum plurimorum causam extitisse, quòd non esset Rex in Israel; qui scil. mandatis, & pœnis populum cohiberet, ne unusquisque, quod sibi bonum videbatur, hoc faceret. Deinde sine humanis legibus communitates diu subsistere non valerent: licet enim quibusdam sufficiat disciplina quasi paterna, quæ adhibetur per solas admonitiones & exhortationes; hæc tamen sine metu pœnæ & supplicii, non est sufficiens protervis & ad vitia proclivibus. Nec sufficit, quòd lex naturalis, & positiva Divina pœnas minentur; quia protervi parum aut nihil iis permoventur; sed eas, tanquam procul distantes, & quasi incertas negligunt; eò quòd raro in hoc mundo visibiliter inferantur. Opus igitur fuit legibus humanis, secundùm quas in præsenti sæculo pœnæ visibiliter infligerentur.

3. Dices tamen primò cum hæreticis. *Deuter*. 4. dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor*; & *Matth. ult.* Christus Apostolos monet, ut doceant gentes servare omnia, quæ ipse mandavit, non verò, quæ Apostoli mandaverint.

4. Respondeo, *Deuter*. 4. Deum prohibere, ne in suis cæremoniis, & judiciis Israëlitæ aliquid addant ex ritu Gentilium, inter quos vixerant in Ægypto, & deinceps victuri erant in Palæstina; nam *cap. 5. seq.* id expressè vetat: deinde dici posset, Deum ipsis inhibere, ne addant aliquid repugnans ipsis præceptis Divinis. Aliud verò, quod adfertur ex Matthæo, pro nobis facit, cum ipse Christus mandarit servari mandata Prælatorum & Ecclesiæ, juxta illud ejusdem *Matth.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*: & alibi: *Qui vos audit, me audit.* Et revera licet Christus expressè non mandasset illam obedientiam, adhuc nullatenus sequeretur, Christus mandat sua præcepta servari; ergò non vult servari præcepta Apostolorum: magis quàm sequatur; Imperator jubet, sua præcepta servari: ergo non vult servari justa præcepta sui Prætoris v.g.

5. Dices secundò, lex evangelica à Christo data est sufficiens per se: ergo non debent aliæ leges superaddi. Et aliàs Christiani essent subjecti hominibus, quod prohibet Apostolus 1. *Cor*. 7.

6. Respondeo imprimis, legem evangelicam à Christo datam continere hanc: *Obedite Præpositis vestris*; item & hanc: *Qui vos audit, me audit, &c.* Deinde dum Apostolus prohibet subjici hominibus, solùm vult, ut non subjiciamur ita hominibus, ut iis præ Christo serviamus: nam aliàs opponeret se verbis Christi jam citatis.

7. Dices tertiò, abstinere à carnibus, & jejunare toties; confiteri & communicare semel in anno; quòd Sacerdotes debeant manere cælibes ad vitam, & similia multa, quæ Christus libera reliquit, repugnant humanæ libertati: ergo leges ea præcipientes non obligant; vel maximè, quia *jugum Christi suave est, & onus ejus leve.*

8. Respondeo, humanam libertatem esse illam, quæ nos liberat à peccato, juxta illud *ad Rom. 6: Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ*; non verò ab obedientia, quam subditi debent Ecclesiæ, Superioribus, ac parentibus: item libertas humana, quam obtinuimus per Christum, est libertas à servitute & obligatione legis Mosaicæ cæremonialis & judicialis. Deinde quamvis Christus supradicta libera reliquit, non tamen inhibuit Apostolis, eorumque successoribus, ne ea præciperent, ubi & quando reperta fuerint idonea ad justitiæ promotionem, & animarum salutem. Neque ideo desinit jugum Christi esse suave: nam *Matth.* 11. dicitur: *Mandata ejus* (inter quæ unum est, *obedite Præpositis vestris*) *gravia non sunt*.

9. Addo tamen legislatorem humanum, etiam ecclesiasticum, non posse præcipere omnes actus virtutum, nequidem divisivè: quia non potest cogere homines ad ingrediendam Religionem, paupertatem aut castitatem vovendam, ut docet Lezan. *verb. Leges Regul. num.* 21. citans Molin. & Laym. Unde cœlibatus, qui juxta Ecclesiæ præscriptum à sacerdotibus debet observari, tantùm ponitur tanquam conditio, si vis Sacerdos fieri, servare debes cœlibatum, quod non est ad cœlibatum cogere, cùm nemo cogatur Sacerdos fieri.

10. Dico tertiò, ita est in hominibus potestas condendi leges, ut tamen ea omnis à Deo sit tanquam legislatore universali. Patet *ex cap. 8. Proverb: Per me reges regnant, &c.* & *Rom. 13: Non est potestas nisi à Deo*. Probatur etiam ratione; quia, qui dat formam, dat simul ea, quæ talem formam necessariò consequuntur: ergo Deus, qui est author naturæ humanæ, est etiam author potestatis legislativæ & gubernativæ inter homines, utpote cum hæc sit necessaria ex statim dictis naturæ humanæ, naturali dictamine communitates ac Respublicas constituenti.

DVBIVM SECVNDVM.

Quomodo, & ad quid obliget lex humana?

11. Dico, lex humana tam civilis quàm ecclesiastica obligat in conscientia, idque sub peccato, mortali vel veniali, vel sub sola pœna, prout fuerit mens legislatoris subditos suos obligandi. Ita Urban. *tract. 1. c. 6. in fine* cum omnibus DD. communiter, contra quosdam, etiam Catholicos, maximè quoad leges civiles. Prob. ex locis Scripturæ *dub. præc.* allatis, in quibus legislatoribus humanis, illimitatè quoad hæc, à Deo potestas conceditur: item ex Apostolo *Rom. 13.* dicente, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: damnatio verò ob solum peccatum mortale acquiritur. Deinde post pauca subdit: *Subditi estote,*

te, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, id est, non solùm timore pœnæ infligendæ, sed etiam propter culpam seu maculam conscientiæ incurrendam. Et denique Christus ipse *Luca* 11. Prælatis Ecclesiæ ait: *qui vos spernit, me spernit*. Alia adhuc loca vide apud Dian. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 44.

12. Dices primò, juxta D. Thom. nullus potest obligare ubi non potest judicare; aliàs enim obligaret in foro ad se non pertinente, atqui homo judicare non potest, quid lateat in aliorum conscientia: ergo nec in conscientia ligare potest, maximè cum conscientia nostra sit superior, omnium hominum judiciis. Deinde homines non possunt infligere pœnam æternam: ergò saltèm non possunt sub mortali sive ad pœnam æternam obligare, ne aliàs detur jurisdictio sine potentia coercendi.

13. Respondeo imprimis, majorem absolutè esse falsam, licet enim id verum sit de foro seu tribunali ab alio independente, falsum tamen est de tribunali, quod ab alio dependet: nam judex inferior potest obligare subditos ad dicendam suam causam in foro, quod sibi reservat Superior. Neque nostra conscientia est superior hominum judiciis, nisi in quantum judicium hominum nequeat conscientias nostras lædere, vel reas facere coram Deo, nisi nos ipsi velimus: non verò sic ut homines potestatem legitimam à Deo habentes, nihil judicare aut statuere valeant, quo in conscientia obligemur, etiam sub mortali: ad hoc namque sufficit, quod Deus pœnam æternam infligat iis, qui infringunt leges humanum legislatorum, qui sunt Vicarii Dei legislatoris supremi.

14. Dices secundò, peccatum est dictum &c. contra legem Dei; ergo transgressio legis humanæ non est peccatum. Resp. negando conseq. quia, qui transgreditur legem humanam, facit contra hanc legem Divinam: *obedite præpositis vestris*.

15. Dices tertiò, potestas civilis est corporalis; ergò non potest obligare conscientiam, quæ est spiritualis: neq; finis legum civilium est pax conscientiæ, sed pax externa.

16. Resp. iterum negando conseq. quia, ut dictum est, etiam leges civiles Divina lege præcipiuntur observari. Et verè multùm conducit ad pacem externam Reip. potestas obligandi in conscientia, cùm per hanc obligationem maximè arceantur fideles à transgressione legum. Quamvis ergò finis legum civilium sit pax externa, in conscientia tamen nos obligant, ut hanc pacem servemus. Pro his & aliis objectis ac solutis vide Dian. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 44 *cit.* ubi improbabiles vocat aliquorum, etiam Catholicorum, sententias circa hanc materiam. Et nominatim dicit Marchantium *in Tribun. Sacram. to.* 2. *tr.* 1. *tit.* 9. *q.* 1. *concl.* 3. plura docere circa præsentem quæstionem, quæ sibi non placent: inter quæ præcipuum est, quòd dicat leges humanas non obligare ad culpam in materia per se indifferenti, & secluso omni eo, quod lege Divina naturali vel positiva vim obligandi habet, quod *parum infrà* sic explicat. Prohibet lex humana sub pœna capitis, ne quis mœnia aut vallum civitatis furtim aut aliter transgrediatur:

tur: cùm hæc materia sit per se indifferens, nec ulla lege superiori Divina prohibita; talis lex non potest obligare ad culpam, etsi millies obligare intenderet Princeps. Ita Marchantius: quod idem & mihi displicet; quia quidquid nulla lex Divina dictum transgressum prohibeat ante prohibitionem legislatoris humani; tamen hoc ipso, quod illum inhibeat lex humana, simul hac lege Divina *obedite præpositis vestris* censetur esse prohibitus, idque sub eadem culpa vel pœna, sub qua legislator humanus eum intenderit inhibere, juxta illud Apostoli suprà: *subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, ubi scil. fuerit mens legislatoris, in conscientia obligare.

DVBIVM TERTIVM.

Vnde colligitur an lex humana obliget sub peccato, vel sub pœna tantum?

17. Respondeo, id debere colligi ex ipsa legislatoris intentione: nam in moralibus, actus agentium non transcendunt intentiones eorum. Quia tamen quoad hæc non videtur in omnibus pariformiter loquendum quoad legem civilem & ecclesiasticam; de utraque particulariter agemus. Quare sit

§. I.
De Lege civili.

18. Dico primò, licèt in lege civili pœna, etiam gravis, taxetur, & ipsa etiam materia sit gravis, non ideo statim judicandum est, legem obligare sub mortali. Ratio est, quia cum legislatores civiles absolutè loquendo sufficienter consequi possent finem suum, pacem videl. externam, & publicam tranquillitatem, comminando pœnas temporales, rationabiliter præsumuntur non velle aliud onus imponere legum suarum transgressoribus, quàm subeundi pœnas præscriptas. Ita Urban. *tract. 1. c. 6.* post Villal. Navar. Valen. quos & sequi videtur Arriaga. *to. 4. tr. de leg. disp. 16. sect. 5. subsect. 2. n. 64. & seq.* quidquid enim dicat, tantam posse esse materiæ gravitatem, ut ex ea colligatur, legislatorē civilem voluisse obligare quantum potest; sustinet tamen, ipsam pœnam capitis nullo modo absolutè loquendo esse certum signum obligationis sub culpa mortali. Nobiscum etiam sentit Palaus *tract. 3. disp. 1. pu. 15. n. 12.* docens, nullam pœnam temporalem esse sufficiens indicium obligationis ad mortale in lege civili; quia inquit, ad impositionem

pœnæ

pœnæ quantumvis gravis sufficit, si committatur culpa politica & civilis. Hanc etiam sententiam probabilem dicit Filliu. *to.* 2. *tr.* 21. *c.* 11. *num.* 418. *ac* 420. & Dian. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 46. ac eam absolutè defendit P. Franciscus *de leg. disp.* 5. *n.* 38.

19. Ut igitur lex civilis sub mortali obliget, debet ipsa lex vel legislator id exprimere; quia odia restringenda, maximè hîc, cùm lex civilis plus bonum corporum quàm animarum respiciat, adeòque de obligatione sub peccato parum curare censeatur, nisi contrarium in sua lege expresserit, vel aliunde mentē suam indicarit. Quòd autem plures velint, materiam per se gravem necessitare legislatorem, ut circa eam obliget sub mortali; quia scil. ex natura rei res gravis præcepta, gravem necessariò inducit obligationem, omnino falsum existimo: quia, cum legislatori liberum sit, dictam materiam gravem non præcipere si velit, non video cur ei liberum non sit, eandem sub veniali tantùm vel sub sola pœna præcipere si velit: maximè cùm lex Reip. valde utilis plurimùm conducat ad commune bonum, si sic feratur; ubi tamen ad nihil prodest si non feratur. Quamvis igitur in lege gravissima pœna statuatur, adhuc non est sufficiens indicium obligationis sub mortali; nam (ut bene Palaus suprà) ad impositionem dictæ pœnæ sufficit culpa politica & civilis, quamvis nulla vel non nisi levis commissa sit coram Deo; prout ostendo clarè in milite stationem servante, qui absque sua culpa somno graviter oppressus, facilè potest in somnum incidere, ex quo summum periculum immineat exercitui, vel civitati, atque ob id juste morti adjudicatur, vel ad triremes mittitur, quæ sunt pœnæ gravissimæ, cùm tamen coràm Deo non peccarit. Peccabit tamen dictus miles, vel alius quicumque delinquens contra legem civilem in materia gravi, si non velit subire pœnam temporalem legi appositam, sed justitiæ ministris resistat. Ita Urban. *ubi suprà.* Ratio est, quia dicta pœna justè jubetur infligi: Superiori autem legitimo justè aliquid jubenti obtemperandum est.

20. Nec dicas contra conclusionem, legislator non potest subditos suos obligare sub mortali ad materiam levem; ergo neque sub veniali tantùm ad materiam gravem: quia est lata disparitas, quòd primùm sit odiosum, viamque aperiat damnationi animarum sine fundamento; secundùm verò favorabile: favores autem ampliandi, odia restringenda. Neque (ut bene idem Urban. *tract.* 1. *c.* 5) esset rationi consentaneum, sub exterminatione salutis æternæ præcipere, aut prohibere, quod per se leve est: sicut enim proportio esse debet inter pœnam & culpam civilem, sic & inter culpam & objectum circa quod illa versatur. Nec refert, quòd commestio pomi vetiti fuerit Adæ inhibita sub gravi culpa & pœna; quia licet illa commestio in se esset res parva, tamen intuitu finis erat valdè gravis: præcipiebatur enim abstinentia dicta Adamo in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quasi in tributum summæ subjectionis, prout loquitur Suar. Deinde à Deo ad homines nulla hic est cōsequētia. Dū verò apud quos-

quosdam Religiosos extant quædam præcepta obedientiæ, quæ etiam de rebus minimis obligant sub pœna excommunicationis, hoc fit, quia ista, in se quidem parva, multum conducunt ad perfectionem religiosam, quæ est finis proximus Religiosorum, ac consequenter per ordinem ad finem, illa præcepta sunt de materia gravi seu magni momenti. Unde bene Lezana *in sum. to. 2. cap. 7. num. 12.* ait; licèt difficilè assignetur, quænam materia sit gravis, & id prudentis judicio sæpiùs relinquatur, dicendum est, illam esse gravem, quæ vel ratione circumstantiarum boni communis multùm conducit ad finem à legislatore intentum: econtrà verò, eam esse levem, quæ nec ratione sui, nec ratione talium circumstantiarum ad prædictum finem multum conducit. Ita Lezan. quibus similia habet Urban. *tr. 1. c. 5.* subjungens, si legislator exprimat se velle obligare sub mortali, licet aliunde dubium oriatur, an materia per se gravis sit, tunc gravis esse præsumenda est; nam in dubio prævalet jus Superioris, & pro ipso stat possessio, meliórque proinde conditio illius est.

§. II.

De Lege Ecclesiastica

21. Dico secundò, dum legislator Ecclesiasticus gravem pœnam apponit legi suæ, grave peccatum in ejus transgressione supponit; vel maximè, quia lex ecclesiastica magis bonum animarum quàm corporum respicit, ac proinde de obligatione in conscientia & sub peccato multùm curat. Non tamen adhuc ideo, ubicumque est materia gravis, hoc ipso lex ecclesiastica inducit obligationem sub mortali, prout clarè patet ex regulis diversorum Ordinum, quæ etiam in materia gravi, extrà substantiam votorum, sub mortali, imò sub veniali culpa non obligant; quia videl. sic constat fuisse mentem legislatorum. Insuper hic

22. Nota cum Urban. *tract. 1. cap. 6.* ad hoc, ut lex ecclesiastica judicetur sub mortali obligare, eò quòd pœnam gravem adjunctam habeat juxta statim dicta; id maximè locum habere de pœna gravi spirituali, ut excommunicationis majoris, suspensionis totalis, & totalis interdicti; nam hujusmodi pœnæ non infliguntur nisi ob peccata mortalia, saltèm probabiliùs; adeòque sunt signa obligationis gravis: quidquid tamen etiam ad hoc insuper requirat idem Urban. Castro, Valent. & Fuliensis, ut hæ pœnæ sint sententiæ latæ, id est, ut ipso facto incurrantur: si enim dictæ pœnæ essent solùm præmissa aliqua monitione ferendæ, tunc ad earum incursionem deberet intervenire contumacia; unde ex iis ut sic non posset sufficienter colligi, actum præteritum secundùm se spectatum fuisse mortalem: sicut

nec

nec colligitur ex eo, quòd legi sit apposita pœna excommunicationis minoris; quia hæc etiam propter solum peccatum veniale incurri potest. Quid verò dicendum sit, dum aliquid præcipitur vel inhibetur pro pœna irregularitatis? probabiliùs tunc puto, legislatorem ecclesiasticum obligare sub mortali; licet enim vel ob veniale, vel etiam ob nullum peccatum irregularitas contrahi possit, ea tamen, quæ per modum pœnæ propter malefactum irrogatur, non fertur probabiliùs, nisi ob peccatum mortale. Ita docet Syluius & plures apud ipsum 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *quæsit.* 5. Quidam tamen apud Dian. *p.* 1. *tract.* 10. *de leg. res.* 21. id adhuc negant quoad suspensionem, quidam quoad irregularitatem: ac Valen. cum Salonio (quem Dian. vocat doctissimum) negant quoad suspensionem, interdictum & irregularitatem, eò quòd velint hæc omnia incurri posse ob solum veniale: unde juxta hos Authores, etiam ubi hæ pœnæ apponuntur, adhuc erit examinanda intentio legislatoris, an videl. reverà intendat sub mortali obligare.

23. Adde insuper cum Dian. *ibid. resol.* 20. Navar. Valen. & aliis, satis esse probabile, si lex ecclesiastica solam pœnam temporalem statuat, quòd tantùm sub ea obliget: quia legislatores ecclesiastici possent & solent comminari pœnam spiritualem, dum in conscientia & sub mortali obligare intendunt; quare in casu posito (ut Navarrus à Valentia citatus ex communi æstimatione populi ac multis rationibus & authoritatibus probat) possunt sibi homines persuadere, legislatorem etiam ecclesiasticum, tantum ad illam temporalem pœnam voluisse obligare, quam solam expressit, putans nimirum illam pœnæ comminationem fore sufficientem ad terrendum subditos ab eo, quod probibetur. Et hoc fortè etiam intendit noster Urban. probabile esse cum dixit, resolutionem nostram secundam intelligendam esse maximè de pœna spirituali. Imò id absolutè docet Franc. B. Spei *disp.* 6. *num.* 41.

24. Cæterùm juxta dicta suprà & Lezanam *tom.* 4. verbo *leges regularium num.* 40. lex aut præceptum, quodcunque humanum, tam civile, quàm ecclesiasticum supposità legem aut præceptum ferentis intentione, obligat ad culpam mortalem in materia gravi, sive materiæ gravitas attendatur intrinsecè ex substantia operis, sive extrinsecè ex circumstantiis scandali, periculi, majoris mali &c. vel etiam ex fine à legislatore intento. Sic potest Prælato interdum adesse causa sufficiens prohibendi sub culpa mortali, ne talis Religiosus ingrediatur certam aliquam domum, transeat per talem plateam, talem personam alloquatur &c. Quamvis enim ista secundùm se sint parvi momenti, comparata tamen ad bonum nomen Religionis, ad scandali vel periculi evitationem, sæpe multum referunt.

Petes undenam colligi possit legislatorem intendere obligare sub mortali?

25. Respondeo ex eo, quòd expressè dicat: *præcipio vel prohibeo* &c. *sub mortali peccato, sub reatu pœnæ aut maledictionis æternæ, sub exterminatione Divini judicii, sub*

pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, sub pœna maledictionis Dei &c. Nam dictæ comminationes solùm debent correspondere culpæ mortali. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 11. Verùm id non existimo absolutè locum habere, quandocumque legislator utitur verbis *præcipio, prohibeo, mando, veto, &c.* solitariè positis, quamvis materia gravis sit, nisi per aliquid superadditum ad id verba ista determinentur, vel communis sensus DD. ita legislatorem sentire & intendere doceat: ad quem sensum communem idem Lezana *cap.* 7. *num.* 11. dicit esse recurrendum, dum legislator quoad obligationem suæ legis sub culpa, tali vel tali, mentem suam non explicat; eò quòd dictus sensus communis sit optimus legum interpres, prout habetur *cap. Cum dilectus. de consuetud.* Aliàs enim cum verba *præcipio, prohibeo, &c.* secundùm se sint indifferentia ad obligationem sub gravi vel levi peccato, vel etiam sub sola pœna inducendam, ut videre est in Regulis diversorum Ordinum; dum solitariè ponuntur ad solam pœnam, vel non nisi ad culpam venialem obligare, censendum est; quia *odia restringenda*, & juxta Regulam juris, *In obscuris quod minimum est sequimur.* Hæc omnia nobiscum docent Navarr. Reginal. & alii, quibus accedit Urbanus.

DVBIVM QVARTVM.

An lex humana obliget cum periculo vitæ?

26. DIco; quamvis lex humana regulariter loquendo non obliget ad sui observationem cum periculo vitæ aut magni alicujus nocumenti temporalis, ut bene demonstrat Lezan. verbo *Leges Regularium n.* 25. potest tamen certis casibus obligare ad actus, quibus grave vitæ periculum annexum est, prout habet communis sententia. Unde quod lex debeat esse moraliter possibilis, sive non difficilis, non est necessarium ad legem pro quibusdam casibus particularibus. Quorum primus est, quando violatio legis humanæ cederet in contemptum Fidei. Religionis aut Ecclesiasticæ potestatis, vel etiam potestatis legislatoris civilis ut legislatoris. Ratio est, quia pluris refert, Fidem, Religionem, potestatem ecclesiasticam & civilem non contemni, quàm vitam corporalem non servari: nam contemptus illi cedunt in detrimentum honoris Dei, qui rebus omnibus creatis præferri debet: sic enim dicitur Deus appretiativè summè diligendus, ut nimirum dum se offert occasio vel inhonorandi Deum vel quodlibet damnum patiendi (& consequenter vel vitam propriam amittendi) hoc potiùs eligatur præ altero. Ita Urban. *tract.* 1. *cap.* 7. ubi præter casum contemptûs nullum ali-

alium adfert, in quo lex humana obliget cum periculo vitæ. Sit tamen

27. Casus secundus, quando observatio legis humanæ plus confert communi bono Reip. communitatis aut Religionis, quàm conservatio vitæ propriæ æstimetur: vel econtra, quando violatio legis humanæ plus nocet communi bono, quàm propriæ vitæ amissio. Sic v. g. dum lex humana præcipit militi servare stationem, dum adest periculum ne superveniat hostis, vel pugnare contra hostem jam irruentem, &c. tunc revera obligat eum ad ista etiam cum gravi periculo vitæ suæ. Ita censent Sotus, Castrus, Becan. Sylvius, Bassæus, Arriag. Lezan. & alii passim. Ratio est, quia Resp. debet habere potestatem sufficientem ad commune bonum conservandum: in dicto autem casu commune bonum postulat, ut subditus sive miles se exponat periculo vitæ. Imò idipsum simul etiam postulat sæpiùs bonum privatum ipsius subditi se exponentis dicto periculo; si enim nemo posset obligari ad pugnandum contra hostem aggredientem, ad vigilias agendas, &c. cum periculo vitæ, tota Resp. necessariò interiret, & fortè iste, qui jam obligatur pugnare, stationem servare, &c. ad mandatum Superioris, certiùs ab hoste irruente, vel urbem vi, vel dolo intercipiente occideretur, quàm pugnando vel stationem servando; præterquam quòd hæc faciendo servet parentes ac consanguineos suos, sicut & bona temporalia sua ac suorum.

28. Nec refert, quòd quisque jure naturæ teneatur conservare vitam propriam: quia hoc non est generaliter verum in omni eventu, cùm indubitatum sit apud omnes, in casu posito licitum esse subditis se exponere periculo vitæ pro bono communi: si autem id licitum est, non est cur Resp. non valeat eos ad id obligare ubi justissimam habet causam. Hæc mihi videntur certa, nec video quomodo Urban. hunc casum excluserit.

29. Dicetur fortè, in istis casibus lex naturalis obligat ad pugnandum cum periculo vitæ, non verò lex humana: sed præterquam quòd idem dicendum foret de casu in quo humanæ legis violatio cedit in contemptum Fidei, &c. pro quo vide Lezan. verbo *Leges Regul. n.* 25.

30. Respondeo, legem naturalem quidem obligare subditos in communi & indeterminatè ad prædicta; sed lex humana, vel præceptum Principis seu Superioris legem naturalem determinat, atque id, quod pro boni communis conservatione est hic & nunc necessarium, præcipit ei, cui judicaverit; quia lege seu præcepto posito jam obligatur talis in particulari, qui per legem naturalem non plus obligabatur, quàm cæteri.

31. Tertius casus superaddi potest, in quo observatio legis humanæ urgeat etiam cum vitæ periculo; quando videl. legis humanæ transgressio esset causa gravis scandali pusillorum, ut si v. g. aliqui scandalizarentur & transirent ad hæresim existimantes aliquem esse hæreticum eò quòd ederet carnes die

die Veneris, teneretur tunc similis abstinere ab illis etiam cum mortis periculo, ad tollendum illud scandalum. Ita Lezan. *loc. cit.* Ubi docet Carthusianos, etsi satis laudabiliter abstineant ab esu carnium, etiam cum periculo vitæ, nihilominus ad id non teneri. Quod & probat *tom. 1. cap. 8. n* 19. ubi dicit, eos non posse abstinere à carnibus in casu quo omnis alius cibus necessarius ad conservandam vitam abesset: quia, inquit, hoc nimis inhumanum esset, & contra legem naturalem: atque hoc etiam docet Suar. *to. 4. de Relig. tract. 9 l. 2. cap.* 4. quòd tamen, ut dictum est, laudabiliter abstineant etiam cum vitæ periculo, modò possint obtinere pisces v. g. Probatur, quia taliter possunt postponere particulare bonum vitæ communi bono Religionis in perpetua abstinentia à carnibus consistenti. Cæterùm leges humanæ ordinariè non obligant cum tanto incommodo, pro quo recole dicta *de actibus human. disp.* 1. *dub.* 3.

DVBIVM QVINTVM.

An lex humana possit obligare ad actus internos?

32. Dico primò cum communi ferè omnium, lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis, non potest directè præcipere actus merè internos. Ita Lezan. *tom. 1. cap.* 4. *num.* 5. & *tom. 2.* verbo *Leges Regularium n.* 22. Quoad legem civilem, nulla videtur posse esse difficultas, quia hæc proximè respicit tranquillitatem & pacem externam Reipubl. quæ à solis actibus exterioribus pendet. Quare

33. Probatur resol. quoad legem ecclesiasticam; quia homo non potest legem ferre, nisi de iis, circa quæ potest ferre judicium; atqui hoc non potest circa actus internos, qui ipsum latent, sed tantùm circa externos, qui apparent: ergò, &c. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. quod ipsum etiam patet ex Philosopho *lib.* 10. *Ethic. c.* 5. dicente, legislativam potestatem debere necessariò conjunctam habere potestatem coactivam; aliàs enim esset inefficax, ac proinde inutilis.

34. Dices, suprà *dub.* 2. negatum est, nullum posse obligare, ubi non potest judicare: quomodo ergò hîc idipsum ponitur pro fundamento resolutionis?

35. Respondeo ly *iudicare* hîc sumi omnino aliter à D. Thom. & nobis, quàm suprà sumebatur ab objiciente: non posse enim judicare, hic est idem, quod non posse scire, quando, à quo, & quomodo lex violetur: ibi autem sumebatur prout idem est, ac non posse infligere pœnam pro transgressoribus positam; quod non requiri in legislatore ab alio dependente ibidem monstravimus.

36. Di-

36. Dico secundò, lex humana sive civilis, sive ecclesiastica, nequidem indirectè (sive per modum alicujus necessariò conjuncti cum actu externo præcepto, ut loquitur Lezan. (præcipere potest ullum actum mere internum, sed illum solùm, qui per externa opera, vel signa manifestatur; & hunc non aliter, quàm ratione operis externi, quod per se præcipit aut prohibet. Explico, actus internus, quô quis efficaciter vult ponere opus externum, quod lege humana prohibitum est, aut omittere, quod præceptum est, potest cadere sub legem humanam, non quòd lex per se & directè præcipiat, aut prohibeat talem actum, sed quia præcipit, aut prohibet opus externum, per quod talis actus internus manifestatur. Ita docet Becan. *cap.* 6. *de leg hum. q* 5. cui accedere videtur Mærat. *de leg. disp.* 11. *sect* 3. dum dicit, solùm illum actum internum posse indirectè lege humana præcipi aut prohiberi, qui sit efficax, id est, qui vi & efficacitate sua infert exterius id, quod per eum est volitum: addens, nequidem Ecclesiam judicare posse de actu interno efficaci, si hic in nullum opus externum prodierit; de eo enim non potest homo ferre legem, de quo non potest judicare: unde videtur absolutè nobiscum loqui; vel maxime, cum ibid, *sect.* 2. *num.* 7. dicat, nunquam de pure internis actibus nullo exteriori signo se prodentibus quidquam ullâ lege suâ aut vetat, aut præcipit summus Pontifex. Et reverà, quamvis communis opinio DD. nobis contrariari videatur, nostram tamen sententiam probat ratio D. Thomæ & aliorum communiter pro Responsione prima allata, vel certe nihil probat. Deinde

37. Probatur ulterius ex communi axiomate, ***De internis & occultis non judicat Ecclesia***; item ex Script. 1. *Reg* 16. ***Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor***: & 1. *Cor*. 4. ***Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.*** Unde ipse Papa Innocentius III. *cap.* 33. ***de simonia ad finem, &*** *cap.* 34. fatetur, se non posse ullo modo de internis judicare, dum ait: ***Nobis datum est de manifestis tantummodò judicare.*** Infero ergo juxta rationem D. Thomæ & aliorum communiùs, Papæ datum est de manifestis tantummodò legem ferre, adeoque non de internis ullo opere, aut signo exteriori se prodentibus.

38. Dices primò, Christus Petro dixit generaliter *Matth.* 16. ***Quodcumque ligaveris super terram, &c.*** actus autem interni sunt etiam super terram. Secundò Ecclesia remittit culpas interiores, quas jubet suos subditos annuè confiteri. Tertiò dispensat quoque Ecclesia in votis solâ mente, seu voluntate elicitis. Quartò in variis canonibus excommunicantur illi qui credunt contra id, quod in iis definitur. Quinto ab Ecclesia præcipitur attentio in auditione Missæ & recitatione Horarum. Denique, statuitur ab Ecclesia, ut ille, qui susceperit beneficium parochiale sine intentione suscipiendi debitum ordinem intra annum, teneatur resignare beneficium, & restituere fructus illius anni. Ergò Ecclesia potest leges ferre circà actus internos.

39. Respondeo ad primum, hoc quidem à Christo dictum generaliter, sed à ratione, & ex aliis Scripturæ locis sufficienter constat, illud non extendi ad actus merè internos: neque summi Pontifices hanc potestatem Ecclesiæ esse datam, unquam docuerunt: cùm igitur Ecclesia sit corpus quoddam visibile & externum, materia accommodata ipsius communi & externæ gubernationi debet etiam esse externa & sensibilis: quare D. Thom. 2,2.*q.* 104.*art.*5. expresse docet, obedientiam humanam ad homines tantùm esse in his quæ per corpus fiunt, & pertinent ad res humanas sensibiles. Unde distributio, seu generalitas dictorum Christi verborum accipienda est de omnibus, quæ necessaria sunt, ut Ecclesia possit rectè regi, quæ tantùm sunt ea, quæ exteriùs innotescunt.

40. Ad secundum Respondeo, Ecclesiam quidem determinare tempus, quo debeant fideles confiteri; & verè obligare nos ad confitendum interiora nostra peccata; sed ut est interpretatrix legis Divinæ: quod ut minus omnes modò fateri tenentur. Nam dicere; si quis accedat ad Confessarium & absolutionem petat, non peccabit contra præceptum ecclesiasticum, nec incurret pœnas lege ecclesiasticâ constitutas, etiamsi omittat peccata interna occulta confiteri, prout docet Becanus *de lege humana c.* 6. *q* 5. modò ut minus tanquam scandalosum est ab Ecclesiæ capite damnatum: pro quo vide à nobis dicenda *in tract. de Sacram. disp.*5.*dub.*8. parum ante finem. Quòd verò Ecclesia possit absolvere à peccatis internis, nihil refert: quia hoc est favorabile, nec fit nisi volentibus ac petentibus; neque fit simpliciter ab homine, sed à Deo per hominem.

41. Ad tertium dico, magnam esse disparitatem inter voti dispensationem & lationem legis: primum enim est favorabile, sicut absolutio à peccatis, unde voluntariè quoad dispensationem voti interni vovens se subjicit Superiori; secundum autem est odiosum: deinde ut dicta dispensatio prudenter fiat, debet vovens prius explicare votum suum, & sic per signa exteriora fit noscibile à Superiore.

42. Respondeo ad quartum, per credentes ibi intelligi illos, qui verbis vel signis cognoscuntur oppositum Ecclesiæ definitioni credere: quod universim dicendum est de omnibus, in quibus fertur excommunicatio circa actus quoscumque internos. Quòd verò ponderosus (id est, juxta D. Gregorium, qui turpibus & luxuriosis cogitationibus in animo deditus est, & sine refrænatione indulget, licèt ad externa opera turpitudinis non progrediatur) in veteri Testamento à ministeriis Altaris seclusus fuerit; ac proinde in novo Testamento non sit dignus, qui sacris mysteriis admoveatur, nihil refert; quia ibi non fertur lex, neque statuitur pœna, sed explicatur quid juxta naturam rei & legem Divinam conveniat fieri. Ita Wiggers 1,2.*q.*96.*art.*2.*n.*17.

43. Respondeo ad quintum cum Becano, attentionem internam in auditione Sacri, &c. non esse præceptam ab Ecclesia, sed jure Divino annexam esse omni orationi. Ecclesia itaque solùm

solùm prohibet externam indevotionem & occupationem, ut faciliùs attentio interna obtineatur, quæ jure Divino præcepta est. Vide dicenda infrà *tract. de Iure & Iust. disp. 13. dub. 3. §. 4.* & Franc. B. Spei *de Leg. disp 6. num. 22.*

44. Ad ultimum dico cum eodem Becano *loc. cit. in fine*, & cæteris communiter, id non fieri jure humano, sed naturali determinato ac declarato per Ecclesiam: juris enim naturalis est, ut is qui non habet animum serviendi Ecclesiæ parochiali, non habeat etiam beneficium annexum tali servitio: sicut juris naturalis est, ut non recipiat stipendium qui non vult laborare. Ex his

45. Colliges, quotiescumque Ecclesia videtur præcipere, vel inhibere actus internos, vel intelligi debere de actibus internis per externa signa manifestatis; vel dici debere Ecclesiam hîc & nunc non ferre ullam legem, sed tantùm explicare, quid juxta naturam rei, vel præceptum Divinum debeat fieri. Contra tamen

46. Instabis, Regulæ & statuta obligant plerosque Religiosos ad actus internos, ut ad mentaliter orandum & similia; ergò Ecclesia habet istam potestatem.

47. Respondeo inprimis, non desse qui negent antecedens apud Suar. *l. 4. de leg. c. 12.* dicentes in similibus casibus solùm prohiberi actus externos, impedientes actum internum, orationem mentalem v. g. pro quo se fundant in D. Thoma 2, 2. *q.* 104. *art.* 5. suprà citato generaliter dicente quoad interiores motus animi hominem soli Deo subjici. *Si* tamen nihilominùs in quibusdam Ordinibus Regulæ, vel Statuta actum merè internum præcipiant, prout constat, Statuta nostra orationem mentalem præcipere, nihil refert dicere (prout cum communi dico) tale præceptum esse validum: quia per votum obedientiæ similes subditi etiam quoad tales actus internos se Superioribus suis liberè subdiderunt: undè non est hic opus coactione sicut in aliis legibus, quæ non ita dependenter à voluntate subditorum feruntur: sicut enim se suâ voluntate præcepto submittunt, ita præsumuntur suâ voluntate satisfacturi; quare non sine fructu & spe utilitatis id fit. Cæterùm an & qui Prælati Religionum possint similes actus præcipere, vel prohibere, collige ex Regula, secundùm quam Religiosi obedientiam vovent; an videl: illa consulat, vel præcipiat actus mentales, aut significet Superiores posse similes actus injungere. Ita Suar. addens tamen, Prælatos rectè facturos si nunquam tales actus injungant sub rigore præcepti ad vitandum periculum: sufficiet igitur exteriorem præcipere vacationem. Vide etiam Lezan. verbo *Leges Regul. num. 22.*

48. Urgebis, ex his omnibus sequitur, legislatorem humanum, etiam Ecclesiasticum, non posse præcipere vel prohibere actum externum in occulto, nullo præsente factum: quia, cùm legislator eum actum cognoscere nequeat, & consequenter non valeat de eodem judicare; non poterit etiam ob rationem sæpè allatam illum præcipere vel prohibere.

49. Resp. negando illam sequelam, & dico

& dico disparitatem esse in eo, quòd omninò per accidens sit, talem actum à legislatore non posse cognosci, ac proindè nec ab eodem ferri judicium circa illum: per se enim, inspectâ propriâ naturâ similis actus, potest de eo judicari sicut de cæteris; ac per se, cum supponatur esse externus, æquè sensibilis est, & ab alio homine perceptibilis quàm ille, qui reipsa percipitur: quare de eo judicare potest legislator humanus judicio, quod fertur per formam legis communis; sicut enim lex ipsa est quædam generalis sententia per seipsam infligens pœnam, ita satis est quòd materia, circa quam versatur in communi & per se, cadat sub humanam cognitionem & probam, quamvis per accidens aliqua in particulari lateat. Ita Wiggers, Mærat. & alii omnes communiter. Quia tamen aliqua in contrarium adducit Caramuel *Theol. fundam. tom. 1. fol. 205.* sit

QVÆSTIVNCVLA.

An posito quòd Ecclesia non judicet de occultis per se, possit judicare de occultis per accidens?

50. Sic Caramuel loco cit. discurrit: *Tridentinum sess. 24. c. 1. Agens de inconvenienti plurimo, quod ex matrimonio clandestino suboritur, ait, cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, sucurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c. ex quibus verbis hoc potest argumentum formari. Ideò Ecclesia de clandestino matrimonio non judicat, quia de occultis non judicat: ergò illa occulta, de quibus illa non judicat, non sunt tantummodò occulta per se, sed etiam occulta per accidens; quia matrimonium clandestinum non est occultum per se, sed per accidens. Videtur huic opinioni subscribere Escobar moralis Theol. tract. 1. exam. 7. cap. 3. nam secutus Sanchez, Comitolum, Fagundez & Sa, docet eum qui ex occulto duellum respuit, non incurrere in excommunicationem.* Hæc Caramuel: exclamans, *Bone Deus, si hæc opinio semel admitteretur, &c.*

51. Respondeo, ista verba Tridentini *quæ de occultis non judicat*, esse sumenda cum proportione inter ly occultum, & ly judicare, ut sensus sit: *Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis* per se, *non judicat* per se, & de occultis per accidens, non judicat per accidens, *sucurri non possit, nisi, &c.* Quare ad argumentum à Caramuel formatum, distinguo antecedens; ideò Ecclesia de clandestino matrimonio non judicat per se & ex natura rei, quia de occultis per se, non judicat per se, nego antecedens; ideò Ecclesia non judicat per accidens de clandestino matrimonio, quia de occultis per accidens, per accidens non judicat, concedo antecedens: & similiter distinguo consequens ad sensum antecedentis; ergò illa occulta, de quibus illa non judicat per accidens, non sunt tantummodò

modò occulta per se, sed etiam occulta per accidens, concedo consequentiam: ergò illa occulta, de quibus illa non judicat per se, non sunt tantummodò occulta per se, sed etiam occulta per accidens, nego consequentiam. Unde hoc nullatenus est contra nos: quia ut ostendimus ex Wigg. Mæratio & aliis, Ecclesia præcipere & prohibere potest actus per accidens tantùm occultos, licèt de iis in particulari per accidens judicare non possit. Quod ipsum etiam manifestum est ex loco Tridentini à Caramuele adducto: nam eo *cap.* 1. postquam PP. Concilii Trident. testati fuerant, Ecclesiam non judicare (videl. per accidens (de matrimonio clandestino, testantur illud adhuc semper ab Ecclesia fuisse inhibitum: & quia iidem PP. videbant, eam inhibitionem sub solo peccato non bene à malis hominibus observari, eò quòd per accidens de matrimonio clandestino Ecclesia judicare, & pœnam corporalem infligere non posset, statuerunt, ut deinceps matrimonium clandestinè contractum esset nullum, prout illud irritum faciunt & annullant. Undè manifestè pro nobis facit dictum cap. Tridentini, cùm testetur occultum per accidens, de quo per accidens Ecclesia judicare non potest, semper ab Ecclesia fuisse inhibitum, atque idipsum etiam per se inhibeat & annullet. Deinde semper, nullo contradicente, ab Ecclesia prohibita fuit comestio occulta carnium die Veneris, fractio jejunii in abscondito, occulta omissio Horarum, &c. quidquid tamen per accidens de iis, utpote occultis per accidens, Ecclesia judicare non possit.

52. Dixi, *nullo contradicente*: quòd enim Caramuel dicat opinioni contrariæ videri subscribere Escobar, mihi minimè videtur: & ut nulli alteri videatur, qui fortè legeret sola verba ipsius à Caramuele citata, hîc pono simul ea, quæ subsequuntur. Sic igitur habet Escobar *examine 7. cap. 3. num.* 102. Ab excommunicatione excusatur, qui aspiceret ex occulto aut eminùs; aut qui casu præsens inveniretur: aut etiam qui duelli conscius, in illud meræ curiositatis causâ pergit. An fortè horum aspectus non damnantur ab Ecclesia, nec pœnâ excommunicationis feriuntur, quia Ecclesia per accidens de iis judicare non potest? Manifestum est contrarium. Quare igitur? quia Bulla damnat spectatores, qui se spontè offerunt pugnæ spectatores & testes, cùm inter duellantes nascitur jurgium: sic enim verbotenùs loquitur ibidem Escobar, quæ ratio ab ipso etiam datur pro aspiciente ex occulto. Certè, si hæc omnia fuissent posita à Caramuele, non esset periculum, ne ulli videretur Escobar aliter sentire: & benè dixit idem Caramuel in initio Theol. fundament. se solùm velle citare Authores adhuc viventes, ut posteà contradicant, si eorum dicta vel scripta malè interpretetur: quamvis, quoad hunc locum Escobar, necessaria non sit vita aut interpretatio Authoris, cùm ejus verba sequentia nimis clarè ejus mentem interpretentur, ut vidimus. Unde nō est, quòd timeat Caramuel, ne hæc opinio ab ipso proposita probabilis reddatur.

53. Quòd verò nos doceamus, Ecclesiam non posse præcipere, vel prohibere actus merè internos & per se occultos, ac per se ab Ecclesia injudicabiles; non repugnat statutis Ecclesiæ: imò contrarium, videl. actus similes internos præcipere, est contrà omnem Ecclesiæ usum, quæ nunquam talem legem condidit, etiam in tempore magnæ necessitatis, ut testatur Lezana, verbo *leges Regul. num. 12 suprà*, citans Suarez & Layman: quod testatus est Innocent. III. anteà citatus, ac docuit D. Thom. quem plurimi sequuntur.

DISPVTATIO IV.

De iis, qui Legibus subÿciuntur.

DUBIUM I.

An Legislator subjiciatur legi propriæ?

1. DIco primò, ubi ipsa communitas leges fert, sive ubi populus suiipsius habet gubernationem, item ubi communitas gubernatur per Senatum, seu per aliquot Primates, communitas & tales Primates obligantur directè suis legibus. Prob. quia singuli in particulari sunt inferiores, & subditi talis communitatis, vel Senatus: subditos autem suorum Superiorum legibus directè obligari, nemo dubitat. Nec refert, quòd ipsi cæteris conjuncti leges ferant; quia ut sic non sunt singuli in particulari, sed sunt ipsa communitas vel Senatus, quam communitatem vel Senatum singuli in particulari habent supra se tanquam suum Superiorem. Ita omnes communiter.

2. Dico secundò, ubi Rex aut Princeps absolutus leges fert, non ligatur ipse legibus suis quoad vim coactivam: nemo enim nisi à Superiore cogi potest, cùm par in parem potestatem non habeat, nec consequenter idem in seipsum imperium coercitivum habere possit; adeòque lex Principis non potest ipsum metu pœnarum cogere ad sui observantiam, cùm dicta lex non habeat vim coactivam nisi ex potestate ipsiusmet Principis. Undè legislator absolutus & independens suam legem transgrediens non incurrit pœnas pro transgressoribus statutas. Eatenùs igitur Princeps solutus est sua lege. Tamen

3. Dico tertiò, omnis legislator humanus ligatur suis legibus quoad vim directivam, ita ut in conscientia teneatur eas servare. Quia sicut de jure naturæ membra se debent capiti conformare, leges Superioris observando; ita juxta idem jus naturæ se debet caput membris accommodare suas proprias leges simul cum illis servando: atque hoc constat ex celebri illo dicto

dicto Catonis: *Patere legem quàm ipse tuleris*, quod dictum laudatur in cap. *Cum omnes*, tit. de constitutionibus Innocent. III. ubi conformiter dicitur: *Quod quisq; juris in alterum statuit, ipse debet eo uti*. Idem etiam confirmat D. Thom. per hæc verba, *Matth. 23. Improperatur his à Domino qui dicunt & non faciunt, & qui aliis gravia onera imponunt, & ipsi nec digito volunt ea movere.* Sed

Petes, an legislator quoad vim directivam teneatur suam legem servare sub peccato mortali?

4. Respondeo, id esse inter DD. controversum. Ast quamvis id negent plures apud Dian. *p. 1. tract. 10. resol. 10.* contrarium tamen probabilius judico, ubi materia legis fuerit gravis, & ipse legislator intenderit suos subditos sub mortali obligare. Ita Granado, Suar. Sayr. Malder. & alii apud Dian. ibid. quibus adde Sylvium & Mærat. cum quibus hanc nostram sententiam probo hoc modo; lex naturæ & naturalis æquitas non minùs notabiliter violatur si legislator legem suam in materia gravi latam non observet (ut si v.g. Papa in die jejunii non jejunet, die festo Missam non audiat, &c.) quàm lex positiva notabiliter violetur, si subditus legem sui Superioris in eadem materia gravi non servet: cæteris autem paribus lex naturalis non minoris est obligationis quàm positiva. Cæterùm, quidquid de hoc sit, secundùm omnes mortaliter peccat legislator quicumque, si per hoc, quòd legem à se latam infringat, grave scandalum, aliúdve notabile incommodum pariat: sicut indubiè peccaret, si contractibus à se cum suis subditis celebratis non staret, si in emptione & venditione non observaret pretium suâ lege taxatum &c. quia naturalis justitia exigit, ut æquè liberè contrahentes simul, æquè graviter per contractum ligentur, & ut contractus emptionis & venditionis justo pretio fiant; quod justum fit communi æstimatione, quæ meliùs lege quàm aliorum arbitrio declaratur, ut docet Diana supra: addens, etiam Principes infallibiliter suâ lege teneri sub mortali, si eam observare juraverint. Vide eundem Dian. *p. 11. tract 7. resol 6.* ubi postquàm varios Jurisperitos citasset, sub distinctione nobiscum resolvit, sustinens tamen Principem supremum contraveniendo suæ legi absque scandalo nunquam peccare mortaliter; quia tunc, inquit, illa naturalis æquitas non obligat graviter. Deducit insuper cum Salas, omnia peccata, quæ à Principe committuntur, ob non observationem propriarum legum, esse ejusdem speciei, eò quòd ratio formalis peccati in istiusmodi transgressionibus eadem sit, videl. quia turpiter agit discordando corpori, cujus caput est.

5. Observa tandem, legislatorem lege naturali solùm teneri suis legibus, quæ æquè ad ipsum quàm ad subditos spectant: manifestum enim est, Principem non teneri observare leges à se statutas pro sutoribus vel sartoribus; de non utendis vestibus sericis; de non gerendis armis, &c.

DVBIVM SECVNDVM.

An Clerici subjiciantur legibus civilibus, & Religiosi synodalibus?

6. DIco primò, clerici subjiciuntur legibus civilibus, quæ ad bonam Reip. gubernationem pertinent, nisi Ecclesiæ immunitati repugnent, vel statum clericalem dedeceant. Tales sunt, quæ justum pretium constituunt rebus venalibus, quæ inhibent ferri arma, vehi granum extra civitatem vel patriam, quæ prohibent vel invalidant certos contractus, &c. Ratio est, quia clerici sunt vera membra Reip. ergò æquum est ut dictis legibus ligentur; vel maximè, cùm aliàs timenda foret non parva Reipub. turbatio in commerciis laicorum cum clericis, ut consideranti patebit.

7. Adverte tamen, clericos non ligari dictis legibus quoad vim coactivam, sed quoad directivam dumtaxat: ita ut obligentur servare, quæ lex tanquam regula præscribit, partim vi legis naturalis requirentis, ut membra ejusdem corporis eidem regulæ conformentur; partim vi canonum & constitutionum Pontificum istam conformitatem requirentium. Unde si clerici similes leges civiles infringant, peccant. Quidquid tamen à potestate civili metu pœnarum cogi non possint ad earundem observantiam, nec incurrant pœnas pro transgressoribus lege civili statutas, sed puniri tantùm possint ac debeant à suo judice ecclesiastico, vel eâdem pœnâ quæ statuta est lege civili, vel aliâ ab ipso legislatore ecclesiastico judicatâ commodiori. Unde legislatores civiles in hoc debent implorare auxilium Prælatorum ecclesiasticorum; quod hi pro sui muneris obligatione præstare tenebuntur: per quod solutum manet, quod hîc nobis objici posset, videl. ex dictis sequi, dari potestatem legislativam sine coercitiva.

8. An verò clerici, contravenientes dictis legibus, peccent mortaliter? Affirmativam veriorem esse, ubi laici sub mortali obligantur, sequitur ex dictis *dub.* 1. de legislatore transgrediente legem propriam; eodem enim naturali jure ligantur clerici ac ipse legislator: negativâ tamen, secluso scandalo, non improbabiliter tenent Bonac. & Salas, quos citat Bassæus verbo *Lex*.

9. Dixi in resolutione, *si ecclesiasticæ immunitati non repugnent*: quia si legislator civilis ferret aliquas leges circà causas ecclesiasticas, nullo modo clericos obligarent: ex variis namque Scripturæ locis (ut *Matth.* 16. & 18. *Ioan.* 20. & 21. videre est) constat, Christum potestatem gubernandi Ecclesiam & ecclesiasticos soli Petro & cæteris Apostolis commisisse. Idque judi-

judicibus civilibus vetant duo Concilia, quæ adfert, Sylvius hîc *q. 96. art. 5. quæsit.* 3. ubi addit hæc verba S. Martini: *Novum est & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ index sæculi iudicaret.* Quod ipsum etiam docet ratio dictans, ut quilibet judex de solis illis rebus judicet, quæ ad suum tribunal spectant. Neque etiam clerici ligantur legibus tributa, vectigalia & alia similia Regi aut Principi solvi jubentibus; quia ab his exempti sunt jure pontificio per Alexandrum III. in Concilio Lateran. *c. non minùs, tit.* de immunit. ecclesiast. per Innocentium III. in alio Concilio Lateran. *cap. adversus tit. eodem*, & per Bonifacium VIII. *cap. quamquam, tit. de censibus in sexto*, qui omnes ea sacerdotibus imponi inhibuerunt. Atque ab iisdem etiam exempti sunt jure civili Imperatorum; idem enim inhibuit Constantinus magnus apud Eusebium *l. 10. histor. c. 7.* & Justinianus *l. 1. codicis. lege sancimus* 2. Hócque ipsum fuisse observatum circa sacerdotes veteris testamenti, ostendit Sylvius *loc. cit.* ac sanè æquitati naturali omninò conforme est, ut qui sacris mysteriis specialiter astricti sunt, ab oneribus sæcularibus sint exempti. Nec hinc imminet Reip. perturbationis periculum, sicut dictum est imminere, si clerici ab aliis legibus suprà positis exempti essent. Quoad secundam dubii partem

10. Dico secundò, Religiosi exempti probabiliùs non ligantur legibus synodalibus Episcoporum. Ita plurimi quos citat & sequitur Dian. *p. 1. tr. 10. res. 11.* & ratio est; quia in eo maximè sita videtur eorum exemptio, ac distinctio à cæteris clericis communibus. Contrarium interim docent plures probati authores apud eundem Dian. ibid. quibus jungo Lezanam infrà citandum: qui omnes innituntur eidem fundamento, quo nos suprà probavimus legislatorem obligari lege suâ, & clericos legibus civilibus; quia nempe jus naturæ statuit partem debere suo toti conformari. Verùm, pace aliorum dixerim, Religiosi exempti non sunt propriè pars alicujus diœcesis, cum nulli Episcopo subjaceant, sed immediatè ipsi summo Pontifici, videtúrq; proinde de iis resolvendum, sicut de peregrinis statim dicemus. Quare ad leges Episcoporum sive synodales non obligantur, nisi ex quadam decentia, & ratione vitandi scandali, ut loquitur Diana: adeòque non peccant dictas leges infringendo, ubi scandali periculum cessat. Sic non peccant, si in monasteriis suis existentes non servent jejunia ab Episcopis statuta: si in quadragesima non abstineant à lacticiniis diebus ab Episcopis determinatis, &c. si absit periculum scandali. Atque hoc omninò conforme videtur rationi, cùm Religiosi aliundè satis graventur per jejunia, &c. suarum religionum. Vide pro his omnibus Lezan. *to. 4.* Verbo *Leges Regul. num.* 27. 28. 29. *&* 30. ubi distinguit inter leges synodales communes & particulares, docétque *eo num.* 27. Regulares exemptos absolutè obligari constitutionibus synodalibus concernentibus actiones communes totius populi & observantiæ regulari non derogantibus: quod ipsum docuerat *to. 1. c. 11. n. 13.* Quidquid *to. 4.* insuper asserat, valdè probabile esse,

hanc obligationem obediendi legibus synodalibus secluso scandalo, & consuetudine in contrarium, non esse in clericis exemptis ad aliquam culpam seu pœnam, sed solùm ex quadam decentia & honestate: quare in rei substantia non multùm discrepare videtur à nostra sententia, & modo loquendi Dianæ.

11. Adverte hîc tamen, excipiendas esse leges synodales præcipientes observationem Festorum; circa quæ Tridentinum *sess. 25. cap. 12. de Regular.* tribuit Episcopis potestatem etiam obligandi Religiosos exemptos; quia fortè in hoc puncto semper censetur adesse periculum scandali. Ita DD. omnes communiter; quidquid P. Bruno Chassaing. dneget. Sunt interim & alii multi casus, in quibus adhuc Religiosi exempti obligantur legibus & judiciis Episcoporum, quos vide apud Malderum 1. 2. *quæst. 90. art. 5.*

DVBIVM TERTIVM.

Quibus legibus peregrini, & vagi teneantur?

12. Dico primò, peregrini & advenæ, existentes extra proprium territorium, non tenentur leges proprii territorii particulares servare. Ita Franciscus B. Spei *dist. 7. n. 72.* Prob. quia legislator tam ecclesiasticus quàm civilis, non habet jurisdictionem extrà suum territorium, quod est quasi sphera activitatis ejus. Hanc resolutionem veram esse, licèt quis de industria proprium territorium ad tempus deserat, ne videl. debeat audire Missam, abstinere ab opere servili, jejunare, &c. docent Sanch. Fagun. & Suarez apud Dian *p. 1. tr. 10. res* 14 qui eorum sententiam omninò sustinendam esse arbitratur. Ratio est, quia talis utitur jure suo: neque dicendum est, inquiunt, propriam fraudem nemini posse patrocinari; nam hîc nulla fraus intercedit, sed nuda fuga obligationis præcepti, quæ non est contra præceptum, cùm nullus lege jejunii teneatur manere in loco ubi præcipitur jejunium observari. Quare horum DD. sententiam omninò probabilem reputo: & licèt prædictus non sit dicendus bene facere; non tamen facit malè, ut benè notarunt Suarez & Fuliensis; idemque habet Noster Urban. *tract 1. cap. 8.* ubi dicit, non debere quidem id fieri ex motivo legem fraudandi; sed utendi jure suo; quæ omnia etiam docet Vidal de censuris *inquis. 1. fol. 79. n. 29.* & recenter etiam Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 17 *num.* 250.

13. Dices suprà *tr. 1. disp. 5. de peccatis capital. dub. 5. §. 7 circa finem* dictum est, non esse licitum dare operam lusui pilæ, venationi, &c. eâ intentione, ut quis per similia factus impotens non jejunet: ergò etiam non est licitum exire ad illud territorium eâ intentione, ut ibi non jejunetur v. g.

14. Resp. negando conseq. est enim lata disparitas; quia exiens extra proprium

prium territorium, vult quidem & intendit facere id quod præcepto jejunii inhibetur, sed non ubi & quando dictum præceptum obligat, sed ubi & quando cessat omninò per se obligare ob non subjectionem eidem præcepto, quod non obligat extra talis loci limites. Ast qui in die jejunii ludo pilæ, venatione, &c. voluntariè se reddit impotentem ad jejunandum ut non jejunet, non vult jejunare ubi & quando præceptum jejunii per se obligat. Vide Dian. *p.* 10. *tract.* 14. *res.* 11. *circa medium.*

15. Dico secundò, peregrini & advenæ existentes extra proprium territorium, non obligantur etiam ad leges particulares loci in quo sunt. Ita P. Franc. B. Spei *lo. cit. num.* 91. Prob. quia legislator non habet potestatem seu jurisdictionem in extraneos sibi non subditos, quales sunt peregrini, qui in loco, in quo degunt, non habent domicilium nec quasi domicilium, utpotè cùm non intendant (ut suppono) pro majori anni parte ibi manere, sed peractis negotiis ad proprium domicilium sint redituri. Deinde tales non sunt pars communitatis, in qua sunt; ergò non ligantur legibus, quæ pro ista sola communitate feruntur. Ita Granado, Azo. Sanchez, Villal. & Reginal. quos sequitur Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 13. *&* 15. Imò id docent aliqui etiam locum habere in peregrinis, qui pro majori parte anni illic morantur, modò sedem ibi non figant animo illic perpetuò manendi: quorum tamen sententiam reputo nimis laxam, cùm tales tunc ibi quasi domicilium habeant, & mora magna, qualis est major pars anni, sufficiat, ut in eos acquiratur jurisdictio. Unde cum Leandro *de pracep. Eccles. tr.* 1. *disp.* 3. *q.* 12. *&* 13. improbabilia judico quæ habet Bernardus Barulis *tr. de lege municipali in advenas d.squisit.* 1. §. 4. *num.* 37. ubi post multa sic ait, quod quidem continuò accidit in scholaribus, provinciarum Gubernatoribus, oppidorum Prætoribus & Præfectis, Castellanis, famulis ad tempus servientibus & similibus; qui omnes ad patriam redire semper cogitant: unde prædictos omnes ex ea mora quam contrahunt dum in tali officio suo funguntur munere in eodem loco domicilium sortiri nullo modo dici possunt, quamvis ibi residendo pervenirent etiam (ut ita dicam) ad Nestoreos annos, ac proinde non ligantur legibus & consuetudinibus loci, ubi temporaneam habitationem habent. Ita verbotenùs ille, citans pro se varios Authores: quæ, ut dixi, mihi & Leandro improbabilia apparent, eò quòd tales saltèm quasi domicilium in dictis locis obtineant, quidquid Dian. *p.* 10. *tract.* 13. *res.* 37. ea & alia similia, quæ habet dictus Barulis *num.* 40. probabilia esse fateatur, & Pasqualigus *in praxi de ieiunio decis.* 189. 190. *&* 198. omninò sententiæ ejusdem Barulis adhæreat.

16. Dices contrà conclusionem nostram, peregrinus, qui tantùm parvo anni spatio abest à proprio territorio, non tenetur eo tempore ad leges proprii territorii juxtà resol. primam: ergò æquum est ut obligetur ad leges loci, in quo est, licèt tantùm per aliquot dies ibi intendat manere: qui enim sentit commodum loci, secundùm regu-

regulam juris, debet & onus sentire, maximè cùm consuetudo jam id obtineat, quæ per modum legis obligat in conscientia.

17. Resp. negando conseq. quia legislator non plus habet jurisdictionis in extraneos non subditos in suo territorio existentes, quàm in proprios subditos existentes extrà suum territorium. Unde non est, cur potiùs legislatoris hujus legibus ligentur, quàm illius, vel econtrà. Regula verò juris allata tantùm habet locum, ubi onus est alligatum necessariò ipsi commodo: de consuetudine autem obligante nihil constat. Tamen

18. Adde, resol. nostram datam generaliter, restringendam esse (prout observat noster Franciscus) ita ut dicti peregrini adhuc ligentur legibus loci extranei, quæ specialiter sunt latæ pro extraneis, vel in publicam istius loci utilitatem; item legibus suo proprio & extraneo territorio communibus; nec non legibus requirentibus solemnitates contractuum: quorum ratio est, quia aliàs bonum istius loci regimen non posset subsistere; neque naturalis æquitas permittit, ut quis impunè communitati, licèt non suæ, damnum afferat: ac peregrini non minùs subduntur legislatori legum communium, ejúsque legibus, quàm ipsi incolæ. Quòd verò ligentur legibus & consuetudinibus quoad solemnitates contractuum, est, quia ratione contractus unusquisque sortitur forum loci, in quo contrahitur, ut decernitur *cap. finali de foro compet. & l. si fundus ff. de evict.* Adverte tamen, quoad leges proprio & extraneo territorio communes, si hæ sint solùm communes ex authoritate legislatorum particularium utriusque loci, ut si v.g. jejunium vel festum servetur Bruxellis simul & Gandavi ex præcepto Episcoporum utriusque loci, satis probabile esse Bruxellensem Gandavi, & ècontra Gandensem Bruxellis existentem non teneri ad jejunium aut festi observantiam: quia cùm ibi sint extrà territorium Episcopi proprii, nec sint subditi Episcopi loci in quo sunt (suppono enim quòd non intendant diu ibi remanere) neuter Episcopus habet in eos, pro tunc, jurisdictionem. Ita Fagund. *de precept. Eccl. tr. 1. l. 1. c. 7. n. 8.* cujus opinionem bonam & tutâ conscientiâ eligibilem esse docet Vidal. *fol. 79.* suprà *num. 30.* Quare cùm dicitur, peregrinos teneri legibus suo & extraneo territorio, in quo sunt, communibus, videtur debere intelligi de legibus, quæ feruntur pro utroque territorio ab uno communi Superiore utriusque territorii. Ita enim docet expresse Burghaber *Centur. 1. casu 16.* Cæterùm in prædictis omnibus semper cavendum est à scandalo, quòd juxta Dian. *p. 1. tr. 10.* suprà facilè vitari poterit per admonitionem astantium, se non teneri ad leges illas; vel occultè iis contraveniendo.

19. Dico tertiò, vagi (qui in eo à peregrinis differunt, quòd nullibi fixum domicilium habeant) subjiciuntur legibus locorum, per quæ transeunt. Ita DD. communiter. Ratio est, quia cùm nullibi habeant domicilium fixum, hoc acquirunt ubicumque reperiuntur, adeòque sunt subditi loci illius, in quo pro tempore degunt: aliàs enim

per

per nimis longum tempus nullis particularibus legibus ligarentur; quod videtur inconveniens, cùm homo rationi prædítus sit, ut lege dirigatur, ejúsque ductum sequatur, prout loquitur Urban. *tr.* 1. *c.* 8. qui id malè vult à pari locum habere in peregrinis; nam supponuntur hi citò redituri ad proprium territorium, ubi legibus particularibus ligabuntur, ac familia & res ipsorum etiam ipsis absentibus semper iisdem subjiciuntur. Insuper satis probabile esse, ipsos vagos non teneri legibus locorum per quæ transeunt, sustinent Sayrus, Lessius, Sancius, & Layman apud Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *resol* 16. quos & citat Bassæus verbo *Lex* quia hi non sunt magis subditi, inquiunt, legislatorum in locis ubi vagantur, quàm peregrini. Neq; absurdum videri debet, ait Lessius, eum qui nusquam sistit, nullis statutis particularium locorum teneri. Ex quibus id ipsum satis probabile esse fatetur etiam Dian. ibid. qui dicit non obstare, quòd vagi suscipere possint Sacramenta ubicumque reperiuntur; quia hoc privilegium est, non obligatio. Quòd verò per consuetudinem vagi puniantur in loco, ubi delinquunt, vel ubi capiuntur, fit, ne eorum crimina aliàs inulta relinquantur, inquit Layman, negans inde sequi, eos generaliter & in omnibus sortiri forum seu jurisdictionem loci in quo existunt; asserens ad id requiri, ut ibi domicilium figant animo semper commorandi.

20. Petes, an exiens extra territorium suum, in quo est Festum, ad aliud, ubi Festum non est, teneatur ante exitum suum in territorio proprio Missam audire? Item an possit manè jentare, si ibi sit jejunium & non in territorio, ad quod isto die perveniet?

21. Ad primùm respondeo, certum imprimis esse, talem non teneri expectare ut Sacrum in suo territorio audiat, si ibi adhuc nullum Sacrum fiat: nam per præceptum audiendi Sacrum, similis non obligatur è loco non egredi: si tamen hîc & nunc ibi dicatur Sacrum, nec aliud isto die ibidem soleat fieri, neque etiam perventurus sit ad alium locum, in quo isto die Sacrum audire poterit, tenebitur istud Sacrum audire, quod fit in sua parochia: quia obligatio audiendi sacrum tunc urget, nec quidquam obest (ut suppono) quo minùs illud audiat. Dixi ***si aliud isto die ibidem non soleat fieri, neque perventurus sit ad alium locum, in quo isto die Sacrum poterit audire.*** Quia aliàs needum obligaret eum Sacrum audiendi præceptum, cùm audiendo unum ex sequentibus, vel illud quod fiet in loco ad quem pergit, possit ex integro illi satisfacere, & aliunde non obligetur ibi remanere. Neque dum ad aliud territorium pervenerit, tenebitur illic Sacrum audire, quia in illo pro tunc cessat præceptum. Atque hæc videtur quoad omnia esse doctrina Dianæ suprà *res.* 14. ubi dicit supradictum, si intra meridiem exeat Sacro non audito, non peccare, quia non tenebatur audire Sacrum nisi usque ad meridiem; ergò, inquit, si intra meridiem exeat Sacro non audito, non peccat; & pro hac sententia citat Sanchez, testatúrque eam ut probabilem admitti à Lessio, Maldero & Fagun. Est tamen contra Sa, Sayrum, Filliu, Fulien. & ex parte contra N. Urbanum,

qui *lo. cit.* dicit, talem peccare non audiendo Sacrum, si exeat postquam tempus commodum Missam ibi audiendi effluxerit: per quod negare videtur eum excusari, licet sit perventurus ad alium locum, ubi adhuc isto die Missam audire posset; quo tamen fundamento, non video, cùm possit æquè præcepto satisfacere isto die Missam audiendo in alieno territorio, quàm in proprio: ergò si adhuc isto die habiturus sit commoditatem audiendi eam in territorio alieno, non plus urget præceptum audiendi Missam antequam ex territorio proprio discedat, quàm si habiturus esset commoditatem adhuc postea Missam audiendi in territorio proprio, si ibi remaneret, quo casu tamen eum excusat Urbanus.

22. Ad secundum respondeo, talem in proprio territorio jentare posse etiam sumendo integram refectionem; non tamen carnes comedere. Ita Less. Sanch. Portel. Filliuc. & alii, quos citat & sequitur Dian. *p. 1. tract. 9. res. 3.* quibus addo Layman, Bassæum, & Fulien. Ratio est, quia cum præceptum jejunii sit indivisibile obligans pro integro die & non pro aliqua parte tantùm, ut vidimus superiùs; si quis una parte diei non obligetur ad jejunium, prout in casu posito talis non obligatur vesperi, nec obligatur reliquis diei partibus. Sicuti ergò qui manè & in prandio jejunium fregit, & vesperi pertingit ad locum, in quo jejunium servatur, ipso vesperi licitè non jejunat; ita qui vesperi perveniet ad locum in quo non jejunatur, ipso mane licitè non jejunat. Aliud verò est de comestione carnium, quia præceptum abstinendi à carnibus est divisibile, adeòq; obligat pro singulis diei partibus, cùm pro parte possit servari: atque hinc est quod suprà cum aliis communiùs docuerimus, toties aliquem peccare mortaliter, quoties in die jejunii carnes comedit: non tamen toties, quoties sumit plus quàm unam integram refectionem, eò quòd sumptâ secundâ impossibile sit jejunium observare. Interim diligenter observa in his omnibus esse cavendum à scandalo, ut adhuc ante insinuatum est, Vide circa hæc P. Franc. B. Spei *disp. 7. num. 78. & seq.*

DUBIUM QUARTUM.

An pueri, & amentes sint adstricti legibus?

23. Suppono hic tanquam certum cum Urbano & omnibus Catholicis, hæreticos omninò adstrictos esse legibus ecclesiasticis: licèt enim in pœnam rebellionis suæ excommunicati sint & ab Ecclesia ejecti, cogi tamen possunt ab eadem Ecclesia ut regrediantur: ad quod continuò obligantur, & ligantur interim ejus legibus, ac infallibiliter peccant toties quoties eas infringunt; atque hinc patet ad quæst. quam instituit Caramuel *sua Theol. fund.*

fund. p. 1. fund. 19. q. 2. nimirum Catholicos inter Hæreticos conversantes teneri legibus ecclesiasticis, cùm nemo se possit conformare consuetudini iniquæ pertinaciter contra mentem legislatoris retentæ. Interim contrarium resolvendum est de infidelibus, qui nullis Ecclesiæ legibus tenentur, cùm sint omninò extrà ejus potestatem; quam nullus ingreditur nisi per Baptismum. Hoc posito

24. Dico primò, infantes ante rationis usum nullâ lege ligantur humanâ, vel Divinâ, vel etiam naturali pro eo tempore, quo usu rationis carent: sicut nec ulla lege in actu secundo ligantur perpetuò amentes, inculpabiliter ignorantes, dormientes, & inculpabiliter ebrii pro tempore, quo in tali statu existunt. Ratio est, quia, sicut juxtà ante dicta, lex non obligat in actu secundo communitatem ante promulgationem, eò quòd obligare nequeat nisi cognoscatur, ita nec membra communitatis in particulari potest lex obligare in actu secundo, nisi ab iis cognita fuerit. Unde qui pueris aut amentibus daret comedendas carnes in quadragesima, qui eos à Sacro audiendo die festo impediret, &c. secluso scandalo, non peccaret, cùm istis legibus non sint astricti. Vide dicta suprà *tract. 1. disp 5. dub. 5. §. 3. parum ante medium.*

25. Dico secundò, dum pueri pervenerunt ad rationis usum (quod censetur communiter fieri circa septennium) statim incipiunt subjici legibus, etiam ecclesiasticis, præterquam legi jejunii & communionis. Ita Urban. *tr. 1, c. 8.* Ubi adverte illud *statim* non esse sumendum physicè, sed moraliter, præsertim circa præcepta ecclesiastica: pia enim mater Ecclesia non videtur pueros obligare v. g. ad Missam audiendam, quamprimùm sunt rationis capaces, nisi, ut summum, sub veniali ob apprehensionem adhuc imperfectam, tum mysteriorum, tum ipsius præcepti; ex qua fit, ut facilè negligant requisita ad impletionem præceptorum. Unde Marchant. *in resol. Pastor.* eos tantùm putat sub mortali obligari ad Missam audiendam, quando capaces sunt ad Eucharistiam recipiendam: quod fit communiùs circa annum 10. vel 12. Quod idem à pari fortè dicet de præcepto confessionis annuæ cum Dominico Soto. Verùm nos infrà dicturi sumus, hæc potiùs debere relinqui determinanda judicio prudentum Confessariorum, ac parentum: pro quo vide quæ dicuntur *in tract. de Sacram. disp. 5. dub. 9. resol. 3.* & adde ex Urbano *loc. cit.* pueros post septennium, imò & antè, ligari præcepto Divino confessionis in mortis articulo, posito quod aliquid commiserint, cui possit subesse peccatum mortale; idque ob periculum damnationis æternæ. Vide circa hæc Gobat *in Alphab. commun. casu 6. n. 107. & seq.*

26. Dico tertiò, amentes & lunatici habentes lucida intervalla, legibus omnibus obligantur pro eo tempore quo ratione utuntur: sicut & ebrii, dormientes & ignorantes culpabiliter pro tempore ebrietatis, dormitionis, &c. quia non est, cur hi ab obligatione legum excusentur, cum sua culpa se in eum statum conjecerint, in quo per accidens hic & nunc eis observatio

legis est impossibilis. Vide dicta suprà de ignorantia & ebrietate; ubi dictum est, ebrios adhuc verè non peccare transgrediendo legem, nisi talem transgressionem prævidere potuerint & debuerint. Adde ex Layman, infantes, & verè amentes propter excessum propriè puniri non posse: nam pœna propriè dicta culpam supponit: amentes tamen possunt castigari instar bestiarum, ut ita perterriti arceantur à nocumentis inferendis. Ita Layman; subjungens, amentes propter delicta commissa ante amentiam non posse puniri pœna mortis vel multilationis, bene tamen pecuniaria.

DISPVTATIO V.

De Legis interpretatione, eiusque cessatione.

DUBIUM I.

Quid Interpretatio, & in quam Legem cadat?

1. INterpretatio legis duplex est; una simplex, altera per epicheiam: de quibus.

Dico primò, interpretatio simplex locum habet in omni lege: quia hæc est nuda explicatio mentis ejus, qui legem tulit; quam necessariam esse, etiam in multis legibus naturalibus, ostendimus suprà *disp. 2. dub. 1.* ac à fortiori necessaria est in lege positiva, tam Divina, quàm humana. Quapropter non solùm licitum est, has interpretari interpretatione generali, quæ competit ipsi legislatori seu Superiori supremo; sed etiam interpretatione particulari, & doctrinali, quoad hunc vel illum casum in particulari, quod patet ex communi usu, & DD. praxi, qua constat, leges omnes humanas, etiam Concilii Trident. (ut advertit Lezan. verbo *Leges Regularium num.* 31.) explicari, saltèm obiter à DD. Vide dicta *dub. 1. cit. num. 6.* ubi in fine habes, à quibus DD. id oporteat fieri.

2. Dico secundò, neque in legem naturalem, neque in Divinam positivam, cadere potest epicheia, sive ut Lezan. cum aliis, interpretatio per æquitatem. Quia epicheia est interpretatio intentionis legislatoris, quam habuisset in aliquo casu particulari, si illum prævidisset, licèt tamen verba legis exprimant, eum habere intentionem contrariam: unde ab Aristotele vocatur correctio, seu emendatio legis quoad aliquem casum specialem, in quo lex deficit: atqui lex naturalis nunquam deficit; neque etiam positiva Divina: cum nullus sit casus particularis, quem non prævidet Deus: Ergò, &c.

3. Dico

3. Dico tertiò, in absentia legislatoris possunt inferiores circa leges humanas uti epicheia. Cùm enim lex non obliget ultrà legislatoris voluntatem, & in casu particulari, pro quo adhibetur epicheia, legislator verè non habuisset voluntatem obligandi, si eum considerasset, censetur etiam de facto dictam voluntatem non habere in tali casu: cùm juxta regulas æquitatis, & prudentiæ non possit talis casus lege comprehendi. Nec solum tales casus sunt, in quibus per supervenientem aliquam circumstantiam materia legis redditur iniqua, bono communi contraria, aut superans legislatoris potestatem; quia tunc manifestum est, legem non obligare; sed & alii, in quibus vel lex est nimis difficilis, vel contra patriæ mores, &c. quæ legislator non advertit. Ita Lezan. *suprà num.60.* addens, subditum per epicheiam excusari à legis obligatione, non solùm quando certò scit, casum aliquem non comprehendi sub lege, sed etiam quando probabilibus rationibus, sive juxta sententiam verè probabilem id existimat. In dubio verò, an aliquis casus lege comprehendatur necne, consulendus est legislator; quod si commode fieri non possit, tenetur quilibet stare pro observantia legis, quia lex est in possessione: quidquid plures contrarium sustineant, dicentes, quoad talem casum dubium adhuc subditum esse in possessione suæ libertatis. Vide Lezan. *tom.3.* verbo *Dubia Regularia à num.6.* & Dian. *par.4. tract.3. resol.22. & 23.*

4. Cæterùm nota hîc, juxta Fuliensem legem explicandam esse juxta verborum proprietatem; quia legislator per legem ipsam mentem suam declarat: limita, nisi per hoc aliquod inconveniens sequeretur; tunc enim verba deberent sumi in impropria significatione, cum præsumendum sit, tunc & aliam esse legislatoris mentem. Quia tamen duplex est verborum proprietas, naturalis scilic. & civilis, quando lex est favorabilis, explicari potest juxta utramque: unde in favorabilibus nomine filii venit etiam filius adoptivus, quia & hic ex usu civili est etiam filius: sic etiam nomine filii legitimi venit legitimatus, &c. Ubi verò lex est odiosa, explicari debet juxta communem sensum verborum, mitiorque interpretatio tunc amplectenda est, quia odia restringenda. Ita etiam Lezan. *tom.4.* verbo *Leges Regul. num.33.* qui & *num 34.* dicit eam legem vocari favorabilem, quæ primariò prodest aliquibus, quamvis aliis secundariò noceat: è contra verò illam esse odiosam, quæ primariò pœnam continet, etsi aliis secundariò prosit. Vide eum etiam *num. 35. & seq.* ubi varias constituit regulas observandas in interpretatione legum; quarum una monet, in hac maximè attendi debere ad procemium & præfationem, quibus legislator utitur in condenda lege, ea namque ut plurimum, inquit, causam finalem legis continent. Quod hic dictum est de lege favorabili, debet etiam extendi ad alias causas favorabiles, quales sunt causæ matrimonii, libertatis, dotis, testamenti, & pietatis. Circa hanc ultimam sciunt omnes (inquit Gobat) piis causis à Jure, & Theologis accenseri, si quis

S 3 dotet

docet honestè puellam, si leget necessaria ad vivendum congruè statui, aut ad emergendum è vita valde laboriosa ad minus laboriosam, aut ad studendum Theologiæ; cætera sunt per se nota.

DUBIUM SECUNDUM.

Quandonam censeatur cessare lex?

5. Dico, variis modis lex cessare potest. Primò per ipsius legislatoris revocationem; sicut enim ad hoc, ut lex à principio obliget, requiritur legislatoris intentio, qua velit suos subditos obligare, ita ad hoc, ut obligatio legis perseveret, requiritur, ut duret dicta legislatoris intentio. Secundò etiam cessat obligatio legis, quando ejus observatio ex certis circumstantiis redditur illicita, vel legis magis obligantis impeditiva; quia tunc, vel desinit esse honesta, vel utilis. Tertiò etiam cessat si fiat valde difficilis; tunc namque censetur præsumpta mens legislatoris non obligandi suos subditos cum tanta molestia: sic æger excusatur à jejunio, à lectione Horarum, &c. Limita tamen, nisi legis observatio necessaria sit ad notabile Reipub. bonum: tunc enim eam posse obligare, etiam cum vitæ periculo, suprà docuimus. Quartò cessat lex, cum ejus finis adæquatus cessat; quia tunc cessat esse utilis & honesta: quando verò multa simul per legem præcipiuntur, & finis adæquatus cessat respectu unius partis tantum, obligatio etiam solum respectu illius cessat. Si verò eadem lex habeat plures fines, uno cessante remanentibus cæteris, non cessat obligatio legis; sicut nec cessat, si, desinente fine adæquato, alius finis adveniat, ob quam legislator intendat legem continuare. Item si finis adæquatus legis cesset pro aliquo tempore tantum, non statim inferri potest legem absolutè cessare; sed pro eo tempore dicenda est suspendi, iterum obligatura isto tempore elapso. Sed

6. Petes, an cessante fine legis respectu alicujus personæ in particulari, vel in aliquo casu speciali, etiam cesset obligatio legis respectu talis personæ, & in tali casu? Huic petitioni responsurus Diana, dicit, se rem difficillimam aggredi: quæ tamen ipsi difficilis non foret, si bene consideraret ea, quæ ipsemet adducit *p. 10. tr. 12. res.* 37. quæque antea in partibus præcedentibus sæpius docuit. Igitur ad petitionem.

7. Dico primò contrà Dian. & alios; ubi lex magis bonum generale communitatis, quàm privatum uniuscujusque in particulari respicit, respectu unius in particulari nunquam cessat lex ratione finis cessantis, nisi respectu omnium cesset. Ita DD. communiter teste ipso Dian. *p. 1. tract. 10 res. 28.* Prob. quia lex dicta non respicit

spicit personas in particulari neque casum specialem, sed ipsam communitatem, & id, quod communiter solet accidere: ergo, licet ejus finis videatur cessare in particulari, vel respectu alicujus personæ in particulari, retinebit adhuc vim obligandi. Antecedens constat ex D. Thoma 2, 2. q. 147. ubi hæc habet de lege jejunii: *Ecclesia jejunium instituens attendit ad id quod communius accidit, &c.* Et ipse Diana pluribus in locis nominatim *p.* 10. *tr.* 12. *res.* 37. docet, puerum, qui ante septennium usum rationis obtinet, adhuc non teneri ad annuam confessionem, neque ad abstinentiam à carnibus; quia leges non intendunt obligare ante illud tempus & ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum; per accidens autem est, quòd ante septennium in hoc vel illo puero acceleretur, &c. Hæc Diana & alii quos citat. Dico ego similiter ab opposito, quamvis videatur cessare finis legis respectu alicujus in particulari, adhuc non cessat obligare lex; quia leges intendunt obligare, ubi & quando communiter adest finis & motivum legis, vel adesse finem communiter est solitum; per accidens autem est, quòd in casu speciali finis cessare videatur.

8. Adverte, me semper dixisse, *licèt finis legis videatur cessare in casu particulari*, & non *licèt finis legis cesset in casu particulari*, prout omnes cæteri loquuntur: quia puto, nunquam verè cessare finem legis conditæ in bonum communitatis, respectu alicujus in particulari tantùm: quod efficaciter, & subtiliter (uti semper) probat R. P. Franc. B. Spei *in sua noctua dub.* 18. *num.* 592. hoc modo; finis dictæ legis est promotio boni communiter conjuncti cum actione, quam præcipit ipsa lex: atqui talis finis respectu unius in particulari nunquam cessare potest, quin simul respectu omnium cesset: ergo, &c. Prob. minor, quia etsi fieri possit, ut actio, quam præcipit, respectu unius in particulari non habeat extraordinariè & particulariter conjunctum bonum, quod promovere intendit; fieri tamen non potest, ut respectu unius desinat illud habere communiter & ordinariè conjunctum. Hoc iterum latè discutit idem Franc. *de leg. disp.* 8. *num.* 53. *& seq.* Videat igitur Diana, an concipere non possit, quomodo lex generaliter cesset obligare, si ejus finis cesset in generali, & tamen non cesset obligare in particulari ex eo, quòd finis ejus cesset in particulari: ac solvat argumentum suprà formatum ex suismet fundamentis. Videat etiam Lezana, quomodo rationes, adductæ pro cessatione legis in generali, idem non probent quoad cessationem legis in particulari. Quòd vero ipse verbo *Leges Regularium num.* 50. dicat, sententiam Dianæ confirmari efficaciter ex eo, quòd lex Divina correctionis fraternæ desinat obligare, etiam in casibus particularibus, in quibus cessat adæquata ratio legis, adeoque etiam idem sit dicendum de lege humana (pace tanti viri dixerim) est valde inefficax contra hanc nostram resolutionem, ut benè advertit idem P. Franc. Nam lex correctionis fraternæ, magis bonum privatum uniuscujusque membri in particulari respicit,

respicit, quàm bonum generale totius communitatis. Deinde hoc Lezanæ argumento non obstante,

9. Dico secundo, etiamsi lex magis bonum particulare respiciat singulorum, quàm generale communitatis, adhuc non cessat lex respectu unius in particulari, quamvis videatur cessare finis respectu ipsius in particulari. Prob. iisdem fundamentis, quibus suprà aliud probatum est: lex enim jejunii (in qua secundùm D. Thom. Ecclesia attendit ad id, quod communiùs accidit) magis bonum particulare uniuscujusque respicit, quàm generale communitatis: prout & facit lex confessionis annuæ, & abstinentiæ à carnibus; quæ tamen leges ex ipsa Dianæ doctrina attendunt ad id, quod communiter solet accidere; non verò ad id, quod respectu unius in particulari accidit. Ad id autem, quod à Lezana adfertur de lege Divina correctionis fraternæ, Respondeo, hujus obligationem non tantùm in casu speciali & respectu unius in particulari interdum cessare, sed ferè communiter respectu omnium, vel saltem plurimorum, ut Doctores legenti, & ex dicendis infrà de charitate patebit; idque, quia legislator Divinus non intendit quemquam graviter hâc suâ lege obligare, nisi stantibus variis conditionibus, è quibus plerumque una, vel plures deficiunt: legislator verò humanus nullas ponit conditiones, sed absolutè omnes suâ lege obligare intendit, solùm attendens (ipso Diana teste) ad id quod communiter solet accidere.

10. Alii omnes communiter stabiliunt hanc nostram conclusionem, quia ex sententia Dianæ, & aliorum sequuntur multa absurda. Verùm (quamvis hoc me moveat, ut firmus adhæream nostræ doctrinæ, ne videl. quis inde ansam sumat dubitandi in similibus sequelis, an nimirum non sint fundatæ in paritate rationis) ego me in eo non fundo; quia suis locis conor ostendere, illa absurda (quorum plurima adfert Caramuel *in sua Theol fundam.*) non sequi ex adversa sententia: quibus etiam simul cum rationibus nostris non obstantibus Lothus *tr.2.art.8.* docet, sententiam Dianæ, & aliorum novem, quos citat, esse probabilem: & ex ea ait posse solvi multas difficultates in praxi, maximè in Belgio nostro: quia sæpè ratio legis Pontificiæ, quæ currit pro Italia & aliis provinciis, non habet locum hîc. Ita ille, subjungens, prudenter tamen & cautè procedendum in hac opinione: cui utinam non sæpè contingat contrarium: multi enim hisce nostris temporibus nimis student, ut inveniant quô se eximant à communi observantia legum.

DUBIUM

DUBIUM TERTIUM.

Quandonam cesset lex per contrariam consuetudinem?

11. Consuetudo est jus quoddam moribus hominum constitutũ; quod juxta Isidor. *l 5 ethimol. c. 3.* pro lege suscipitur cùm deficit lex. Unde cõsuetudo hîc non sumitur pro ipso frequenti usu, sed pro jure quod ex eo oritur. De consuetudine vim legis inducente, & legem priorem abrogante agit noster Joannes Beetz *in 2. prac. Decal. expos. 1. c. 2. & in 3. expos. 2 c. 2.*

12. Dico primò, neque lex naturalis, neque divina positiva cessat per contrariam consuetudinem. Ita D. Thom. *1, 2. q. 97. a. 3.* Prob. quia lex naturalis deficere sive cessare nunquam potest; & in consuetudinem legi divinæ oppositam Deus nunquam consentit: unde, quæcumque his legibus contrariantur, semper sunt mala.

Dico secundò, lex humana cessat, ejusque obligatio tollitur per contrariam consuetudinem. Ita Lezan. *tom. 4.* verbo *Leges Regul. num. 54.* cum omnibus communiter. Prob. quia consuetudo habet vim legis; atqui certum est, legem præcedentem posse per contrariam supervenientem abrogari; ergo & per consuetudinẽ contrariam. Major, in qua sola est difficultas, patet ex communi edicto ab omnibus recepto, quo dicitur: *Consuetudo vim legis obtinet*, quod habet S. August. *epistol.* 84. & confirmatur *ex can. consuetudo, dist.* 1 ubi expresse dicitur, consuetudinem vim legis habere. Ex quibus ulteriùs infertur, consuetudinem præcedentem per contrariam supervenientem cessare, & abrogari. Nec admitto, quod habet Burghaber *centur. 1. casu* 90. videl. universim loquendo consuetudinem non obligare in conscientia, cujus aliqua lex scripta non exstet; quia falsum puto ejus fundamentum, quòd nimirum hâc deficiente probari nequeat, illam animo se obligandi, & liberè à communitate fuisse introductam, & continuatam per quodvis longissimum tempus: nam quidquid fatear, id esse difficile; tamen id in multis habemus per quasi traditionem, eò quòd nostri prædecessores sic semper judicaverint. Vide dicenda *num.* 16 Sed fortè contra nostram resolutionem secundam.

Dices, consuetudo abrogans legem justæ legi adversatur, adeoque ipsa justa esse non potest; ergo nec poterit legem abrogare.

13. Respondeo quidem consuetudinem non esse justam quatenùs legi justæ adversatur; quare ut plurimùm contingit, quòd initio per plura subditorum peccata incipiat; peccant enim, per se loquendo, omnes, qui contraveniunt legi, antequam consuetudo vim legis obtineat, eò quòd lex tam diu adhuc vigeat & obliget. Attamen consuetudo justa est, quatenùs postea legislator in eam explicitè vel implicitè consentit, & ut sic irritat & cessare facit legem contrariam. Deinde lex,

cui consuetudo adversatur, justa est, non quòd sit omnino necessaria, sed quia est conveniens propter aliquos effectus, quibus non obstantibus ablatio legis & consuetudo contra illam potest esse rationabilis sub aliis respectibus honestis & conveniētibus: nam sicut duo contraria possunt esse probabilia, ita & rationabilia, sub diversis scil. respectibus, prout notavit Vidal. *de cens. inquis.* 4. *fol.* 97. *n.* 18. post Suarez.

14. Dico tertiò, ut consuetudo abroget legem contrariam, & ipsa vim legis obtineat, plures requiruntur cōditiones. Prima, ut consuetudo sit rationabilis, id est, de re, quæ possit esse materia legis scriptæ, alioqui erit potiùs corruptela quàm consuetudo, ac defectu honestatis non obligabit. Secunda, ut sit à majori parte cōmunitatis, sitque hoc notum iis, qui consuetudinem volunt inducere; aliàs non poterit cōmunitatem obligare. Tertia, ut sit introducta cum intentione se & alios obligandi; non verò ex sola devotione, sicut, juxta Laymān, & alios cōmuniter, introducta est consuetudo recipiendi cineres prima die Quadragesimæ, quæ ideo non habet vim legis, licèt fortè aliqui id falsò existiment. In dubio autem, an introducta sit cum intentione obligandi, an ex merâ devotione, probabiliùs judico cum Suarez, non inducere obligationem sive vim legis; quia tunc melior est conditio cōmunitatis adhuc libertatē suam possidentis; odiaque sunt restringenda: & hoc etiam docet Wigg. 1. 2 *q.* 97. *a* 3. *n.* 29. & alii, quos citat & sequitur Pourrè *p.* 1. verbo *Consuetudo*, *n.* 18.

15. Quarta conditio est ut actus, quibus consuetudo introducitur, sint voluntarii, quia hi tantùm habent vim inducendi obligationem. Unde infert Lezana *tom.* 4. suprà *n.* 55. quòd si alicubi introducta esset consuetudo celebrandi v. g. festum alicujus Sancti, eò quòd putaretur ibi esse sepultū ejus corpus, si cōstaret postea ibi sepultum non esse, non ampliùs obligaret consuetudo. Quinta denique est consensus, saltem interpretativus, Principis vel legislatoris in consuetudinem; cujus defectu leges ecclesiasticæ non cessant obligare in locis hæresi infectis, licèt hæreticorum, qui conflant majorem partem cōmunitatis, consuetudo sit in contrarium. Cōsistit verò dictus consensus tacitus & interpretativus in eo, quòd Princeps aut alius legislator, cognoscens talem consuetudinē, non contradicat ubi facilè potest; vel in eo, quòd aliquando significarit se intendere, ut consuetudo sufficienter firmata vim legis obtineat: quod factū est per legem ultimam, *Cod. quæ sit longa consuetudo*, ubi habetur, *probatam & servatam tenaciter consuetudinem perpetuæ legis vicem obtinere statuimus*. Ut autem consuetudo sit sufficienter firmata ad hoc, ut abroget legem ecclesiasticam, requirit Lezana, & ipso teste cæteri DD. communiter, spatium quadraginta annorum, eò quòd contra jura ecclesiastica non præscribatur nisi isto spatio, & leges ecclesiasticæ sint quædam jura Ecclesiæ: si tamen similis consuetudo sit solùm præter legem ecclesiasticam, ait idem, quòd præscribat spatio decem annorum. Si verò loquamur de legibus civilibus ad præscribendum contra illas, sufficit absolutè

tempus

tempus decem annorum; quia hoc est tempus longum. Hæc omnia ex variis capitibus ostendit Lezana *n.54.* suprà. Vide eum etiam *tom.1. c 8, n.24.* Verùm non minùs rationabiliter Henricus, Felinus, Suarez, Sotus, Medina, Granadus, & alii docent, ad hoc nullum tempus certum posse constitui, sed solùm requiri & sufficere, quod prudentum judicio satis est, ut meritò dicatur sat repugnatum esse legi ad hoc, ut præsumatur legislator in talem consuetudinẽ tacitè consentire. Ad quod Azorius, Panorm. Bartholus, Sa, Reginal. & Rodrig. apud Dian. *p.1. tr.10. de leg. resol. 7.* sentiunt sufficere duos vel tres actus factos contra legem sciente Principe & non contradicente, cùm facilè possit: quia frequentia alicujus actus, inquiunt, habetur, quando aliquid bis fit, nam quod bis fit, frequenter fit: neque secundùm Rodrig. est necessarium, út dicti actus fiant coram legislatore vel eo sciente; sed satis est si fiant scientibus Auditoribus regiis, vel Episcopis: quod etiam docet Burghos de Paz apud Dian. ibid. Quidquid tamen de hoc sit, dicit ipse Diana in praxi securum esse, non exspectare decennium, ubi judicio prudentum consuetudo fuerit sufficienter firmata.

Petes primò, quid dicendum sit de consuetudine contra legem prohibentem consuetudinem his verbis: ***Non obstante quacumque consuetudine in contrarium?***

16. Respondeo, adhuc tunc consuetudinem vim legis obtinere, si post legem sic latam cum omnibus conditionibus requisitis fuerit introducta: quia legislator per talia verba solùm intendit abrogare consuetudines tempore, quo lex ferebatur, existentes, & non successu temporis invalescentes. Ita Pourrè *p.1.* verbo *Consuetudo, n.45* citans Bartholum & alios. Contrarium verò dic, si legi adjungantur hæc verba: ***Non obstante quacumque consuetudine in futurum;*** nam tunc censetur legislator intendere continuationem suæ legis, quamdiu eam per suum expressum consensum non significarit abrogari. In hoc igitur locum habebit regula Innocentii: *Consuetudo contra legem non valet, si lex resistit.* Excipe adhuc tamen cum Lezana, nisi quando post conditam legem subest nova ratio, quæ non suberat tempore legis damnantis consuetudinem, ut propterea pręsumatur pro nunc alius consensus legislatoris vel ipsius successoris, præsertim si talem consuetudinẽ non reprimat; quia tunc per illum consensum censetur abrogata lex & à consuetudine victa. Ita Lezan. verbo *Leges Regul n.56.* subdens, hæc omnia maximè advertenda esse Regularibus, ut sciant, an & quando prætensæ consuetudines aliquorum contra Conciliũ Trid. & decreta summorum Pontificum ea abrogare possint, an non. De consuetudine introducente privilegium contra vel præter legem, vide Urbanum *tr.2. tit. de Iurisdictione delegata, p.1. c.2. reg.2. & seqq.* Hic solùm adde ex Suarez *tr. de leg. l.7. c.15. n.13.* Wiggers *1,2. q.97. a.3. n.29.* & aliis, duas esse præcipuas conjecturas, ex quibus deduci possit, consuetudinem verè inducere obligationẽ; quarum prima est, si consuetudo sit gravis ac difficilis, & nihilominùs communiter servetur: quia non solent multi

uniformiter convenire in similibus actibus, nisi quando se sentiunt obligatos; quod tamen pati potest exceptionem in Religiosis. Secunda conjectura est, si viri timorati & docti malè sentiant de his, qui non servant consuetudinem, vel communiter scandalizentur. Vide etiam P. Franc. B. Spei *de leg. disp.* 10. *n.* 14. *& seq.*

Petes secundò, quomodo consuetudo probetur?

Respondeo, ad hoc requiri duos testes, si agatur de foro externo. Ita Seraphinus *decis.* 1349. *n.* 5. citans Rotam Romanam *anno* 1600, 14 *Aprilis.* Jason, Navarrus, Anselmo, Diana *part.* 6. *tract.* 5. *resol.* 28. & alii plurimi. Ratio est, quia non majorem fidem facit unius testimonium datum de facto plurium, quàm pro facto unius. Imo in Gallia (teste Mascardo citato à P. Scilder *tract.* 3. *num.* 139.) non probatur consuetudo, nisi per turmam, seu turbam. Nec in Belgio, juxta Anselmo *ad edict. perpet. art.* 1. §. 6. consuetudo municipalis a Principe non confirmata probatur nisi per turmas duas. Turma autem ut minùs debet constare personis decem. Dixi: *Si agatur de foro externo*: quia qui volunt, unicum probatum authorem constituere sententiam verè probabilem, hîc etiam pro foro interno fortè volent sufficere dictum viri scientis & probi, si nihil occurrat in contrarium.

DVBIVM QVARTVM.

De cessatione legis per dispensationem.

17. SUppono, dispensationem esse exemptionem ab obligatione legis, vel in aliquo particulari casu, vel respectu unius aut alterius personæ, manente obligatione quoad hoc ipsum respectu cæterorum. Unde differt à legis abrogatione, quòd hæc tantùm locum habeat, dum tota lex respectu omnium, ubique & pro semper tollitur. Differt item à derogatione legis, quòd hæc fiat quando lex secundùm unam sui partem in universum aufertur. Quo supposito

Dico primò, legislator potest dispensare in sua lege, ubi legitimam causam habuerit. Cùm enim supponatur ipse posuisse obligationem, potest & illam tollere; quia utrumque est ejusdem authoritatis & potestatis: atque hinc potest etiam legislator dispẽsare in legibus prędecessorum suorum, cum quibus parem habet potestatem, ac à fortiori in legibus suorum inferiorum. Non potest tamen legislator inferior dispensare in lege sui Superioris, quia potentia debilior fortiorem ab agendo impedire non potest: potest interim in lege propria, licèt à Superiore fuerit approbata & confirmata; nam hæc confirmatio habet se tantùm per modũ nudæ approbationis sine animo novæ obligationis inducendæ: subintellige cum P. Franc. B. Spei, nisi Superior approbando sive confirmando dispensa-

spensationem sibi reservat. Insuper varii sunt casus, in quibus legislator inferior potest dispensare in lege sui Superioris. Primò, dum expresè illam potestatem ab eo accepit. Secundò, quando materia est levis, aut talis in qua frequentissimè dispensare oportet: intolerabile enim videretur in rebus minutis, & aliis tam frequenter occurrentibus semper ad Principem recurrere. Tertiò, quotiescumque sine gravi valde incommodo ad ipsum Superiorem recurri non potest, adestque gravis necessitas hîc & nunc dispensandi · cùm enim reservatio dispensationis tunc potiùs cederet in detrimentum communitatis, quàm in ejus utilitatem, prudenter præsumitur legislator eo casu velle suo inferiori tribuere facultatem dispensandi in sua lege; cùm (ut bene docet Fuliensis) Superior teneatur sub mortali dispensare, quando constat dispensationem esse necessariam, vel in bonum communitatis, vel alicujus in particulari notabiliter cedere sine ullius detrimento; prout patet ex ipso legislatoris officio, quod in communitatis & subditorum commodum ordinatur. Quartò potest etiam inferior legislator in lege Superioris dispensare, quando id obtinuit consuetudo sciente nec contradicente Superiore; nam & tunc censetur implicitè consentire.

18. Dico secundò, legislator sine justa causa non potest licitè in sua lege dispensare. Prob. quia unum præ cæteris à gravi onere eximere, est quamdam inæqualitatem inducere, quod non decet fieri absque ulla ratione. Ita D.Thom. 1. 2. *q.* 97. *a.* 5. & alii post ipsum communiter. Quale verò id sit peccatum, non conveniunt DD. Aliqui volunt esse mortale, si agatur de lege sub mortali obligante: quia, ut fusè conatur probare Mœratius, talis peccat contra justitiam legalem; omne autem peccatum contra justitiam, inquit, est ex suo genere mortale. Deinde transgreditur etiam legem naturalem præcipientem, membrum conformari suo corpori, nisi adsit ratio in contrarium. Interim Laym. Fuli. & alii meliùs & communiùs censent eum solùm venialiter peccare. Imo Franc. B. Spei eum ab omni peccato excusat *disp.* 4. *de leg. n.* 45. Verùm quidquid de hoc sit, indubiè mortaliter delinquit dictus legislator, si ista sua dispensatio absque rationabili causa facta, creet periculum gravis scandali aut dissidii inter subditos: vel etiam si magnum inde incommodum communitati, vel aliis subditis adveniat. Cæterùm potest dari casus particularis, in quo per accidens dispensatio fiat absque rationabili causa sine ullo prorsus peccato, ut si v. g. Rex unum aut alterum à lege tributi sibi persolvendi semel aut bis eximat ex sola ad eum benevolentia indifferenti: cùm enim ex illa ipsa benevolentia licitè possit talibus reddere tributū jam solutum, poterit & ab iis tributū non velle accipere, quia hæc videntur in idem recidere. Cavendum tamen erit, ne illam summam, si scil. sit notabilis, cogantur cæteri supplere, nam sic cederet in detrimentum aliorum.

19. Adde, juxta Sylvest. verbo *Dispensatio, n.* 4. & Riccium, ad legitimè

dispensandum sufficere, si legislator existimet, causam esse rationabilem. Item secundum Sanchez *in sum. tom. 1. l.4.c.44.n.10.* Granadum & Cajetan. quos sequitur Pourré, potest legislator dispensare in sua lege, dum dubiũ est, an causa sit justa; quia in dubio dicunt inclinandum esse in partem benigniorem: & revera aliàs regimen, tum civile, tum ecclesiasticum esset multis scrupulorum occasionibus expositũ, si dispensatio ad causas solas certas extenderetur. Idem Pourre verbo *Dispensatio n.3.* subdit, posse aliquem uti dispensatione, etsi dubitet an valida sit: quod cum Sanctarello probat; quia in re dubia judicandum est in favorem actus, ut scil. magis valeat quàm pereat, ut patet, inquit, *ex cap. Abbate, de verbis signif.* & ex lege *quoties ff. de rebus dubiis*: Verùm ego judico, per illud dubium legem non turbari à sua possessione.

20. Dico tertiò, quamvis juxta resol. secundam peccet legislator sine justa causa in sua lege dispensans, probabilius tamen dispensatio valida est: quia, cùm dictæ legis obligatio à legislatoris voluntate pendeat, videtur posse aliquem omnino validè ab ejus obligatione liberare, ea perseverante quoad cæteros. Unde ex his & aliis ante dictis

21. Colliges, licitum esse subdito petere dispensationem, quando adest causa rationabilis; tunc enim petitur omnino licitum: imo id etiam est licitum quamvis dubitetur, an causa sit rationabilis, modò ratio dubia candidè proponatur; quia tunc res tota relinquitur judicio legislatoris, cujus est examinare justitiam causæ. Illicitum interim est, petere dispensationem, si nulla causa adfuerit: quia, cùm tunc legislator non possit licitè dispensationem concedere, id esset cooperari & quasi procurare alterius peccatum. Excipe tamen casum particularem, de quo in resol. secunda.

Petes primò, quandonam dispensatio reddatur invalida?

22. Respondeo id fieri, primò, quando tacetur id, quod secundùm jura in petitione dispensationis exprimi debet; quod & verum manet, licèt, non obstãte scientia illius, Superior adhuc dispensaturus esset: quia talis expressio spectat ad formam, & consequenter ad essentiam ipsius dispensationis. Ita DD. communiter. Ut autem aliquid sit jure exprimendum in petitione dispensationis, non est necessarium, ut jus expressè statuat, id esse declarandum; sed satis est si jus vetet, ne in tali casu dispensatio concedatur. Unde, quia Trident. *sess.24. de matrim. cap. 5.* denegat omnem spem consequendæ dispensationis ei, qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahit, dispensatio ab eo obtenta erit invalida, si dictæ scientiæ mentionem non fecerit. Nec refert, quòd dictam scientiam omittat exprimere ex ignorantia invincibili, quia, licèt hæc juxta dicta *tr. 1.* à culpa excuset, non potest tamen validare actum, cui deest aliquid essentiale.

23. Secundò redditur dispensatio invalida, quando reticetur aliquid ad rem spectans, quo cognito Superior non dispensasset, quamvis de jure tale

quid

quid exprimi non debeat. Ratio est, quòd tunc Superior non censeatur habere voluntatē dispensandi, cùm non dispenset nisi sub conditione, quæ non est. Verum hæc solum vera sunt loquendo absolutè, & ex natura rei: cùm enim non expediat ita conditionatè dispensare ob multa pericula quę inde possent oriri, in facti contingētia, non est præsumendum, legislatorem ita dispensasse, nisi ubi id expresè significarit, vel aliunde certò id constiterit.

24. Tertiò invalidatur dispensatio, dum exprimitur falsum, quod est unica causa dispensationis, vel ita est causa, ut aliæ simul alligatæ per se sint omnino insufficientes ad movendum legislatorem ut dispenset; neque enim tunc censetur legislator consentire. In dubio autē an causa falsò allegata fuerit talis, nec ne, præsumitur non fuisse talis; quia, ut supra insinuatum est, in dubio standum est pro valore actus. Ita Sanctarel. Portel. & alii, quos citat & sequitur Pourré, verbo *Dispensatio*, supra *n*. 5.

25. Quartò etiam universim dispensatio redditur nulla, quando ex verbis dispensationis certò notatur legislator non intēdisse dispensare, si cognovisset casum esse, uti revera est, & ob ignorantiam alicujus, quod exprimi debebat, dispensavit.

26. An verò valeat dispensatio, quādo error committitur circa nomen personæ, pro qua dispensatio petitur? Respondeo affirmativè, quia dispensatio petitur pro persona tali, eiq; conceditur, quidquid sit de ejus nomine: si tamen per falsum nomen legislator sive dispensans, intellexisset aliam personam sibi notam, non valeret dispensatio; quia tunc non intendisset dispensare cum eo, vel ea, pro quo, vel qua dispēsatio petebatur, sed pro alio.

Petes secundò, an qui potest dispensare, possit legis observantiam in aliud onus commutare?

27. Respondeo & dico primò, potest legislator in lege propria dispensare sub alio onere subeundo, quando hîc & nunc non obligatur omnimodè dispensare: quia, cùm possit tunc dispensationē absolutè negare, potest & eam nolle dare, nisi alter velit conditionē talis oneris admittere; hoc enim est ipsi magis favorabile, quàm illud. Imo P. Franc. B. Spei suadet, hoc ipsū semper practicari, ne dispensatio vilescat, saltē, ubi dubitatur de justitia causæ. Dixi, *quando hic & nunc non obligatur omnimodè dispensare*; quia aliàs injustum foret, alteri onus imponere pro re, quę illi gratis debetur: & maximè, cùm onus solùm imponi soleat, ut compleat sufficientiam causæ, ob quam dispensatur.

28. Dico secundò, potest legislator inferior, obligationem legis sui Superioris, in aliud onus commutare in iis casibus, in quibus potest in ea dispensare; quia majoris est potestatis in lege simpliciter dispensare, quàm ejus observantiam in onus aliud commutare: atq; hoc ipsum etiam constat ex communi praxi legislatorum inferiorum, quæ jam vim legis per consuetudinem obtinet: quando verò in Trid. *sess*. 25. *c*. 18. generaliter videtur præcipi, ut dispēsationes gratis fiant, id solùm intelligitur de lege Canonica, ubi impositio oneris pecuniarii sibi, vel aliis v. g. cer-

certæ summæ solvendæ, aut similis alterius doni, esset simoniaca: per quod tamen non excluditur onus precum, aut etiam pecuniæ piis causis, vel pauperibus applicandæ: constat enim Episcopos sæpe aliquos à lege communi jejuniorum eximere, cum onere v.g. dandæ certæ eleemosynæ, aut aliquarum precum dicendarum. De dispensatione in votis, & juramentis, dicemus aliquid infrà suo loco.

DISPVTATIO VI.

De Adimpletione legis.

DUBIUM I.

Quid requiratur, ut quis verè satisfaciat legi?

1. Dico cum Lezan. *to.* 4. verbo *Leges Regularium, n.* 51. Si lex sit prohibitiva, per nudam omissionem actûs adimpletur; quia nil aliud tali lege præscribitur. Ita etiam Suarez *l.* 3. *de leg. c.* 20. *n.* 1. Quando verò lex est præceptiva, ad impletionem illius necessariò requiritur actus præceptus; qui sufficit, licèt ratione circumstantiæ finis sit malus, si agatur de lege humana, quia legislator humanus solùm præcipit actum secundùm substantiam, seu materialiter, v.g. auditionem Missæ, solutionem decimarum, &c. minimè tamen finem, quem intendit per istum actum, v.g. cultum Dei, vel sustentationem Clericorum; cùm nihil simile exprimat in ipsa lege, ut propterea commune DD. axioma sit: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.* S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. & 10. Sotus, Navarr. & Sanchez. Imo non videtur id posse cadere sub præcepto, seu lege humana, plus, quàm per illam possit præcipi actus internus, qualis est intentio boni finis: neque id conducit ad finem legislatoris humani, qui est gubernatio exterior. Sotus & Suarez. Unde, si quandoque in lege exprimatur illius finis, non exprimitur per modum objecti, seu materiæ legis, sed per modum rationis, seu motivi condendi illam. Suarez & Bonac. Hæc Lez. *loc. cit.* qui paucis interjectis subdit: *Similiter potest quis legem adimplere per actum, ad quem ex lege, vel obligatione aliàs tenetur, nisi oppositum constet ex mente legislatoris. Ratio primæ partis est, quia certum est, uno jejunio adimpleri posse præceptum vigiliæ alicujus Sancti, & præceptum quatuor temporum, & unâ recitatione Horarum adimpleri obligationem Ordinis sacri & beneficii ecclesiastici. Ratio verò secundæ partis est, quia in potestate legislatoris est exprimere, se velle actum aliàs non præceptum. Sanch. Bonac. Potest etiam quis eodem tempore per diversos actus satisfacere pluribus legibus, si unus actus illorum alios non impediat, sicut potest quis, ex communi*

muni DD. opinione, simul recitare officiũ & audire Missam. Ratio est, quia lex, ut suppono, solùm præcipit, quod fiat actus, nõ determinando, quòd fiat diverso tempore ab alio, in quo alius actus est faciendus; si ergo mutuò non se impediant, fieri poterunt simul. Ita idem Lezana, quibus similia habet Busenbaum *l. 1. tr. 2. c. 3. dub. 1. & 5.* & his positis fundamentis Caramuel *suæ Theol. fundam. part. 1. fol. 217.* quærit,

An, qui vesperi Matutinum & Laudes recitat, duorum dierum obligationi satisfacere possit?

2. Supponit ibid. varia Caramuel, quæ brevitatis causâ omitto, utpote quæ jam omnibus sunt satis probabilia. Igitur sic pergit: *Opinio prima affirmat simplicem matutinarum & laudum recitationem, si fiat sub vesperum, duorum dierũ obligationi satisfacere: quia unâ & eadẽ actione potest Philippus simul satisfacere duobus præceptis, numero distinctis, eodem tempore concurrentibus. Concurrunt in casu duo distincta numero, circa officium Divinum: ergo potest unicâ & simplici actione utrique satisfacere. Major est certa, nam unicâ auditione Sacri satisfit, si festũ aliquod in Dominicam incidat. Si dicas, in lectione matutinorum & laudum contrariam esse legulatoris Papæ mentem: retorquet in sententiam docentem, per unicam confessionem posse pro duobus annis satisfieri, juxta quosdam: item per unius Sacri auditionem satisfieri &c.* Post hæc & alia, subdit: *Hanc opinionẽ ju dico probabilem in materia obedientiæ, non tamen in materia voti, aut justitiæ,* &c *Tu amice Lector, ne festines, & sta severiori sententia, quousque pro benigniore, quatuor vel sex authores habeas.* Hæc & alia Caramuel *loc. cit.* Sed

3. Ante omnia non capio distinctionem, quam hîc ponit inter materiam obedientiæ, & justitiæ: quia, inquit, Canonicus, aut Beneficiari⁹, qui ob laborẽ legendi, pretiũ recipit, satisfacere debet contractui: quam ob rem, si cõtrahẽtes de duab⁹ lectionib⁹, communionib⁹, &c. pactũ inierunt, unica non satisfaciet contractui. Ita ille. At ego peto, an, qui nudè contrahit de legendo Divino officio singulis diebus, contrahat de duobus integris distinctis officiis pro hodie & cras, nec ne? Si sic, dico etiam, eum, qui præcipit singulis diebus legi officium Divinũ, præcipere pro hodie & cras, duo officia integra distincta à pari. Nec dicat, contrarium cedere in præjudicium contrahentis in materia justitiæ: quia responsionibus ipsius utar, quas adhibet *fundam. 11. fol. 144. col. 1. in fine,* & dicam, id cedere quidem in damnũ contrahentis, sed non in præjudiciũ. Si verò instet supponi hic in pactũ deductũ de legendo singulis diebus, & consequenter, de legendo bis officiũ Divinũ spatio duorum dierum; unde fit, quòd non possit unico officio satisfacere cõtractui: præterquam quòd idem sit de præcepto: *loco ubi suprà* supponit Caramuel, in pactum deductum esse de recipiendo quotidie nummum aureum pro labore diurno: & quomodo isti contractui secundùm Caramuelem potest satisfieri, ne obulũ dando, per integrum annũ? Legat Lector casum, & videbit paritatem. Ego interim neutrum judico ab ullo admittendum fore, nequidem in materia obedientiæ. Quare

4. Pergo, &, ut à posterioribus ejus verbis ordiar, miror Caramuelem Le-

ctorē monere, ut ſtet ſeveriori ſententiæ, quouſq; pro benigniore quatuor, vel ſex Authores habeat, cùm pro ea citet eximiū quemdā D. Jeſuitam, qui hanc vocat benignam probabilē ſententiā, qui (inquit) ſit pro illa primus Author, ſit ſecundus Caramuel. En ſecundū Caramuelem duos Authores habet Lector pro benigniore ſentētia: & ſi duos, imò ſi unicum habeat, non tantùm habet quatuor vel ſex, ſed & decem, imò & ſedecim ſecundū ipſum Caramuelem ejuſdem libri *fol.* 137. & in Commentario in Regulam S. Benedicti *diſp. 6. n.* 53. ac in pacis prodromo *Certam.* 1. *n.* 26. unde inquam, miror, hanc à Caramuele apponi monitionem.

5. Interim ego non monitus, cum omnibus ſto, & ſtabo ſeveriori ſentētię: ad quod inprimis moveor multū per ea, quæ habet Dian. *p.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 29. Ubi monet, cavendum eſſe impoſterùm Authoribus, ne ſententiam Philiberti Marchini (quâ docet omiſſionem Horæ parvæ, tertiæ videl. vel ſextæ, non eſſe peccatum mortale) tamquā probabilem in ſuis operibus admittant, nam malè olerent apud ſacram Congreg. Indicis. Ita Dian. pro ſe apponēs verba P. Magiſtri Lezanæ *conſult.* 48. *n.* 85. ſic loquentis; in materia officii Divini, ſeu Horarum Canonicarum, ſententia Philiberti Marchini (quâ videl. docet ut ſuprà) eſt falſa, & improbabilis: ratio eſt, quia levi nititur fundamento, ſcil. quòd Hora parva, ſit parva materia reſpectu totius officii Divini; non enim eſt, niſi notabilis deformatio, & mutilatio Divini officii. Adde quòd ratione hujus, & quarumdam aliarū propoſitionum, quæ continentur in libro Philiberti, delatus ſit ad ſacrā Congreg. Indicis. Ita Lezana, & cum ipſo Dian. Unde puto, eſſe valde periculoſam hanc ſententiam, & viris tantis, ac ſunt Lez. & Dian. qui Romæ cōpoſuerunt, meliùs eſt credere, quàm ſe exponere periculo malè olendi apud ſacram Congreg. Sed

Dicet Caramuel, quam connexionem habet hæc ſententia cum mea?

6. Reſp. eandem rationem, quæ ſententiam Marchini improbabilem reddit, æquè, & magis militare in ſententia Caramuelis: quia major mihi videtur deformatio Divini officii, ſi pro duobus diebus ſemel tantùm legantur matutinum & laudes, quàm ſi omittatur ſola tertia: nam (licèt fortè Caramuel illud à mutilatione officii, per neſcio, quam contorſionem ſpeculativè excuſare conetur) manifeſtā tamen, & horribilem monſtroſitatē officii inducit, dum duobus officiis, tamquam corporibus diſtinctis, unum ac idem principium, tamquam caput idem, neſcio, quomodo applicat. Nec urgeat dicens: monſtroſitatem in officio Divino, non inducere peccatum mortale, ut patet ex tranſpoſitione, & interruptione Horarum: quia hoc tantùm verū eſt, ubi ſervatur integra officii ſubſtātia, quod non fit in noſtro monſtro, cùm non inveniatur integra ſubſtantia duorum hominum, quorum idem eſt caput, & collum.

7. Deinde, ut bene notavit Franc. B. Spei *ſua Noctua dub.* 17. *n* 558. in eundem veſperum non concurrunt duo præcepta de legendo matutinū cum laudibus, cùm tantùm concurrant præceptum

ptum unius obligationis solvendæ, & permissa alterius obligationis per anticipationem solutio; quia autem anticipata solutio nihil mutat in re debita, sed in tempore, quo ei satisfieri permissum est dumtaxat, res debita anticipatè solvi quoad substantiam debet, eo prorsus modo, quo alioqui suo tempore solveretur, ut patet; nam qui debitum anticipatè, aut dilatè solvi permittit, nec realiter, nec virtualiter remittit: unde sententia illa est improbabilis. Et quasi verò ad hoc ostendendum, non sufficiat totius Ecclesiæ sensus, praxis, & traditio, imo & dictamē rationis. Hæc & alia multa habes apud ipsum *loc. cit.* Vide eum etiam *de act. hum. disp.* 4. *n.* 224. *& seq.* ubi efficaciter doctrinam Caramuelis evertit. Sunt & alia absurda, quæ ex illa sententia sequerentur: nimirum, quòd semel dicendo: *Deus in adjutorium, Gloria Patri, Pater noster*, & *Ave Maria*, &c. satisfieret pro omnibus vicibus, quibus in officio Divino repeti debent; sic enim à pari argumentarer: unâ & eâdem actione potest Philippus satisfacere simul pluribus præceptis numero distinctis, eodem tempore concurrentibus; concurrunt præcepta, numero distincta, de dicendo *Deus in adjutorium* in matutinis, laudibus, prima, &c. ergo potest unica recitatione pro omnibus satisfieri. Imo, quod absurdorum maximū est, id etiam extendi poterit ad omnia verba, quæ per totum officium sæpiùs occurruntut, ad *tua, tuas, &, in* & similia, quibus semel prolatis, poterunt per totum reliquum officium omitti. Nónne ergo Caramueli sufficienter rationis dictamen demonstrat, sententiam, ex qua hæc sequuntur, esse prorsus improbabilem? Scio, quòd alibi hæc à Caramuele proponantur, ut examinetur, an reverà sint absurda: sed ego mihi ipsi nimium absurdus viderer, si vel solùm dubitarem de eorum absurditate. Ne tamen fortassis aliquis authoritati Caramuelis innitens, & inde has absurditates non curans ejus doctrinam in praxim deducat, Sanctissimus Dominus Alexander VII. per decretum expressum de die 18. Martii, 1666. inter alias, sequentem damnavit propositionem: *Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.*

8. Quia tamen ex casu confessionis, quoad confessionem & aliis à Caramuele adductis, nihil simile sequitur, fortè à summo Pontifice toleratur, posse unica Confessione satisfieri pro duobus annis, si illa fiat illo tempore, quo præceptum duorum annorum urget: sicut ab eodem toleratur, posse unica auditione Missæ satisfieri præcepto de eo audiendo, & die Dominico, & die festo: quidquid putem dicendum cum P. Franc. B. Spei *loc. cit. n.* 565 hoc solùm verum esse, quando alterutro toto anno legitimum fuisset impedimentum; propter quod fortè, & per accidens theses à Caramuele citatæ, docent, una confessione satisfieri duorum annorum præcepto, non verò per se, & absolutè, prout idem Franciscus ibid. bene probat, & *de act. hum. disp.* 4. *cit. n.* 226. absolutè asserit, sine absurditate dici non posse, unica confessione posse satisfieri pro duobus annis.

DUBIUM SECUNDUM.

An, & quæ intentio necessaria sit ad satisfaciendum legi?

9. Non requiri intentionem boni finis, dictũ est *dub.* 1. cui hîc ulteriùs addo, etiam non necessariò requiri intentionẽ seu voluntatem satisfaciendi ipsi legi, vel pręcepto. Ita Lezan. verbo *Leges Reg*, *n.* 52. & alii cõmuniter teste Busenb. Ratio est, quia, ut *dub.* 1. diximus, lex solũ præcipit ipsam operis externi adimpletionẽ; minimè verò, ut alio actu distincto intendatur observatio præcepti aut legis. Imo, prout idem Lezan. docet ex Suar. Valen. Azor. Sanch. & aliis, non videtur ab homine pręcipi posse dicta intẽtio, cùm sit actus merè internus; unde leges & præcepta humana, etiam ecclesiastica, non obligant ad obedientiã formalem, id est, ut aliquid fiat, quia præceptum est; sed tantùm ad materialem, sive ut fiat quod præcipitur. Quare qui immemor legis, aut præcepti, rem præceptam facit, adimplet legẽ aut præceptũ, nec tenetur illã rem postea iterũ facere, dum præcepti recordatur, ut advertit Lezan. Insuper juxta Busenb. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *dub.* 3. etiam satisfacit præcepto, qui faciens opus, expresse intendit per illud non satisfacere; quod & ante ipsũ docent Suar. Valen. Vasquez & Less. ac probabile post Bonacin. reputat Lezan. quidquid cõtrariũ judicet probabilius. Ratio Busenb. & aliorum est, quia præcepta humana tantũ obligant ad substantiam operis injuncti; ergo hâc positâ non est in potestate operantis non satisfacere: deinde, quemadmodũ præcepto negativo sufficienter satisfit per omissionem actus inhibiti, quamvis voluntas expresse intendat, non satisfacere; ita à pari videtur dicendũ de pręcepto affirmativo, ita videl. ut ipsi sufficienter satisfiat per positionẽ actûs præcepti, quamvis voluntas expresse intendat non satisfacere. Vide Fran. B. Spei *de leg. disp.* 6. *n.* 10.

10. Ad id autẽ, quod adducit Lezan. *ex L. non omnes, ff. si certum petatur*, actus agentiũ non operari ultra intentionem eorũ: respondetur, id solũ esse intelligendũ, quando in potestate agentiũ remanet satisfacere, vel non satisfacere. Ita Busenb. ex quib⁹ infert, primò Sacerdotẽ, qui legit Horas non ea devotione, qua voluit, ideoq; proposuit repetere, quãvis deinde non repetat, satisfecisse præcepto. Secundò infert audientẽ Sacrũ die Festo, quod scit esse ultimũ, vel non intendit audire aliud, verè satisfecisse præcepto, licèt intenderit per illud non satisfacere: peccat tamẽ talis contra aliud præceptũ, quo quis se tenetur subdere legislatori. Ita etiã docet Lugo *de Eucha. disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 21. Verũ non video, cõtra quod præceptũ hic ultimus peccet: non inprimis contra ecclesiasticũ, cui, ipsis fatẽtib⁹, satisfacit; neq; contra Divinum, quo quis tenetur se subdere legislatori, quia faciendo totũ, quod hîc præcipit, verè legislatori subditur: & revera ille, qui dicto modo Sacrũ audit, intendit duo contradictoria, satisfacere nempe præcepto ecclesiastico, eò quòd ponat libe-

liberè ip[illegible] satisfactionē, & non satisfacere, ut supponitur; unde hæc in virum doctum cadere non possunt: & indoctus putans simili modo non satisfieri præcepto, solùm peccat ex ignorantia, & propter malum suum animum interiorem. Cæterùm

11. Adverte ex P. Franc. *de leg. disp. 6. dub. 2. n. 1.* ad satisfaciendum legi præceptivæ naturali, vel positivæ Divinæ, requiri intentionem faciendi id, quod lege præcipitur: quia leges illæ præcipiunt, opera humano modo fieri, cùm hominibus, & non brutis præscribantur, & utriusque legislator habeat jurisdictionem in actus internos, & externos: jam autem opus non fit humano modo, quod fit absque intentione illud faciendi. Contrarium tamen dicendum est de omni lege prohibitiva, juxta dicta *dub. 1.*

APPENDIX.

De legibus præcipientibus fieri denuntiationes.

12. HÆc tractatui de legibus annecto, quia Confessario sunt scitu necessaria, nec locus commodior se offert de iis tractandi. Est autem denuntiatio, prout hîc sumitur, manifestatio criminis coram Superiore. Est duplex, evangelica & judicialis; prior fit Superiori; non ut judici ad formandum processum, sed ut patri ad correctionem; de qua aliquid *tr. seq.* ubi de correctione fraterna: posterior est, quæ fit Superiori ut judici ad processum formandum, & puniendum delinquentem; de qua

13. Dico primò, leges seu edicta præcipientia fieri denuntiationes, obligant secundùm intentionem ea ferentium. Patet ex dictis supra de legis obligatione. Attamen ab eorum obligatione excusat primò, ignorantia vel impotentia moralis, quamdiu durant. Secundò magnum sui, vel alterius damnum sibi valde conjuncti, quod sequeretur ex denuntiatione: de quo parum infra. Tertiò, si per ipsa verba edicti quis juxta prudens judicium eximatur.

14. Dico secundò juxta aliquos, probabiliter nullus vi edicti obligatur denuntiare delictum, quod probare non potest, excepto casu hæresis formalis. Ita Fagund. Reginald. Megala, Less. cum paucis aliis: quod & sine ulla exceptione docent Stephanus Bauni *Theol. mor. part. 2 disp. 4. tract. 3 quæst. 18.* Pourrè *part. 1.* verbo *Denuntiatio, num. 9.* & alii decem, quos ex Diana refert Mendo in Statera sua *dissert. 1. quæst. 10. num. 110.* Probat suam sententiam Lessius, quia cùm tale delictum non possit probari, non potest quoque puniri, ac proinde ex ejus revelatione non potest sequi, nisi infamia, unde nullum jus habetur, ut aperiatur. Verùm oppositum judico sustinendum cum Lezana *to. 1. c 27. n 20. & 24. ac to. 3* verbo *Accusare, n. 12.* nec non verbo *Denuntiare, n. 4.* Ratio est, quia cùm simplex denuntiatio

tio sufficiat ad inquirendum, diligentiâ dominorum Inquisitorum, & forsan ex aliorum denuntiationibus crimen sufficienter detegetur ac probabitur; quod evertit rationem Lessii & aliorum: deinde praxis habet Inquisitorum, ut in suis edictis præcipiant denuntiari delicta, licèt probari nequeant; quibus parendum est, utpote viris doctissimis, & qui magna diligentia, & zelo bonum commune fidei, & Religionis procurant, ut loquitur Lezana; cujus sententiam omnino puto in praxi sequendam: nam ipse Lessius id absolutè docet debere fieri, quando aliquod malum spirituale, vel temporale imminet communitati, aut Religioni, quod commodè averti non potest, nisi opera Superioris; per quod ferè convenit cum Lezana, eò quòd crimina omnia, quæ per generalia edicta denuntiari jubentur, sint talia, ex quibus simile malum imminet. Et quidem sententia nostra & Lezanæ modò certa est quoad crimē hæreseos: damnata enim est ab Alexandro VII. sequens propositio: ***Quamvis tibi evidenter constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*** Unde prudenter illud crimen excipiunt Authores primæ sententiæ, sicut Pourrè & alii supra nominati valde imprudenter idem includunt. Puto similiter sententiam nostram esse certam, quoad crimen sollicitationis in confessione: quia aliàs hoc crimen nunquam, vel ferè nunquam esset denuntiandum, ut patebit consideranti; cùm tamen varii summi Pontifices meritò id præceperint per expressa decreta denuntiari, quorum præceptum, attentis malis ex eo crimine provenientibus, non potest non esse justissimum.

15. Dico tertiò, probabiliùs dicta denuntiatio facienda est sine prævia correctione fraterna: quod tanquam certum sustinent Sanctarel, Sancius, Bonac. Sylvius, & alii. Ratio est, quia cùm hæc denuntiatio sit judicialis, quę intendit punitionem, non debet eam præcedere monitio: quidquid oppositum doceat D. Thom. & Thomistæ post ipsum, quos sequitur Pourrè. Vide circa hanc materiam Joannem de Bachone *in 4. dist. 19. q. 2.* & Lezan. *to. 1. c. 19. n. 35.* & *to. 3.* verbo *Denuntiatio, n. 5.*

16. An consanguinei, & affines in primo gradu denuntiandi sint, variant Doctores. De hæresi affirmant Suar. Azor. Bonac. Portel. &c. id negantibus Alexandro de Alez, Royas, Riccio, & paucis aliis de filio respectu Patris: quod Valerus etiam extendit ad uxorem respectu mariti, & è contra; item ad fratrem respectu fratrum & sororū: quæ omnia sunt probabilia, si dictorum hæresis nōn vergat in perniciem publicam; secùs, si dogmatisent, & alios hæresim doceant. Ratio hujus exceptionis est, quia denuntiando sibi tam vicinos (cum quibus tanquam simul educati, ut plurimùm censentur ejusdem Religionis ac fidei) implicitè viderentur denuntiare seipsos, quod juri naturali repugnat: quapropter etiam, regulariter loquendo, nemo obligatur denuntiare complices, seu socios delicti sui; prout docet Lezana *to. 3.* verbo *Accusare, n. 11.* Qui tamen contra plures bene excipit fœminam, quæ licèt Confessario ipsam ad turpia sollicitanti consenserit, adhuc illum denun-

denuntiare tenetur; quia ipsa in tribunali non exponitur periculo prodendi seipsam: nam, quamvis Confessarius de ejus consensu, vel malitia testetur, ipsius testimonium non recipitur. Ita etiam docent Bonac. Peyrinis, Panormit. & alii.

17. Dico quartò, nullus tenetur denuntiare cum notabili periculo vitæ, famæ, vel bonorum fortunæ. Ratio est, quia legislator humanus non habet in hæc authoritatem, eò quòd tale præceptum foret nimis durum: neque aliunde quis tenetur vi legis naturalis hæc abjicere: hinc Portel. infert, fœminam sollicitatam satisfacere, si Confessarium sollicitantem per epistolam denuntiet, dum absque infamia non potest adire Inquisitores; quia scil. ex eo accessu alii facilè possunt suspicari, eam alicujus delicti vel ream, vel consciam esse: quo casu tamen tenetur id per epistolam facere, quamvis esset Monialis, nam sic cessat dictum periculum. Infert insuper Lezan. verbo *Accusare, n.14.* eum, qui solus novit delictum, sciens delinquenti notum esse, eum solum novisse, non teneri denuntiare, nisi crimen vergat in commune damnum: quia in tali casu denuntians se exponeret periculo magnæ inimicitiæ, & iræ oriundæ inter ipsum & delinquentem. Ita etiam Pourrè *p.1.* verbo *Denuntiatio, n.4.* Sayrus, & alii. Dixi: *Nisi crimen vergat in commune damnum*; quia hîc omnes communiter excipiunt casum, quo hæreticus dogmatisaret, vel alios hæresim suam doceret in Reip. & Religionis detrimentum: talis enim etiam cum periculo prædictorum damnorum denuntiandus est; quia, ut bene Genuensis, tunc succedit id, quod quilibet pro patria & Religione teneatur vitam exponere.

Petes fortè, quinam Confessarii sint præcisè denuntiandi?

18. Respondeo inprimis, denuntiandos esse eos, qui in confessione fœminam ad turpia sollicitant: quod clarū est ex verbis Bullæ Gregorii XV. Deinde etiam denuntiandos judico, qui ipsi fœminæ primò sollicitanti consentiunt in actuali confessione, ob hæc prædicta Bullæ verba: *Qui pœnitentes sollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*: nam dicti consentientes verè inhonestos sermones & tractatus habent; quidquid illos non esse denuntiandos doceant Sanctarel, Sancius, Homob. Peyrinis & Bonac. apud Dian. *p.1. tr.4. res.11.* qui ipsorum sententiam probabilem, & in praxi tutam nominat, prout facit Lezana *to.1. cap.19. num.34. & to.3.* verbo *Denuntiatio, num.6.* qui dicit, illa ultima verba intelligenda esse de Confessariis instituentibus sermones inhonestos, sine sollicitatione ad turpia; non verò de iis, qui sollicitati consentiunt. Quidam nimis litteraliter verbis Bullæ insistentes, voluerunt non esse etiam denuntiandum Confessarium, qui confitentem solo scripto sollicitat: quare meritò Alexander VII. sequentem damnavit propositionem: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Malè ergo Trullench, & Acatius de Velasco, apud Andream Mendo in Statera opinionum

nionum benignarum *differt.1.q.8. num.* 98. sustinent illam esse probabilem.

19. Ex ejusdem Bullæ verbis denuntiari etiam debent Confessarii, viros ad turpia sollicitantes in confessione: quia Bulla loquitur indeterminatè: *Qui personas, quæcunque illæ sint*, &c. Neque ad hoc opus est, ut sollicitatio, vel de inhonestis confabulatio fiat in ipsa actuali confessione, sed sufficit, si fiat immediatè ante vel post, ut patet ex his Bullæ verbis: *Qui prætextu confessionis*, &c. Unde adhuc denuntiandi sunt, qui fœminas in confessionali sollicitant, licèt postea confessio non sequatur; quamvis id neget Portel. cum paucis aliis; & Fagundez doceat, eos non esse denuntiandos, etiam dum subsequitur confessio, modò sollicitatio facta non fuerit tempore confessionis; cujus tamen sententiam jam improbabilem esse, meritò docet Dian. *p.1. tr.4. res.14* cùm in dicta Bulla expresè habeatur, *sive ante, sive post* &c. Excipe tamen casum, in quo diu ante, vel post fieret sollicitatio, ut si v. g. post confessionem adiret domum mulieris, ut eam ibidem sollicitet interjecta aliqua mora temporis: ita enim teste Sousa apud Lezanam *tom.3. suprà*, videtur benignè interpretanda mens Pontificis.

20. Occasione resolutionis quartæ suprà positæ Sancius *in selectis, disp.11 n.* 55 docet, mulierem non teneri ad denuntiationem, si sollicitetur à suo benefactore, aut amico, si nimirùm hic plurima beneficia impenderit, & adhuc impensurus sit, sibi, filiis, parentibus, marito vel fratribus: quia non tenetur denuntiare, cum suo magno damno; ac gratitudinis vinculo astringitur avertere damnum ipsius. Verùm contra illum justè insurgit Carolus de Baucio *in Miscellaneis, to.2. opusc.2. q.130.* ubi sic ait: *Hæc opinio non est mihi probabilis, & judico, esse temerariam & scandalosam contra bonum publicum totius Christianitatis.* Ita ille: cujus ratio est, quia revelationis dicti Confessarii obligatio oritur etiam ex lege naturali altioris ordinis, quàm sit obligatio gratitudinis, ut scil. per similes revelationes obtineatur punitio peccati præteriti, & effugium futuri, sicq; conservetur bonum totius Reip. Christianæ, dum per hoc terrebuntur alii Confessarii, ne incidant in tale peccatum. Ita ille: & Diana *part.10. to.13.* de hac Sancii sententia loquens, eam vocat sancti tribunalis destructivam, & ideo meritò eam dicit à sacra Congreg. Ind. deletam esse ex ejus operibus, teste Reverendissimo P. Marino, tunc dictæ Congreg. Secretario. Ad id autem, quod adducit Sancius *ex resol.4.* respondeo, id solùm verum esse, dum crimē non vergit in damnum cōmunitatis, prout hîc vergit. quare Diana apud Lezanam verbo *Denuntiatio, n 5.* ex ipso Sancio docet, in casu, quo non extaret edictum denuntiandi similem Confessariū, adhuc esse denuntiandum. Ex quo patet, illos, qui volunt hoc edictum non esse usu receptum in Belgio, per hoc non evadere omnes difficultates quoad denuntiationē Confessarii sollicitantis.

21. An denuntiandus sit Confessarius sollicitans ad actū venialiter tantùm malum? Multùm disputatur apud Dian. *p.10. tr.14. res.44.* Negant Portel. Lupus, Hurtadus, & alii; distinguit Escobar.

Escobar: verùm Diana meliùs absolutè affirmat cum variis quos citat; quibus addo Lezan. *loc. cit.* Ratio est, quia illa sollicitatio ad actus, etiam in genere luxuriæ leves, est graviter injuriosa Sacramento; & sic sollicitans verè habet inhonestos sermones. Cæterùm

22. Nota, omnes Confessarios sub mortali teneri admonere suos pœnitentes, quos colligunt fuisse sollicitatos ab alio Confessario, ut hunc denuntient; & si non denuntiarint, illos incurrere excommunicationem, à qua absolvi non possint, sicut nec à peccato, nisi denuntient, vel nisi verè promittant, se statim denuntiaturos. Quot autem fœminarum denuntiationes requirantur, ut hoc Confessarii crimen censeatur sufficienter probatum? Puto cum Diana, committendum judicio, & prudentiæ dominorũ Inquisitorum, inspectis qualitatibus tum fæminarum denuntiantium, tum Sacerdotis denuntiati. Illi interim duarũ, alii trium, alii quatuor fœminarum testimonium dicunt sufficere. Quia in hac materia non rarò casus perplexi occurrere possunt, in quibus gravia incommoda ex denuntiatione, tum in fœmina denuntiante, tum in persona denuntianda, vel etiam aliis timentur; adverte, probabiliter non esse denuntiandum crimen, quod emendatum est, ad quam emendationem aliqui quidem requirunt, ut delinquens post delictum per triennium bene vivat: ast Felinus illum censet ad hunc effectum sufficienter emendatum, qui sacramentaliter est confessus: quare poteris sæpè ex præsumpta confessione similis Confessarii, utpote qui post sollicitationem præsumitur celebrasse, excusare pœnitentes à dicta obligatione: quod tamen extra illos casus nullatenùs judico practicandum. Insuper generaliter

23. Adde primò, neminem obligari vi edicti ad revelationem delicti tantùm sibi noti sub secreto naturali: quia servare simile secretum est de jure naturali: & aliàs occluderetur via petendi consilium à prudentiori se: limita tamen adhuc, nisi ex celatione talis criminis immineat grave damnum Reip. vel Religioni. Unde Diana infert illũ, qui sub secreto naturali novit aliquem Confessarium sollicitasse fœminam ad turpia, teneri eum deferre, si id fœmina negligat; eò quòd ex talis delicti celatione (quod à fortiori locum habet in casu hæresis formalis) imineat grave damnum proximo, & Reip. Christianæ, si similis Confessarius non emendetur: quare DD. comuniter sustinent, hæreticum dogmatisantem, denuntiandum esse, licèt quis venerit in cognitionem ipsius hæresis præstito juramento de non manifestando. Econtra tenetur quilibet potiùs subire quæcumque tormenta, & mortem acerbissimam, quàm revelare aliquod secretum, unde commune bonum Religionis detrimentum pateretur. Sic nulla de causa miles catholicus in bello contra Turcas captus, potest his arcana exercitûs catholici revelare: quia bonum commune vi luminis naturæ præponendum est bono privato, ut omnes communiter.

24. Adde secundò, nullum etiam teneri denuntiare crimen, circa quod scitur, vel probabiliter creditur, per

hanc suam denuntiationem nullum remedium fore adhibendum ab eo, cui denuntiatio fieri debet: quia tunc denuntiatio est inutilis;ad opus autem inutile nemo obligatur. Ita post Bonac. docet Pourrè *p.1.*verbo *Denuntiatio*,*n.*10. Et Lezan.*tom.*3. verbo *Accusare*, *n.* 16. vult probabiliter aliquem non teneri denuntiare, quando præceptũ Superioris id præcipientis fundatur in sola præsumptione, & alteri constat,talem præsumptionem eo casu deficere: v. g. ***Superior ex suspicione, quòd quidam Religiosus commisit peccatum contra castitatem, præcipit subditis, ut dicant, si aliquis exivit è conventu sine socio, scit aliquis quemdam exivisse sine socio, constat tamen illi, non commisisse tale peccatum,probabile est,non teneri propalare illum, qui sine socio exiit.*** Ita Lezan. *loc. cit.* quod iterum repetit *to.*4. verbo *Leges Regul. num.*61. verùm quia nullum aliud fundamentum adfert, quàm quia tunc cessat finis legis in particulari, contrarium judico sustinendum juxta dicta suprà.

25. Adde tertiò, ad denuntiationem teneri non solùm eos, qui certò sciunt delictum alicujus: sed & illos, qui à personis fide dignis de eo certificati sunt: quia tales verè & propriè dicuntur habere notitiam delicti: secùs quando id audivissent à personis levibus. Ita in casu hæresis docet Lezan.*tom.*3 verbo *Denuntiatio*,*num.*4. pluribus citatis. Pro hujus materiæ complemento

26. Advertant Superiores, contra viros alicujus notæ, jam vitâ & moribus diu probatos, vix unquam admittendam esse aliam denuntiationem quàm judicialem: quia ope dæmonis, & invidorum hominum sæpè dejicerentur columnæ Reip. Ecclesiæ, vel Ordinis Religiosorum: unde contra similes solam accusationem sub pœna talionis, regulariter loquendo, acceptare debent,si delator delictum sufficienter probare non potuerit. Item dum deferens fratrem suum ad Superiorem expressè dicit, quòd ei deferat, ut patri, & non ut judici, non potest Superior judicem agere, sed tenetur dicti fratris crimen secretum servare, eumque occultè corrigere:nam de jure naturali famam proximi servare tenemur: quare etiamsi crimen sit denuntiatum Superiori, ut judici, si nihilominus adhuc sit occultum,& reus illud agnoscat paratus agere debitam pœnitentiam, non potest Superior eum judicialiter punire, sed debet aliquam injungere pœnitentiam, ut præcaveat in futurum: quæ omnia notavit Thomas à Jesu *de Visit. Regul. tr.*1. *c.* 12. *n.*12. & post ipsum Pourrè. Quæ demum crimina teneantur Regulares in visitationibus conventuum deferre, aut denuntiare, habes apud Lezan. *to.*3. verbo *Accusare*, *num.* 9.

TRACT. III.

TRACTATVS III.

De Virtutibus Theologicis.

VIrtutes Theologicæ tres sunt, Fides, Spes, Charitas: sic dictæ, quia circa Deum immediatè versantur. Major autem harum est Charitas, teste Scripturâ. Nos de singulis aliqua pro necessitate subjiciemus. Quare sit

DISPVTATIO I.

De Fide.

DVBIVM I.

Quid Fides, & ejus objectum.

1. OMissis variis Fidei acceptionibus minùs propriis, & ad intentum nostrum nihil conferentibus, hîc agimus de virtute Fidei, quæ à Tridentino *sess.6. cap.*8. dicitur humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: de hac igitur sic propriè sumpta,

2. Dico primò, Fides est habitus vel actus, quo quis assentitur iis, quæ Deus revelavit, ob authoritatem Dei revelantis. Unde dividitur in habitualem & actualem. Fides habitualis, est habitus infusus, inclinans intellectum ad assentiendum omnibus, quæ Deus revelavit: actualis verò, est actus supernaturalis firmus & certus in authoritate Dei revelantis fundatus: quare hæc non potest solis naturæ viribus elici, nec illa naturæ viribus comparari; quod sæpiùs, tanquam res fidei definitum est.

3. Dico secundò, objectum materiale fidei est, quidquid cadit sub revelationem divinam; nam circa hoc omne fides versatur, & circa quod virtus versatur, est objectum materiale illius.

4. Dico tertiò, objectum formale fidei, est revelatio Dei, quatenùs summè veracis: quia hæc est, quæ nos movet ad assentiendum rebus, quæ nobis credēdæ proponuntur; objectū autem formale virtutis, est ipsa ratio movens ad talem virtutem exercendam: ubi

5. Nota, dictam revelationem non debere necessariò esse privatam factam immediatè à Deo alicui homini privato in particulari: nam ad objectum formale fidei sufficit revelatio publica

facta toti Ecclesiæ; ut fides ipsa docet, & consensus omnium Catholicorum testatur, esse veram fidem, quâ assentimur mysteriis per Apostolos universali Ecclesiæ à Deo revelatis, quamvis eorum nullam habeamus privatam revelationem. Deinde, quidquid Ecclesia definit esse fidei, debemus fide divinâ credere, quamvis nobis aliunde non constet de alia revelatione; quia definitiones Ecclesiæ quatenùs procedunt ex infallibili assistentiâ Spiritus sancti, sunt verba verè à Deo revelata: quamvis tamen Ecclesia aliquid definiens, non accipiat novam revelationem, sed assistente Spiritu sancto doceat, tale quid esse verè à Deo revelatum, sive sit scriptum, sive non. Insuper, etiam credere debemus, quòd talis sit sensus verborum à Deo revelatorum, qualem Ecclesia definit esse, quamvis de eo nihil in speciali revelatum sciamus.

6. Quòd igitur moderni hæretici requirant privatam unicuique factam revelationem ad hoc, ut quis teneatur aliquid credere fide divinâ, eò quòd revelatio publica facta Apostolis, vel Prophetis, non possit singulis in particulari applicari, nisi per internam, & privatam revelationem supervenientem, quæ cuique sit propria, quam vocant internum & privatum Spiritum testificantem, non habet locum: quia certum est, publicam revelationem sufficienter singulis applicari per prædicationem Evangelii, & Ecclesiæ authoritatem; quod manifestè patet ex *Marci 16. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*: Ibi enim Christus (quod & alibi sæpiùs) mandat Apostolis, ut fidei mysteria, quæ ab ipso acceperant, aliis per Evangelii prædicationem communicent, ac singulis applicent; quo mandato facto subdit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*: per quam immediatam subjunctionem manifestè indicat, auditâ prædicatione Evangelii nos teneri credere absque particulari revelatione nobis à Deo facta: quod ulteriùs confirmat illud *Rom. 10. Fides ex auditu.*

7. Adde tamen, per hæc Catholicos non velle nudam prædicationem Evangelii sufficere ad credendum fidei mysteria vero actu fidei: nam clarum est insuper requiri internam gratiam supernaturalem, ut patet *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me*, scil. per fidem, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, per internam videl. gratiam. Unde suprà insinuavimus, actum fidei non posse solius naturæ viribus elici. Negant tamen Catholici, dictam gratiam esse applicationem mysteriorum fidei, sed asserunt, esse quamdam motionem seu impulsum supernaturalem, excitantem, & adjuvantem hominem, ut velit, & possit credere fidei mysteria per prædicationem Evangelii, vel ejus lectionem, aut aliter ipsi sufficienter proposita, & applicata.

* * *

DUB. II.

DUBIUM SECUNDUM.

Quæ sint infallibiles regulæ fidei.

8. Fidei regula nil est aliud, quã principium infallibile, ex quo colligitur aliquid nobis proponi credendum tamquam à Deo revelatum. Talia principia sunt hæc quinque, Scriptura sacra, Traditio non scripta, Ecclesia, Concilium generale à summo Pontifice congregatum & approbatum, & summus Pontifex: de quibus hîc aliqua, sed breviter, dicemus: hæc enim materia magis ad controversistas attinet, quos pro necessitate poteris consulere.

9. Dari Scripturam sacram apud ferè omnes modò certum est: sicut & eam esse infallibilem Fidei Regulam, omnes Christiani testantur: quod & constat ex eo, quòd ipse Christus sæpiùs in Evangelio Scripturam citet, ut contra Judæos aliquid probet. Quinam verò libri sint de Scriptura sacra, habes in Trid. *sess.*4. Ut autem scias in quo sensu quilibet Scripturæ locus sit sumendus; sicut & quotuplex sit ejus sensus; an semper admittat sensum literalem, &c. habes apud Sylvium hîc, & alios plures, qui hanc materiam latè discutiunt.

10. Traditio variè sumi potest, ut videre est apud Sylvium in controversiis *l.2.q.1.a.1.* Verùm prout à nobis sumitur, nihil aliud est, quàm doctrina ad Fidem, vel mores Christianos pertinens, quæ sine scripto Authoris, vel alterius scriptoris Canonici per continuatam successionem ad alios pervenit. Est necessariò admittenda tanquã certa Fidei regula, ut constat ex Apostolo 2.*ad Thessal.*2. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.*

11. Ecclesia est omnium Christi fidelium in terris sub uno summo post Christum capite congregatio: quæ vocatur Ecclesia militans, eò quòd cum diabolo, mundo, & carne continuum habeat bellum; per quod ab Ecclesia triumphante distinguitur. Ecclesia Romana, utpote vera, est infallibilis, columna & firmamentum veritatis, adeoque in proponendo fidei articulos errare non potest; estque certa Fidei regula: de quo nemo potest dubitare, cùm Spiritus sanctus suam infallibilem assistentiam ei promiserit, eamque doceat omnem veritatem, ut patet *Ioan.*16.

12. Concilium prout hîc, est congregatio Rectorum ac Prælatorum ecclesiasticorum legitimâ authoritate convocatorum ad definienda & statuenda ea, quæ in causis gravioribus pro tranquillitate, & bono Ecclesiæ, vel necessaria, vel multùm sunt utilia. Tale Concilium tempore Apostolorum habitum fuit *Actorum* 15. Nec est dubitandum, quin similia à Christo regantur, qui dicit *Matth.* 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum*: ac proinde, tale generale Concilium

lium à summo Pontifice congregatum & approbatum, est certa regula Fidei quoad ea, quæ spectant ad fidem, & decreta morum.

13. Denique Romani Pontificis, veri S. Petri successoris judicium in difficultatibus Fidei decidendis ac determinandis, quando ex Cathedra loquitur, & Ecclesiam totam docet cum obligatione ad ità credendum, est omninò certum & infallibile; undè est Fidei regula. Ita S. Thom. Noster Waldensis *lib. 2. doctrin. Fidei cap. 47. &* 48. Ratio est, quòd aliàs ipsum Ecclesiæ fundamentum deficeret, ac consequenter ædificium, seu Ecclesia ipsa ruere deberet; propter quod dixit Christus Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua.* Deindè Romanus Pontifex est Pastor, ac Doctor universalis totius Ecclesiæ, ex quo tota Ecclesia eum audire debet, eumq; sequi; adeoque si ipse erraret, tota simul Ecclesia erraret, quod nequaquam fieri posse, monstratũ est. Pro aliis, quæ fortè hîc desiderabis, consule Controversistas.

DUBIUM TERTIUM.

An, & quæ Fides sit necessaria ad salutem?

14. Suppono hîc conformiter ad dicta *tract. 1. disp. 1. dub* 4. circa finẽ, Fidem aliam esse necessariam necessitate medii, qua etiam inculpabiliter omissa, homo salvari non potest: aliam necessitate præcepti, qua omissa culpabiliter homo salvari non potest, secùs si inculpabiliter omittatur. Quomodo Confessario sit agendum cum non habente Fidem necessariam, vide dicta ibid. de ignorante. Quia verò, ut dixi, quædam necessariò credenda sunt necessitate medii, quædam necessitate præcepti, ideò hoc dubium in duos paragraphos secabimus.

§. I.

Quæ sint necessariò credenda necessitate medii.

15. Dico primò, fide imprimis omninò certum est, Fidem esse necessariam necessitate medii ad salutem. Constat manifestè ex Script. *ad Heb. 11. sine fide impoßibile est placere Deo*: item *Rom. 1. ad Gal. 2. 3. & 5.* ubi Apostolus totus est ad probandum, neminem sine fide posse, vel potuisse umquam justificari; unde etiam in parvulis requiritur fides ut justificentur, non quidem actualis, sed habitualis; nam justificari non possunt sine baptismo; per baptismum verò acquirunt fidem habitualem infusam. Adulti autem (de quibus imposterùm erit sermo) debent necessariò habere Fidem

dem

dem actualem, ut omnes fatentur.

16. Dico secundò, necessitate medii necessaria est fides explicita existentiæ Dei. Est etiam fide certum *ex eodem cap. ad Hebr.*, ubi post citata verba subjungitur: ***Accedentem ad Deum credere oportet quia est***, id est quia existit: post quæ verba sequuntur hæc: ***& inquirentibus se remunerator sit***: & ideò communiter DD. sustinent, etiam omni tẽpore necessitate medii necessariam fuisse fidem explicitam Dei ut remuneratoris; quia prout ex illo loco Apostoli apparet, proponuntur ista duo æquè explicitè credenda, scil. ***quia est***, & quia ***remunerator sit***. In hoc postremo ex communi doctrina, includuntur hæc tria credenda: primum, Deum habere omnium rerum providentiam: secundum, nostra opera bona ei placere, & displicere mala: tertium, animam nostram esse immortalem, cui post hanc vitam Deus bona nostra opera remunerare possit. Non est tamen semper necessarium ista tria explicitè credere, cũ sufficienter implicitè credi videantur per actum, quo creditur & speratur præmiũ remunerationis in altera vita sinè explicita reflexione ad ista omnia. Imò Franc. B. Spei *disp. 7. de fide n. 11.* docet, fidem explicitam Dei ut remuneratoris non esse necessariam necessitate medii ad salutem.

17. Dico tertiò, etiam necessitate medii necessaria est in novo Testamẽto post prædicationem Evangelii fides explicita SS. Trinitatis, & Incarnationis. Ita Urban. *tr. 1. cap. 19.* cum cæteris satis communiter. Prob. quia Christus *Matt. 16.* dicit Apostolis: ***Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ***: quibus subjungit, ***Qui non crediderit condemnabitur***, scil. Evangelio: constat autem, dicta mysteria esse præcipua, quæ in Evangelio continentur. Deinde, quoad mysterium Incarnationis, probatur ex illo *Ioan. 3.* ***Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat.*** Sicut ergo nemo sanabatur à serpente, nisi qui in eum aspiciebat, ita nullus sanatur à peccato, nisi per fidem Christi in cruce exaltati. Confirmatur idem ex ejusdem *Ioan. 17.* ***Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*** Et *ad Gal. 2* sic loquitur Apostolus: ***Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi***: quæ loca videntur omninò convincere, fidem explicitam mysterii Incarnationis esse necessariam necessitate medii adultis in novo Testamento post prædicationem Evangelii. Ex quo ulterius eruitur, etiam fidem SS. Trinitatis eodem modo esse necessariam: nam mysterium Incarnationis credi non potest absque eo, quòd credatur simul mysterium Trinitatis: nam illa dicit unionem secundæ personæ Trinitatis cum humanitate: ergò & mysterium Trinitatis necessariò necessitate medii credendum est. Quod idem non parum etiam probatur ex eo, quòd baptismus, qui est Sacramentum fidei Christianæ, conferri debeat cum expressione hujus mysterii. Attamen

18. Dico quartò, non est omninò improbabilis opinio, negans ullũ mysterium esse necessariò necessitate me-

dii

dii credendum ab adultis præter existentiam Dei: ita enim sustinent Azorius, Tannerus, Sylvius, Pallavicinus, quos citat & sequitur Burghaber *Cent.* 1. *casu* 61. nec non & alii plures probati Authores, huic maximè nixi fundamẽto: quòd perfecta Dei charitas & peccatorum contritio haberi possint absque ulla alia fide explicita superaddita: charitas verò perfecta, & peccatorum contritio sunt proximæ dispositiones ad justificationem, quibus positis, infallibiliter sequitur justificatio. Imò Franc. B. Spei *disp.* 7. *n.* 11. *suprà* defendit respectu adultorum in gratia existentium nequidem fidem explicitam actualem Dei existentis esse necessariam necessitate medii: nam, si adulti existentes in gratia (inquit) Dei existentiam invincibiliter ignorent, ut possunt, adhuc virtute gratiæ, in qua sunt, & moriuntur, in perpetuum salvantur.

19. Nec dicas cum Becano & aliis, fidem explicitam dictorum mysteriorum non esse quidem ex natura rei necessariam necessitate medii, sed ex libera Dei dispositione, qua decrevit neminem in novo Testamento perducere ad dilectionem, vel contritionem perfectam sine fide explicita Incarnationis, & Trinitatis: quia illa Dei dispositio mihi clarè non innotescit: nam citata Scripturæ loca Authores hujus sententiæ probabiliter intelligent, vel de fide implicita, vel de necessitate præcepti tantùm quoad fidem explicitam. Quod me maximè movet, ut hanc sententiam non improbabilem judicem, est summa Dei misericordia, & Divina ejus in omnibus providentia, quæ non sinet innumeros facientes quod in se est, credentesque in unum verum Deum, carentes tamen fide explicita cæterorum fidei mysteriorum absque ulla culpa ex parte sua, quæ non sinet, inquam, tales in perpetuum damnari: sufficiet enim probabiliter in similibus fides implicita dictorum mysteriorum. Est autem fides implicita; per quam aliquid non in se speciatim, sed in aliquo alio, in quo implicitè continetur, creditur: sic qui credit quidquid Ecclesia credendum statuit, vel quidquid Deus revelavit, etiam implicitè mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. credit.

20. Neque contrà horum Authorũ sententiam facit communis Ecclesiæ praxis, quam hîc aliqui adferunt, quæ curat, ut adultus baptizandus diligenter instruatur in mysteriis Trinitatis & Incarnationis: hoc enim adhuc prudenter facit Ecclesia, quia baptismus est janua Ecclesiæ, aliorumque Sacramentorum: Trinitas verò & Incarnatio, sunt duo pręcipua Christianæ Religionis mysteria, à quibus cætera dependent: quare omnino indubitatè ex necessitate præcepti necessariò explicitè credenda sunt. Cæterùm quidquid sit de probabilitate dictæ sententiæ; omnino certum existimo, in antiquo Testamento fidem explicitam horum mysteriorum non fuisse necessariam necessitate medii: quia non omnibus tunc ista mysteria fuerunt proposita; sed paucis tantùm Prophetis, & Patriarchis innotuerunt per specialem revelationem,

21. Major est difficultas, an tunc

non

non fuerit necessitate medii necessaria fides explicita in Christum quatenus est mediator inter Deum & homines; circà quod sententia affirmativa est communior, fundata maximè in his Scripturæ locis: *Nec enim aliud nomen datum est hominibus, in quo* (scilic. credendo) *oporteat nos salvos fieri. Act. 4. sicut Moyses exaltavit, &c.* suprà *Ioan. 3.* Vide etiam *ad Rom 5.* undè absolutè judico hanc fidem necessariam esse in novo Testamento, per quod clarè salvantur loca, quæ Authores quartæ resolutionis maximè premunt, dicendo nempè fidem Christi ut mediatoris esse quidem necessariam necessitate medii, quomodocumque ipse mediator extiterit, præscindendo videl. à mysterio Incarnationis.

§. II.

Quæ sint credenda necessitate præcepti.

22. DIco, necessitate præcepti non est necessaria fides explicita omnium ac singulorum à Deo revelatorum; non enim omnia omnibus proponuntur credenda. Requiritur igitur, & sufficit fides explicita aliquorum certorum fidei mysteriorum; ut primò Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis. Secundò omnium mysteriorum in Symbolo comprehensorum. Tertiò eorum, quæ spectant ad Baptismum, Eucharistiam & Confessionem Sacramentalem. Quartò eorum etiam, quæ ad Decalogum pertinent, ac ad præcepta Ecclesiæ. Quintò denique Orationis Dominicæ. Singula facilè probari possunt.

23. Quoad primum, constat clarè ex dictis §. 1. & sanè cùm illa sint præcipua fidei Christianæ mysteria, prudenter de eo dubitari non potest. Adverte tamen, non esse necessarium omnibus distinctè cognoscere processiones Filii & Spiritus sancti; in Deo esse unicam essentiam, seu naturam, & tres personalitates realiter distinctas, modumque quo Verbum incarnatum est; in Christo esse duas naturas & unicam subsistentiam, & similia: quia hæc sunt nimiùm difficilia, adeoque dicendum non est, rudium ac vulgarium salutem ab explicita eorum fide pendere: illa igitur solùm isti scire obligantur, qui ratione status, & officii alios ea docere tenentur, ut sunt Doctores, Concionatores, &c. Pro rudibus verò sufficit scire, esse tres personas distinctas sub nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, & has tres unum Deum esse; ac secundam Personam assumpsisse naturam humanam, ut nos à peccatis liberaret.

24. Secundum, quoad Symbolum Apostolorum probatur ex catechismo Pii V. in quo dicitur: *Quæ primùm Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ sancti Apostoli Divino spiritu afflati duodecim Symboli articulis distinxerunt*: deindè Apostoli expressè Symbolum composuerunt, ut baptizandis summam eorum,

rum, quæ credenda erant, proponerent; quod & semper Ecclesia exactè observavit præcipiendo ac sollicitè curando, ut pueri illud addiscant: quiquid interim necessarium non sit, ut rudiores illud sciant recitare memoriter eo ordine & verbis quibus communiter proponitur: sed ipsis sufficit scire illud quoad substantiam, ita ut de singulis articulis interrogati rectè respondere possint; licèt non noverint omnes circumstantias, ut quòd Christus resurrexerit *tertio die*, quòd sit passus *sub Pontio Pilato*, &c.

25. Probatur tertium, quoad dicta tria Sacramenta; quia cùm Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia sint omnibus ad salutem necessaria, dubium esse non potest, quin omnes scire, & & credere teneantur, esse in Ecclesia tria hæc Sacramenta: & quidem in Eucharistia Christum verum Deum & hominem contineri realiter & substantialiter. Cæterorum verò quatuor Sacramentorum fides explicita non est necessaria, nisi illis, qui ea suscipiunt, vel ministrant.

26. Quartum etiam probatur; quia cum ex Decalogo, & præceptis Ecclesiæ quisque dicere debeat, quid sibi agendum, quidve fugiendum sit, non posset sinè eorum cognitione vita rectè institui. Interim non sunt illa præcepta necessariò omnibus scienda verbatim ut sunt conscripta, sed quoad sensum, sive contentum, secundùm cujusque capacitatem. Unde, prout tradit Urbanus *tr.* 1. *cap.* 19. *Vix quisquam reperitur in Ecclesia Catholica, qui non illa sciat crassiori minerva, quantum necesse est ad salutem, ut patet rudiores interroganti, an sit licitum furari, occidere? utrum teneantur Deum colere? Parentes honorare? &c. statim enim respondebunt quòd sic, licèt nequeant suam mentem de his exprimere: si autem possint addiscere commodè, sintque in occasione positi, tenentur ita addiscere pro sua capacitate.* Hæc Urban. quæ quidem ut vera admitto quoad actus externos in Decalogo præceptos vel prohibitos; non ita tamen generaliter de internis: plures enim, præsertim rusticos, reperies adeò rudes, ut nesciant, concupiscere rem, vel uxorem alienam prohiberi Decalogi præceptis, si exterior actus furti, vel luxuriæ non sequatur: quare meritò cogendi sunt tales dicta præcepta addiscere pro sua capacitate.

27. Quintum denique probatur, quia cum per Orationem Dominicam discat homo quid à Deo petere, & sperare debeat, tenetur quisque eam scire saltem quoad substantiam, prout diximus de Symbolo Apostolorum, ac præceptis. Cæterùm

28. Adverte primò, obligationem tria dicta, aut alia Sacramenta, Decalogum, &c. credendi, non oriri ex præcepto fidei simpliciter: sed ex præcepto aliarum virtutum, justitiæ, religionis, pietatis, castitatis, &c. sive, ut alii loquuntur, in ordine ad operationem. Unde mirum videri non debet, quòd Apostoli hæc in suo Symbolo non comprehenderint; quia in eo solùm voluerunt ponere ea, quæ propter se credenda sunt, non propter usum aut operationem: ac præcepta melius dicuntur debere sciri, seu memoriâ retineri, quàm credi, præsertim si loquamur de præceptis Ecclesiæ, quæ

quæ cum non sint immediatè à Deo revelata, credi non possunt fide Divinâ rigidâ.

29. Adverte secundò, necessarium esse iis, qui Symbolum, Decalogum, &c. addiscere possunt, ut sciant ea in lingua propria, vel in alia, quam intelligunt; aliàs enim non habent eorum sufficientem cognitionem. Ita P. Franc. *de Fide disp. 7. num. 39.* quidquid interim juxtà Navar. Lopez, quos citat & sequitur Busenb. *l. 2. tract. 1. cap. 1.* tantùm veniàliter peccet qui ea memoriter non sciverit, modò ea sciat secundùm substantiam: quia consuetudo exposuit, obligationem præcepti Ecclesiastici discendi memoriter Symbolum, Orationem Dominicam, &c. (sub quibus etiam comprehenditur Salutatio Angelica) non esse ultrà veniale: sicut nec majorem obligationem esse docet idem Busenb. post Sanchez, ut quis sciat formare crucem: quibus tamen meritò se opponit Sylvius; quia graviter ab omnibus reprehenditur adultus, qui non scit formare signum sanctæ crucis.

30. Adde, in his omnibus ab omni culpa excusari eos, qui prædicta omnia, vel aliqua ignorant, eò quòd non fuerit, qui eos doceret, vel quia nunquam ipsis innotuit obligatio similia discendi; aut etiam qui ita sunt rudes, ut ea comprehendere nequeant aut retinere. Quare P. Franc. *disp. 7. supra num. 40.* benè monet, ut *in his Confessarii attendant, an subsit discendi negligentia voluntaria, an verò ignorantia invincibilis.* Posse autem dari ignorantiam invincibilem circà obligationem credendi nostræ fidei mysteria, docet *num.* 52. cum communiori.

DVBIVM QVARTVM.

An, & quando necessarium sit elicere actum Fidei?

31. AD actum fidei dupliciter quis obligari potest; præcepto scil. affirmativo, quod obligat ad exercitium actûs fidei; & negativo, quod obligat ad non negandam fidem quomodocumque. Iterum ad exercitium actûs fidei potest quis teneri dupliciter, directè scilicet & per se, ac indirectè & per accidens tantùm. Verùm, quia actûs fidei alius est externus, alius internus, de utroque specialiter agemus. Sed ante omnia notandum duxi, hanc propositionem ab Alexandro VII. esse damnatam in sequentibus terminis: *Homo nullô unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*: quô notato,

32. Dico primò, tenentur infideles internum actum fidei exercere, ubi & quando fidei articuli ipsis sufficienter

ter fuerint propositi & explicati: quod non fit statim ac audiunt aliquid de vera Religione, ut benè Urbanus *tract.1.cap.20.* sed quando tot ac talia signa veræ Religionis vident, & econtrà tanta habent indicia falsitatis suæ Religionis & cujuslibet alterius, ut prudenter judicare possint, fidem hîc & nunc sibi propositam, esse veram ac evidenter credibilem, suam verò falsam ac erroneam: tunc enim nulla subest ratio, cur ulterius differant assensum fidei quoad sic propositos articulos, cùm ex tunc iis satis innotescat, illos à Deo revelatos esse, qui falli aut mentiri non potest. Si ergò sine ratione assensum renuant, gravem Deo inferunt injuriam, censenturque committere peccatum infidelitatis pertinaciter perseverando in sua mala fide: adeoque censentur transgredi præceptum hîc & nunc eos obligans ad assensum positivum fidei. Attamen, quia non omnibus infidelibus semper & ubique sufficienter proponuntur dicta motiva & indicia, sæpè contingit, ut rudiores inter infideles, & hæreticos enutriti patiantur ignorantiam invincibilem circa veritatem Religionis; nec proinde tales hæretici dicendi sunt, multòque minùs excommunicati, sed solùm instruendi sunt, ubi occasio se obtulerit, ut deinceps actus veræ fidei exerceant, veræque Ecclesiæ adhæreant. Ita idem Urban. ibid. Quod benè observandum est pro nostro Belgio, ubi aliqui convertuntur, seu potiùs instruuntur in vera fide, cujus contrariam anteà inculpabiliter sunt secuti: pro similibus enim necessarium non est recurrere ad eos, qui ab hæresi aut censuris reservatis possunt absolvere.

33. Dico secundò, infantes, qui in Baptismo fidem habitualem adepti sunt, tenentur actum fidei elicere, quando ad usum rationis pervenerunt, ac de rebus fidei sufficienter instructi sunt: quod secundùm Petrum Fuliensem fit statim ac à Pastore vel alio viro pio & docto ipsis proponuntur tanquam fide credendæ: nam justa causa differendi assensum, quæ in infidelibus repetitur, in iis locum non habet. Ita ille. Verùm hæc non sunt generaliter accipienda, sed restringenda ad illos solùm infantes Baptizatos, qui inter fideles enutriti sunt; imò interdum possunt excusari illi, qui inter fideles semper sunt conversati, ab obligatione gravi actum fidei eliciendi quamprimum usu rationis fruuntur, licèt res fidei ipsis jam sint sufficienter propositæ: quia defectu sagacitatis ingenii aliqui scientes quidem quæ credenda sunt, ea non concipiunt quatenùs obligantia, saltem sub gravi culpa, ut quamprimùm actus fidei circà ipsa eliciatur: quidquid interim ordinariè loquendo, resolutio vera sit quoad eos, qui inter fideles enutriuntur; cujus ratio est, quia, cùm ordinati sint ad finem supernaturalem, decet, ut per actum fidei supernaturalem se, suaque omnia in dictum referant finem quamprimum fieri potest; vel maximè, quia fides est salutis fundamentum & sperandarum substantia rerum. Vide Franc. B. Spei *de fide disp. 7. num. 43. & 44.*

34. Dico tertiò, quilibet tenetur actum

actum internum fidei elicere, quando ita circa fidem tentatur, ut aliter tentationem superare non valeat: de jure enim naturæ quisque tenetur suæ saluti spirituali prospicere. Adverto tamen ex Urbano & Petro Ful. hæc ut plurimùm non habere locum, quando tentatio circa res fidei est solùm interna, quia hæc communiùs solet ex solis scrupulis oriri, & tunc consultiùs judico cogitationes aliò divertere, quàm in eliciendis positivis actibus fidei immorari, prout suprà *Tract. 1. disp. 2. dub. 4.* insinuavimus. Si verò Tyrannus tentaret aliquem per pœnas, aut minas ad fidem abjiciendam, quæ est tentatio externa, teneretur hîc etiam exteriùs fidem profiteri, & consequenter etiam interiùs, ne aliàs sola exterior fidei professio sit infirma nimis. Hæc de obligatione per se & directa ad internum actum fidei: de indirecta autem

35. Dico quartò, indirectè & per accidens insuper tenetur quis actum fidei internum elicere; quotiescunque obligatur, aut resolvit orare, conteri, accedere ad aliquod Sacramentum, aut sperare: ista enim omnia non possunt rectè fieri absque actu fidei, vel circà misericordiam Dei, vel ipsum Sacramentum. Item indirectè obligatur ad actum fidei, qui talem patitur tentationem contrà virtutem distinctam à fide, ut eam superare nequeat aliter, quàm per actum fidei: hoc enim docet lex naturæ, ut insinuatum est *resol.* 3. Ubi tamen adverte, in dicto casu actum fidei omittentem ex negligentia, peccare quidem contrà virtutem specialem, cui contrariatur tentatio, non verò contrà virtutem fidei; quare nemo ideo est dicendus infidelis aut hæreticus. Jam de obligatione ad actum fidei externum.

36. Fide certum est, externam fidei professionem esse aliquando sub præcepto; patet ex Scriptura *Rom.* 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hoc præceptum fidem profitendi exteriùs, obligat primò, quando aliquis adultus admittitur ad Ecclesiam. Secundò, quando quis de sua fide interrogatus, censeretur erubescere Christum, si taceret. Tertiò, dum quis cernit, vel audit fidem contumeliosè tractari ab iis, quos impedire potest. Quibus adde obligationem, quam particulariter aliqui habent, fidem profitendi vi præcepti ecclesiastici cum juramento de præstanda obedientia Ecclesiæ Romanæ: ad quod secundùm Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 12. *de reform.* & *sess.* 25. *cap.* 2. tenentur provisi de beneficio habente curam animarum annexam; ut sunt Episcopi, Pastores, &c. item admissi ad canonicatum, vel aliam dignitatem ecclesiasticam in Ecclesia Cathedrali: insuper etiam ex mandato Pii IV. ad id obligantur Superiores regulares; sicut & vi præcepti Pii V. Doctores, Magistri, Lectores, &c. In quibus tamen omnibus standum puto communi praxi ac consuetudini, quæ solet legem abrogare juxta dicta suprà.

37. Cæterùm, licèt in casibus distinctis à suprà positis fideles non teneantur positivè fidem profiteri, obligantur tamen omnes præcepto fidei negativo cavere ab omni verbo & opere, quo implicitè vel explicitè significare pos-

possent, se fidem negare, vel abjicere: & hoc præceptum, utpotè negativum, obligat pro semper & ad semper, idque sub mortali: ratio est, quia qui negat veram fidem, implicitè dicit, Deum esse mendacem, cùm revelationem ipsius judicet falsam. Unde Christus *Matth.* 10. dicit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo ego eum coràm Patre meo.* Ex quibus verbis ulteriùs eruitur, nemini licitum esse ita exteriùs simulare negationem fidei ut circumstantes ex verbis, vel factis judicent, eum seriò agere, & verè fidem negare: ille enim verè Christum negat coram hominibus, quidquid interiùs à vera fide recedere non intendat: quod semper ab omnibus pro peccato mortali est habitum, sive metu mortis, sive aliâ occasione fiat: & reverà talis Christum erubescit, qui dicit *Lucæ* 9. *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet, &c.* Aliud est, dum quis joco id facit, ut est solitum fieri in Theatris. Vide Franc. B. Spei *disp.* 7. *num.* 58. Verùm, quia variis modis implicitè fides negari potest, sit

DUBIUM QUINTUM.

Quandonam quis implicitè censeatur Fidem negare?

38. Fides negari potest per verba, facta, vestimenta, & alia signa externa, de quibus

Dico primò, per verba implicitè fidem negat, qui negat se esse Christianum, aut Christi discipulum: nam S. Petrus dicitur tertiò Christum negasse, cùm tamen bis solùm negarit, se esse discipulum Christi. Idem dic de eo, qui negat, se esse Papistam Romanistam, &c. apud eos, qui per illa intelligunt sectatorem fidei Ecclesiæ Romanæ. Insuper etiam implicitè negat fidem per verba, qui se dicit Calvinistam, Lutheranum, &c. qui & superaddit novam malitiam professionis Religionis falsæ: atque hæc omnia vera manent, sive quis juridicè interrogetur, sive non: nunquam enim licitum est vel implicitè negare fidem, ut dictum est *dub. præced.* Verùm id non facit, qui à privato interrogatus, an sit Catholicus, petitionem eludit dicendo: *Quid hoc ad te? quid habes hoc à me interrogare? &c.* quia talis per similia potiùs indicat, se esse similem. Denique etiam per verba fidem negat, qui dicit, fidei mysteria non esse certa, esse dubia, &c. unde peccat hic mortaliter, quia opponit se infallibilitati Divini testimonii, per quod Deo gravem infert injuriam.

39. Dico secundò, per facta implicitè fidem negat, qui eas exercet actiones, quæ vel ex natura sua, vel communi usu hominum ad significandum cultum falsæ Religionis sunt ordinatæ, ita ut aliud significare non possint: quare

quare in nullo casu sine peccato infidelitatis sumi potest cœna calvinistica, offerri thus idolo, communicari in cæremoniis hæreticorum quoad baptismum, vel matrimonium: quia, cùm hæc omnia nihil possint significare quàm professionem Calvinismi, idololatriæ, aut alterius falsæ sectæ; qui similia exercet, etiam in quocunque casu necessitatis, idem facit, ac si diceret, se esse talis Religionis: quod nunquam licitum esse, quamvis interius quis maneat in vera fide, *dub. praeced.* monstravimus. Adde, eum etiam fidem negare per quasi facta, qui à judice cum aliis interrogatus, an v. g. sit calvinista, tacet cæteris affirmantibus; quia taciturnitas, in illis circumstantiis ab omnibus sumitur pro consensu, juxta axioma receptum: *Qui tacet, consentire videtur*: quod tamen non habet locum, quando quis solus, vel cum aliis ab homine privato interrogatur, ut statim dictum est. Nec similiter censetur negare fidem, sed virtualiter & implicitè eam profitetur, qui data pecunia impetrat à Magistratu, vel Inquisitoribus, ne de sua fide interrogetur: quamvis tamen ob periculum scandalisandi alios, facilè posset per hoc peccatum mortale incurri. Denique nec ille censetur implicitè fidem negare, absolutè loquendo, qui fugit tempore persecutionis; nam *Matth.* 10. expressè dicitur: *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite ad aliam*: & sanè fuga est implicita fidei professio. Dixi *absolutè loquendo*, quia posset dari casus, in quo fuga esset implicita fidei negatio; uti fuit fuga illius, qui ex consortio triginta novem fugit ad balneum, quòd à tyranno ordinatum fuerat in signum desertionis fidei, si quis illud intraret.

40. Dico tertiò, per vestem implicitè fidem negat, qui ea utitur veste, quam Princeps omnibus suis subditis, cujuscumque sint fidei, præscribit, ad testandum se esse cultores falsæ suæ sectæ. Ratio est, quia tunc talem habitum gestans, æquivalenter dicit, se esse talis sectæ; ut si v. g. quis inter Mahumetistas è collo gestaret imaginem Mahumetis institutam ad indicandum ipsius cultum. Secùs dic de eo, qui, inter infideles iter faciens, ex causa rationabili uteretur vestibus, quibus isti infideles dignoscuntur tantùm materialiter, sive præcisè quoad nationem: uti sunt v g. communes vestes Turcarum: quia harum usus non includit professionem fidei Turcicæ, ut per se clarum est. Imò non improbabiliter multi etiam licitum putant, uti vestibus, quæ publica authoritate præscribuntur omnibus certæ sectæ falsæ cultoribus, ut aliquo modo inter se dignoscantur, si primarius usus præscriptæ vestis cedat in necessitatem naturæ, & assumatur ad evadendum grave periculum: Ratio est, quia assumptio talis vestis (qualis v.g. est habitus communis Sacerdotum falsæ Religionis) in casu gravis periculi, meritò potest præsumi, fieri ad se occultandum: in quo apparet distinctio inter dictam vestem, & verba, quibus quis exteriùs profitetur falsam fidem; quia hæc post primam hominum institutionem ex natura sua tale quid significant, non ita dicta vestis.

Petes primò, an esus carnium die

Ve-

neris inter hæreticos sit signum negationis fidei Catholicæ?

41. Respondeo simpliciter loquendo negativè; quinimò id licere ad vitandum grave damnum, si absit periculum gravis scandali, nec ullo prætextu possit talis esus declinari, docent omnes DD. communiter, quos sequitur Burghaber *centur.* 1. *casu* 15. non enim Ecclesia intendit subditos suos obligare cum gravi incommodo, cùm id nimis difficilè foret. Dixi iterum *simpliciter loquendo*, nam quando Princeps hæreticus talem esum præciperet in signum hæreseos, tunc esset implicita fidei negatio, adeòque illicitus, etsi aliàs minaretur inferre mortem. Idem dic, si in die jejunii ab aliquo in mensa diceretur demonstrando carnes: *Qui hæreticus est, comedat ex hoc ferculo*; quia etiam in his circumstantiis comestio carnium contineret externam fidei negationem. Si tamen in illis casibus adesset infirmus, cui licitum esset comedere carnes, posset hic illas comedere protestando, se id non facere, nisi ratione infirmitatis. Adde juxta Urbanum, posse famulos Dominis suis carnes præparare in die jejunii, ne excidant suo famulatu, vel ut caveant aliud grave incommodum, licèt Dominus, utpotè hæreticus, id faciat in Ecclesiæ contemptum: non enim per hoc, quòd præparatur caro, Ecclesia contemnitur, sed per hoc, quòd comedatur, quòd fit à solo Domino. Ita ille *ubi suprà*.

Petes secundò, an Catholicis sit licitus esus idolotitorum, seu ciborum idolo oblatorum?

42. Respondeo quòd sic, quoties secluso periculo scandali non continet speciem cooperationis ethnicæ, vel cultus falsi Dei: quia talis esus secundùm se, est indifferens; nec extrinseca illa immolatio reddidit eum illicitum in dictis circumstantiis: pro quo vide Apostolum 1. *ad Cor.* 8. & 10. Unde dum S. August. sæpiùs asserit, potiùs esse fame pereundum, quàm talis cibus sumatur, debet intelligi de comestione formali idolotitorum, in iis nempe circumstantiis, in quibus apparere possit id fieri in cultum idoli. Vide circa hæc omnia P. Franc. *à n.* 61. *disp.* 7. *de fide.*

DVBIVM SEXTVM.

An licitum sit cum infidelibus communicare?

43. Dico primò, non prohibetur fideli omnis communicatio cum infideli, aut hæretico, etiam in sacris: quia & ipsis Judæis potest distribui panis benedictus, aqua benedicta, &c. modò absit periculum irreverentiæ. Item admitti potest infidelis ad orandum Deum ritu Catholico, ad audiendam concionem, ad interessendum Missæ, saltèm usque ad offertorium exclusivè, si desit periculum dictum, & ipse non sit hæreticus denuntiatus. Ita DD. communiter *ex cap. Episcopus nullum* 67. Imò aliqui addunt, etiam

etiam infidelem admitti posse ad audiendam totam Missam, si exinde prudenter speretur ejus conversio; & Em. Card. Lugo testatur, se vidisse hæreticos coram Sacro Cardin. Collegio Missæ solemni interesse, scientibus omnibus, & meritò simulantibus propter fructum experientiâ probatum: quod exemplum debet esse maximi ponderis pro Belgio, ut observat Franc. B. Spei *de Fide, disp. 9. n.* 10. Unde patet à fortiori, non omnem communicationem civilem fidelis cum infideli, aut hæretico esse illicitam. Dixi, *Si ipse non sit hæreticus denuntiatus*, publicè scil. per sententiam Judicis: quia cum tali inhibetur Catholicis omnis communicatio, ut ex diversis Canonibus constat.

44. Dico secundò, lege naturali prohibita est omnis illa communicatio cum infidelibus, ex qua imminet periculum perversionis in se, aut in aliis periculum scandali: unde colligendum monet Lothus *tr. 13. q. 1. a.* 1. malè facere eos, qui proles suas inter hæreticos educandas transmittunt prætextu mercaturæ, studiorum, aut conversationis politicæ, quia plures redeunt corruptæ, & non rarò hæresi infectæ. Malè item faciunt, qui hæreticis famulantur, cùm æquè, vel ferè æquè commodè possint obtinere famulatum apud Catholicos, ob eandem rationem. Et dum Confessarius advertit, pœnitentem ob similem famulatum, aut commorationem cum hæreticis versari in periculo proximo contrahendi hæresim, debet ipsi absolutionem negare, nisi promittat, se infrà parvum tempus retrahere, etiam cum periculo perdendi salarii. Hoc tempus aliqui extendunt ad tres menses; sed ego cum Gobat *in Alphab. Audient. Sacr. casu* 15. *num.* 337. judico illam extensionem esse nimis amplam pro graviter tentatis. Adde, etiam in multa salutis pericula se præcipitare eos, qui continuis commerciis cum hæreticis assueti, eorum mores inbibunt: licèt enim tales non omninò non pervertantur, multas tamen propositiones hæreticas tanquam probabiles sibi imprimunt, de Catholicis dubitant, malum affectum erga Ecclesiasticos facilè concipiunt, & tandem ad statum politicum prolabuntur, viam sibi ad atheismum sternendo. Ita Lothus *loc. cit.*

45. Dico tertiò, lege ecclesiastica prohibitum est, primò sub excommunicatione, ne fideles cohabitent Judæis aut Saracenis, *cap. Iudæi*: per quod tamen non prohibetur habere servos Judæos, ut patet *ex cap. etsi Iudæos*. Secundò in concilio Agatensi *cap.* 40. inhibetur, ne fideles accedant ad convivia Judæorum, & ne hos invitent ad sua. Contrà quod tamen non peccat fidelis, qui à fideli invitatus, vel casu comedit in eadem mensa cum Judæo; verba enim hunc non comprehendunt. Tertiò, *cap. nullus* 28. *q.* 1. vetatur, ne fideles comedant azyma Judæorum. Quartò ibidem, ne utantur Medico Judæo, quod intellige extrà casum necessitatis gravis. Quintò, ne in eodem balneo cum Judæis laventur, scil. per modum societatis. Sextò, *in cap. ad hæc de Iudæis*, fidelibus prohibetur, ne famulentur Judæis, & ne Judæos eligant ad officia: in quibus tamen omnibus excusare potest levitas materiæ,

riæ, vel contraria consuetudo. Deniquè inhibita est omnis communicatio cum hæretico denuntiato; ut insinuatum est supra; quia hîc censetur excommunicatus non toleratus, cum quo communicare non licet, neque in Divinis, neque in civilibus, ut omnes fatentur. Adverto tamen ex Busenb. & aliis ante ipsum, dictam communicationem in civilibus secluso contemptu, solùm esse peccatum veniale, licèt inducat excommunicationem minorem. Imò licita est hæc communicatio in his quinque casibus: Primo, in casu subjectionis; sic filii & servi possunt communicare Patri & Domino, si antè excommunicationem fuerint in ejus servitio. Secundò in casu legis matrimonialis; sic uxor cum marito excommunicato potest communicationem habere. Tertiò in casu utilitatis spiritualis excommunicati ut convertatur, vel alterius, ad petendum v. g. consilium ab excommunicato, quod ab alio haberi nequit: vel etiam ratione utilitatis temporalis, ut v. g. ab eo obtineatur solutio debiti ante contracti; quidquid tamen illicitum sit cum eo novos contractus inire. Quartò licita est communicatio cum excommunicato in casu necessitatis spiritualis vel corporalis. Denique, in casu ignorantiæ, sive juris, sive facti.

Petes primò, an sit licitum cum hæreticis de fide disputare?

46. Resp. primò, id illicitum esse laicis: patet *ex cap. 2. §. inhibemus, de hæreticis*, & Alexandro IV. *cap. Quicumque, de hæreticis in 6* ubi contravenientes excommunicationem incurrunt; quidquid eam tantùm esse sententiæ ferendæ doceant Sylvest. Bannes, Sylvius & Lothus *quæst. cit. art.* 5. Adde juxta Valentiam & alios, hanc prohibitionem non habere locum, ubi hæretici cum Catholicis mixtim vivunt; quia ibi per usum & consuetudinem contrariam abrogata est. Similiter locum non habet in casu necessitatis, dum v. g. hæreticus multa contra fidem Catholicam jactaret cum periculo perversionis audientium vel magno scandalo: tunc enim laicus idoneus absente Clerico de jure naturæ teneretur se opponere, & suam fidem confirmare. Nec item dictum Ecclesiæ præceptum infringunt Catholici honoris, vel exercitii causa in communi colloquio inter se de rebus fidei disputantes: quia (ut bene idem Loth. post Cajet.) cùm istud præceptum sit odiosum, restringendum est ad disputationem formalem de fide, dum videl. instituitur contra inimicos fidei Catholicæ, vel ex professo ad confutandum aliquem errorem, vel quando disputatio fit ad confirmandos dubios in fide.

47. Resp. secundò, licitum esse Clericis contra hæreticos de fide disputare etiam extra casus allatos: nullo enim jure hoc iis inhibitum est, si sint capaces & viri docti: debet tamen sperari fructus in hæretico, cum quo disputatur, vel saltèm in auditoribus: aliàs enim disputatio esset causa mali, obstinatæ scil. defensionis proprii erroris. Vide circa hæc Franc. N. *de fide, disp.* 9. *n.* 17. & adde hîc nomine Clerici venire eos, qui habent primam tonsuram, item & Religiosos omnes, etiam qui vocantur laici, quia absolutè laici non sunt, sed Clerici nomine & pro

vilegio gaudent. Ita Azor. Sanch. & alii.

Petes secundò, an licitum sit Catholicis, ingredi templa hæreticorum.

48. Resp. primò, id licitum esse per se loquendo, sicut & licitum est interesse eorum concionibus, si adsit justa causa v. g. ad detegendos eorum errores, & absit omne periculum scandali. Dixi, *si adsit justa causa*, quia non approbo, quòd quis intersit ex sola curiositate; sicut nec si indocti eam licentiam sibi assumant: quos tamen solùm culpæ venialis reos arbitror, si absit perversionis periculum. Imò filia v. g. recens conversa, quæ sine gravi damno non potest se Catholicam declarare, poterit sine ulla culpa sequi matrem euntem ad concionem ministri, quia excusatur ob necessitatem: non poterit tamen cum aliis hæreticis cantare Psalmos, nec recipere cœnam de manu ministri, &c. quia nunquam est licitum habere cum hæreticis communicationem in eorum cæremoniis: quare, quantumvis licitum sit interesse eorum matrimoniis honoris & amicitiæ causa, nullatenùs tamen licitum est communicare in cæremoniis aut præcibus eorum, quæ fiunt ab hæreticis; sed eas debent spectare Catholici præsentes, tanquam res ad se non pertinentes. Licitum similiter est interesse funeribus hæreticorum, quia hæc fiunt sine cæremoniis religiosis, & solùm cum honore politico: modò tamen corpus hæretici non sepeliatur in loco sacro; alias enim sepelientes & servantes (quales sunt assistentes) sunt ipso jure excommunicati. *cap. 2. de hæreticis, in 6* quidquid Urban. *tr. 1. c. 55.* dicat, id post Concilium Constant. locum non habere in Gallia aut alibi, ubi hæretici tolerantur. Addens per sepelientes, & adjuvantes hic solum intelligi eos, qui manibus propriis fossæ imponunt, vel fieri præcipiunt authoritativè. Item licitum est fidelibus, filios hæreticorum de fonte Baptismi suscipere, ubi & quando Baptismus ritu Catholico ministratur: e contra tamen est illicitum Catholico, hæreticum suo filio in patrinum suscitare ob periculum subversionis, cùm patrinus illi specialiter assistere teneatur. Urbanus *tr. 1. c. 21.*

49. Resp. secundò, si Princeps hæreticus publico edicto suis subditis præciperet adire hæreticorum templa, ibique præcibus ac concioni interesse, non possent Catholici ipsi nequidem materialiter obedire, non communicando scil. in eorum cæremoniis, sed nudè interessendo ad evadendam pœnam: ita enim declaravit Pius V. in manuscripto ad Catholicos Angliæ: & reverà adire templa eorum in his circumstantiis, continet cultum superstitiosum, cùm tale præceptum Principis tendat ad hæreticæ Religionis argumentum: adeòque præceptum illud, ejusque observatio cedit in injuriam fidei Catholicæ.

motivum hujus prohibitionis est, ut tales libri destruantur. Nec sufficit, quòd eos retineas ad refutandum, aut ad solum ornatum sine animo legendi, saltem antequam corrigantur: quia his non obstantibus, adhuc verè diceris eos retinere: & à sanctissimo Domino Alexandro VII. sequens propositio est damnata: *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.* Potest tamen famulus retinere libros hæreticos sui Domini, habentis facultatem eos legendi. Item secundùm Sanchez, potest quis eos servare, donec opportunitatem habeat illos tradendi Inquisitori: quod tamen judico limitandum, modò speret se dictam opportunitatem brevi habiturum: imo juxta Grassium, Sayrum, Sanchez & Layman, quos citat & sequitur Busenb. dictam excommunicationem non incurrunt, nec mortaliter delinquunt, absolutè loquendo, retinentes libros hæreticos parvo tempore, v.g. uno alteróve die; quia, inquiunt, sicut materiæ, ita & temporis parvitas excusat: idem etiam docet Lothus *loc. cit.* præter citatos à Busenb. etiam referens Reginald. Bonac. & Palao.

53. Tertiò nomine inprimentium intellige illos omnes, qui proximè adhibent operam ad impressionem, sicut & ipsum Dominum Typograghiæ.

54. Denique nomine defendentium veniunt illi, qui libros hæreticorum occultant, ne deferantur, aut comburantur: qui vi, vel fraude idem impediunt; quique rationibus, aut aliter illos defendunt.

55. Cæterùm, quoad excommunicationem, quam omnes prædicti incurrunt, adverte, ad eam incurrendam requiri quinque conditiones; quarum prima est, ut liber sit compositus ab hæretico. Secunda, ut hæresim contineat, vel tractet de Religione. Tertia, ut scienter legatur, retineatur, &c. Quarta, ut legatur absque licentia. Quinta denique, ut legens librum intelligat, saltem probabiliter: quidquid tamen non requiratur intelligentia in imprimente, retinente, aut defendente; quia hi omnes æque magnum damnum creant Ecclesiæ, sive librum hæreticum, quem imprimunt, retinent, aut defendunt, intelligant, sive non, ut consideranti patebit. Adde juxta communem non excommunicari eum, qui legit, retinet, &c. concionem aut epistolam hæreticam seorsim compositam; quia non sunt liber rigorosè loquendo, nisi unum alterumve folium; imò, juxta Castro Palao, nisi decem folia contineant. Insuper occasione eorum, quæ habet Caramuel *sua Theol. fundam. p. 1. fol. 186.* sit

QVÆSTIVNCVLA.

An quis, sciens sibi nullum creandum nocumentum, possit legere libros prohibitos?

55. PRo sententia affirmativa sic argumentatur Caramuel: *Probabile est cessante fine legis in aliquo particulari, cessare etiam legis vim & obligationem in particulari: at finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum, cessat respectu illius, qui est ita doctus & pius, ut prævaricari non possit: ergo respectu ejusdem cessabit etiam lex. Diana distinguit minorem, conceditque tunc cessare finem inadæquatum legis, at negat cessare adæquatum: quia Ecclesia prohibet, inquit, illos libros, non tantùm, ne Catholici falsa doctrinâ inficiantur, sed etiam in pœnam Authorum damnatorum (non enim est levis pœna in eorum libris nigrum præfigere theta, & sub censura prohibere ne legantur) ad obscurandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore, ut inter manus doctorum hominum volvantur. Sed hoc secundum non videtur verum nec ad rem. Non verum, quia eosdem libros, si sint correctionis capaces, expurgatores corrigunt, & correctos permittunt.* Ita Caramuel. Sed

56. Antequam coner ostendere rationes, quas hîc adfert Caramuel pro sententia affirmativa contra Dianam, nihil prorsus convincere, suppono eas prorsus ruere, sicut & ruit ipsa Dianæ sententia de cessatione legis in particulari, ob à nobis allata suprà *in tract. de Leg.* Ne tamen quis fortè illusus fundamentis Caramuelis, licentiam incautè assumat legendi libros prohibitos, conabor ostendere, etiam meritò Ecclesiam intendere secundum illum finem in prohibitione librorum hæreticorum. Nec ullatenùs probatur à Caramuele contrarium per hoc, quòd libri hæreticorum correcti & expurgati permittantur: dicit enim Diana, ipsammet correctionem factam per expurgatores, esse pœnam maximam Authoribus librorum hæreticorum, utpote quæ eos erroris ac falsitatis arguit, imò efficit, ut similes libri non sint amplius ipsorum, vel saltem ab ipsismet Authoribus, (si nimirum sint hæretici) non ampliùs dicantur sui, cùm sententias suis omnino contrarias complectantur, quas suas nominare erubescerent: imo mallent similes libros post correctionem comburi quàm legi: unde non videtur, quomodo post correctionem in Authorum pœnam possint inhiberi, sicut ob eum finem rectè antea inhibebantur.

57. Subjungit Caramuel: *Demus, illos interdici in odium & pœnam Authorum, & rogabo, quis majori ignominiâ & dedecore afficiatur, illéne, qui occiditur, & igni mandatur in carcere, an ille, qui conducitur per plateas civitatis, præcone ejus infamiam inclamante? ille, qui suspensus à patibulo, eâdem die sepelitur; an, qui jubetur in cruce remanere toto anno? hinc transi ad libros. Putarem severiore sententiâ condemnari librum, cui nigrum theta præfigitur, & legitur ut Authoris infamis, quàm* qui

qui omnino non legitur: & tamen stando Diana fundamentis, deberemus dicere, furem, qui condemnaretur exilio, & juberetur non comparere in toto regno, condemnari severiùs illo, qui juberetur manere, & signum publicum, & externum ignominiæ portare, ut ab omnibus esse infimis & sceleratus nosceretur. Hæc Caramuel, quæ adhuc minùs Dianæ sententiam destruunt quàm priora.

58. Inprimis dicit quidem: *Putarem severiore sententiâ condemnari librum, &c.* sed quid refert, quòd Caramuel id putet, modò contrarium judicent Authores librorum hæreticorum? quos contrarium judicare puto esse manifestum: quia, si libri eorum, etiam post impressum nigrum theta, omnino non legantur, prorsus frustrantur fine suo, qui est omnibus in particulari doctrinam suam proponere, & per rationes, quas sperant & judicant ab omnibus esse approbandas, ostendere, illam esse veram veræ Ecclesiæ doctrinam, quod nullatenùs efficient, si eorum libri non legantur. Neque per hoc evadunt ignominiam, aut de cruce deponuntur: nomina enim illorum simul & librorum scripta detinentur in Catalogo librorum prohibitorum, qui Catalogus ob oculos omnium multò plus versatur, quàm eorum libri versari possent: atque hic Catalogus verè est præco, cujus voce meliùs, quàm aliquorum hominum particularium, infamia per totum mundum inclamatur.

59. Dicet fortè Caramuel, quòd malint dicti Authores suos libros legi, quàm non legi aut inhiberi; quia sperant aliquos fore convertendos, vel potiùs pervertendos ad suam hæresim per dictam lectionem; at nos omnem illam spem irritam reddimus, cum eorum libri non possint legi juxta illam sententiam, nisi ab iis, in quibus periculum istud supponitur cessare. Sed

60. Ad hoc respondeo, nil juvare ad intentum, eorum spem irritam esse à parte rei, & in mente Caramuelis, si nihilominus hæretici per illam ipsam lectionem, & maximè ex probabilitate istius sententiæ, spem maximam concipiant. An aliquid cuipiam pœnosum est, quod toto affectu desiderat? & an desiderat hæreticus suos libros igne cremari, vel potiùs ab omnibus perlegi? Certè si hoc secundum non desideraret; eos non ederet, nec ita insudaret, ut rationibus & argumentis sibi visis firmis, & etiam à doctis indissolubilibus, suam doctrinam firmaret. Dixi: *Et maximè ex probabilitate dicta sententia*: quia, si scirent hæretici, licitè posse suos libros legi à doctis & piis, in quibus nullum timetur periculum, spem summam conciperent (nec omnino immeritò) ut & alii sibi istam licentiam assumerent: nullus enim hac in parte sibi vult videri indoctus aut impius: præterquam quòd ipsi judicent suam doctrinam debere approbari ab omni etiam doctissimo & piissimo, si eorum fundamenta penetret. Quare ego existimo, hæreticorum libros in cruce relinqui respectu suorum Authorum, dum manent absconditi, nec ab ullo prorsus legi possunt: tunc verò econtrà de cruce deponi, cùm omnium manibus volvuntur ac perleguntur. Quod iterum manifestum mihi est, cùm sciam multos libros hæreticorum impressos esse

esse plenos rationibus, vel, ut promptiùs loquar, murmurationibus, quibus ostendere nituntur, nullos libros posse hominibus prohiberi. Quare id facerent, nisi quia ferre non possunt, ab Ecclesia Romana suos libros inhiberi? Cùm igitur pœnosum, & durum valde sit hæreticis, quòd nulli prorsus permittatur dicta lectio, meritò potest dicere Diana, dictam lectionem inhiberi ab Ecclesia, etiam in pœnam Authorum talium librorum.

61. Deinde, ut in exemplo Caramuelis sistam, & illud directiùs contra ipsum dirigam: Peto, an ille, qui occiditur, & igni mandatur in carcere sine examine, aut inquisitione eorum, ad quos existimat id spectare, & apud quos putat, vel saltem sperat se repurandum innocentem, non plus affligatur ac indignetur, quàm ille, cujus causa prædictis permittitur examinari? Indubiè: hæretici autem sustinent, judicium quoad doctrinam in libris suis contentam, apud unumquemque in particulari debere relinqui: quare reputant sibi summam injuriam fieri, quòd condemnentur, & igni mandentur sine tali examine, ex quo magnum fructum sperarent pro sua religione, adeoque id ipsis valde pœnosum est, quidquid aliunde certum sit justè omnia illa ab Ecclesia fieri. Hinc igitur patet, rectè à Diana duos fines adferri particulares pro fine adæquato dictæ inhibitionis: quidquid nobis necesse non sit eò recurrere. Ante Dianam hanc sententiam de duplici fine dictæ prohibitionis tenuerunt Sousa, *disp.*13. Sanctarel *tract. de hæresi, cap.*14. *dub. unico*, quos omnes sequitur Lothus *tract.*13. *quæst.*2. *art.*6. Vide etiam Urbanum *num. tract.*21. *cap.*7. *reg.*12. *fol.*366. Ubi docet, temerarium fore, judicium ferre de seipso, quòd per lectionem dictam nulli periculo exponatur. Vide denique Dianam *part.*11. *tract.*1. *resol.*1. ubi ex professo agit contra Caramuelem, eum arguens, & meritò, quòd similia ediderit nihil resolvendo. Item N. Franc. *de leg. disp.*8. *num* 40. *& seq.* fortiter agit contra Caramuelem.

DVBIVM OCTAVVM.

De vitiis oppositis Fidei.

62. Infidelitas sub se omne vitium fidei oppositum comprehendens, utpote cùm nihil aliud sit, quàm carentia fidelitatis, sive fidei; duplex est, positiva & negativa. Negativa, sive ut alii, materialis, est carentia fidei, quæ reperitur in iis, qui nihil unquam de fide audiverunt, qualis est in plerisque gentilibus; vel etiam in iis, qui aliquid quidem de fide audiverunt, ita tamen, ut post diligens examen non potuerint reperire sufficientia motiva, quæ eos prudenter possent movere ad dictam fidem acceptandam: quare hæc infidelitas, cùm oriatur ex ignorantia invincibili, non est peccatum propriè loquendo, prout indicat Apost. *Rom.*10. ubi ait: *Quomodo credent*

credent ei, quem non audierunt? Et ipsum Evangelium *Ioan.* 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*: unde est tantùm pœna peccati, vel originalis per Adamum contracti, vel etiam interdum actualis; quia, si plerique facerent à principio, quod in ipsis est, Deus forsan fidem eis non abscondisset. Dico *forsan*, quia id absolutè affirmare non audeo, quidquid id faciat Busenb. *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 4. *dub.* 1. quia, cùm fides sit donum Dei, scil. gratuitum, dat eam Deus cui voluerit; & cui placuerit, potest non dare sine ulla nota injustitiæ: interim confido bonitati Divinæ de opposito.

63. Infidelitas positiva sive formalis, est, quæ reperitur in iis, qui repugnant auditui fidei, vel ipsam etiam fidem contemnunt. Hæc est peccatum, ut per se patet, superatque omnia peccata ad mores spectantia; nam directè impedit peccatorum remissionem, ut constat ex verbis Christi *Ioan.* 8. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* De hac sola hîc agimus: quare

64. Dico primò: Infidelitas bene à D. Thoma & aliis communiter dividitur in Paganismum, Judaismum & hæresim. Paganismus est infidelitas, qua Deus verus culpabiliter non agnoscitur. Judaismus, quo Christus & Evangelium culpabiliter respuuntur. Hæresis, qua, acceptato utroque Testamento, aliqua fidei mysteria pertinaciter negantur. Ita Franc. B. Spei *de fide, disp.* 9. *num.* 2. juxta quem hæresis rectè definitur, error pertinax contra aliquam fidei Catholicæ veritatem in eo, qui se Christianum profitetur. Requiritur autem & sufficit ad pertinaciam, si sciens quis errorem suum repugnare doctrinæ Ecclesiæ istius, quam potest & tenetur scire esse veram Ecclesiam, nolit ab eo recedere. Tales communiter sunt Hollandi, & alii hujus temporis hæretici, qui in his partibus fidem nostram non profitentur: quòd enim fortè plerique putent, se esse in vera Ecclesiá, nihil refert: quia, ut dictum est, sufficit, quòd repugnent isti fidei, quæ traditur in ea Ecclesia, quam possunt & tenentur hîc & nunc scire esse Ecclesiam veram: nam aliàs (ut bene notat Fuliensis,) vix ullus reperiretur hæreticus: quis enim tam nequam existit, qui expresè neget verum esse, quod scit à vera Ecclesia credendum proponi, tanquam à Deo revelatum? Interea id virtualiter & implicitè faciunt plures, qui à fide & Religione defecerunt, ac hæresint in Hollandia aut alibi profitentur, & alios docent, certò scientes, Romanam esse veram Ecclesiam. Hi virtualiter & implicitè dicunt, Deum mendacem esse, cùm sciant & in corde sentiant, Deum verè revelasse quod ore publicè falsum esse proclamant. Adde tamen his non obstantibus, adhuc aliquos modò in Hollandia posse reperiri adultos, qui non sint veri hæretici defectu pertinaciæ ac scientiæ; pro quo vide dicta suprà *dub.* 4. Aliqui pro quarta specie infidelitatis ponunt apostasiam à fide, sed malo eam ad hæresim referre, à qua juxtà communem DD. sententiam, quam sequitur Urban. non aliter distinguitur, quàm quòd apostasia faciat recedere à tota

fide; hæresis verò ab aliquibus articulis tantùm: undè dum Monachi fugientes in Hollandiam vocantur apostatæ, intelligendum est de apostasia à Religione.

65. Dico secundò, inter Paganismum, Judaismum & Hæresim, peccatum gravissimum est hæresis: quia pejus est repugnare fidei susceptæ quàm non susceptæ; sicut & pejus est repugnare fidei susceptæ in manifestatione veritatis, quàm susceptæ in figura tantùm: quod per se clarum videtur & satis insinuat Scriptura 2. *Petri* 2. dicens: *Meliùs illis erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm reverti ab eo, quod illis traditum est.* Ex his patet conformiter judaismum esse peccatum gravius paganismo; pejus enim est repugnare fidei in figura susceptæ, quàm omninò non susceptæ. Nec refert, quòd Pagani errent circà plura quàm Judæi aut hæretici, & Judæi circà plura quàm hæretici, saltem communiter; quia hinc tantùm sequitur Paganos plùs peccare extensivè, quàm Judæos & hæreticos, in quantum peccatum eorum ad plura extendatur; non verò intensivè quoad majorem contemptum authoritatis Divinæ sive Dei, res fidei revelantis.

DVBIVM NONVM.

An dubius in fide sit hæreticus? ubi & de pœnis hæreticorum.

66. Dico primò, Christianus pertinaciter dubitans de objecto revelato, est hæreticus: quia dicit, *fortè objectum illud verum non est.* Ita P. Franc. B. Spei. Hinc æquè graviter peccat, qui de aliquo fidei articulo dubitat, quàm qui dicit, eum esse falsum: nam non minùs ille Deum reddit fallibilem & mendacem (in quo tota malitia infidelitatis consistit) quàm hic: quare etiam easdem pœnas cum hæretico incurrit, sicut & idem peccatum. Ita Urban. *tract.* 1. *cap.* 23. qui tamen benè monet distinguendum esse inter dubium voluntarium negligentiæ, & scrupuli: primum enim ponit res fidei in dubio, creditque illas posse esse dubias, quod est Deum formaliter fallibilem facere, & tale dubium est vera hæresis ut dictum est. Secundum, non ita credit res fidei dubias esse, sed tantùm negligit dubia circà illas occurrentia per firmum assensum destruere, qui assensus tunc vi præcepti affirmativi fidei elici debet, quamvis tamen illis dubiis non assentiat: atque hoc dubium non inducit hæresim; quamvis possit esse peccatum mortale, si quis per talem negligentiam culpabilem exponatur gravi periculo voluntariæ dubitationis, vel assensus falsi de re fidei. Tertium deniquè, quod est dubium scrupuli, nec dissensum circà res fidei adfert, nec assensum ad illas aufert; sed solùm non obstante vero assensu, qui de facto est in intellectu,

lectu, torquet animum variis motibus, & cogitationibus omninò involuntariis; quas tantùm abest, ut quis ita anxius debeat vel audire vel ruminare, quin potius eas omni conatu rejiciat & contemnat. Ita idem Urban. *loc. cit.* quibus alia similia habet *tract. 2. distinct. 2. reg. 14. fol. 383.* ubi didicit, dubium debere esse positivum ad hoc, ut hæresim inducat; ac si vellet dicere, aliquem debere positivè judicare rem fidei esse dubiam & fallibilem, antequàm censeatur hæreticus: si enim, inquit, negativè tantùm dubitaret compescendo omnem actum intellectûs circà propositionem fidei, meréque negativè se haberet, is hæreticus censendus non esset, cùm careret errore positivo voluntario & obstinato in intellectu. Undè dum primo loco dixit, dubium voluntarium hæresim inducere, intelligendus est de dubio positivo, ut clarè explicat loco secundo.

67. Dico secundò, hæreticus has septem pœnas incurrit: primò excommunicationem, si nempè ipsius hæresis fuerit externa; quia de internis non judicat Ecclesia, ut dictum est suprà *in tract. de legibus.* Secundò incurrit irregularitatem, saltem, si sit hæreticus notorius notorietate facti, aut judicis sententiâ. Tertiò infamiam juris, quâ fit inhabilis ad quaslibet dignitates, si, ut dictum est, sit notorius. Quartò non potest sepeliri in loco Sacro. Quintò privatur beneficiis adeptis antè hæresim. Sextò confiscantur ejus bona. Ubi observa, certum esse, illum non obligari in conscientia antè sententiam se spoliare suis bonis; sive ea fisco tradere: quia quamvis aliqui doceant, talem amittere dominium bonorum suorum à puncto commissi criminis, non est in potestate humani legislatoris, per legem obligare delinquentem ad exequendum contrà seipsum pœnam tam gravem. Septimò denique in hæresim relapsi (quo nomine etiam veniunt hæresiarchæ) afficiuntur supplicio juxtà judicium Inquisitorum. Cæterùm pro complemento hujus materiæ.

68. Adde hîc modum servandum à Confessario in absolvendo hæreticum conversum à peccatis & censuris, quem peroptimè ad longum tradit Urban. *tract. 2. reg. cit.* dicens; acceptâ protestatione ab hæretico deinceps Ecclesiæ obtemperandi, solvendus imprimis est ab excommunicatione, quod est observandum in omni absolutione à peccatis habentibus excommunicationem annexam; damnata enim est ab Alexandro VII. sequens propositio: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.* Addo tamen in articulo mortis posse pœnitentem excommunicatum iisdem verbis absolvi ab excommunicatione, & peccatis, dumque confessarius dicendo *ego te absolvo,* utrumque intendit, prius naturâ tollit censuram.

Deinde sunt peccata minutim discutienda, præsertim, si totâ vitâ suâ fuerit hæreticus; quod etiam fieri potest antè absolutionem ab excommunicatione pro arbitrio Confessarii, qui poterit simul dare absolutionem à censuris & peccatis. Porrò, sic examinanda erunt peccata singula, ut

Confessor prudenter adjuvet ignorantiam & imbecillitatem recenter conversi, plùs minùs judicando & interrogando de peccatis, quæ solent ab hæreticis committi: non autem exactè numerum interrogando; ne nimium pœnitens fatigatus pondus confessionis ipso initio graviùs suspicetur, quàm ut imposterum ferrè possit; v.g. non debet interrogare, *quoties non jejunasti, aut cœnam fecisti, aut Pontifici detraxisti, aut carnes manducasti diebus prohibitis?* sed sic examinandi sunt, *nunquam jejunasti diebus ab Ecclesia præceptis à quo attigisti annum vigesimum primum?* & *quot annos natus es?* Item *nonnè semper carnes comedisti diebus prohibitis, & fecisti cœnam quater in anno, vel interdum sæpiùs?* & *detraxisti Pontifici, vel Ecclesiæ Catholicæ præcepta contempsisti verbis & factis, quoties se præbuit occasio, &c? Doles etiam quòd nunquam confessus fueris, aut sacram Eucharistiam acceperis, aut Missam audieris?* & sic de cæteris: quæ, licèt nequeat confessor arithmeticè computare secundùm numerum, non refert; quia tantùm moraliter id præstare tenetur, id est, quantùm fragilitas humana patitur. Posteà insinuet hæretico, quantam misericordiam Deus ei faciat: nec gravem illi pœnitentiam injungat, ne avertat eum à credendo jugum Christi suave esse; sed potiùs ipsum moneat, pœnas quidem peccatis deberi graves, sed laborem, qui deinceps erit insumendus in observantia præceptorum ecclesiasticorum, injungat in pœnitentiam salutarem. Addo cum P. Urbano, hæreticos relapsos graviùs esse arguendos, præsertim politicos, qui libenter amplectuntur cujuslibet Religionis methodum, ut liberius potiantur optatis: subdo tamen cum eodem, adhuc cum illis suaviter agendum esse, ne repulsam rigidiorem pati non valentes, tandem deficiant in perpetuam hæreseos defensionem & cultum.

69. Addo ego ulterius, hîc diligenter attendi debere à communi Confessario, an pœnitens verè excommunicationem incurrerit; nam si ab hac excusetur, poterit illum per se absolvere; quia hæresis, omnesque casus Pontificii ideò sunt reservati, quia annexam habent excommunicationem: atque hac incursa potest adhuc quemcumque hæreticum absolvere in articulo, seu periculo mortis; qualiter ad hunc effectum juxtà Tambur. *in Decalog. p.1.l.2.c.1.§.8.* dicitur esse, qui ob ægritudinem, paupertatem, servitutem, pœnam carceris vel triremis, vel etiam clausuram monasticam moraliter certus est, se non posse antè mortem adire Confessarium potentem absolvere: ad quod tantùm vi textus obligatur, & non ad vocandum potentem absolvere. Ita ille. Verùm in casu clausuræ monasticæ, vel carceris, putarem, communem Confessarium consultiùs licentiam absolvendi petiturum, si hoc commodè fieri possit.

Hæc de fide dicta sufficiant ad nostrum intentum.

* * *

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Spe.

DVBIVM VNICVM.

Quid Spes; an sit sub præcepto; & quæ vitia ei opponantur?

1. Dico primò, Spes est virtus à Deo infusa, per quam certa cum fiducia vitæ æternæ bona, & media ad ea acquirenda exspectamus. Ita DD. satis communiter. Ubi nota ex D. Thoma, & aliis post ipsum, ad objectum spei quatuor requiri conditiones. Prima est, ut sit bonum, saltèm apparens, aliàs enim non esset appetibile. Secunda ut sit absens saltèm intentionaliter, nam quod habet quis, non sperat. Tertia, ut obtineri possit. Denique, ut sit arduum, sive, ut non sit omninò certum nobis quòd obtinebitur, licèt sit certum Deo, cui omnis certa sunt. Vide Fran. *de spe, disp.* 1. *num.* 3. *& seq.*

2. Virtutis spei objectum materiale primarium, est beatitudo æterna, non solum formalis, quæ est ipsa visio beatifica; sed & objectiva, quæ est ipse Deus. Ita D. Thom. & cæteri satis communiter. Undè patet, spem esse virtutem Theologicam, quæ in eo consistit, quod habeat Deum pro objecto. Insuper objectum spei secundarium, sunt dona & auxilia gratiæ, imò & bona temporalia, ac naturalia, quatenùs conducunt ad beatitudinem æternam obtinendam: quia idem habitus supernaturalis spei inclinans nos ad vitam æternam cum fiducia expectandam, etiam nos inclinat, & movet ad exspectandum cum eadem fiducia ea, quæ sunt ad beatitudinem æternam necessaria. Objectum spei formale, est bonitas ipsius objecti materialis, quatenùs nobis conveniens: hæc námque, ut sic, est ratio, ac motivum, quo movemur ad objectum materiale spei desiderandum & exspectandum: illud autem est objectum formale appetitionis vel spei, quod movet nos ad appetendum vel sperandum. Ita P. Franc. B. Spei suprà *n.* 20. qui *disp.* 2. *n.* 9. probat, de fide esse, spe mercedis seu vitæ æternæ licere operari.

3. Dico secundò, exstat præceptum Divinum obligans nos ad spem supernaturalem, Prob. *ex Psalm.* 4. in quo dicitur: *Sperate in Domino.* Item *Psalm.* 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Deinde 1. *Paralip.* 10. reprehenditur Saul quòd non speraverit in Domino. Ac 1. *ad Thimot.* 6. scribit Apostolus: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Insuper Alexander VII. in terminis damnavit sequentem propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ*

tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium: quare omninò certò hoc præceptum directè ac per se obligat nos ad actum spei eliciendum; primò, quoties talem contra spem tentationem patimur, ut sit necessaria spes actualis ad eam superandam. Secundò quando alicui jam pleno rationis usu adepto clarè proponitur beatitudo æterna, & Deus ipse, tanquam ultimus noster finis: tunc enim decet, ut finem nostrum, ad quem creati sumus, cum fiducia appetamus. Ita Layman, & Busen. post cæteros satis communiter. Non approbo autem sententiam aliquorum docentium, quemque teneri semel in anno ad actum spei eliciendum: sicut nec eorum, qui idem absolutè docent de articulo mortis: quia hæc nullo fundamento nituntur. Dico *absolutè*, quia, si quis in fine vitæ non valeret desperationi non resistere, nisi actum spei exercendo, teneretur illum elicere juxtà statim dicta. Cæterùm indirectè & per accidens nos obligat spei præceptum; primò, quotiescumque volumus Deum orare, vel pœnitere de peccatis; quia has virtutes sine spe non possumus debitè exercere, ut patet. Secundò in susceptione cujuslibet Sacramenti, eò quòd ex ea speranda sit gratiæ consecutio. Tertiò quando actus spei necessarius est ad superandam tentationem contrà virtutem distinctam à virtute spei. Verùm in his casibus, omissio spei non est speciale peccatum necessariò in confessione Sacramentali aperiendum. Addo præceptum Spei etiam graviter obligare, ne unquam præ cœlestibus terrena nobis desideremus: quare diximus *tract.* 1. *disp.* 7. *n.* 153. eum peccare mortaliter, qui cedit Deo cælum suum, ut perpetuò in terris maneat.

4. Dico tertiò, duplex vitium virtuti spei opponitur: unum per defectum, & dicitur desperatio: aliud per excessum, & vocatur præsumptio. Desperatio est fuga voluntatis, quâ quis refugit salutem æternam acquirere per media ordinaria, eò quòd eam obtentu sibi impossibilem judicet: perindè autem est, undè eam reputet impossibilem. Judicium quo quis judicat, salutem sibi esse impossibilem, non est secundùm se desperatio, si nihilominùs studeat adhibere media proportionata ad eam acquirendam: quidquid id difficulter fiat. Cæterùm, una desperatio est major, seu majus peccatum aliâ, secundùm gravitatem objecti, circà quod versatur: sic gravissimum peccatum est desperare de salute; gravius de remissione peccatorum; minùs grave de emendatione vitæ, propter experimentum propriæ fragilitatis, & difficultatum aliàs probatarum; adhuc minùs est desperare de consecutione temporalium, nolendo se committere Divinæ providentiæ; leve verò de impetrando per orationem quod petitur, ob propriam indignitatem. Ita Urban. qui notandum monet, raro delinqui contrà spem per veram desperationem, quæ moralis existat & libera; sæpiùs enim, inquit, oritur ex superabundante melancholia, quæ ita animam dejicit, ut sit quasi suimet impos, cerebrúmque lædit; qualiter desperantes, seu potiùs quasi desperantes dicit consolandos esse à Con-

à Confessariis. Quibus adde desperationem, etiam de salute acquirenda, sæpè excusari à mortali ob imperfectam deliberationem.

5. Præsumptio est spes obtinendi gratiam, gloriam, & reliqua dona supernaturalia inordinatè, sive aliter, quàm Deus obtinenda statuerit. Etiam duplex est: una, quâ quis nimiùm fidit propriæ virtuti, ut si credat se posse facere opera meritoria vitæ æternæ ex se sine speciali Dei auxilio, contrà illa Christi verba. *Sine me nihil potestis facere:* & illud Apostoli, *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, non enim sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis*, &c. *aliquid* scil. necessarium, aut conducens ad vitam æternam. Alia est præsumptio, qua quis nimiùm innititur misericordiæ Divinæ, ut si quis speret, se obtenturum remissionem peccatorum sine pœnitentia, salutem æternam sine bonis operibus, *&c.* uti faciunt Lutherani contrà illud: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Præsumptio tam prima, quàm secunda est peccatum minùs grave, quàm sit desperatio; quia magìs proprium est Deo misereri & parcere, quàm punire; illud enim Deo convenit secundùm se, hoc autem secundùm peccata nostra tantùm. Adde ex P. Franc. *disp.* 4. *n.* 48. tunc demùm præsumptionem esse peccatum mortale, quando est causa omittendi, aut committendi aliquid, quod hîc & nunc homo ponere, aut omittere tenetur sub mortali: alioqui, qui peccaret venialiter sperans tam facilè se obtenturum gloriam, ac si non peccasset: vel qui confessionem ad diem sequentem differret, nixus spe de misericordia Dei eousque duratura, *&c.* peccaret mortaliter, quod mihi non satis probatur, quidquid alii ferè omnes in præsumptione levitatem materiæ non agnoscant. Ita ille.

Petes, an committat peccatum præsumptionis, specialiter in confessione explicandum, qui ideo aliquod grave peccatum iterat, quia primum simile ante admisit eâdem operâ confitendum? Respondet negativè Burghaber, quia talis solùm facilius peccat, eò quòd à metu novæ erubescentiæ sit solutus, non autem promittit sibi indebito modo gratiam ad confessionem faciendam aut remissionem obtinendam. Ita ille *Centur.* 1. *casu* 31. post Tannerum; crederem tamen ego in simili intermisceri gravem præsumptionem, quâ sibi promittit, tam facilè se obtenturum remissionem plurium peccatorum mortalium, quàm unius; unde judico prædictum teneri illam circumstantiam in confessione exprimere, salvô meliori.

***

DIS-

DISPUTATIO III.

De Charitate.

DUBIUM I.

Quid Charitas, & quando sit sub præcepto?

1. Dico primò, charitas est habitus, vel actus, quo Deus propter se diligitur & proximus propter Deum. Ejus objectum materiale primarium est Deus, qui diligendus est summè, non quidem intensivè, ita scil. ut magis, sive intensius diligi nequeat: sed appretiativè, sic ut majora bona velimus Deo, quàm cuilibet alteri; & ut ita in animo simus constituti, quòd potiùs cuncta creata deseremus, quàm Deum. Ubi nota ex P. Urbano, non esse necessarium respectu omnium creatorum facere comparationes in particulari, deducendo res singulas valdè nobis charas, ut vitam, famam, bona corporis, fortunæ, *&c.* Imò id nulli consulendum esse existimo; quia facilè quis incurreret periculum non omninò ex animo Deum præferendi singulis. Sufficiet ergò generaliter Deum appretiativè summè diligere.

2. Objectum materiale secundarium charitatis, sunt Angeli & homines nobiscum capaces æternæ beatitudinis: undè etiam peccatores, & inimici nostri sunt objectum charitatis, adeòque graviter delinquit, qui ex odio inimicitiæ actionem injuriarum tam civilem, quàm criminalem instituit: quilibet enim tenetur injuriam sibi factam ex animo condonare juxtà illud Christi *Matth. 6. si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittit vobis peccata vestra.* Undè, licet non teneamur inimico ea benevolentiæ signa ostendere, quæ amicis exhibere solemus, præterquam in casu necessitatis; qui inimicum excludit à generali affectu vel beneficiis, quibus communitatem, cujus ipse pars est, afficit, sine alia justa causa, mortaliter peccat: à quo tamen parvitas materiæ, & parva animi aversio (quæ hîc maximè attendi debet) facilè excusabit. Dico, *Sine alia justa causa*; quia, qui id faceret, ut alter emendet malam suam vitam, vel ob alium honestum finem, non peccaret; deberet tamen adhuc cavere à scandalo.

3. Dixi, *Nobiscum capaces æternæ beatitudinis*; quia nullus obligatur diligere homines damnatos, aut dæmones, nequidem quatenùs homines aut spiritus tales sunt: quia charitas est amicitia fundata in communione beatitudinis supernaturalis, quâ prædicti incapaces sunt. Imò non possumus eos verâ charitate diligere, eò quòd hoc

hoc repugnaret charitati Dei, per quam ejus justitiam approbamus.

4. Objectum formale charitatis est Deus ipse quà in se infinitè bonus, sive ipsa Dei bonitas quatenus in Deo existens; hæc enim est ratio & motivum virtutis charitatis, in quo à spe distinguitur, quòd scil. spei motivum sit Deus quatenus nobis bonus.

5. Dico secundò, datur præceptum obligans omnem adultũ, ut Deum super omnia diligat appretiativè modo dicto, & proximum suum sicut seipsũ. Constat manifestè ex *Matth.* 22. ubi id expresè præcipitur, sicut & *Deuter.* 6. Adverte autem hanc particulam, *& proximũ suum sicut seipsum,* non significare omnimodam æqualitatem, sed aliqualem; ita nempe, ut sicut quisque sibi bona, & non mala cupit, sic proximo optare debeat, licèt non ad æqualitatem. Ita Vidal. *de præcepto charit. inquisit.* 1. *fol.* 22, citans D. Thomam, & alios omnes communiter.

6. Dico tertiò, præceptum charitatis Dei super omnia diligendi obligat, Primò, quando homo jam in adulta ætate constitutus sufficienter cognoscit, Deum infinitè bonum esse, à quo habet omnia bona sua, & cui cuncta debet. Ratio est, quia decet, ut tunc quamprimùm tale nostrum bonum amore amicitiæ diligamus, vel saltem non notabiliter ultrà differamus: pro quo vide Cornejo *to.* 1. *tr.* 7. *disp.* 6. *dub. unico.* Verùm non debemus angi scrupulis, an præceptis fidei, spei, & charitatis ita satisfecerimus; quia, ut ait Escobar post Hurtadum, si positivè non meministi, te illos actus pro tunc omisisse, tenere potes te satisfecisse. Secundò obligat idem præceptum quotiescumque adest periculum labendi in Dei odium, nisi charitatis actus eliciatur. Tertiò dum quis in peccato mortali constitutus exponitur periculo vitæ non habens copiam Confessarii; tunc enim absque contritione perfecta includente charitatem salvari nequit. Quartò etiam obligat omnes in mortis articulo constitutos; quia cùm tunc securissima æternæ salutis via sit eligenda, nec detur tutior, quàm charitatis perfectæ, eam tunc conari elicere obligamur, idque præcepto naturali, quo tenemur in tanto periculo constituti meliori modo, quo possumus, saluti spirituali prospicere. Vide quæ dicuntur *in tract. de Sacramentis disp.* 5. *num.* 131. de contritione perfecta eliciendа in mortis articulo. Deinde cùm uniri Deo non possimus ad beatam vitam, nisi per charitatem, certè (inquit Urbanus) saltem obligat ejus exercitium eo tempore, quo omnis debet esse posita dispositio ad eam unionem, quod est instans mortis, nam alioqui tempus non erit ultrà. Denique, obligat præceptum charitatis in periculo alias succumbendi tentationi contra quamcumque virtutem à charitate distinctam.

Sunt qui docent, neminem absolutè loquendo, vi præcepti charitatis præcisè, teneri ad actualem dilectionem Dei super omnia eliciendam toto tempore vitæ suæ, volentes non esse speciale amoris Dei præceptũ, sed generale, quod adimpletur per adimpletionem aliorũ præceptorum. Ita citato Dominico Bannez docet Joannes Sanchez

chez *in select. disp.* 1. *num.* 21. Ast hæc doctrina meritò damnata est ab Alexandro VII. simul cum sequenti propositione: *Homo nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

7. Quoad ordinem charitatis, post Deum summè dilectum debemus amare animam nostram, & bona spiritualia propria: deinde animam proximi. Tertiò corpus proprium & bona corporalia propria. Quartò corpus, ac bona corporalia proximi. Denique seipsum, & deinde proximum quoad bona externa. Hinc liquet unumquemque obligari suo proximo in extrema necessitate spirituali succurrere, si adsit certa spes illum à dicta necessitate liberandi, etiam cum periculo vitæ propriæ, si sibi simile malum spirituale non immineat. Sic v. g. obligaris cum periculo vitæ baptizare, vel sacramentaliter à peccatis absolvere certò statim moriturum, si alius non adsit, qui id faciat, & alter alia via salvari nequeat. Ita N. Franc. *de Charit. disp.* 4. *num.* 24. Addo tamen juxta Palaum *tract.* 6. *disp.* 1. *p.* 9. *num.* 15. debere adesse probabilem spem (imò & moraliter certam, si non sis ex officio curator animarum) juvandi efficaciter: quare qui in casu posito vocatur ad baptizandum infantem, non tenetur juxta illam doctrinam se periculo mortis exponere, si dubitet, an sit reperturus illum adhuc vivum. Ita post Palaum docet etiam Gobat.

Est autem extrema necessitas spiritualis, dum certò putatur quis moriturus in statu peccati mortalis. Quòd si verò proximus solùm sit constitutus in gravi necessitate spirituali, tunc tantùm obligatur illi succurrere, qui ex officio curam gerit de salute taliter periclitantis, qualis v. g. est Parochus: qui ideo non potest parochianos suos deserere tempore pestis, nisi de alio idoneo provideat, ut communiter DD. docent cum eodem Francisco *num.* 50.

8. Cæterùm nota, prædictum ordinem charitatis quoad bona corporalia & externa, non ita necessariò esse servandum, quin sæpiùs sit licitum ea postponere bonis corporalibus alterius: ut si v. g. vel tu, vel proximus valde utilis & necessarius Reip. necessariò debereris mori, tunc posses, imo quandoque tenereris vitam proximi tui præferre, in quantum quisque obligatur bonum commune privato anteponere. Item licitum esse id facere cum amico propter Deum dilecto, docet contra Franc. B. Spei, Lessius *lib.* 9. *cap.* 2. *d.* 6. ut si quis cum amico extrema fame laboraret, & tantùm haberet unicum panem, qui pro utroque non sufficeret, posset juxta Less. eum totum dare amico, & ipse fame perire: quod tamen nunquam locum habet in causa salutis; nam, ut probat dictus Franciscus *de Char. disp.* 4. *num.* 2. tuam salutem amare debes præ salute etiam totius universi. Imo Ariaga docet, esse illicitum dicere: *Si possem sine peccato, sine jactura charitatis, &c. non salvari, ut totus mundus salvaretur, vellem non salvari:* quidquid idem P. Franc. *num.* 10. dicat, illum actum videri excellentissimum in proximum charitatis. Sed quid ad casum sequentem?

Cùm Sacerdos quidam ruri iter ageret,

geret, & mulier in via dolores partus sentiens, ei diceret: Mi Domine, sævissimi dolores partus me hîc ex improviso obvenerunt, & nisi mihi obstetriceris, moriar ego, prolesque in utero meo; te ergo per Deum rogo, ut extremam necessitatem, præsertim prolis, præponas meo, tuoque pudori.

Respondeo, illum in casu tali debuisse obstetricari, vel maximè ratione prolis alioqui periturae animo & corpusculo: ratio est, quia animo casto potest subiri talis molestia sine lapsu in peccatum, saltem mortale, juxta illud Apostoli: *Omnia munda mundis*. Casum hunc ad longum adfert Gobat *in Alphabeto baptizantium, casu 5. num. 195.* qui & *casu 7. num. 235.* petit, quid faciet Sacerdos vocatus simul ad baptizandum infantem, & absolvendum adultum, quorum alteruter certò morietur sine Sacramento, si alteri postponatur? cum quo

Respondeo, ipsum debere curare infantem baptizari per laicum, & advolare ad absolvendum adultum: at si nemo sit, qui videatur rectè baptizaturus, debere infantem præferre adulto, ille enim aliàs certò periret, non item hic: ubi autem difficultas occurrit, semper est arripiendum illud, quod minus habet de periculo, juxta D. Thom. *part. 3. q. 83. art. 6.*

DVBIVM SECVNDVM.

De facienda eleemosyna.

§. I.

An exstet de ea præceptum?

9. Dico primò, eleemosynam esse sub præcepto, patet ex Scriptura *Matth. 25.* ubi immisericordes erga pauperes damnantur. Deinde *Proverb. 25.* habetur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.* Vide etiam *ad Rom. 12.* & ante resolutionem secundam.

10. Nota primò, obligationem dandi eleemosynam oriri ex superfluitate bonorum necessariorum propriorum, & necessitate proximi indigentis: quæ necessitas triplex ordinariè assignatur; extrema, in qua vita, vel præcipua aliqua corporis pars periclitatur: gravis, in qua indigens exponitur periculo alicujus gravis mali, ut jacturæ multorum bonorum fortunæ, aut status, periculo gravis infamiæ, captivitatis, &c. & communis, quâ communiter laborant mendici ostiatim mendicantes. Vide P. Franc. Bonæ Spei *disp. 5. num. 12.*

11. Nota secundò, bona posse variè alicui dici superflua: Primò, respectu vitæ, seu naturæ. Secundò respectu status seu decentis conditionis: quo

tamen respectu vix unquam judicant seculares, se habere superflua, ut notant Navarr. Layman, & Busenb. quia quæ sunt necessaria ad alendas proles & famulos, ad honesta dona facienda, ad convivia, hospitũ tractationes, &c. spectatis etiam communibus eventibus, hæredibus necessitate futura, &c. non sunt superflua status. Ita Busenb. Ubi per convivia intellige illa, quæ communiter à talis conditionis hominibus instruuntur; bona enim, quæ ad pompam, & quemcumque fastum impenduntur, verè superflua sunt. Vide eundem P. Fran. *n.* 15. *&* 16. His notatis

12. Dico secundò, de superfluis naturæ & statûs quilibet etiam cum parvo sui status detrimento, tenetur proximo succurrere in extrema necessitate. Ratio est, quia tenetur malum proximi evitare suo longè minori: si tamẽ status notabiliter inde mutari deberet succurrendo, non obligaretur; nam licèt vita proximi sit absolutè bonum majus, moraliter tam acerba reputatur jactura statûs quàm vitæ. Quare si nobilis ex succursu facto proximo extremè indigenti cogeretur alteri famulari, vel mendicare, &c. non obligaretur ei sic succurrere. Ex quo patet à fortiori neminem teneri succurrere tali proximo de bonis necessariis naturæ, sive vitæ propriæ; charitas enim incipit à seipso.

13. Dico tertiò, de absolutè superfluis tenetur quisq; in necessitate gravi proximo succurrere. Constat ex 1. *Ioan.* 3. ubi dicitur: *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, &c.* Quare id omnes SS. PP. expressè docent. Nec ullatenùs puto subsistere sententiam aliquorum docentium, nullam esse obligationem dandi eleëmosynam proximo extrà extremam necessitatem constituto. Imò

14. Dico quartò, de iisdem bonis probabiliùs tenetur homo succurrere secundùm divitiarum abundantiam pauperibus, communem necessitatem patientibus, iis interdum saltem eleëmosynam elargiendo, ita ut existimem mortaliter peccaturum eum, qui formaret propositũ nunquam id faciendi; idque ob fundamentum desumptum ex sacra Scriptura & SS. PP. sententiis. Interim nullus tenetur, etiam sub veniali, cuilibet communi pauperi eleëmosynam petenti aliquid dare: hoc enim nimis durum ac difficile videtur; quidquid aliqui id doceant. Sufficiet igitur pro excessu bonorum quandoq; aliquas eleëmosynas facere, juxta quod prudens charitas dictaverit: nunquam tamen quis sine peccato, saltem veniali, potest communẽ pauperem inhumaniter à se repellere, nisi fortè esset nimiùm importunus. Cæterùm, quia sententia nobis, quoad hanc quartam resolutionem, opposita, non est improbabilis (eam enim docent Pallud. Sylvest. Armilla, Sotus, Vasq. Franc. B. Spei, & alii) non est neganda absolutio pœnitenti erga communes pauperes immisericordi. Vide dictum Franc. B. Spei *de charit. disp.* 5. *n.* 28.

15. Dico quintò, eleemosyna facienda est omnibus pauperibus verè indigentibus, ac proinde etiam inimicis & peccatoribus: unde quando *Eccles.* 12. dicitur: *Da bono, & non receperis peccatorẽ, &c.* id intelligi debet de peccatore

catore ut peccator est, vel de eo, qui ex eleemosyna sumit occasionem peccati. Nec servandus est ordo, præterquam in extrema, vel quasi extrema necessitate. Unde quilibet potest in eleemosyna præferre, quos prudenter præferendos judicaverit, etiam executor legati aut testamenti, quando id relictũ est pro pauperibus in comũni. Ita Vidal. *de legatis, inquisit. 2. fol. 323.* post alios communiter. Ratio est, quia nulla exstat lex constringens executorem (quod à fortiori verum est de iis, qui bona propria distribuunt (ut quærat pauperiores aut meliores. Vide quæ dicuntur *de jure & just. disp. 9. num. 27.*

16. Nota, negandam esse eleemosynam iis communibus pauperibus, qui ex amore otii fugiunt laborem, quo facilè sibi possent necessaria acquirere, ut monet Franc. B. Spei *de Charit. disp. 5. n. 51.* Nec peccant Magistratus, qui peregrinos mendicos è suis civitatibus expellunt, modò id faciant, vel quia non potest benè satisfieri pauperibus domesticis, iis admissis; vel quia solent invehere morbos, proditiones, &c. An verò meliùs sit dare eleemosynam communitati, quàm alicui, aut aliquibus in particulari? quærit ac resolvit noster Bacho *in 4. sent. dist. 20. q. 2. a. 1.* quem consule.

Petes, an succursus, ad quem quis obligatur, dum proximus est in extrema, vel gravi necessitate, debeat fieri per donationem absolutam?

17. Resp. cum communi, affirmativè: quia cùm proximus taliter indigẽs habeat jus palam accipiendi ea, quibus sic extremè, vel valdè graviter indiget (si petendo non potuerit obtinere) absque onere restitutionis, signum est & alterum eadem illi dare debere sine eodem onere. Deinde præceptum misericordiæ, est præceptum eleemosynæ; hæc autem debet esse gratuita: & certè donatio conditionata sub hac vel simili conditione: *Nisi indigens aut pauper ad pinguiorem fortè postea fortunam venerit*, videtur habere aliquid inhumani repugnans veræ misericordiæ. Verùm his non obstantibus, sententia opposita non est improbabilis, quam docent Navar. Adrian. Tolet. Vasquez & alii: quorum ratio est, quia præceptum misericordiæ simpliciter loquendo, est præceptum sublevandi miseriam alienam, quod verè fit per dictam donationem conditionatam. Ast hæc intellige de rebus alicujus momenti: nam nimiùm vile foret rerum modici valoris restitutionem ita conditionatam exigere. Adverte, responsionem nostram procedere de pauperibus *absolutè*, quia pauperibus *secundùm quid*, sive iis, quorum necessitas non nisi aliquo tempore est duratura, (eò quòd v. g. habeant bona in spe) imponere restitutionem conditionatam, rationi est congruum, ut benè advertit Franciscus B. Spei *num. 36.* qui *num. 52.* addit, fictos pauperes magnas eleemosynas teneri restituere. Cum occasione hîc

Addo juxta Dimas *tract. de purgat. c. 29.* fideles ex præcepto charitatis insuper teneri, animas defunctorum orationibus, Missis, & aliis operibus juvare. Imo Burghaber specialiter de filio docet, hunc peccare mortaliter, si certus sit moraliter patrem suũ,

qui ei plurima bona reliquit, esse in purgatorio, illumque per prædicta juvare negligat: & in hoc pro se plures citat: ac rationem dicit sumendam esse ex quarto Decalogi præcepto: *Honora patrem tuum*, &c. vi cujus tenetur filius ex communi DD. opem ferre parentibus in gravi necessitate constitutis, & eos liberare ex carcere, dum sine suo gravi incommodo possunt; ergo & ex purgatorio, quod quidam carcer est, vel se habet per modum carceris. Ita Burghaber *centur. 2. casu* 25. dicens Sancium sine fundamento docere, dictam obligationem finire cum vita parentum: quod nec ego admitto.

§. II.

Ex quibus bonis, & à quibus personis eleemosyna dari possit?

18. Dico primò, de bonis, quæ annexum habent onus restitutionis, nunquam dari potest eleemosyna, nisi fortè proprius dominus reperiri nequeat: in quo tamen inquirendo, priùs diligentia semper est adhibenda.

19. Dico secundò, solum illi eleemosynam dare possunt, qui rerum dandarum habent absolutum dominium cum libera administratione. Unde peccant famuli & ancillæ dando eleemosynas de bonis dominorum suorum, nisi adsit expressus, vel tacitus eorum consensus; qui censetur adesse, si detur modicum quid non adeo frequenter; vel etiam frequenter, dum iis conceditur administratio bonorum, aut non datur, nisi quod aliàs malè periret. Idem pariformiter dic de Religiosis, qui sub obedientia viventes, nullam habent temporalium administrationem. Imo hi etiam peccant contra votum paupertatis, si dent aliquid pauperibus extra illos casus, ut constat *ex capit. cùm ad monasterium. de statu Monachorum*. Verùm censetur adesse tacitus consensus Superioris, primò, cùm Religiosus deprehendit pauperē constitutum in extrema vel gravi necessitate, & Superiorem adire nequit. Secundò, dum in studiis extra Conventum versatur, vel iter agit cum viatico: tunc enim, nisi aliunde constet contrarium, præsumitur Superior ei concedere facultatem moderatas ēleemosynas faciendi. Tertiò, cùm Religiosis intra monasterium existentibus deputatur à Superiore certa summa ad sustentationem, sic ut eam suo commodo, vel damno expendant: tunc namque videtur parciùs vivendo, reliqua in eleemosynas posse impendere. Ita Lezan. *to. 1. cap. 6. num. 52.* quæ tamen non habent locum in iis Religiosis, quibus per regulam, vel statuta ea expressè inhibentur. Quid autem circa hæc possint procuratores, & di-

& dispensatores conventus, inspicien- dæ sunt regulæ officiorum ipsorum, prædecessorum praxis, consensus Superiorum, à quibus eorum potestas potest pro arbitrio restringi.

20. Dico tertio, possunt uxores etiam invitis maritis facere moderatas eleemosynas de bonis communibus ad honestam suæ familiæ sustentationem superfluis: per consuetudinem enim illis hoc jus tribuitur. Ita omnes. Imo Burghaber omittit illam particulam: *Ad honestam suæ familiæ sustentationem superfluis*: dicitque in casu esse moderatas eleemosynas, si vigesimam partem annuorum proventuum non excedant, pro quo varios citat in sua *centur. 1. casu 92.* Quinimo, inquit, si assignata quantitas eleemosynæ in filios primi sui matrimonii, ac fratres suos pauperes non sufficiat, hosque aliunde juvare nequeat, poterit invito etiam marito clam plus surripere, & illis egentibus succurrere; atque in hoc pro se citat Lessium & Bonac. Rationem dans, quia ad decentem uxoris statum ejusque honorem spectat, ne filios aut fratres egere permittat, cùm bona habeat, ex quibus subvenire possit, ita scil. ut nullum incommodum possit inde sentire maritus. Scrupulosior hac in parte præter morem est Gobat *in Alphab. matrim. part. 2.* quam finit his verbis: *Ego dicerem tali uxori, si amas sincerè sororem* (dicturus in nostro casu fratres & filios primi tui matrimonii) *& conscientiæ quietem, minue aliquid de superfluo cultu corporis, & applica illud sorori.* Addo ego, in sententia Burghaber debere uxorem soluto matrimonio inter partitionem bonorum cum hæredibus viri in sua parte computare, quæ sic ultra antedictam quantitatem elargita est, cùm æquum non sit, ut ex alienis subveniat consanguineis, si habeat propria.

Possunt interim uxores de bonis paraphernalibus, sive iis, quæ præter dotem data sunt; uti & de illis, quæ ad ornatum & recreationem impendere potuissent: imo & de iis, quæ per laborem, ad quem non erant astrictæ, lucratæ sunt, facere eleemosynas, etiam extraordinarias, spectato jure Cæsareo: quod ultimum addo, quia juxta plurium regionum usum, etiam illa bona sunt utrique conjugi communia; unde consequenter non possunt in iisdē locis uxores ex istis bonis eleemosynas extraordinarias facere, nisi mariti saltē implicitè consentiant. Possunt etiam extraordinarias facere, quando tota cura, & administratio domûs ad illas devolvitur, aut propter maritorum amentiam, aut longam eorum absentiam; nisi fortè mariti in decessu expressè inhibuerint, ne dent majores, quàm ipsi soliti sint facere. Insuper probabiliùs puto, dum maritus ob avaritiam nullas prorsus eleemosynas dat, posse uxorem de bonis communibus supplere ejus defectum in honorem familiæ, id enim omninò decens est. Imo, quando maritus communia bona dilapidat, potest uxor tantumdem de bonis communibus clam surripere, ut se servet indemnem, hocque sibi reservare, aut expendere in eleemosynas, aut alias pias causas; salvo tamen semper jure prolium. Ratio est, quia in dicta dilapidatione uxor à marito patitur apertam injuriam. Ita

Franc.

Franc. B.Spei *de Char.disp.5. num.56.*

21. Addunt aliqui, posse uxores absque ullo maritorum consensu eleemosynas extraordinarias facere de bonis communibus ad impetrandum à Deo maritorum perversorum conversionem: quia, inquiunt, non minus in hoc utiliter agunt rem maritorũ, quàm si iis periculosè laborantibus ex iisdem bonis facerent expensas in medicos & medicinas, quas alioqui mariti ex avaritia facere nollent. Verùm hoc puto minùs probabile, ac in praxi omninò dissuadendum uxoribus: nec dictum fundamentum ullum est, quia non potest quilibet quovis modo alterius negotium utiliter agere, dum ipse invitus permanet. Deinde, est magna disparitas quoad exemplum de medicinis in casu periculosæ infirmitatis; nam hæ sunt medium moraliter necessarium ad subveniendum præsenti infirmitati & necessitati, quod non competit eleemosynis ad fidem spiritualem erogatis. Denique, hoc januam aperiret mulierculis ad indiscretas eleemosynas faciendas.

22. Adhuc minùs placet, quod docet Paludanus, scil. posse uxores tantum in eleemosynas expendere, quantum mortuo marito ad se, vel ad suos suo nomine rediturum existimant: hoc enim videtur mihi evidenter illicitum; tum quia istorum bonorũ administratio ad maritos pertinet quamdiu vivunt; tum etiam, & maximè, quia est manifestum periculum erroris in prædicto uxorum judicio, cùm per longam suam ac maritorum vitam, supervenientem infirmitatem, annonam, bella, & alias fortunas contrarias, bona communia possint in tantum minui, ut marito mortuo vix quidquam cedat uxori: accedit, quòd nunquam certum sit, maritum ante uxorem moriturum.

23. Dico quartò, filiusfamilias de bonis castrensibus, & quasi castrensibus potest dare eleemosynas; quia habet eorum plenum dominium; ita ut administratio ad eum solum pertineat, si sit pubes, id est, quatuordecim annorum. Unde si pater iis utatur aliter, quàm pro alimentis filii, tenetur ad restitutionem; quam si filius non speret futuram, potest uti occulta cõpensatione, & ad eam cogere cohæredes mortuo patre. Non potest autem filius eleemosynas facere de bonis adventitiis, quia de his solum habet dominium directum seu proprietatem, non verò dispositionem seu administrationem durante patriâ potestate. Similiter à fortiori non potest facere eleemosynas de bonis profectitiis; quia horum nequidem est Dominus directus. In his omnibus interim maximè inspicienda est consuetudo locorum. Cæterùm, de bonis omnibus nominatis potest eleemosynam dare ex consensu saltem implicito & interpretativo parentum; qui adesse censetur, primò, quando parentes aliqua ex dictis bonis concedunt ei ad honestam recreationem, aut ut ea pro suo libitu expendat. Secundò, quando versatur in studiis, vel alia de causa degit extra domum parentum, &c. ut ferè de Religioso parum ante dictum est. Ex his autem facilè erit colligere quid sit dicendum de pupillis, minoribus, prodigis, &c. hi enim, licèt possint facere eleemo-

leemosynas moderatas, & quales alii ejusdem secum conditionis facere solent, sine consensu tutorum & curatorum, non tamen extraordinarias facere possunt.

24. Nota hîc, bona castrensia esse ea, quæ bellando acquiruntur, vel filio dantur ad bellandum, vel quæ ei ex testamento in bello aut occasione belli adveniunt. Quasi castrensia sunt, quæ acquiruntur ex beneficio ecclesiastico, vel officio publico non mæchanico, aut per artem liberalem. Bona verò adventitia sunt, quæ successione, vel donatione filio adveniunt, vel per artem non liberalem; item quæ lucratur per mutuum, vel in domo patris per obsequia extraordinaria; vel etiam quæ ex morte matris ipsi adveniunt. Bona denique profectitia filii sunt, quæ ei dantur intuitu patris.

Petes, an aliquis in extrema necessitate possit capere alienum?

Resp. affirmativè, si is, à quo accipit, non sit in simili necessitate. Ratio est, quia in divisione bonorum facta est hæc reservatio, ut nempe in extrema necessitate omnia adhuc remanerent communia. Quare non peccat mortaliter, qui id facit in dicta necessitate, non petita licentia ab eo, qui rem possidebat; quia nullam ei infert injuriam, cùm solùm auferat id, quod alter ei dare tenetur. Imò, idipsum plures valde probabiliter docent, fieri posse in necessitate valde gravi, ob similem reservationem: aliàs namque divisio bonorum non esset facta in bonum hominum, seu generis humani, ut consideranti patebit. Verùm hæc locum non habent in foro externo. Vide Dian. *p.* 11. *tract.* 1. *resol* 13. ubi pro necessitate valde gravi assignatur necessitas morbi, famis, aut nuditatis. Item *tract.* 5. *resol.* 13. circa finem; ubi additur necessitas captivitatis, diuturni ac tetri carceris, vel similium afflictionum: quæ necessitates excusant aliquem à restitutione, quamdiu durant. An autem, si venerit ad lautiorem fortunam, teneatur restituere sic acceptum, vel non? Utrumque est probabile, & fermè eodem modo philosophandum est in valde gravi, & extrema necessitate. Ita Dian. *loc. cit.* pro se de novo citans Dicastillum.

DVBIVM TERTIVM.

De correptione fraterna.

26. QUamvis septem sint opera misericordiæ spiritualis hoc versu contenta:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora:

quæ correspondent septem operibus misericordiæ corporalis in hoc versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De quibus agit D. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 2. & Franc. B. Spei *de char. disp.* 5. *n.* 3. & 4. Hîc tamen nos solùm agimus de correptione fraterna, sicut dubio præcedenti de sola eleemosyna egim⁹.

Correptio autem fraterna, de qua hîc, est actus misericordiæ spiritualis, quo per convenientem sermonem convertere nitimur proximum à malo peccati ad bonum virtutis. Præter correptionem fraternam datur correptio judicialis, quæ assumitur, ut à Judice vel Superiore peccatum puniatur: item & paterna, quæ ad fraternam reduci potest. Quia verò varia circa hanc materiam examinanda occurrunt, sit

§. I.

An exstet præceptum in hac materia, quos & quomodo obliget?

27. Dico primò, dari præceptum Divinum de correptione fraterna, constat ex Script. *Levit.19.* ubi dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè* (id est, clarè & apertè, ut intelligat peccatum suum) *argue eum, ne habeas super eo peccatum*, id est, ne ore eum non corripiendo dum potes, particeps fias peccati illius. Imò, id esse de lege naturali vel ex eo patet, quòd quilibet teneatur vi præcepti naturalis fratri graviter egenti succurrere, dum potest sine gravi incommodo. Franc.B.Spei *tract.4.de char. disp.6.n.1.*

28. Dico secundò, præceptum de corripiendo fratre sive proximo, obligat omnes, qui ad hoc sunt idonei, & sperant se per hoc posse proximum emendare: quia Scriptura citata loquitur generaliter: & *Eccles.17.* habetur: *Vnicuique Deus mandavit de proximo suo:* unde etiam peccator, per se loquendo, concurrentibus debitis circumstantiis, de quibus infra, tenetur fraternè corripere delinquentem. Neque hoc prohibetur *Matth. 7.* per hæc verba: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*, &c. quia ibi solùm reprehenduntur peccatores, qui ex hypocrisi & jactantia corripiunt, aut temerariè judicant fratrem, ut hac ratione se justificent; sequitur enim: *Hypocrita, ejice primùm*, &c. Circa hæc tamen

29. Adverte primò, Superiores, maximè Ecclesiasticos, & Religionum, arctiùs cæteris obligari ad corripiendos subditos delinquentes: quare hi tenentur quandoq; in viam subditorum inquirere: prudenter tamen, ne aliis dent ansam turbationis & inquietudinis; quod facilè fieret, si nimis sæpè, præsertim sine gravi causa, in aliquorum vitam sigillatim inquirerent, vel si nullâ præviâ infamiâ, alióve probabili indicio inquirerent, an talis, vel talis in particulari, hoc aut illud peccatum, quamvis in se publicum, commiserit. Vide Bachonem *in 4. dist.19. q.2.* §.4. ubi tradit modum, quo debeat fieri inquisitio generalis in Monasteriis.

30. Adverte secundò, requiri magnam prudentiam in Concionatore populi vitia corripientis: inprimis enim diligenter debet cavere, ne Prælatos Ecclesiæ è suggestu corripiat, nisi fortè (quod Deus avertat) docerent hæresim; quia tunc publicum scandalum, quod crearent communitati, per secretam

cretam monitionem tolli non posset. Deinde, nunquam potest ita ad personas particulares descendere, ut earum vitia uni certè imputari queant. Deniq; rarò ad hoc potest uti scientiâ habitâ ex confessionibus auditis, quia aliàs auditores sibi facilè persuaderent, Confessarios diu retinere & mente volvere peccata in confessione audita, quod ipsos posset retrahere ab affectu erga Sacramentum pœnitentiæ.

31. Dico tertiò, correptio fraterna de peccato mortali per se loquendo, fieri debet sub culpa mortali. Probo, quia, cùm quodcunque mortale peccatum mortem spiritualem proximo inferat, videtur etiam necessariò gravem necessitatem correptionis inducere: quidquid interim facilè possit à gravi culpa excusari, juxta D. Thomam, & alios satis communiter, si ex timore, verecundia, aut pusillanimitate quis strictam hanc obligationem non advertat, vel judicet, aut putet, se in his crcumstantiis ad hoc non esse aptum, quamvis timor, &c. non habeant motivum in se sufficiens. Cajetanus & plures alii volunt, eam de peccato veniali fieri debere sub culpa veniali: attamen existimo cum Coninck, rariùs hujusmodi obligationem adesse in subditis, aut cæteris de communi plebe: ratio mea est, quòd similis correptio rarò fieri possit sine ulla alterius indignatione. Intereà Superiores sæpiùs non tantùm sub veniali, sed etiam sub mortali tenentur inferiores de peccatis venialibus corripere, dum videl. peccata venialia subditi vergunt in notabile detrimentum observantiæ regularis: tenetur enim Superior ex officio impedire, ne disciplina regularis deficiat, dum potest: pro quo vide Franc. B. Spei *disp. 6. suprà, num.* 18.

32. Dico quartò, ut quis teneatur sub mortali alterum fraternè corripere, requiruntur quinque conditiones. Prima est, ut moraliter constet proximum peccasse mortaliter. Secunda, ut adsit probabilis spes emendationis. Tertia, ut correptio credatur hic & nunc necessaria ad proximi emendationem. Quarta ut fieri possit sine gravi corripientis periculo, ut v. g. vitæ, famæ, aut etiam fortunarum. Quinta denique, ut adsit opportunitas loci, temporis, aliarumque circumstantiarum necessariarum, ut correptio cum fructu fiat. Ita DD. communiter. Ex quibus omnibus colligitur, valde rarò hominem privatum obligari ad corripiendum proximum: in omni enim ferè casu deest aliqua ex positis conditionibus, quarum vel unica deficiente non urget præceptum correptionis fraternæ, saltem sub culpa gravi. Imò Busenb. absolutè addit, ejus omissionem in privatis, vel nullam esse, vel levem culpam: quare non video, cur aliqui Concionatores comunem plebem, quoad hanc obligationem, scrupulosam reddant.

33. Dico quintò, omnia interim peccata præterita proximi corripienda sunt, si adsint dictæ conditiones. Patet ex verbis Scripturæ generaliter positis. Verùm peccata futura secundùm se non sunt materia correptionis, licèt ut talia nos moveant ad proximum corripiendum in iis, quæ eum ad peccata futura deducunt. An verò peccata publica usurarii, meretricis, &c.

dum fiunt Magistratu permittente, cadant sub pręcepto fraternæ correptionis? Respondeo quòd sic, quia sive ista peccata ob motiva sufficientia sine culpa à Magistratu permittantur, sive non, non idcirco minùs peccatur contra Deum, nec tales sunt minùs in statu damnationis æternæ. Verumtamen, quia ex correptione fraterna vix potest sperari fructus in similibus, vix locum habet talis obligatio. Utrùm autem similia peccata meretricum possint Principes, vel Magistratus permittere absque culpa in seipsis? Non est hujus loci: pro eo interim videre poteris Lezan. *in consult. variis, consulto 46. pag.* 318. An denique corripiendus sit proximus peccans ex ignorantia? Constat ex dictis *tract.1.disp.1.dub.4. parùm ante finem.*

§. II.

Quis ordo servari debeat in correptione fraterna?

34. Dico, in correptione fraterna hic ordo servari debet, ut videl. primò proximus moneatur secretò; deinde, si per hoc non speretur fructus, adhibendus est unus aut duo testes discreti, qui illum nobiscum moneant: denique, si neque hac via speretur emendatio, deferendus est ad Ecclesiam sive Superiorem. Atque hunc ordinem sub gravi culpa servandum esse judico, dum comodè servari potest. Probatur ex Script. *Matth.* 18. ubi expresfsè præcipitur: *Si peccaverit in te,* (id est, coram te) *frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, &c. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ:* quæ verba miror, quomodo ab aliquibus dicantur solùm esse consilii & non præcepti, cùm eorum praxis servanda sit vi legis naturalis; quæ unumquemque obligat, ut, quantum potest, famam sui proximi servet illæsam, adeoque vetat, ne occulta ipsius peccata aliis manifestet sine notabili necessitate. Hinc Lorca, & Philiarc. mordicùs defendere nituntur, statutum (quale est apud Patres Societatis) de deferendo crimine fratris ad Superiorem, nulla prævia privata monitione, esse injustũ; quam sententiam, teste Hieronymo Rodriguez, tanquam probabiliorem secuta est Academia Salmanticensis 24 *Aprilis, anno* 1627. eamque novissimè adhuc tuetur Lopez de Texeda *Theol. moral. tom.1. l.1. tract.3. contro*v. 4. Verùm ego cum aliis communiter contrariam sustineo, ob rationes, quas videre poteris (sicut & alias sententiæ oppositæ) apud Lothum *tract.7. q.8. art.1.* ubi post varia hæc habet: *Nota tamen id* (videl. statutum, de quo suprà) *non esse licitum propter illud majus bonum, quod constituit Suarez in meliori correctione facienda per Prælatum, quàm per socium; dicere enim, quòd correctio*

fraternæ

fraterna meliùs facienda est per Prælatum, quàm per socium, ut dicit Suarez, est erroneum & injuriosum doctrinæ Christi, inquit Franc. Aravio, Primarius Cathedraticus Salmanticensis. Unde in hoc lapsus est Suarez, debuisset advertere, quod dixit M. Bannes suprà, ubi loquens de hoc instituto Societatis, postquam licitum illud esse ostendit, sic ait: quæ in re maximè attendendum est, ne propterea hujusmodi constitutio, quæ secundùm se justa esse potest ratione prædictâ, sub alia ratione falsa defendatur, videl. quia alio modo nulla communitas potest bene gubernari: hoc enim esset asserere ordinem corrigendi evangelicum & naturalem, esse pernitiosum communitati, ac proinde sequeretur, non esse in præcepto, nec in consilio; quam doctrinam non dubito erroneam esse in fide. Ita Bannes, & ex ipso Lothus, qui insuper ait: *Sequitur ex illo dicto Suarez, Christum Dominum in Evangelio neque docuisse optimum & congruentiorem modum regendi Ecclesiam, & emendandi defectus fidelium, sive in Communitate, sive extrà illam degentium, quod à nota temeritatis excusari non potest.* Hæc ille. Et si quis per hæc certus non reddatur, prædictum ordinem correptionis necessariò servandum esse in Communitatibus, in quibus non est tale statutum, nec consequenter subditi cesserunt juri, quod habent hac in parte ad famam suam; legat ea, quæ habet idem Lothus *art. 2. & 3.* in quorum priori docet, probabile esse PP. Jesuitas posse, & debere præmittere monitionē privatam non obstante suâ constitutione: in posteriori verò, conatur ostendere, dictā constitutionem Societatis illicitam esse seclusâ renuntiatione juris ad famam: quam renuntiationem fieri à quolibet Jesuita novitio antequam vota biennii emittat, ostendit Mendo *in statera benignarum opinionum Differt. 1. qu. 15. n. 169.* subdens *n. 173.* ex terminis manifestum esse, quòd, dum non fit propriæ famæ renuntiatio, debeat præcedere correctio fraterna; aliàs, inquit, detrahitur præcepto Christi: quòd idem *n. 179.* dicit de adhibendis testibus distinctis à Prælato antequam huic, etiam ut patri, reveletur peccatum.

35. Adverte primò, prædictum ordinem non esse servandum, dum crimen proximi est publicum, hoc enim publicè corripi posse omnes DD. tradunt: quidquid adhuc id bene distinguat Bacho noster *in 4. dist. 19. q. 2. art. 1.* Item dictus ordo non est servandus, dum crimen proximi occultum est exitiale Reip. vel vergit in magnum damnum corporale, vel spirituale multorum, ut si quis cognoscatur occultè agere de prodenda civitate, privatim docere hæresim, & similia: tunc enim immediatè proximus est deferend⁹ ad Superiores. Idem plures docent de occultis Religiosorum peccatis vergentibus in notabile damnū Religionis, quale secundū Caspensem & alios est fornicatio, quæ denuntiari debet immediatè Superiori ut Judici, si nempe probari possit: quia ea crimina sunt talia, ut communiter certò & firmiter sperari nequeat quòd aliâ viâ emendabuntur. Ita illi. Attamen non puto hoc generaliter esse verum, sed ordinē ordinarium adhuc esse servandū, quando tale peccatū est primum quod in eo genere ab isto Religioso committitur; vel dum gravis occasio labēdi fuit ipsi

quasi oblata, & non quæsita; vel etiam si sit commissum ratione ebrietatis non omnino culpabilis: puto enim in his casibus per correctionem fraternam adhibitis minis, eum scil. deferendi, si quid simile in ipso adhuc videatur, vel ab ipso commissum audiatur, prudenter sperari seriam fratris emendationem. Quoad alia item peccata, non ita vergentia in comune damnum, tamdiu secretò corripienda sunt, quãdiu adest probabilis spes emendationis per similem correptionem; si verò abfuerit dicta spes, procedendum erit ulteriùs ad testium inductionem, nisi aliunde in casu particulari præstet prudenti & pio Superiori, qui satis discernat inter officium patris & judicis, notum fieri occultum fratris delictum, quàm aliis testibus; tunc enim ei immediatè ut patri indicari debet. Vide dicta *in Append. ad tr. de Leg.* & Bachonẽ *in 4. dist. 19. q. 1. ar. 2.* ubi tradit modum, quo Superiori deferendum sit peccatum proximi: & *art. 3.* assignat modum pium, quo se gerere debeat Prælatus erga denuntiantem & denuntiatum, dum non potest crimen probari; ipsum consule: sicut & Franciscum B. Spei *disp. 6. de charit. n. 51.* ubi probat, ordinem charitatis suprà positum non cadere sub præceptum in Religione; cujus sententiam sub limitationibus ab ipso positis probabilem omnes facilè judicaturos existimo.

36. Adverte secundò ex D. Thoma hîc *art. 7. ad 5.* si Superior inferioribus præcipiat, ut qui peccata corrigenda cognoscunt, ea referant, id intelligendum esse salvo ordine correptionis fraternæ à Christo institutæ: &, si Prælatus præciperet dictum ordinem excludi, peccaret, ac malè faceret inferior ei in hoc obediendo: quia *Obedire oportet magis Deo quàm hominibus*: nec Superior habet potestatem quoad delicta occulta, nisi quatenùs per aliqua indicia manifestantur, utpote per fundatas suspiciones, aut infamiam eorum, quorum delicta sic præciperet deferri: quæ etiam ferè verbotenùs habet Bacho *qu. 2. citatâ* §. 1. in fine. Vide etiam pro hac materia Caramuelem *part. 1. Theol. fundam. fol. 337. & seq.* Item P. Mendo *loc. suprà cit. n.* 178. ubi asserit à nobis statim dicta in confesso esse Authoribus. Poterit interea inferior tutè se conformare doctrinæ quondam Professoris mei Francisci jam relatæ, quam & aliqui alii tradunt.

Petit dictus Mendo, an Prælati Regulares inferiores possint revelare Superioribus majoribus peccata occulta subditorum, quæ ipsi valent emendare? Postquam aliquos retulerat *dissert. 1. qu. 16. num.* 189. qui volunt, revelare crimen proximi occultum viro gravi & timorato, qui id non revelabit alteri, nec nocebit, non esse sic peccatum mortale (quam doctrinam nos alibi refellimus:) & postquam ostenderat, Castrum Palao ex ea doctrina malè deducere resolutionem affirmativam esse probabilem: *n.* 194. sic resolvit: *Prælati Regulares immediati non possunt manifestare crimina occulta subditorum, quæ non vergunt in damnum publicum, aut Religionis, & possunt ab eis corrigi. Attigimus jam rationem. Et quidem qua utilitate, si crimen emendari potest à Prælato immediato, manifestandum est mediato? Itane consulitur bonæ subditorum opinioni & famæ*

famæ, eorumque culpæ sunt traducendæ, ut infamia notetur? Id contra justitiam est, charitati adversatur, rectam Religionis gubernationem invertit, subditos durissimè gravat, milleq; damnis & incommodis viam planat. Premant Prælati immediati altissimo silentio culpas subditorum occultas; eos paternè corrigant, & media efficaciora ad emendationem applicent; illorum consulant famæ, & neque apud se eos judicent indignos, quibus munia qualibet committantur. Qui lapsus est, & resipiscit, sit idem apud Prælatos, ac si non esset lapsus, si secus fiat, paradoxè erratur. Monuerat autem *n.* 191. *In Societate Iesu nequaquam licere* (quidquid in ea cedatur famæ propriæ ad effectum suprà positum) *Prælatus immediatus manifestare crimina occulta subditorum Provinciali, aut Generali. Etenim sic Generales ipsi strictè præmonuerunt universam Religionem per epistolas; & præterea in Congregatione generali VI. & VII. decernitur, crimen delatum uni Superiori non manifestandum esse alteri sine urgenti necessitate, & magna utilitate, quæ rarò aut nunquam aderunt, si subditus emendetur.* Hæc P. Mendo, quæ indubiè magis volet locum habere in Religionibus aliis, ubi nullus cedit famæ propriæ.

DVBIVM QVARTVM.

De Odio opposito Charitati.

37. Dico primò, odium in genere est aversio voluntatis ab eo, quod repræsentatur ut malum. Duplex est, abominationis, & inimicitiæ: prius est, quo aversamur aliquid, ut malum nobis vel alteri, quem amamus: posterius verò, quo volumus malum alicui personæ, ut illi malè sit. Atque hoc utrumq; odium iterum duplex est, Dei scil. & proximi, prout vel in Deum, vel in proximum tendit. Ut autem intelligas, quomodo Deus possit odio haberi, attende eum dupliciter posse à nobis considerari: primò, secundùm seipsum prout est in se; & in ordine ad suos effectus. Priori modo consideratus non potest odio haberi, quia est ipsa bonitas: posteriori verò modo spectatus juxta effectus quosdam repugnantes voluntati nostræ inordinatæ, v.g. juxta inflictionem pœnarum, peccatorum prohibitionem, &c. potest à nobis improbis odio haberi, eò quòd illi effectus improbis multùm displiceant, ac molesti sint; quia per illos impediuntur facere ea, in quæ eorum vitiata natura est proclivis. Unde propter eos effectus possunt Deum odisse peccatores tam odio abominationis, quam inimicitiæ; possunt enim aversari ac detestari tanquam sibi mala, quæ desideratas eorum voluptates excludunt, simul & pœnas sibi infligendas, in quo reperitur odium abominationis: ac deindè possunt etiam contra ipsum Deum inardescere, eique velle malum, optando nimirum, ut sua fortitudine destituatur, imò, ut ipse Deus desinat esse in quantum author est prædictorum: ubi invenitur odium inimicitiæ: sicque communiter odium ini-

inimicitiæ oritur ac ſequitur odium abominationis; nam dum quempiam tanquam nobis moleſtum aut contrarium averſamur, ordinariè etiam in ipſius perſonam odio inimicitiæ incipimus commoveri, & ei malè velle.

38. Dico ſecundò, odium Dei eſt peccatum omnium graviſſimum. Probat D. Thomas & cæteri communiter, quia averſio à Deo, in qua ratio culpæ conſiſtit, in odio Dei importatur per ſe; in aliis verò peccatis ſolùm participativè & ſecundùm aliud, in quantum videl. appetitur inordinatè aliquid, habens annexam averſionem à Deo, eò quòd ſit contra ejus præceptum. In odio Dei nulla datur parvitas materię, quæ poſſit à mortali excuſare: quantumvis enim parvum malum Deo optetur, ſi nihilominùs fiat ex formali ejus odio, gravis in eo reperitur deordinatio ad ipſam rationem naturalem, ac Deus gravi injuria afficitur, ut conſideranti patebit.

39. Dico tertiò, odium proximi eſt peccatum gravius cæteris, quæ in proximum committuntur: ut autem hoc clarè percipiatur, diſtinguit D. Thomas duplicem malitiam peccati, quarum una oritur ex deordinatione ipſius peccantis, & alia ex damno, quod infertur ei, qui per peccatum offenditur. Deinde dicit, odium proximi eſſe peccatum majus quàm ſint cętera peccata exteriora priori modo ſumpta, quia per odium maximè deordinatur voluntas; exteriores verò actus contra proximũ commiſſi, tantùm ſunt peccata, quia à quodam ſaltem virtuali odio intrinſeco procedunt. Secundo tamen modo poſſunt hi actus dici peccata majora ipſo odio, eò quòd majus nocumentum inferant proximo, quàm odium internum ſecundùm ſe.

Petes an omne odium proximi ſit peccatum?

40. Reſpondeo primò, omne odium proximi inimicitiæ eſſe peccatũ: quia per hoc deſideratur alteri malum ut malum eſt, quod ſemper eſt rectæ rationi repugnans. Nec quemquam excuſat, quòd malum proximi bonum ſuum reputet, quia ut eſt malum proximi, bonũ ſuum verè eſſe non poteſt, ſed ut ſummum apparens tantùm, adeoque ut tale inordinatè illud deſiderat. Interdum tamen licitum eſt optare alteri malum ex fine bono, ut infirmitatem aliquam aut infortunium temporale, ut convertatur à via ſua peſſima; vel etiam mortem latronis aut hæretici, ut alii non pervertantur. Imò teſte Fulienſi *lib. 3. c. 9. reſol. 1.* multi exiſtimant licere, ob emolumentum aliquod temporale, optare alterius mortem, dummodo fiat cum debita moderatione; ut ſi uxor mariti, à quo malè tractatur, mortem, ut à Deo infligendã deſideret; quia hoc non tam eſt velle malum proximi, quàm bonum inde ſecuturum; quod non videtur illicitũ. Ita aliqui. Sed quidquid de hoc ſit ſpeculativè loquendo, puto cum eodem Fulienſi, ſimilia in praxi periculoſa eſſe, præſertim, cùm ex dictis ratione præcepti charitatis teneamur vitam proximi præferre noſtro commodo tẽporali. Cæterùm Leander, Lugo & alii docent, contra Pontium, deſiderantẽ ex odio malum, non teneri in confeſſione explicare ſpeciem mali.

Sed

Sed quid de uxore v.g. quæ sæpè sibi ipsi mortem imprecatur, eò quòd durissimè tractetur à marito? Eam peccare mortaliter docet Navarr. *in Manuali c.15.n.15.* tum quia non est domina suæ vitæ, tum quia delinquit contra charitatem sibi debitam in materia gravi. Ab opposito eam non peccare docet Burghaber *centur.1.casu* 4. citans Sancium: quia potest hanc afflictionem prudenter censere majus malum ipsa morte. Imò (addit dictus Author) alios quosvis ex indignatione & impatientia mortem sibi deliberatè imprecantes, non peccare mortaliter, existimamus contra Dian. *part.* 5. *tr.* 14. *res.* 92. & probamus, tum exemplo Eliæ, &c tum quia sensus verborum illorum alius non est, quàm *malumus mori, quàm tales molestias pati.* Verùm hæc multùm displicent, tum quia malè trahit consequentiam ab exemplo Eliæ, de quo, utpote viro sanctissimo, & cui meritò innocentissimus Præcursor Joannes est assimilatus, nefas est dicere, quòd ex indignatione & impatientia sibi mortem fuerit imprecatus: tum etiam, quia falsissimum est, quod in illis terminis tam generalibus profert. Nunquid enim aliquis peccat mortaliter, etiam in sententia Burghaber, qui sciens se esse in statu peccati mortalis, ex indignatione & impatientia mortem sibi deliberatè imprecatur? Hic tamen est unus inter *alios quosvis ex indignatione & impatientia mortem sibi deliberatè imprecantes*, quos indiscriminatim à mortali ipse excusat. An fortè prudenter similis potest dicere: *Malo in hoc statu mori, quàm similes molestias pati?* Viderit Burghaber.

41. Resp. secundò, odium abominationis proximi secundùm ea, quæ proximus à Deo habet, semper etiam peccatum esse, sive id habeat per naturam, sive per gratiam: quia proximus, juxta hæc spectatus, bonus est; omne autem bonum, quà tale, amandum est, ac consequenter committitur deordinatio, si juxta illa odio habeatur. Hinc quando Christus *Lucæ* 14. dicit, venientes ad se debere odisse patrem & matrem, &c. solùm intelligendum est quoad affectus inordinatos, quibus possent nobis esse impedimento quoad progressum in virtutibus, ut sic verò parentes sunt peccatores, quos secundùm peccata, quæ à Deo nullatenus sunt, sed ab ipsis & dæmone, possumus & debemus odio habere; de peccatoribus enim ait Propheta: *Perfecto odio oderam illos*: & alibi legitur: *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* D. Thomas & cæteri post ipsum agunt hîc communiter de acedia, invidia, &c. sed de illis nos, quantùm satis ad propositum nostrum, egimus suprà, ubi de peccatis capitalibus.

* * *

DUBIUM QUINTUM.

De Bello.

§. I.

An, quando, & quibus bellare liceat?

42. Bellum est plurium congressio vi & armis contra extraneos facta. Distinguitur à seditione, quòd hæc sit plurium contra plures in eadem Republica: à duello verò, quòd sit paucorum contra paucos, sive extraneos, sive concives. Ita N. Joannes Beetz *de præcept. Decalog. præc.* 8. *expos.* 2. *cap.* 9. & Lezan. verbo *Bellum n.* 2. Bellum est duplex, defensivum & offensivum. Prius est, quod assumitur ad repellendam injuriam, quæ est moraliter in fieri: posterius verò, quod assumitur ad obtinendam satisfactionem pro injuria jam illata.

43. Dico primò, quamvis bellum per se nullatenùs sit expetendum, est tamen per se licitum, etiam Christianis: quod clarè contra Wiclef ostendit N. Waldensis *tom.* 3. *de Sacramental. tit. ult. cap.* 169. *n.* 3. Ac inprimis patet quoad bellum defensivum; jure enim naturæ omnibus est concessum vim vi repellere. Probo quoad offensivum ex Scriptura *Num.* 26. & 1. *Reg.* 15. ubi Dominus tale bellum expressè præcipit, ac *Deut.* 20. *&* 23. præscribit leges bellantibus, & *Exod.* 17. singularem opem fert bellantibus; ac denuò *Deut.* 1. pro ipsismet pugnat. Deinde *Luc.* 3. Joannes Baptista milites instruens, non jussit eos militiam deserere, sed ne quemquam concuterent, ne calumniam facerent, & ut contenti essent suis stipendiis. Idem etiam constat ex *Actor.* 1. & Apostolo *ad Hebr.* 11. Deniquè, idipsum ratione manifestâ comprobatur; quia, nisi quandoq; licitè posset bellũ inferri, posset Princeps absolutus aut Respub. Superiorem non agnoscens, aliis quamcumq; injuriam impunè inferre. Vide Franc. B. Spei *de char. disp.* 8. *n.* 6. ubi respondet objectionibus Lutheri in contrarium.

44. Dico secundò, ut bellum offensivum sit licitum, tres requiruntur conditiones: quarum prima est legitima authoritas indicentis, qualis regulariter reperitur in Principibus supremis, & quavis Repub. non habente Superiorem; per accidens etiam & extraordinariè in aliis, quando id necessarium foret ad avertendas injurias, quas Princeps, aut Magistratus avertere negligit. Ita omnes communiter.

45. Secunda conditio est, ut causa belli sit justa; sic nempe, ut illi, contra quos bellum assumitur, propter culpam

pam invasionem mereantur. Talis autem justa causa est; primò, ut subditi rebelles ad obedientiam redigantur. Secundò ut recuperentur bona jure debita magni momenti. Tertiò, ut obtineatur quod jure gentium, sive secundùm consuetudinem ferè omniũ nationum, est debitum; ut est v.g. transitus sine mora & damno per exteram regionem. Quartò ut Princeps vel Superior subditos idololatras vel in hæresim lapsos, ad veram fidem cogat reverti; & similes aliæ. Ubi tamen adverte, has omnes causas debere adeò gravem injuriam continere, ut damnis ex bello secuturis æquivaleant, & ut aliunde injuriæ compensatio obtineri non possit.

46. Tertia conditio est, ut bellantes habeant rectam intentionẽ, qua præcisè intendant malum avertere, aut bonum promovere: non enim ex odio aut invidia, sed ex motivo charitatis, aut justitiæ bellum suscipi debet, ut notat N. Michaël à Bononia *in 4. dist. 15. qu. unica* citans Bachonem: quod idem habet Joannes Beetz, quem citat Lezana *tom.3.* verbo *Bellum n.3.* ubi citatas tres conditiones exigit. Quibus ego insuper aliam quartam superaddo; ut nimirum in bellando debitus modus servetur, ne videl. alia damna parti contrariæ inferantur, quàm quæ necessaria sunt ad omnimodam satisfactionem pro injuria illata, ac expensis factis toto belli tempore: item ut non adhibeantur alia media, quàm quæ sine præjudicio Religionis, Justitiæ, Charitatis, &c. possint adhiberi.

Petes, quid sit faciendum Principi habenti causam dubiam bellandi?

47. Respondeo si agatur de re ab alio possessa, debet cedere; quia in dubio melior est conditio possidentis: undè in dubio nullus potest alteri per bellum possessionem eripere. Deindè si res à neutro sit possessa, debet per litem juxta opinionem jurisperitorum difficultas, seu dubium solvi: quòd si uterq; habeat æquè multos pro se sentientes, res partiri debet, vel sors mitti, si sit indivisibilis. Vide Lezan. *loc. cit. n.* 4. ubi ostendit, nullum posse movere bellum offensivum propter causam merè probabilẽ, & multò minùs propter dubiam, quando nimirum opinio probabilis etiam est ex parte rei sive ejus, contra quem bellum instituitur: concluditque, inter Christianos solam justam causam bellum indicendi censendam esse illam, quæ saltem moraliter loquendo certa & evidens sit omnibus rectè ponderatis: quidquid P. Scilder *tr. 2. n. 97.* secutus Dianam & Ariagam velit, sufficere opinionem verè probabilem, dum alter competitor, etiam qui est in possessione, non consentit in Judicem, qui rem examinet; quod non videtur improbabile: quia petitor regni v.g. non minùs quã petitor rei privatæ jus habet, ut causa sua juridicè examinetur & decidatur. Quare alter nolens in Judicem consentire, huic facit injuriam; quam hic si non detur alia via, armis videtur posse impedire. Idem à fortiori dicendum dum possessor condemnatus Judicis sententiam sequi recusat.

48. Petes iterum, quinam possint bellare? Hanc difficultatem quoad Regulares latè tractat Lezan. *ubi suprà* *n.5.*

n.5.6.7.& seq. item Lothus *tr. 5. ar. 8. & 9. de Cleric. in generali:* verũ ego breviter

49. Respondeo inhibitum esse Clericis bellare per diversos canones, ut videre est *causâ 23. q. 8. & dist. 36. cap. Si quis:* idque non obscurè colligitur ex Apostolo 2. *ad Timoth.* 2. dicente, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*; plùs enim quàm sæcularia sunt negotia bellica. Unde peccant mortaliter Clerici in sacris constituti; primò, si manu propriâ pugnẽnt. Secundò si milites ducant. Tertiò si aciem instruant, aut tormenta bellica dirigant; nisi in his summus Pontifex cum aliquo in particulari dispensârit, vel unum eorum necessarium fuerit ad propriam, vel alterius innocentis vitam conservandam, vel etiam ad Patriam contra injustos invasores tuendam: aliàs enim fit irregularis Clericus, qui in bello aliquem occidit aut mutilat. Imo pro Clerico in bello mortuo prohibentur fieri oblationes & orationes, prout constat ex capitulo *Quicumque Clericus quæst. 8. cap. 23.* Interea possunt Clerici licitè bello interesse, ut Sacramenta pro necessitate, & opportunitate militibus subministrent: imò etiam possunt in generali milites hortari, ut fortiter pugnent, sicut in veteri lege Sacerdotes sacris buccinis incitabant filios Israël ad pugnandum bellum Domini: quamvis tamen iis illicitum sit, in particulari hortari milites ad occidendum vel mutilandum. Vide Lezanam *suprà*, & P. Franc. *de char. disp. 8. n. 41.*

50. Cæterùm alii non Clerici in quocumque bello justo pugnare possunt; nullo enim jure id ipsis est inhibitum. Constat autem, militibus sufficienter bellum esse justum quoad hunc effectum, dum Rex aut Princeps, sub quo bellant, prudens ac justus ab omnibus æstimatur, & noscitur, illum non seduci à consiliariis pravis, aut temerariis: quidquid aliqui apud Dianam *p. 11. tract. 5. res. 28.* hîc distinguant inter milites subditos, & extraneos; volentes his debere constare positivè de justitia belli. Interea alii volunt in hoc simplices milites à peccato formali excusare, quòd persuasione aliorum per invincibilem ignorantiam rationum adversæ partis trahantur ad bellum. Ut Princeps autem, aut Magistratus licitè bellum moveat, insuper requiritur, ut solvat suis militibus stipendium debitum termino elapso: & si in hoc deficiat ex sua culpa, tenebitur reparare damna, quæ milites, implentes ea quæ sunt sui muneris, ob defectum solutionis inferunt reip. ex necessitate inopiæ. Item obligantur Capitanei & Præfecti curare, ut sub vexillis suis plenum habeant numerum militum, pro quo stipendia recipiunt; tum quia aliàs furantur pecunias Principis; tum quia per hoc sæpe sunt in causa cur civitas, aut prælium amittatur: unde tales gravissimè peccant cõtra justitiam. Denique tam præfecti, quàm simplices milites tenentur esse contenti suis stipendiis, ita ut nec spolient, nec opprimant innocentes. De cæteris peccatis Ducum & aliorum Officialium belli, agit latè Lothus *tr. 5. art. 6.* ac de peccatis communium militum *art. 7.* pro quibus eum consule. Vide etiam varia circa hanc materiam apud Fran. B. Spei *sup. n. 23. & seq.*

Ad-

Addo ſolùm, plures mortaliſſimè peccare, qui cùm domi manentes poſſint ſibi, uxori, ac liberis victum ſuo labore procurare, nomen dant militiæ, abeuntes uxore & liberis lamentantibus: & longè adhuc maximè dum exiſtentes in ſtipendiis militaribus, ſtipendiis fideliter perſolutis abutuntur in luſus, & compotationes, famem interim domi patientibus uxore & filiis, quos abſolutè alere tenentur. Quin & graviſſimè etiam peccent, qui ſimiles homines dolo inducunt ad dandum nomen militiæ.

§. II.

Quinam occidi, & quæ ſpolia capi in bello poſſint?

51. DIco primò, non eſt licitum in bello occidere innocentes, cognitos tales, per ſe & ex directa intentione occidendi. Ratio eſt, quia, ut ſic occidere innocentem, eſt intrinſecè malum, ut communiter omnes admittunt: unde id nunquam licitum eſt, niſi Deus, qui eſt author vitæ & mortis, alicui in alterius vitam dominium conceſſerit; quod fecit Abrahamo reſpectu filii.

52. Dico ſecundò, per accidens & indirectè poſſunt quandoque innocentes licitè occidi, ut v. g. dum aliàs civitas capi, aut hoſtis in prælio ſuperari non poteſt. Ita etiam DD. communiter: quod & indubitatum reddit praxis prudentum & piorum, ex qua gerenti bellum juſtum licitum eſt, turres ac mœnia tormentis, aut ſuppoſito pulvere evertere, quamvis certò conſtet, aliquos innocentes fore occidendos. Innocentes hîc ſunt Eccleſiaſtici, qui nec ſunt pars populi, nec arma, aut conſilia belli tractant: item pueri ac mulieres: ſimplices ruſtici, & externi, qui caſu inter hoſtes verſantur, nec deprehenduntur armis illos juvare. Cæterùm, etſi nocentes, juſto bello capti, ſpectato rigore juſtitiæ occidi poſſint, charitas tamen exigit, ut ſalvo bono communi Dux belli in hoc clementiam potiùs exerceat, ac multitudini parcat; niſi fortè in caſu valde particulari contrarium fuerit neceſſarium ad obtinendam ſecuritatem contra multùm pertinaces, aut niſi ita capti, de magno crimine, ut v. g. perduellionis, vel læſæ Majeſtatis, damnati aut convicti eſſent.

53. Dico tertiò, licitum omnino eſt, in bello juſto hoſtes ſpoliare bonis ſuis temporalibus, etiam innocentes, ſi ſint pars Reip. delinquentis: eſt enim diſparitas hac in parte inter horum vitam & bona temporalia, quòd videl. illorum temporalium bonorum dominium univerſale ſit penès ipſam Rempublicam: quare ob Reip. crimen poſſunt iis etiam directè privari innocentes: penès Remp. autem non eſt dominium in vitas ſubditorum, ſicut nec penès ipſos ſubditos, ut videbimus *in tract. ſequent.* Hinc qui gerit bellum

contra Remp. poteſt dictos innocentes bonis ſuis ſpoliare, & iis præſertim, quibus hoſtes uti poſſent adversùs eos, qui juſtum bellum gerunt; ut ſunt arma, equi, &c. nam ſpoliatio horum bonorum, eſt quædam juſta defenſio: aliis autem bonis etiam ſpoliari poſſunt innocentes per accidens, quatenùs id eſt neceſſarium ad finem belli conſequendum: unde milites belli juſti juxtà juſtum Ducis mandatum, aut ejus explicitam vel implicitam voluntatem, poſſunt agros vaſtare, pagos evertere, civitates hoſtiles expoliare; ut ſic enim ſunt executores juſtæ ſententiæ ac vindictæ. Si tamen Dux militibus ea inhibeat, quia vult parcere hoſti, tunc damnum inferentes peccant contra juſtitiam, eò quòd tunc hoſtis retineat jus in bona ſua, prout anteà habebat: quòd ſi verò Dux ea ſolùm inhiberet, ut diſciplina conſervetur inter ſuos, qui hoſtem ſpoliarent, plerumque tantùm venialiter delinquerent, niſi fortè per hoc ſe, vel exercitum gravi periculo exponerent.

54. Dico quartò, bona mobilia, quæ in bello juſto ab hoſte capiuntur, fiunt capientium, ſic enim declaratum eſt per legem, *ſi quid bello, ff. de captivis*. Excipe tamen, niſi in certa regione pro more habeatur; ut ſpolia omnia ad Ducem adferantur, ut hic ea pro meritis diſtribuat. Dixi, *bona mobilia*, quia imobilia ſpectant ad Principem, cum hoc tamen diſcrimine, quòd immobilia, ſi ab hoſte, cui eripiuntur, injuſtè fuerint poſſeſſa, ſint reſtituenda priſtinis Dominis, ſi hi nimirum non ſint hoſtes; quod non habet locum in mobilibus, poſtquam ad locum tutum fuerunt delata; cujus ratio eſt, quia id videtur exigere commune bonum, tum ad generoſitatem militum excitandam, tum etiam ad multas difficultates ac lites fugiendas; quapropter ita ſtatutum eſt à Jure Cæſareo. Excipienda tamen ſunt bona gaudentia jure poſtliminii, ut naves & currus onerarii commeatum vehentes.

55. Adde, Clericos, qui in bello ſpiritualiter juvant milites, gaudere etiam hoſtium ſpoliis, cùm enim exercitui multùm proſint, & ſint quaſi pars exercitus, debent gaudere belli commodis, ſicut & ejus periculis ſunt expoſiti: debent tamen in hoc cavere ſcandala puſillorum. Ita Lezana *tom.* 3. verbo *Bellum, num.* 17. ubi ait, id à fortiori licere aliis Clericis in iis caſibus, in quibus, cum, vel ſine expreſſa licentia Papæ licitè pugnare poſſunt; minùs enim eſt hoſtem ſpoliare, quàm occidere aut mutilare, quod tunc iis licitum eſt. Non poſſunt interim econtrà ipſi Clerici expoliari ab hoſtibus, ſi per ſe in bello non pugnent: quia tam ipſi, quàm ipſorum bona gaudere debent privilegio immunitatis eccleſiaſticæ. Ita Lezana citans Valentiam, & Sylveſtrum: addens tamen, plures admittere, poſſe Eccleſias & Eccleſiaſticos in bello juſto per accidens devaſtari ſine onere reſtitutionis, dum videl. id neceſſarium judicatur pro conſecutione victoriæ: in quo Lothus *tract.* 5. *art.* 3. benè diſtinguit Eccleſias ab Eccleſiis; aliquę enim poſſunt eſſe incaſtellatę, ſeu munitæ inſtar caſtri aut arcis, aliæ non: ac inſuper Eccleſia poteſt duob⁹ modis incaſtellari; primò ad inferendam vim vel injuriam hoſti-

hostibus, eosque expugnandos. Secundò ad defensionem tantùm vel personarum ecclesiasticarum, vel aliorum innocentium, qui non possunt se alio modo defendere. Si primo modo Ecclesia fuerit incastellata, potest expugnari, dirui & incendi, ac quæcumque mala subsequantur, etiam spiritualia, ut crematio imaginum, &c. totum fit præter intentionem. Si secundo modo Ecclesia fuerit incastellata, non est ei vis inferenda, neque innocentibus in ea existentibus: possunt tamen abduci omnia arma, & tormenta bellica, quæ ibi congregata fuerint, ne hostes illis utantur. Hæc & alia Lothus.

Petes, an sit licitum bellare die festo?

56. Resp. affirmativè, si id necessarium est ad defensionem Reip. Item, si hîc & nunc adsit opportunitas nocendi hosti non facilè alio tempore reditura: imò extra necessitatem & opportunitatem idipsum non videtur mortale, quia non est opus servile: veniale interim esse docent Sylvius, Bannes & alii, negantibus Molina, Becano, & aliis, saltem dum per functiones belli creduntur milites retrahendi potiùs à peccatis, quàm ab exercitiis pietatis, prout, inquiunt, communiter solet accidere: neque his obstat *capitul. treugis, de treuga & pace*, quia non est usu receptum.

Petes iterum, an justè bellantibus licitum sit uti insidiis?

57. Resp. affirmativè, quia insidiæ non sunt per se malæ, & sæpè sunt necessariæ, aut saltem multùm conducunt ad obtinendam victoriam: unde Josue 8. *cap.* contra urbem Hai iis usus legitur. Excipe tamen insidias, quæ fiunt per mendacia, aut violationem pacti initi, nisi fortè hoc vi, aut metu injustè incusso, fuerit extortum; vel nisi hostis priùs fidem fregerit.

DVBIVM SEXTVM.

De Duello.

An, & quando sit licitum?

58. DUellum est duorum vel paucorum pugna ex condicto inita cum periculo læsionis. Ad hoc condictum requiritur, ut duo conveniant de pugna facienda assignato anteà loco & tempore; quamvis, juxta Caspensem & alios communiùs, sufficiat, si locus & tempus in genere assignentur, ut si v.g. duo dicant: *Pugnabimus ubi, & quandocumque nos invenerimus*; vel secundùm Lezanam verbo *Duellum, n.* 3. dum unus existens in platea, aut alio loco publico dicit: *Exeamus hinc ad pugnandum*; ex tunc enim pugna est deliberata, & rejecta ad aliud tempus & locum: quidquid tamen plures ad formale duellum requirant, ut locus & tempus in individuo assignentur, id est,

eſt, locus certus, & tempus certum; quorum doctrinam ut probabilem admittit Lezana, ajens, abſolutè non eſſe duellum, quando aliquis inimico ſuo in Eccleſia, aut loco ſibi periculoſo, eò quòd alter habeat ibi adjutores, v. g. dicit: *Exeamus hinc:* quia hoc ab eo non dicitur ad deſignandum locum, ſed merè, ut fugiat Eccleſiæ irreverentiam, aut ſuum periculum. Adde, juxta Franc. B. Spei *de char. diſp.* 8. *num.* 145. & alios, non cenſeri duellum, quod fit quidem ex condicto, ſed durante iracundia, quæ ad hoc primum movit, ita ut ad actiones extraneas intereà diverſio facta non ſit: quia totum quod fit in calore iracundiæ, rixa potiùs dicendum eſt, quàm duellum. His poſitis

59. Dico primò, duellum eſt prorsùs illicitum, ſi fiat ad recreationem, aut artis vel virium oſtentationem: item ad explorandam veritatem rei dubiæ, de qua in judicio vel extra lis eſt; nec non ad vindicandam injuriam. Ratio primi eſt, quia ob finem tam vanum periculo mortis vel mutilationis ſe exponere, nimis inordinatum ac irrationale eſt: ad ſecundum verò finem, duellum eſt omninò ineptum, ut conſideranti patebit; eſſetque omninò ſuperſtitioſum, habere pro reo eum, qui ab altero ſuperatur, & econtrà. Ratio denique tertii eſt, quia illicita inprimis eſt vindicta privata, ac etiam ad injuriam vindicandam eſt hoc medium prorsùs ineptum, cùm is, qui injuriam paſſus eſt, æquè poſſit ſuccumbere, quàm alter: unde neque duellum licitum eſt ad vindicandam injuriam publicam. Vide P. Franc. *diſp.* 8. *n.* 49.

60. Dico ſecundò, licitum eſt, acceptare duellum ad defendendam vitam, ut, ſi quis injuſtè ab altero invaſus, non poſſit mortem evitare, niſi acceptando duellum: item ſatis probabiliter ad defendenda bona temporalia valde magni momenti. Ita Wiggers & Vidal. cum quibuſdam aliis. Ratio utriuſque eſt, quia talis pugna ex parte hujus, qui compulſus neceſſitate eam ſuſcipit, non erit propriè duellum, ſed juſta ſuiipſius, aut rerum ſuarum contra injuſtum invaſorem defenſio; atque hæc duelli oblatio eſt quaſi quædam permiſſio, ut alter arma accipiat, quibus ſe, vel res ſuas poſſit defendere, ut notat Wiggers 2. 2. *quæſt.* 41. *art.* 1. *reſol.* 5. ubi addit, in hoc caſu defenſionis bonorum temporalium per duellum, debere acceptantem prudenter poſſe judicare, commenſurando vires & dexteritatem ſuam cum viribus & dexteritate alterius, ſe per hoc non ſubire, niſi commune mortis aut mutilationis periculum, ſicut communiter ſubit, qui invaſorem bonorum ſuorum facientem reſiſtentiam aggreditur armis, ut ſua bona ſalvet: aliàs enim peccaret contra charitatē propriam, ſi manifeſto periculo mortis ſe exponeret ob bona ſua temporalia. ita ille. Verùm

61. Maxima difficultas hîc agitari ſolita eſt, an duellum ſit licitum ad defenſionem honoris ac famæ? Parti affirmativæ quoad duelli acceptationē, teſte Lezana, favet Hurtadus 2. 2. *diſp.* 170. *ſect.* 13. §. 106. Item Marchantius *in Tribunali to.* 2. *tr.* 6. *tit.* 3. *q.* 1. §. 3. *reſol.* 2. ſaltem ſi ex ſecutura infamia timeatur privatio officii, &c. Imò eam abſolutè ſuſtinet Vidal. *de duell. inquiſ.* 2. *fol.* 127.

fol. 127. non solùm quoad acceptationem, sed etiam quoad duelli indictionem: postquam enim varia supposuisset, sic loquitur: *Dicendum est, licitum esse duellum proprium & formale ad honorem in actuali aggressione, vel in actu proximo tuendum, qui tamen alicujus sit momenti, habitá etiam ratione personarum & circumstantiarum secundùm se concurrentium in illo tunc, dummodò tamen in illo temporis instanti alia via non pateat pro honore defendendo.* Ita Vidal. *loc. cit.* ubi hanc suam sententiam confirmare nititur quinque argumentis; pro viribus etiam satisfaciens undecim objectionibus in contrarium. Intereà ipsomet teste communis DD. sententia est negativa, etiam quoad duelli acceptationem; cujus sententiæ hæc ratio communiter redditur; quia ex recusatione duelli non contrahitur vera infamia, cùm à viris cordatis ac verè Christianis honori ducatur, nolle ob quamcumque causam transgredi mandata Dei & Ecclesiæ. Contrà hoc sententiæ communis (quam sequitur Lothus *tract.* 6. *art.* 4. dicens, neminem Christianorum concessurum, licitum esse causâ vitandæ infamiæ alterum ad duellum provocare, non legerat adhuc Vidal.) fundamentum insurgit Caramuel *Theol. fundam. fol.* 543. ubi ait, per illud DD. omnes difficultatem fugere, non verò solvere; quod enim quæritur, inquit, est, an in casu, quo quis veram infamiam incurreret, nisi duellum oblatum acceptet, vel ad illud alterum provocet, id ipsi licitum sit? ipsi autem conantur per suam sententiam solùm probare id, quod quæstio supponit, in praxi contingere non posse: unde difficultatem ad quæstionem de nomine revocantes, ejus directam resolutionem fugiunt: quod ipse, ad sententiam Vidal. omninò accedens, quodammodò explodit: quo tamen non obstante, ego plùs timens infinita incommoda, quæ ex sententia Vidal. & Caramuelis sequi possunt his temporibus, quando in Belgio nostro hîc casus à nobilibus nimis sæpè judicatur occurrere, quam explosionem Caramuelis; cum DD. præstantissimis difficultatem sensu allato potiùs fugiendam, quàm resolvendam judico: facilè namque quis falsò judicabit, sibi imminere veram infamiam ex recusatione duelli, adeòque hîc & nunc esse sibi licitum illud acceptare, si sciat ab aliquibus timoratis DD. defendi, in aliquo casu id speculativè licere ob defensionem honoris: diabolicâ enim fraude res istuc venit, ut animi gratiâ & nefandâ libertate duella indicantur, & nihilominùs qui illa refugiunt, in fama & honore periclitari videntur. Intereà hanc difficultatem benè resolutam habes apud Franc. B. Spei *de char. disp.* 8. *num.* 111. *& seq.* Quare igitur ad difficultatem positam

62. Respondeo & dico cum Lezan. verbo *Duellum n.* 16. *Pro defensione honoris; posse duellum acceptari, aliquibus forsan speculativè probabile videbitur, sed oppositum semper in praxi observandum: etsi enim apud vulgares & improbos (de quibus prudentes parum curare debent) ignominiæ tribuatur talis duelli recusatio, tamen apud sapientes & probos id honori adscribitur, tum propter honorem Dei, & Ecclesiæ reverentiam, tum propter magnas pœnas, etiam temporales & infamiæ, quæ ex duello*

sequuntur, propter quas non solùm pii & prudentes, sed improbi & vulgares debent laudare hominem illud recusantem. Hæc Lezan. *loc. cit.* cujus doctrinæ modò coacti sunt subscribere Vidal, Caramuel, & alii omnes: nam Alexander VII. per expressum decretum inter alias sequentem damnat propositionem. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* unde P. Mendo non potest ampliùs sustinere, oppositam esse probabilem, *saltèm ob authoritatem extrinsecam,* quod facit in Statera benignarum opinionum *differt.* 1. *quæst.* 21. §. 2. *n.* 249. idem repetens §. 4. *n.* 262. Quia tamen improbi (si omnes fermè nobiles & officiarios milites improbos dicere fas est) communiter dedecori vertunt, si nudè duellum recusetur his verbis, quæ à Lezana referuntur ad fugiendam omnem infamiam, *qui duellum incunt, infames in Ecclesia sunt, & propter hanc causam inter alias non admitto illud*; quia, inquam, hæc non repellerent omnem infamiam: pono hîc alios modos respondendi, ne durum nimium videatur alicui jacturam facere suæ famæ apud homines mundanos, præsertim nobiles suos consocios aut commilitones. Inprimis ergò juxtà Becanum, Petrum Fuliensem, Bassæum, Lothum & alios, licitum est ita se ad duellum provocanti respondere; *Ne putes me duellum recusare ex timore aut animi dejectione, sed præcisè quia Christianus sum, ac Deum offendere nolo: quare paratus sum me contrà te defendere ubi, & quando me aggressus fueris.* Imò, si neque per hoc adhuc integram suam famam quis conservare valeat, licitum dicit Hurtadus, gladium pugno apprehendendo dicere: *Ego hoc ense contrà te me defendam ubicumque me petiveris, quod hîc, si me aggressus fueris præstare paratus sum; exire autem ad locum condictum non est hominis Christiani obedientis legi Dei & Ecclesiæ.* Similia & ferè eadem verba habet Mendo *ubi suprà n.* 245. quibus licitum esse uti asserit juxtà veram doctrinam. Cùm igitur hoc vel simili modo abundè consulatur famæ ac honori cujuscumque; non video, quomodo unquam quis possit duellum acceptare ob periculum infamiæ: quare ipse Vidal, postquam sententiam suam per tria integra folia roborare conatus esset, in fine subdit, eam ob fragilitatem humanam proclivem ad injuriæ vindictam fieri practicè valdè difficilem. Illi verò, qui Christiano id respondenti minùs Christianè replicaret, *Acceptas hîc pugnare quia speras nos fore separandos per adstantes*; similiter replico, *& tu me citas cras vel post aliquas horas ad istum locum, ut fortè ab officiariis Regis detinear antè dictum tempus cum mea confusione, &c.* Hi modi respondendi positi sint ex doctrina Authorum citatorum; quia illos variis rationibus oppugnat Franc. Bonæ Spei *suprà num.* 120. *& seq.* ostendens, per illos formale duellum acceptari. Rejecerat autem in præcedentibus varia à Caramuele subtiliter, sed minùs ædificativè proposita: ac *num.* 128. meritò arguit Layman, Hurtad. Mendoz. Less. & Navar. quòd non audeant damnare nobilem provocatum se duello sistentem, merè defensionis gratiâ, cum spe prævalendi, privandum alioqui, ob ignaviæ suspicio-

cio-

cionem, dignitate, officio, vel favore Principis, vel maximè modò ob propositionem damnatam statim allatam.

63. Dico quartò, secundùm DD. communiter, licitum est duellum inter hostes, quando judicatur necessarium vel valdè utile ad justum bellum promovendum; ut si v. g. Princeps crederet, se non satis fortem esse, ut toto suo exercitu hostis exercitum superet, vel non nisi cum magna suorum strage, & speraret paucorum cum paucis pugnâ, se posse bellum feliciter conficere. Imò, id etiam licitum est juxtà Navar. Malder. Suar. & Wigg. si credat Princeps ejusmodi paucorum conflictu exercitum hostilem dejiciendum animis, proprium verò futurum animosiorem ac sic fortiorem suo modo. Ratio est, quia in his casibus cessat motivum, quod duellum reddit illicitum, eò quòd scil. duellantes se conjiciant in mortis periculum sine causa sufficienti, quod hîc minimè accidit; nam si in dictis casibus licitum sit ob dictos fines toto exercitu confligere cum periculo plurimorum, à fortiori licebit idem cum periculo paucorum præstare. Unde in his casibus non puto illicitum fore duellū hosti offerre, si aliter totus exercitus in periculo versetur, nihilq; aliud spectetur quàm ejusdem defensio, ita ut non offeratur animo vindicandi, sed defendendi præcisè. Ita Becanus post Valentiam; & P. Franciscus *loc. cit. n.* 138. addit, ex his justificari duellum sive pugnam Leckerbekanam, satis in Belgio notam.

64. Cæterùm, variæ sunt duellantium pœnæ: primò enim incurrunt excommunicationem, prout constat ex Trid. & Constitutionibus Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. qui ultimus eam sibi reservavit: atque hanc excommunicationem non solùm incurrunt manu propriâ in duello pugnantes, verùm etiam Reges, Principes & Magistratus, qui absque justa causa non prohibent fieri duella, vel post duellum commissum veniam sine punitione concedunt: item suadentes, consulentes, comitantes, socii, patrini, spectatores ex industria, id est, (*inquit Lezana*) qui ex composito, & non casu aliquo duellum aspiciunt; vel ut strictiùs Naldus & alii, qui ex conventione præhabita cum ipsis pugnaturis, ad locum certaminis causâ illud spectandi descendunt. An autem, & qualiter à dicta excommunicatione absolvere valeant Episcopi, & Religiosi communicantes in privilegiis Mendicantium; vide apud Lezan. verbo *duellum, num.* 13. qui *num.* 14. & 15. tangit alias duellantium pœnas; quas etiam habes in Tridentino *sess.* 25. *de reform. c.* 19. quásque omnes Gregorius XIII. in Bulla, *Ad tollendam detestabilem*, extendit ad duella privata, & sine solemnitate habita. Vide de his etiam Loth. *tr.* 6. *a.* 6. & 7. ubi latè & benè hæc discutit: ac Franciscus *num.* 142. in terminis habet; *Regulares privilegiati, extrà Italiam & in Urbe, absolvere possunt ab excommunicatione ob duellum incursa.*

65. Una ex aliis pœnis est privatio ab ecclesiastica sepultura in eo, qui in duello occiditur: cujus nomine an veniat is, qui ex læsione in duello facta posteà moritur; non conveniunt DD. multis asserentibus dum vulnus tale est, ut ne-

necessariò mors sequi debeat secluso miraculo, negat Diana cum pluribus (inter quos est Lezana *p.* 11. *tr.* 6. *res.* 26. ubi *res.* 27. docet, aspicientes, consulentes, *&c.* excommunicationem & alias pœnas non incurrere, si nesciant sub iis id esse inhibitum, quod probat ex celebri & nunquam obliviscenda doctrina (ut loquitur) quòd, *licèt quis novit rem esse prohibitam & mortaliter malam, si tamen ignoret, etiam vincibiliter, quòd imposita sit pœna excommunicationis, suspensionis,* &c. *non incurritur similis pœna*; pro quo ibi & alibi ab ipso citantur plures probati Authores.

Cum tamen funestâ experientiâ constet, prædictas pœnas non curari, optat P. Mendo in sua Statera *dissert.* 1. *quæst.* 21. §. 5. *num.* 274. adhiberi sequens efficacissimum & facile remedium, ut nimirum præcipiatur, quatenus nullus admittatur ad Ordinem equestrem, vel quodvis munus publicum Senatorium aut gubernii, vel ad dignitatem ecclesiasticam quamcumque, quin fiant informationes, in quibus rigidè inquiratur, *An candidatus provocaverit, aut acceptaverit duellum?* Statuatúrque, fore eorū impedimentum indispensabile: sicut & similem infallibiliter privandum fore quocumque munere vel dignitate, in qua est constitutus, à Judice cognoscente de duello, judicémque fore à munere suo deponendum, si id non exequatur: publiceturque eum notandum esse ut hominem infamem. Ita ferè ille.

DUBIUM SEPTIMUM.

De Scandalo.

§. I.

Quid & quotuplex sit, & quale sit peccatum?

66. Dico primò, scandalum est dictum vel factum minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis. Ita N. Urbanus cum omnibus communiter. Dico, *dictum vel factum*, quia scandalum solùm potest consistere in actibus externis, & quidem coram aliis exercitis: dicitur verò *minùs rectum*, vel quia in se malum est, vel quia habet speciem seu apparentiam mali. Sub dicto autem vel facto etiam comprehende omissionem alicujus dicti vel facti, quod dici aut fieri deberet.

67. Dico secundò, scandalum aliud est activum, aliud passivum: activum jam definitum est: & est duplex, unum est per se tale, in quo scil. directè intenditur alterius ruina spiritualis, quod ab Urbano dicitur

citur scandalum particulare, ab aliis formale: aliud est tantùm tale per accidens, quod indirectè & interpretativè est talis causa; & id Urbanus vocat scandalum generale, alii materiale. Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis, seu peccatum alterius ortum ex dicto vel facto minùs recto, vel etiam recto. Undè scandalum passivum est etiam duplex: unum datum, quod ex activo oritur, diciturque pusillorum; alterum acceptum quod magis procedit ex malitia ejus, qui scandalizatur, & hoc vocatur Pharisaicum. Hinc constat sæpè dari scandalum activum sinè passivo, ut quando quis alterum intendit ad malum trahere, & alter malum non facit: item è contrà sæpe dari passivum sinè activo, quale erat in Pharisæis, qui ex bonis Christi operibus scandalizabantur, à quibus hoc scandalum dicitur Pharisaicum: sæpiùs tamen datur utrumque scandalum simul, dum unus sequitur malum exemplum alterius.

68. Dico tertiò, scandalum omne tam activum, quàm passivum absolutè loquendo, est peccatum: tam enim dare causam ruinæ spiritualis alterius, quàm ruinam spiritualem in seipso pati, malum est. Neque de hoc est controversia inter DD. Quòd verò dici posset, scandalum non esse voluntarium, sed necessarium juxtà illud *Matth.* 18. *necesse est, ut eveniant scandala,* adeoque non posse esse peccatum, non urget; quia imprimis id non est absolutè necesse, sed tantùm pensata hominum perversitate, qui à malis non abstinent: deindè solùm necesse est necessitate finis; quia nimirum utile est ad hoc, *ut qui probati sunt, manifesti fiant,* ut docet D. Thomas hîc *art.* 2. *ad* 1.

69. Dico quartò, scandalum activum, quod per se tale est, est peccatum speciale oppositum charitati ac misericordiæ spirituali: charitas namque & misericordia ex proprio munere præcavent omne damnum spirituale proximi; neque de hoc etiam dubitatur à DD. Quare qui consilio aut aliter dicto aut facto alterum directè inducit ad peccatum, intendens scil. ipsius ruinam spiritualem, peccat duplici peccato; peccato nimirùm istius speciei, ad quod alium trahit; qui enim est causa peccati, ejusdem & reus est: ac deindè peccato speciali scandali, quorum utrumque tenetur in confessione explicare. Ita P. Franc. cum cæteris satis communiter. Nec refert, quòd fortè non sequatur alterius ruina; quia equidem ipse habuit voluntatem fixam, & intentionem in altero eam causandi.

70. An scandalum activum, quod citrà scandalizantis directam intentionem est occasio ruinæ spiritualis proximi, sit etiam speciale peccatum? Multùm controvertitur. Utrumque posse probabiliter sustineri, asserit Cornejo *to.* 1. *tr.* 6. *disp. ult. dub. ult. n.* 11. quidquid P. Franc. B. Spei affirmativam sententiam sustineat. *de char. disp.* 8. *num.* 148. si adsit voluntarium interpretativum. Verùm, cùm in ordine ad praxim nihil vel parùm referat, sive sit speciale peccatum scandali, sive non: ideo eam difficultatem Scholasticis relinquo, quam bene discutit di-

ctus P. Franc. *Comment.* 2. *to.* 4. *disp.* 8. *dub.* 6. Quòd autem in ordine ad praxim id parum referat, docent Bannez, Bassæus, Busenb. & Sanch. Ratio est, quia quidquid dicatur, equidem malitia scandali est in confessione exprimenda; nam spectat reductivè ad speciem peccati, ad quam pravum exemplum inducit. Undè incitans alium ad peccatū, quod ipsemet committit, licèt animo alterum incitandi non faciat, duplicis peccati est reus, proprii scil. & alieni, licèt ejusdem sint speciei: ad quod tamen requiritur, ut attentis omnibus circumstantiis, & personæ agentis, & alterius videntis, probabiliter existimari possit, quòd talis actus inordinatus sit futurus occasio ruinæ spiritualis in vidente; aliàs enim non censeretur similis actus causa moralis peccati alterius. Quare, si quis peccet coram iis, qui antea ad peccandum eodem genere peccati parati erant, vel coram viris piis ac ita in bono constantibus, ut nullus eorum per malum alterius exemplum ad idem malum credatur incitandus, non tenetur hanc circumstantiam explicare. Atque hinc censet Sanchez, multos à peccato scandali excusari, eò quòd ipsi tam pravis moribus imbuti sint, ut de eorum exemplo nihil curetur, nec inde argumentum sumatur ab aliis ad iisdem vitiis vacandum: vel etiam, quia eorum exempla sequentes, ita ad peccandum sunt faciles, ut aliorum exempla respectu illorum non censeantur moralis inductio ad peccandum: quæ maximè locum habent in sententia docente, tunc solùm à nobis contrahi malitiam scandali indirecti, quando nostro facto vel verbo proximum conjicimus in gravem difficultatem & tentationem, cui difficillimè possit resistere. Sed, si hæc sententia vera est, rarò committetur peccatum scandali indirecti; cùm tamen sacra Scriptura toties inclamet: *Væ mundo à scandalis; necesse est ut eveniant scandala, &c.* quare tu ista rigidiori nostræ sententiæ. Nec etiam sequaris sententiam, quam ex Lugo adfert Tambur. *in met. exp: conf. l.* 2. *c.* 1. §. 17. *num.* 105. nimirum in peccato scandali indirecti, licèt prævideatur peccatum proximi, non esse explicandam speciem peccati, ad quam proximus inducitur, sed sufficere quantum est ex hac parte, si dicatur, se per scandalum fuisse causam peccati alterius, sive scandalum fuerit in materia homicidii, furti, aut luxuriæ. Ne hanc sententiam sequaris, inquam; quia præterquam quòd sit contra communem, videtur mihi quòd inducens alium ad peccatum carnis, etiam indirectè & interpretativè omnino velit tale alterius peccatum: quare parum ante dixi cum communi, peccatum scandali etiam indirecti spectare reductivè ad speciem peccati, cujus scandalum est causa. Interim Lugo hanc adfert suæ sententiæ rationem: quia scandalum indirectum solùm est contra charitatem debitam proximo, non vero contra alias virtutes particulares, quæ nos non obligant, saltem graviter, ut vitia contraria in aliis impediamus, sed solùm ut ea illis positivè non suadeamus, vel mandemus. Ita Lugo.

Addo insuper Palao *tract.* 23. *punct.* 9. *num.* 12. citatis D. Thoma, Vasquez, & Sua-

& Suares, docere, inductionem quidem esse speciale peccatum scandali, quando est ad actum inducto peculiarem; verùm non esse speciale peccatum, sed meram circumstantiam, quando fit ad actum inducenti & inducto communem: quam doctrinam etiam amplectitur Burghaber *centur.1. casu* 70. Exemplum ponens in Placido per munera v.g. inducente Placidiam, ut secum adulterium committat, quem dicit non committere speciale peccatum scandali, etiam adulterio secuto. Vide infrà *numer.*82.

71. Dico quintò, scandalum, etiam per se activum, sive particulare aut formale, interdum est veniale tantùm, interdum mortale. Veniale est, dum per illud intenditur solùm peccatum veniale alterius; quidquid Urbanus *tract.1.cap.15.* multùm dubitet, utrum ex levitate peccati, ad quod proximus inducitur, possit ejusmodi scandalum esse leve. Mortale verò erit scandalum, dum mortale peccatum intenditur, nisi indeliberatio quemquam excuset. Nec sequitur, peccatum veniale proximi est major ruina quocumque damno temporali; ergo qui illud directè intendit, mortaliter delinquit, ut argumentatur Vasquez: quia ad gravitatem culpæ discernendam, non est conferendum damnum culpæ venialis cum damno temporali: sed quodlibet damnum spectari debet in suo genere; adeoque damnum culpæ venialis, quod in ordine spiritualium est leve, non constituit nisi culpam levem. Ita Sanch. *in Decal.lib.1. cap.6. num.*10. Petrus Fuliensis, & Franciscus N. *de char. disp.*8. *num.*150. quod ulteriùs puto colligi ex eo, quòd Deus non prohibuerit leve damnum spirituale proximo inferre, nisi sub levi culpa, sicut id non aliter prohibuit inferre sibi ipsi.

72. Adverte autem, actum illum, qui scandalum creat, etiam mortalem esse, si ex se sit inducens periculum peccati mortalis, licèt tantùm intendatur peccatum veniale: quia tunc interpretativè intenditur grave alterius peccatum; ut si v.g. Religiosus coram fœminis verba inhonesta, imo & otiosa proferendo, solam inanem delectationem intenderet, posset sæpè mortaliter peccare; quia adstantes facilè inde periculum gravis ruinæ possent concipere. Atque hinc Urbanus *tract.1. cap.15. citato*, notandum monet, scandalum etiam generale suscipere magis & minus ex circumstantiis personarum, quæ illud generant; sic enim, inquit, mendacium leve in Prælato, aut viro maturo majus omnino scandalum creat, quàm in puero aut plebejo mendacium grave: item dissidium inter Ecclesiasticos, quàm inter mulieres per se litigiosas: quorum ratio est, quòd ex dictis vel factis aliquorum major accipi soleat à pusillis occasio scandali, quàm ex gestis aliorum.

§. II.

§. II.

An ob ſcandalum omitti debeant opera ſpiritualia?

73. DIco primò cum D. Thoma, & cæteris poſt ipſum, opera ſpiritualia ad ſalutem neceſſaria non ſunt omittenda propter ſcandalum; imo omitti non poſſunt, ſi aliàs abſque peccato omitti nequeant. Ratio eſt, quia ordo charitatis poſtulat, ut homo magis ſalutem propriam procuret, quàm alienam; ex quo capite nemo peccare poteſt, ut alium à peccato præſervet. Hinc nunquam ceſſat obligatio præceptorum negativorum ob periculum cujuſcumque ſcandali, adeoque nunquam etiam ob grave ſcandalum vitandum, licitum eſt vel leviter mentiri: quia quodcumque malum, etiam minimum, non eſt eligibile ad finem bonum, ut docet idem S. Doctor. Nec obſtat, quòd peccatum veniale gratiam non auferat, adeoque nec adimat ſalutem ſpiritualem; nam eo non obſtante, adhuc peccatum veniale, in quantum ad mortale diſponit, & familiaritatem cum Deo minuit, vergit in detrimentum ſalutis.

74. Dico ſecundò, nunquam omitti debent opera ſpiritualia, licèt ad ſalutem, neque abſolutè, & ſecundùm ſe, neque hîc & nunc ſint neceſſaria, ob ſcandalum phariſaicum. Videtur id clarè colligi ex Chriſti verbis *Matth.* 15. ubi de Phariſæis (qui ex ſermone Chriſti ſumebant occaſionem peccandi,) Apoſtolis dicit: *Sinite illos, cæci ſunt.* Adde tamen, ſi nulla ſubeſſet cauſa hîc & nunc opus tale ſpirituale exercendi, tunc ex charitate ſemel aut iterum eſſe omittendum; quia charitas abhorret ab omni eo, quod Deum offendit. Dico *ſemel aut iterum*, nam nimis durum foret, ſæpius talia opera ſpiritualia conſueta omittere ob nequitiam aliorum, qui frequenter ex ſua malitia ſic alterius bona ſpiritualia ſtudent impedire.

75. Dico tertiò, opera ſpiritualia ad ſalutem non neceſſaria, ob ſcandalum puſillorum ſunt interdum omittenda, interdum differenda: quod ultimum communiter à DD. declaratur in illo, qui intendit ingredi Religionem, quem dicunt obligari ſimilem ingreſſum differre, ſi prævideat ſuos parentes ex ignorantia, vel infirmitate inde accepturos peccandi occaſionem, ut v.g. filium, aut Religionem odio habendi, aut damnificandi, vel inſtitutum Religionis blaſphemandi. Hanc reſolutionem Adrianus, Valentia, Layman, Wiggers, & alii extendunt ad opera ſpiritualia præcepti Divini affirmativi, ſi ex hujus impletione timeatur gravis ruina puſillorum, & omiſſio dictæ impletionis non ſit æquè, aut magis damnoſa omittenti.

Horum

Horum Authorum ratio est, quia concurrentibus duobus præceptis, quorum non potest utrumque simul servari, observandum est quod magis obligat: jam autem præceptum naturale de non scandalizando proximo plus obligat, quàm quodcumque Divinum affirmativum. Unde juxta horum Authorum probabilem sententiam, qui cognosceret Confessarium ex infirmitate graviter scandalizandum ex aliquo peccato in confessione audito, teneretur illud silere. Item mulier, quæ cognosceret ex aspectu sui aliquem *in particulari* sumpturum periculum gravis ruinæ spiritualis ex infirmitate, posset, ac teneretur Sacro abstinere die festo, saltem semel aut iterum: quod addo, quia nimis durum foret, semper aut valde sæpè debere abstinere à similibus operibus præceptis. Dixi item, *in particulari*, quia (ut aliqui notant) ob timorem scandali in communi, vel aliquorum indeterminatorum abstinere ab opere præcepto, esset etiam nimiùm difficile, causaretque plurimos scrupulos. Similiter uxòr tenetur juxta eandem sententiam semel aut iterum à jejunio præcepto abstinere, si aliàs prævideat inde maritum graviter offendendum, aut oriundam magnam discordiam. Verùm

76. Dictorum Authorum sententiæ se opponunt alii etiam probati Authores, Becanus, Petrus Fuliensis, & Franc. B. Spei; qui duo ultimi pro se citant D. Thomam: atque horum quoque sententia est valde probabilis; nam cùm impletio operis præcepti, nec in se sit mala, nec speciem mali contineat, si quis inde scandalizetur, scandalum non erit datum, sed acceptum: nec refert, quòd id proveniat ex infirmitate; quia non est mihi licitum peccare omittendo opus præceptum, ut in alio peccatum vitetur. Quòd verò dicatur, præceptum de vitando scandalo esse naturale, etiam non refert, quia non est præceptum absolutum, sed obligans tantùm in certis circumstantiis, quarum una est, ut opus, ex quo timetur scandalum, non sit sub præcepto, eò quòd homo magis teneatur vitare peccatum proprium, quàm alienum; ac consequenter præceptum, quod mihi est impositum, ut vitem peccatum proprium, plus teneor adimplere, quàm præceptum de vitando scandalo proximi, quod mihi solùm impositum est ad vitandum peccatum alienum. Dum igitur dicitur, præceptum naturale plus obligare quam positivum, intelligi debet, si cætera sint paria, ut v. g. quando utrumque præceptum primariò refertur ad propriam salutem procurandam, vel proprium peccatum vitandum. Nec propterea dici debet, præceptum positivum derogare præcepto naturali: quia, ut dictum est, solùm removet circumstantiam aliquam, in cujus absentia præceptum naturale non obligat, prout facit hoc præceptum positivum: *Occide hunc malefactorem*, respectu præcepti naturalis, *non occides*, quod huic minimè derogat. Quare juxta hanc sententiam non minùs probabilem, mulier, uxor, &c. ad supradicta non solùm disobligantur, sed nec licitè ea possunt facere, nisi fortè adsit casus, in quo per je-

junium uxor redderetur incapax ad reddendum debitum, vel ad alias functiones suas debitè obeundum. Vide P. Franc. *de Char. disp. 8. num. 161.*

§. III.

An interdum licitum sit petere, vel consulere, quod alter non est facturus absque peccato?

77. DIco primò, petere aliquid, quod sine peccato fieri potest, licèt constet alterum id absque peccato non facturum, non est peccatum, si adsit rationabilis causa petendi: sic v.g. non peccat petens mutuum ab usurario, exigens juramentum ab eo, qui noscitur juraturus per Deos falsos; item petens Sacramenta à malo ministro, &c. quia hæc & similia ex causa rationabili petens, petit quod æquum & justum est, quodque alter potest rectè facere si velit, ac petendo utitur jure suo: quare nulla est inductio ad malum, nec consensus in illud, sed vel mera illius permissio, vel potiùs non nisi oblatio materiæ ex se licitæ, qua alter ex sua malitia abutitur ad peccandum: quod, si tamen nulla adesset causa rationabilis, ex Charitate teneretur quilibet similia à talibus non petere; Charitas enim exigit, ut alteri non detur occasio novi peccati, ubi & quando fieri potest sine incommodo.

78. Dico secundò, simpliciter loquendo, semper est peccatum scandali, petere, suadere, vel consulere id, quod ab altero sine peccato fieri nequit: hoc namque est alterum directè inducere ad peccatum. Nec obstat, quòd fortè alter paratus sit id facere; quia adhuc jam ad opus non prodiret, nisi tu ad hoc causam, sive occasionem dares, ac tu hoc ipso approbas idem malum: unde peccatum scandali committit, qui alium invitat ad comœdias inhonestas, quia spectaculum illud est valde periculosum. Excipit tamen Hurtadus apud Dianam *p. 11. tr. 5. res. 53.* illos, qui rectè nôrunt, amicum, quem invitant, in nullum induci periculum: item eos, qui non rogant amicum, sed nudè proponunt, an velit ire, ita ut facilè sine rubore aut alio incommodo possit recusare: verùm Diana periculosam judicat hanc invitationem.

79. Dixi *simpliciter loquendo*, quia consulere, vel suadere peccatum minus ei, qui jam absolutè decrevit committere peccatum majus, non est peccatum, neque scandalum: quia tale consilium non fertur in malum absolutè sive secundùm se, sed sub ratione boni, videl. quatenus est evitatio majoris mali: non enim consulens in eo casu dicit absolutè: *Fac malum, vel fac malum istud*; sed sub conditione hoc modo: *Si omnino resolveris facere malum, potiùs elige minùs, & abstine à majori*: neque per hoc alter ad malum inducitur, cùm jam ex sua prava voluntate firmiter statuerit patrare majus malum,

nec

nec aliunde possit (ut suppono) à proposito flecti, quàm consulendo malum minus. Hæc sententia est multorum probatissimorum DD. quos in magno numero citat Vidal. *de precepto charitatis, inquis.4. fol.43.* qui hanc suam sententiam confirmat variis exemplis sacræ Scripturæ; quidquid Franc.B.Spei *de charit.disp.8.num.156.* requirat, ut alter sit simul determinatus ad malum majus vel minus. Hinc parato committere adulterium licitè consulitur, ut fornicetur, ea videl.intentione, ut vitetur adulterium, quod aliter impediri non potest: debet interim moraliter certum esse, alterum commissurum adulterium. Ex his etiam non peccant parentes aut Domini, qui filiis aut famulis non auferunt occasionem furandi, ut eorum fidelitatem experiantur, ipsosque deprehensos in parvo furto castigent, ac sic impediant imposterùm à furto majori perpetrando: non est tamen iis licitum, saltem probabiliùs, prædictis offerre occasionem furandi, quia hoc esset cooperari eorum peccato; quamvis per ignorantiam invincibilem in hoc plures excusari possint. Imo absolutè loquendo, similes excusat Layman, eò quòd formaliter non cooperentur peccato, sed hoc, præcisè materiam peccati minoris ministrando, permittant ad majora mala vitanda. An verò peccaret, & teneretur ad restitutionem, qui, ut averteret furtum majus ex bonis Pauli, consuleret fieri furtum minus ex bonis Philippi? Negativè respondet Pontius, sive fur sit indifferens ad utrumque, sive determinatus ad primum, nihil cogitans de secundo. Quia in neutro casu facit injuriam Philippo; debet enim potius respicere honorem Dei, quàm emolumentum Philippi: si ergo aliter non possit impedire furtum majus ex bonis Pauli, poterit consulere minus ex bonis Philippi. Ita Pontius *in cursu Theologiæ, quæst.9.concl.2.num.56.* Verùm Diana affirmativè respondet quoad utramque partem: cujus ratio est, quia licèt fur sit indifferens ad furandum plus à Paulo, vel minùs à Philippo, in quo est major difficultas, quàm si de furto minori à Philippo non cogitaverit, injuriam facit Philippo, qui determinat voluntatem furis in particulari, ad inferendum ipsi malum: tantum enim habet juris Philippus, ut sibi servetur res sua integra, quæ minoris est pretii, quàm Paulus, ut sibi servetur res sua, quæ majoris est momenti. Hæc Diana *part.11.tract.6.resol.58.* ubi in fine subdit; sed si quis quærat, an si fur sit determinatus ad furandum æqualem quantitatem à Petro vel Phillippo, indeterminatus autem à quo velit, amicus Pauli possit consulere, ut furetur potius à Philippo? Affirmativè respondet Pontius cum Cardinali Lugo, quia amicus ille debet potiùs prospicere amico avertendo furem ab ipsius damno, quàm non amico, nec rationabiliter potest Philippus conqueri, quòd conditionatâ voluntate voluerit amicus potius malum ipsius, quàm amici. Ita idem Dian. de quo tamen ipse nullam fert sententiam.

Petes, an semper sit peccatum scandali, materialiter cooperari alterius peccato?


80. Respondeo, si opus sive cooperatio ex se sit indifferens, vel etiam bona, fiatque rectâ intentione, atque ex rationabili causa, nullum committitur peccatum, dum aliter peccatum alterius impediri absque damno proprio non potest: sic à DD. excusantur famuli Herum comitantes, dum adit domum meretricis, si aliter absque suo damno facere nequeant: item locantes domum meretricibus; quos Bassæus à mortali excusat, licèt nulla adsit urgens ratio, & eam aliis commodè locare possint: quia, inquit, locatio domus est nimis à peccato remota, & locantes utuntur jure suo. Hæc tradit etiam Franc. B. Spei *de char. disp.* 8. *num.* 159.

81. Cæterùm, ut aliqua cooperatio in malo sinè peccato fiat, gravior vel levior requiritur causa, secundùm quod peccatum alterius est majus vel minus; secundùm quod probabiliùs peccatum alterius absque tua cooperatione non est futurum; secundùm quod idem peccatum est magis contrà justitiam; secundùm quod magis vel minus juris habes ad cooperationem materialem; ac deniquè secundùm quod tua cooperatio magis attingit alterius peccatum. Unde gravior causa requiritur, ut famulus activè concursu physico ad peccatum Heri concurrat v.g. vehendo concubinam ad domum sui Heri, vel pedem Heri sui sustinendo, aut scalas admovendo, ut per fenestram intret ad concubinam, vel ad furandum, &c. Neque hæc justificabit communis ratio famulatus; sed requiritur, ut aliàs grave damnum sibi timeatur, ut v.g. si aliàs Herus famulum expelleret, unde cogeretur mendicare aut penuriam pati; vel etiam, si ob tale obsequium negatum timeat debitâ mercede privari, &c. Ita Urban. *tr.* 1. *c.* 15. Ratio ipsius est, quia hæc omnia sunt justa per se & honesta ministeria omninò abstrahentia ab illo malo aliorum usu, & aliundè paterentur famuli grave damnum. Intereà tamen Layman non audet excusare famulum ferentem Heri sui amatorias litteras ad concubinam; quia, ait, id vix accidit sinè aliqua inductione mulieris ad peccatum, adeoque speciem lenocinii continere videtur. Quibus adde, licèt probabiliter absque causa urgenti (ut dictum est) posset domus locari meretrici, illicitum tamen esse, ei locare domum, quæ propter situm vel aliundè est valdè apta ad meretricandum; nisi fortè sine gravi incommodo aliis locari non possit. Pro hujus materiæ complemento

82. Adverte ex Sancio *in selectis*, Lugone, & Vasquez, quando quis positivè invitat alium, sollicitatque v.g. puellam cum qua deinde peccat, non debere eum esse sollicitum explicare, se fuisse primum ad alliciendum: eadem enim malitia (inquiunt) est, licèt non tam gravis, quando non invitans cum illa peccat; adhuc enim particeps est ejus peccati. Ita illi contra Sanchez, Bonacinam & alios. Vide dicta suprà *num.* 70. *in fine*: & adde, quidquid de hoc sit, de eo quando quis sollicitavit, sed posteà non est commissum malum, vel non nisi longo tempore subsecuto, debere id explicari, cùm illud sit peccatum sollicitationis distinctum ab ipso opere.

An

An verò, & quomodo explicari debeat numerus hominum, quibus scandalum est creatum, eruitur ex dictis *tract. 1. disp. 4. num. 27. & seq.* His igitur juxtà institutum nostrum de virtutibus Theologicis breviter dictis, sequitur.



TRACTATUS IV.

De Iure, & Iustitia.

1. JUstitia virtus est latissimè se extendens, utpotè quæ locum habeat in omnibus ferè negotiis, in quibus est inter homines communicatio; éstque pacis humanæ stabile fundamentum: quare ejus notitia omnibus omninò admodum utilis est, ac necessaria iis; quibus incumbit alios quoad conscientiam instruere & dirigere· undè meritò à Theologis ea, quæ ad justitiam spectant, exactè tradi solent. Antequam tamen de ea in particulari agamus, priùs de ejus objecto, & aliis ad plenam ejus notitiam necessariis pauca dicenda occurrunt: quare sit

DISPUTATIO I.

De Jure in communi, & Dominio.

DUBIUM I.

Quid & quotuplex Ius?

2. DIco primò, Jus, quod est objectum justitiæ, idem est quòd æquum, seu alicui rigorosè debitum, ex quo quis habet potestatem legitimam ad aliquid faciendum, obtinendum, retinendum, utendum, accipiendum, *&c.* à quibus non possit per alios impediri sine injuria, nisi adsit urgens ratio. Dixi *potestatem legitimam,* id est, legibus consentaneam: aliàs enim, si solùm habeatur per nudam potentiam, vel virium robur, non est jus, sed vis potiùs & injuria. Adde per *facere,* intelligi negotiari cum concivibus vel populo vicino, incedere per viam regiam, habere transitum per terram alienam, *&c.* Per *obtinere,* intelligitur acquirere officium, benefi-

 cium,

cium, *&c.* Per *retinere*, continuare possessionem rei suæ. Per *uti*, usurpare membra aut alias res suas. Per *accipere* denique, acceptare ea, quæ gratis offeruntur. Additur autem in fine, *à quibus non possit per alios impediri sine injuria, nisi adsit urgens ratio*; quia hâc occurrente (ut v. g. dum publicum ac commune bonum id postulat, aut alicujus delictum id meretur) potest quicumque ab illa potestate sine injuria impediri. Alii breviùs jus dictum hoc modo describunt, quòd scil. sit legitima potestas ad rem, functionem, vel quasi functionem obtinendam: & Franc. B. Spei illud definit: *Justum alteri debitum per æqualitatem servandum.*

3. Dico secundò, jus primò dividitur in naturale & positivum: naturale est, quod alicui competit de lege naturali: positivum, quod de lege positiva, Divina vel humana, ecclesiastica vel civili. Ulteriùs, dividitur etiam in jus in re & jus ad rem. Jus in re dicitur illud, quod facit rem ipsam alicui obligatam, ita ut pariat actionem realem. Jus ad rem verò est illud, quo res necdum est obligata secundùm se, sed tantùm tribuit actionem in personam, ut talem rem quis faciat suam: undè hoc jus parit tantùm actionem personalem, sive, ut in judicio, agas contrà personam, quæ tibi circà hoc jus adversatur. Ita ferè Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 2. num.* 8. Ut quis habeat jus in re, tria requiruntur: primùm, ut res sit existens: secundum, ut adsit justus titulus v. g. emptionis, donationis, *&c.* tertium, ut res sit tradita. Ita DD. communiter. Defectu primi, beneficiati non habent jus in re circà fructus suorum beneficiorum, qui sequenti anno iis debentur, eò quòd scil. necdum existant. Defectu secundi illi, qui per iniquum contractum aut furtum rem aliquam possident, non habent jus in re circà talem rem, quia videl. deest justus titulus. Defectu tertii denique, qui emit equum vel mancipium v. g. nondum sibi traditum, non habet jus in re ad ea, sed ad rem tantùm; ubi verò traditio accesserit, habebit jus in re, ac si quis ea abduxerit, poterit agere non solùm contrà abducentem, sed etiam in rem ipsam, ubi eam invenerit. Similiter defectu tertii non habet quis jus in re circa bona sibi debita ex contractibus societatis aut donationis, ex electione canonica jam facta; imò neque ex ipsâ collatione beneficii, vel successione hæreditatis antè acceptationem: per hos igitur titulos præcisè non habetur aliud, quàm jus ad rem, sive actionis in personam sibi in his casibus adversantem. In casu tamen beneficii ecclesiastici non requiritur vera & realis traditio, sed sufficit collatio & acceptatio, ut habetur *cap. si tibi absenti de præbendis in 6.* licèt tamen ad possessionem beneficii traditio, & ejus quasi apprehensio per aliquẽ actũ, ut sessionem in cathedra Episcopali v. g. requiratur.

4. Tertiò jus dividi solet in jus simpliciter, & jus secundùm quid. Ad jus sive debitum simpliciter etiam tria requiruntur; primum, ut sit ad alterum; secundum, ut intercedat ratio debiti rigorosi; tertium, ut constituatur per illud æqualitas: unde si unum ex tribus desit, erit solùm jus secundùm quid: verùm de hoc utroque jure commodiùs infrà agetur.

DVBIVM SECVNDVM.

Quid & quotuplex dominium?

5. DIco primò, dominium in genere est jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua tanquam sua. Ita omnes communiter. Per *suum* intellige illud, in quod aliquis habet jus tale, ut possit de eo disponere sine alterius commissione. Dominium igitur duo includit, potentiam ac authoritatem in rem vel personam, & subjectionem rei vel personæ talem, ut res aut persona dici possit esse alterius; qui enim talem potestatem non habet, non potest verè dominus vocari.

6. Dico secundò, dominium aliud est jurisdictionis, aliud proprietatis: primum est jus gubernandi suos subditos in ipsorum utilitatem & commodum, videl. præcipiendo, prohibendo, judicando, puniendo ac præmiando: secundum verò est jus disponendi de re aliqua tanquam sua in ordine ad commodum proprium.

7. Dico tertiò, dominium jurisdictionis tot modis dividi potest, quot modis dividitur jurisdictio, à qua vix videtur distingui: unde aliud est dominium jurisdictionis ecclesiasticum, aliud sæculare. Dominium proprietatis etiam est duplex, perfectum sive plenum, & imperfectum: dominium perfectum, quod rei proprietatem ejúsque commodum includit, est jus in re ad quemlibet ejus usum lege non prohibitum, & vocatur alio nomine dominium in solidum: dominium imperfectum est, quod rei proprietatem vel ejus commodum tantùm includit, unde non est jus ad quemlibet rei usum: éstque etiam duplex, directum, quod in sola rei proprietate consistit, & utile quod consistit in sola rei utilitate. Ita omnes post Bartholum, quamvis in rigore dominium utile non videatur esse verum dominium. Vide Franc. *disp. 3. num. 2.*

Petes, quæ requirantur ad acquisitionem dominii alicujus rei?

8. Respondeo ad acquisitionem dominii, quod non transferatur ab uno ad alium, sola rei apprehensio sufficit: ita enim acquiritur dominium omnium eorum, quæ nullius sunt. Si verò dominium transferatur, requiritur insuper titulus & traditio, prout habetur *lege traditionibus 22. cap. de pactis*: excipe tamen casus sequentes, in quibus traditio non est necessaria; primò in translatione beneficii, cujus dominium acquiritur per solam collationem & acceptationem, ut antè dictum est. Secundò in acquisitione hæreditatis; hujus enim fis dominus eam adeundo, quod facis dum verbo vel facto eam acceptas. Tertiò in legatis, quorum quis fit dominus, quamprimùm hæres acceptat hæreditatem. Quartò etiam traditio non est necessaria cum aliquid venditur, donatur, aut relinquitur civitati, locis piis, aut pro causa pia. Quintò excipitur contractus so-

cietatis omnium bonorum per matrimonium. Sextò denique quando alicui datur v. g. domus sub conditione alendi ipsum dantem; si hoc non fiat quamprimùm, sine traditione redit domus ad dantem. In omnibus autem aliis ordinariò requiritur traditio.

9. Nota tamen, si una res pluribus sit vendita, tradendam esse primo emptori; quòd si verò tradita fuerit secundo, cui de priori venditione non constitit, fit ipse dominus; secùs, si huic secundo fuerit data gratis: atque hæc omnia diversis legibus sunt statuta, ut legenti Authores constabit.

DVBIVM TERTIVM.

Quinam sint dominii capaces?

10. Dico primò in generali, omnis & sola natura rationalis est capax dominii. Ratio secundæ partis est, quia ad rationem dominii requiritur potestas disponendi de re sua, quæ creaturæ irrationali competere non potest: ratio verò primæ partis est, quia omnis natura rationalis est libera. Habet igitur Deus dominium perfectissimum in omnes creaturas, item & Angeli in actus suos liberos, sicut & habent jus, ne in fama lædantur. Verùm hîc communiter DD solùm agunt de dominio hominum: circà quod

11. Dico secundò, præterquam quòd injusti sive peccatores sint veri domini rerum suarum, ut contra Wiclef, Joannem Hus & alios hæreticos definitum est in Concilio Constantiensi *sess.* 8. & 15. Etiam pueri & amentes verum dominium possunt habere: licèt enim pueri & amentes ratione uti, & in ordine ad finem de rebus disponere non valeant, habent tamen intellectum & voluntatem rationalem, adeòque & fundamentum veri dominii: neque enim requiritur actualis usus rationis, ut patet ex Apostolo *ad Gal.* 4. quamvis tamen lege sancitum sit, ut dominium eorum per procuratores administrari debeat.

12. Dico tertiò, filius familias habet plenum dominium bonorum castrensium & quasi castrensium, licèt sub patria potestate sit: undè potest de his bonis omnimodè disponere testando, donando, &c. modò sit pubes, id est, quatuordecim annorum; quia proprietas, ususfructus, & administratio dictorum bonorum ad ipsum solum pertinent, de quo jura sunt clara *cap. de peculio castrensi*. Bonorum autem adventitiorum habet solum dominium directum sive proprietatis, quamdiu est sub patria potestate: bonorum verò profectitiorum nec habet dominium directum, neque utile. Vide Franc. B. Spei *de Jure & Iust. disp.* 3. *n.* 63. *& seq.* Quænam sint bona castrensia, quasi castrensia, &c. diximus agentes de misericordia corporali. Solum hîc

13. Adverte, patriam potestatem esse jus, quod habet pater in filium ejúsque bona; atque hæc potestas non compe-

rit

tit matri: liberatúrque filius à patria potestate secundùm multarum Provinciarum consuetudinem, primò per matrimonium solemnisatum. Secundò per professionem religiosam. Tertiò per emancipationem, quæ debet fieri præsentibus & consentientibus patre & filio coràm judice: qui tres modi ab omnibus passim observantur, quidquid alii non videantur ampliùs esse in usu, propter quod iis non immoror.

14. Dico quartò, servus est dominus omnium bonorum, quæ ipsi à Domino dantur in recompensationem injuriæ illatæ. Item eorum, quæ acquirit per illicitum usum sui corporis; necnon quæ acquisivit ludo, & sibi donata sunt à Domino aut aliis.

15. Dico quintò, Religiosi omnes, etiam Mendicantes (exceptis Capucinis & Minoribus de observantia) in communi habent dominium bonorum temporalium, etiam immobilium. Patet ex Trident. *ss.* 35. *cap.* 3. Addo tamen hoc Religiosorum dominium non esse ita independens ac est sæcularium; quia bona immobilia Religiosorum alienari non possunt nisi in commodum Religionis; ac summus Pontifex propter justam causam, tanquam supremus ecclesiasticorum bonorum Dominus, potest Religiosis auferre bona, relictis necessariis ad sustentationem: quod non ita potest fieri circa bona sæcularium.

16. Dixi in resolutione *exceptis Capucinis & Minoribus*; quia hi à Tridentino juxtà Lezan. sunt excepti hac in parte, prout determinavit Nicolaus III. & Clemens V. quare dominium eorum, quæ ipsi possident, est penes Papam vel Sedem Apostolicam, maximè post Bullam Martini V. & Pauli III. vel etiam dominium pecuniarum, quæ illis dantur, est apud dantes. Ita Lezana *in summa tom.* 1. *c.* 6. Quia vero Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 3. *dub.* 3. *resol.* 2. variis rationibus probat: *Vsum justum improprium facti, sive actualis consumptionis rei unico usu consumptibilis ab actuali, transeunte & momentaneo dominio realiter non distingui*: & inde *resol.* 3. docet, *PP. Minores de Observantia rei unico usu consumptibilis dominium in ipsa consumptione actuali necessariò debere habere, sicut cæteri mortalium habent*: desiderarem ab aliquo ex illis RR. PP. ejus argumenta efficaciter solvi: & miratus sum P. Herincx in sua Theol. noviter impressa, sententiam oppositam non magis firmasse.

17. Dicó sextò, Religiosi vota solemnia professi, sunt in particulari incapaces dominii, ususfructus, possessionis, & similis juris (de quibus postea) in res temporales. Constat *ex cap. non dicatis aliquid proprium* 12. *quæst.* 1. idque etiam expresè inhibetur ab Innocentio III. ac Tridentino *ss.* 25. *cap.* 2. & alibi: quare, id est indubitatum apud omnes Catholicos: probatúrque hac communi ratione; quia per votum solemne paupertatis se Religiosi reddunt incapaces omnis dominii in particulari: in eo enim differt à voto paupertatis simplici; quod non reddit voventem incapacem dominii, ut patet in PP. Societatis: qui tamen per hoc non desinunt esse veri Religiosi; quia eorum dominium est dependens à voluntate Superioris, itaut rebus

ſuis nullatenus uti poſſint, niſi de voluntate & diſpoſitione ipſius. Imò qui obſtinatâ voluntate ipſos negaret eſſe Religioſos, incurreret excommunicationem.

18. Dico ſeptimò, Religioſi omnes manent capaces dominii, jurium ac bonorum ſpiritualium v.g. beneficiorum ſuorum: habent item jus electionum conformiter ad ſuam Regulam & ſtatuta: nec non etiam ad alimenta, & cætera neceſſaria. Inſuper beneficiati, ut Abbates, Priores, *&c.* habent adminiſtrationem bonorum communium, ſicut & diſpenſationem fructuum ſuorum beneficiorum, tum pro moderata ſuſtentatione propria, tum ad pias cauſas. Ita Navarrus, Leſſius & P. Franciſcus, qui ultimus addit, *niſi obſit ſpeciale ſuæ Religionis ſtatutum.* Non poſſunt autem Superiores inferiori concedere aliqua bona immobilia ad uſum, vel adminiſtrationem irrevocabilem, ut habet Trident. *ſeſſ. cit. c.* 2. & quamvis quidam addat apud eundem Franc. *num.* 75. *ſi uſus talis alicubi ex conſuetudine concederetur ad ſuſtentationem v.g. non tenerentur Religioſi eum ſponte tradere Superiori, niſi conſtaret ſatis aliundè ſibi proviſum iri*; ipſe tamen meritò contrà hoc inſurgit. Adde interim, Superiores regulares aliqua bona mobilia poſſe inferioribus concedere ad uſus neceſſarios, vel pios, ut veſtes, libros, & ſimilia ſtatui paupertatis accommodata; item & pecunias aliquas ad uſum determinatum, & probabiliùs etiam ad indeterminatum.

19. Sunt autem bona immobilia ſeu ſtabilia, fundi, ut prata, vineæ, domus, *&c.* item & reditus, jura & actiones ad aliquid faciendum, vel quæcumque bona ſive mobilia, ſive immobilia recipiendum. Ita Abbas *in c. nulli de reb. Eccl. non alienand. num.* 9. *&* 10. Undè per bona ſtabilia non tantùm intelliguntur ea, quæ habent fixam radicem, ſed etiam jura fructifera ut ſunt cenſus, quibus correſpondent reditus annui: ſervitutes, & ſimilia bona, quæ incorporalia communiter vocantur. Vide pro his omnibus Lezan. *in ſumma to.* 1. *cap.* 6. *& to.* 2. *c.* 1. *ac* 19. Ubi latè hanc materiam pertractat.

DVBIVM QVARTVM.

Quarum rerum dominium habeant Clerici?

20. Dico primò, Clerici non Religioſi ſunt domini bonorum ſuorum patrimonialium; non enim ulli juri in iſta bona per clericatum renuntiarunt: idem dic de bonis quaſi patrimonialibus, iis ſcil. quæ non ratione beneficii præcisè, ſed ratione miniſterii eccleſiaſtici, ut concionando, docendo, cantando, viſitando, *&c.* acquiruntur; quia hæc ſunt proprii laboris ſtipendia. Ubi adverte, Clericos, ſi prædicta bona expendāt in pias cauſas, aut ſui vel familiæ ſuſtentationem, poſſe tantumdē ex fructibus ſui beneficii ſuperfluis ſibi reſervare, vel tantūdē in uſum non pium expendere: idq; quam-

quamvis, dũ prædicta bona ita expenrunt, habuissent expressam voluntatem non faciendi postea similem compensationem: quia volitio præcedens non compensandi, nõ aufert eis licentiam mutandi propositum & compensationem postea faciendi. Ita Bardi *disc.6.c.6.* §.7.& eruitur ex dictis *tr.2. disp.6. num.* 10. Sed

21. Præter dicta bona habent Clerici beneficiati bona merè ecclesiastica, quæ sunt ipsi fructus beneficii vel ecclesiasticæ dignitatis, ut fructus Canonicatus, Decanatus, Præpositura, Episcopatus, *&c.* ac de his multùm inter DD. controvertitur, an eorum sint veri domini, etiam quoad ea, quæ non sunt necessaria ad congruam sustentationem? Verùm & hæc habet suam latitudinem; nam una est congrua sustentatio infima v.g.500.alia media v.g.600.alia summa v.g.700.& sic cum proportione magis vel minus. Nec potest hæc congrua sustentatio in particulari benè certò determinari. Hoc solum observa, in ea assignanda debere attendi tum ad qualitatem beneficii, ita ut quò hoc est digniùs, eò majores expensæ in victu & vestitu, in servorum numero, *&c.* fieri possint: tum etiam attendenda est qualitas personæ beneficiatæ, ita ut nobili, vel valdè docto plures sumptus necessarii judicentur, vel saltèm permittantur, quàm alteri ignobili, vel non ita docto: cùm enim cæteris paribus cedat in honorem ac commodum Ecclesiæ, si nobiles & docti ad beneficia ecclesiastica promoveantur, decet ut istiusmodi personis stipendia uberiora assignentur. Ita plures recentiores: caveatur tamen ab excessu nimio præsertim in nobilibus. His positis

22. Dico secundò, verior & communior sententia docet, Clericos beneficiatos fieri veros dominos fructuum suorum beneficiorum, qui superflui sunt congruæ sustentationi. Probo ex Trid. *sess.* 24. *c.* 12. ubi dicitur, absentem beneficiarium per trimestre, non facere fructus suos; ergò à contrario præsens facit fructus suos, adeòque & eorum est Dominus. Deinde non est ex quo capite tali dominio priventur: nec enim ministri Ecclesiæ pejoris conditionis sunt, quàm ministri Regum & Principum, qui fiunt domini stipendiorum suorum. Dum igitur dicta bona sive fructus à Conciliis vel PP. vocantur patrimonium Christi, solùm insinuant, ea esse data in honorem Christi: & quando dicuntur bona pauperum, est quia Clerici specialiter obligantur ea distribuere pauperibus juxtà statim dicenda; vel etiam quia antè divisionem bonorum ecclesiasticorum factam à Gelasio Papa *cap. quatuor autem*, ipsimet Clerici erant pauperes prout nunc sunt Religiosi, dominio omnium bonorum ecclesiasticorum remanente penes communitatem. Vide circa hæc Franc. N. *de jure & just. disp.* 3.*n.* 66.

23. Neque obest dicto Clericorum dominio, quòd testari non possint de bonis sui beneficii commodæ sustentationi superfluis, ut habetur *cap. cum in officiis. cap. quia nos, & cap. relatum tit. de Testam.* quia (præterquam quod pupilli & amentes sint veri domini, licet de suis bonis testari nequeant) dicta jura in multis partibus cessant per con-

trariam consuetudinem, ut de Hispania, Gallia, & Belgio referunt recentiores: ac de his regionibus constat, testamenta de dictis bonis validè fieri etiam ob causas profanas: deinde dici potest jura allata fortè solùm intendere, Clericos ex dictis bonis non posse testari licitè juxta resolutionem sequentem, nisi adsit titulus pietatis. Quare

24. Dico tertiò, ex charitate sub mortali obligante tenentur Clerici bona sui beneficii, sustentationi superflua, pauperibus, vel in causas pias erogare. Ita omnes DD. communiter: & constat ex eo quòd ea bona dicantur patrimonium Christi, & bona pauperum, quod Clerici vocentur eorum administratores, procuratores, *&c.* item ex exaggeratione SS. PP. quam vide apud authores: Deinde idem est manifestum ex Trid. *cap. 1. de reform.* interdicente usus profanos & ditationem parentum per ista bona, *quæ*, ut loquitur Concilium, *res Dei sunt*. Nec dici potest, Ecclesiam ibi loqui de bonis immobilibus Ecclesiæ, vel ejusdem supellectile, quia permittit, ut bona, de quibus ibi est sermo, dentur consanguineis indigentibus, quod fieri non potest de bonis Ecclesiæ. Interim.

25. Nota, certum esse apud omnes ferè DD. Episcopos & alios beneficiarios posse vivere ex fructibus suorum beneficiorum, licet aliundè habeant abundantiam bonorum patrimonialium; quia qui inservit altari, decet ut de altari vivat: quare si parcè vivendo partem congruæ sustentationis velint sibi reservare, fiunt istius partis perfecti domini sicut sunt patrimonialium. Ita Sotus, Navarrus & alii. Ratio est, quod utantur justa laboris mercede: & si Tridentinum vetet, ne beneficiati ditent suos consanguineos aut amicos. intellige de bonis sustentationi congruæ superfluis; ad quam sustentatiónē spectat, erigere moderata convivia, propriam ornare domum, alere totam familiam, remunerare suos benefactores, honestè tractare hospites, ac amicos, *&c.* unde ad hæc omnia possunt necessaria desumi ex bonis beneficii.

26. Adde, Sylvium quidem docere, si quis erigatur ad Episcopatum v. g. eum posse de bonis ejusdem sustentationi superfluis elevare suos consanguineos, etiam ante pro suo statu divites; quia per similem elevationem filii fratris, aut nepotis v. g. etiam consanguinei elevantur, ac consequenter requirunt statum excellentiorem quàm antè; adeòque poterit his saltèm proximioribus succurrere ex bonis sui beneficii, ne paupertas eorum cedat in dedecus ipsius elevati. Ita ille: tamen cave per hoc palliare ditationem parentum à Tridentino inhibitam, & multa alia, quæ sequuntur, valde periculosa.

D II.

DUBIUM QUINTUM.

An homo habeat dominium in vitam & famam?

27. DIco primò, nullus homo habet plenum dominium suæ vitæ aut membrorum: bene tamen dominium utile. Est communis. Probatur prima pars, quia Deus sibi soli reservavit dominium in prædicta, ut constat ex Script. *Deuter.* 32. *Sapient.* 16. & alibi. Unde in nullo casu potest homo seipsum occidere. Quod autem in quibusdam casibus possit seipsum mutilare, per accidens fit, ne aliàs vita ipsa exponatur periculo: quod non inducit dominium in sua membra; nam & medico quandoque licitum est mutilare ægrotum ad hujus vitam conservandam, nec tamen habet dominium in membra ægroti, ut notat Urbanus *tract.* 3. *tit.* 4. *fol.* 501. Probatur secunda pars, quia quilibet homo habet jus ad semper possidendum, utendum ac fruendum vita ac membris propriis pro suo arbitrio: unde occidens, aut mutilans alterum, item & impediens vi, ne alter actiones suas exerceat, eidem injuriam facit: atque hinc

28. Dico secundò, nemo habet dominium plenum in vitam, aut membra alterius. Patet ex probationibus primæ resolutionis: potest tamen alter in alterum habere dominium utile, ita ut unus homo dicatur Dominus alterius, & alter verus servus. Colligitur ex Script. *Exodi* 21. *Levitic.* 25. & 45. ubi dicta servitus approbatur. Deinde cum homo habeat dominium utile vitæ suæ ac membrorum, potest illud legitimè transferre in alterum: unde dum servitus dicitur esse contra naturam, non ita intelligendum est, quasi sit contra legem naturæ, aut rectæ rationi repugnans, sed tantum quia est contra primævam naturæ humanæ conditionem, & naturalem hominum inter se paritatem, ut inquit Wiggers; vel, ut ait noster Urbanus, ita intelligi debet, ut sit quidem contra naturam negativè, quia natura neminem alteri tanquam mancipium addicit; non vero positivè, quasi jus naturale servitutem positivè vetet.

29. Dico tertiò, homo habet verum dominium suæ famæ ac honoris: cùm enim quisque famam per proprios labores, ut per scientiam ac virtutes sibi acquirat, non est cur minùs illius, quàm bonorum temporalium dominus dicatur. Deinde in multis casibus non solum sine injuria, sed etiam absque omni peccato potest quis se infamare; ergo est suæ famæ dominus. Casus similes quatuor adfert Urban. *ubi suprà*; quorum primus est, quando necessarium est hic & nunc petere consilium, tunc enim possum licitè meum occultum crimen revela-

re. Secundus quando id fit ad nostram humiliationem. Tertius si fiat ad superbiam amputandam, vel ad aliud peccatum, cujus periculo exponimur, vitandum. Denique ad Dei misericordiam magis hominibus declarandam, aut ob similem alium finem honestum, ob quem S. Augustinus, aliique sua peccata, etiam gravia omnibus fecerunt nota.

30. Nec obest Dominio hominis in famam suam, quòd sæpe peccet se infamando: quia prodigus in pecuniis etiam sæpe peccat, licèt earum sit verus dominus. Neque unquam juxtà Urbanum quis mortaliter delinquit infamando se sine causa, si id fiat sine detrimento aliorum; quia sic est solùm peccatum prodigalitatis, quod, inquit, ex suo genere est solùm veniale.

31. Adverte interim, in multis casibus posse aliquem delinquere mortaliter se infamando propter nocumentum, quod per hoc aliis creat: sic enim primò graviter peccat pater seipsum infamans ordinariè loquendo; quia fama patris est naturâ suâ alligata filiis. Secundò potest etiam graviter peccare Superior se diffamando, quia ejus fama quasi ex justitia est obligata subditis. Hæc tamen non tollunt dominium hominis in suam famam, ut patet ex bonis vinculatis, & patrefamilias, qui non obstante dominio rerum suarum, non licitè eas expendit cum detrimento familiæ. Cæterùm constat, hominem habere plenum dominium suarum rerum temporalium. Pro acquisitione tamen dominii earum in particulari, sit

DVBIVM SEXTVM.

De modis acquirendi dominia.

§. I.

Quomodo acquiratur dominium in homines, & animalia?

32. Dico primò, dominium in hominem potest acquiri quatuor modis. Primò, titulo nativitatis; sic servus est, qui ex matre serva nascitur. Secundò ratione captionis in bello justo; cum enim in bello captus justè possit occidi, fit ipsi adhuc magna gratia, si ei permittatur vivere in servitute. Excipe tamen Christianos, qui à Christianis in bello capti non fiunt servi, sed captivi dumtaxat, idque in recognitionem libertatis, qua Christus eos donavit. Tertiò acquiritur dominium in hominem ratione justæ condemnationis propter crimen, ob quod meritò quis libertate privatur.

Deni-

Denique titulo venditionis, quando scil. quis à se vel à patre venditur. Ita P. Franc. *disp.3.num.*85.

33. Dico secundò, animalia irrationalia naturâ suâ mansueta, qualia sunt oves, boves, gallinæ, &c. retinent dominum ubicumque vagantur. Constat *ex institut. de rerum divisione*, §. *gallinarum*: unde ea capiens nunquam eorum acquirit dominium, licet quis ea ex lupi faucibus rapuerit: si tamen recuperari non potuissent absque periculo tanto, quin ipsum periculum tanti moraliter æstimaretur, quanti ipsa animalia, & nihilominùs dominus ea voluerit recipere tanquam sua; qui sic ea periculo eripuisset, posset jure pretium sui laboris ac periculi exigere, obligareturque proinde eorum dominus, aut ea alteri pro pretio relinquere, aut pretium æquivalens persolvere. Ita Urban. *tr.3.tit.4.c.5.fol.*506.

34. Dico tertiò, animalia silvestria, qualia sunt lepores, cervi, &c. sunt primi occupantis: si verò hujus custodiam evadentia naturalem recuperent libertatem, fiunt secundi capientis. Patet *ex eadem instit.* §. *fera bestiæ*: recuperant autem dicta animalia libertatem, quando oculos domini evaserunt, ac moraliter impossibile est, ea brevi tempore capere; vel, ut alii, quandocumque valde difficilis redditur eorum captura. Hinc ex Molina & Urbano inferes, dicta animalia inclusa in silvis, & potiori jure, quæ non sunt inclusa, similiterque pisces in lacubus, modo lacus & silvæ sint magnæ vastitatis, non esse sub dominio domini silvæ aut lacus; quia sicut absolutè sunt captu difficiles, ita ibidem naturalem possident libertatem, fiuntque capientium. Quod verum manet, licet quis ea animalia à se capta vel empta in suam silvam, vel pisces in lacum suum immisisset. Secùs tamen dic de feris, aut piscibus inclusis exiguis saltibus, aut vivariis, ita ut facile, cum libuerit, capi possint. Ita Urbanus *loc.cit.quæst.*1. Quibus adde, examen apum (cum apes sint de hoc genere animalium) postquam oculos domini evasit, fieri capientis, posseque à quolibet capi, licet ex aliena arbore pendeat, quamvis tamen quis impedire possit, ne in hunc finem alii intrent hortum suum. Ita *institut. cit.* §. *apum quoque*. Vide P. Franc. *num.*87.

35. Dico quartò, animalia mansuefacta (qualia sunt columbæ, cervi, & cuniculi, qui domi nutriuntur) domini sunt, quamdiu redeundi retinent consuetudinem, neque ab ullo capi possunt; benè postquam dictam consuetudinem amiserunt: hanc autem amittunt juxta Navarrum & quosdam alios, dum bis vel ter more consueto non redeunt. Verùm potiùs puto cum Wiggers id judicio prudentum relinquendum esse; quia (ut bene Urbanus) si more solito non redeant, facilè quæri possunt ac reduci, quamvis per octo vel etiam quindecim dies non revertantur; quare tunc necdum dici possunt, amisisse consuetudinem redeundi, aut naturalem acquisivisse libertatem. Admitto interim cum eodem Wiggers regulam pro columbis, saltem in his partibus. Cæterùm ubi constiterit, animal mansuefactum naturalem suam libertatem obtinuisse,

se, fiet primi capientis, etiam licet signum impressum circumferret, quo cognoscitur cujus fuerit; quia naturali obtenta libertate de potestate prioris domini exiit: atque hæc jure communi & Cæsareo statuta sunt; quidquid tamen in his omnibus, sicut & sequentibus attendi debeat ad locorum consuetudines. Pro occasione

36. Quæres, an unicuique sit licitum tenere columbas? Respondeo affirmativè, nisi speciali lege id prohibeatur; modò tamen à domino alantur vel domi, vel in agris propriis: si enim eas dominus non aleret, peccaret ratione damni, quod inde vicini paterentur. Ita Bacho *quodlib. lib.* 3. *quæst.*4.*art.*1. ubi tres casus excipit, in quibus quis à dicto peccato posset excusari: imò videtur similes excusare generaliter à mortali Urbanus *loc. cit. cap.*6.*fol.*510. tum quia talis est consuetudo legitimè præscripta, tum quia damnum, quod columbæ inferunt, non potest esse magnum: pabulum siquidem earum magis naturale sunt prava semina, quæ sata suffocant lolium, nigella, &c. nec detegunt semina terræ mandata, ut patet ex eo, quòd in agro, in quo situm est columbarium, non minùs colligatur grani, quàm in vicinis: nec spicas evellunt, sed granis tantùm prolapsis vescuntur. Ita ille: quæ tamen aliis fortè videbuntur minus vera, cum DD. communiter doceant contra ipsum, & Molinam, eas vicinis magnum inferre detrimentum, adeoque accusent eos peccati mortalis, qui illas domi vel in agris propriis non alunt: & vera puto, experientia esse manifestum, columbas lolium & nigellam non attingere, quamdiu vera grana reperiunt: atque ideo juxta communem DD. sententiam licitum est, eas capere vel occidere, si in tuis satis comedant, vel in tuo columbario. Ita Toletus, Sylvius & alii, quia aliter damno occurri nequit. Non licet tamen arte, vel exquisitis ad hoc seminibus alienas columbas ad suum trahere columbarium; & sic captæ debent domino restitui: secùs si sponte cum tuis columbis redeant ad tuum columbarium. Sylvius & alii communiter. Attende tamen semper ad consuetudinem loci, ut ante movi: quia in aliquibus locis mos est, undecunque & quomodocumque columbas attrahere, ubi id, teste Urbano, nemo rationabiliter invitus patitur. Vide etiam P. Franc. *num.*88.

Petes hîc fortè, quid dicendum sit de eo, qui ex sylva aliena ligna cedit, tum ad proprium suum usum, tum ut aliis vendat? Respondet Burghaber *Centur.*3.*casu* 77. sequentibus verbis. Probabile est, illum in alienis sylvis non circumseptis absque devastatione & immoderata strage ligna cedentem & avehentem non peccare, saltem mortaliter, nec teneri ad ullam restitutionem. Ita Bannez 2,2.*quæst.* 62.*art.*3.*dub.*4.*conclus.*2.& 3. Salonius, Ledesma, & plures alii Dominicani, quos refert, & eorum opinionem probabilem censet Dedicastillo *de just. tr. D.*9.*num.* 357. Ratio est, quia ejusmodi sylvæ ab initio non alia lege fuerunt concessæ communitatibus, aut privatis dominis, quàm ut ipsis liceret

liceret in illis lignare impunè, non item aliis, citra majorem tamen obligationem vel peccati contrahendi, vel restitutionis faciendæ, nisi devastationem aut stragem majorem facerent, ut sic aliquod foret discrimen inter arbores frugiferas & sylvestres; cum enim istæ singulari cultura non indigeant, sicut illæ, sed eas humus sua sponte procreet, non decuit ita has sylvestres arbores appropriari uni, ut nullo modo frui iisdem possint cæteri. Secus se res habet, si prædictæ sylvæ sint circumseptæ, vel proprio alicujus labore plantatæ, aut si ligna ab alio jam fuerint cæsa, & in strues conjecta, quia hac ratione tam ipsæ sylvæ, quam ligna in eis cæsa sufficienter jam censentur alicui appropriata, ut absque injuria domini auferri ex illis aliquid nequeat: Ita ille, & alii non irrationabiliter concedentes tamen posse sub pœna à dominis inhiberi, ne etiam in prioribus sylvis quis ligna cedat.]

§. II.

Resolvuntur varia circa venationem, & piscationem.

37. Dico primò, in dubio an fera sit vulnerantis an capientis, hujus est, nisi ex parte vulnerantis hæc tria concurrant: primum, si sufficienter læserit ad capiendum: secundùm, si eam sic læsam persequatur: tertium, si sit moraliter certum, quòd eam ipse fuisset comprehēsurus; si enim vel hoc solum dubium fuerit, erit capientis, cùm tunc censeatur adhuc remanere in sua libertate naturali. *Leg. naturalem ff. de acquisitione dominii.*

38. Dico secundò, fera laqueo vel reti tuo capta, tua est, si fuerit inextricabiliter illaqueata, ita ut luctando se liberare non valeat: si secùs, erit capientis. Ratio utriusque est, quia in primo casu per similem illaqueationem amisit libertatem suam naturalem, devenitque in possessionem ponentis laqueum per dictam quasi apprehensionem, quæ potest fieri tam per instrumentum, quam per ipsam manum immediatè. Secundo verò casu necdum amisit suam libertatem, adeoque fit primi occupantis: si autem dubium sit, an inextricabiliter, an extricabiliter fuerit illaqueata, verosimilius est ponentis laqueum, qui per similem intricationem fit quodammodo possessor, cujus est melior conditio, quamvis plures velint in hoc casu feram esse dividendam.

30. Dico tertiò, si te insequente fera incidat in mea retia inextricabiliter, fit mea; quia tu non acquiris ejus possessionem eam insequendo, sed ego capiendo. Ita plures, quidquid Fuliensis dicat, esse primò arripientis, & Urbanus eam velit esse utriusque.

Cum proportione adhæc resolves de piscibus secundùm quod extricabiliter, vel inextricabiliter in nassa capiuntur & intricantur: item & de avibus similiter. Cæterùm si fera, avis vel piscis sit in reti meo vel nassa, etiam solùm extricabiliter, modò ego adsim, non potest alius me prævenire in capiendo: quia per istam intricationem saltem acquiro aliquod jus ad rem, quod ab alio nullum prorsus jus habente, præveniri non potest.

Petes, an Princeps justè inhibeat venationem: & an hæc inhibitio obliget subditos sub peccato?

40. Resp. & dico quartò, licitum est Principi inhibere venationem (atque idem est de piscatione & aucupio) in locis juris publici varias ob causas: ut primò, dum id necessarium judicatur ad onera Reip. sustinenda: tunc enim jus illud potest elocari, ut sic procurentur pecuniæ necessariæ ipsi Principi aut Reipub. Secundò, dum id est necessarium ad tempus, ne alias totum ferè genus ferarum deleatur; ut si omnes passim venarentur quado feræ sunt gravidæ, aut dum nix jacet. Tertiò inhibere potest, ne venatio fiat certis instrumentis ob eandem rationem; sunt enim quædam instrumenta, quibus fermè omnia animalia capi possent. Quartò insuper, potest quilibet Princeps venationem in dictis locis inhibere de consensu populi, sive gratis, sive per contractum præstito; potest enim populus cedere juri suo. Atque hæc omnia sunt clara.

41. Dico quintò, etiam est licitum Principi inhibere venationem, & jus venandi sibi reservare in certis locis, etiam publici juris, ob solam suam recreationem absque populi consensu. Ita recentiores communiter. Ratio est, quia, cum Princeps totus impendi debeat in gubernanda Rep. potest quædam loca sibi ad recreationem determinare, vel maximè, cùm idipsum conducat ad Principis dignitatem. Interim tamen iidem recentiores censent, inhumanum fore, si quis Princeps vellet populum ab omnibus locis excludere, & sibi soli omnem omninò venationem reservare: imò, id propè tyrannicum vocant Becanus, Wiggers & alii, nisi fortè talem ob causam Princeps aliquid populo remittat de tributis sibi debitis, vel aliter compenset: durum enim nimis esset privare totum populum omni recreatione & utilitate venationis, quæ jure naturali & gentium ipsi est concessa, ob solum commodum & recreationem Principis.

42. Adde, Principem quodcumque jus in venatione sibi reservantem obligari ad præcavenda damna, quæ animalia possent agris vicinorum, vel aliis eorum bonis inferre: aliàs enim tenebitur compensare damna illata. Nec quemquam in particulari ab hoc excusat, quòd à multis hæc obligatio parvipendatur, ut bene monet Wiggers: nam licet non sit, qui similes hic cogat ad similia damna, sæpe non parva, restituenda; etenim aliquando *stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Excipit tamen à dicto onere, & bene, N. Urbanus Principes illos, quibus vicinorum agri sunt feudatarii, dum videl. Princeps

in

in eis sibi reservavit jus venationis, ferarumque multiplicationis, antequam eos agros colonis divideret, venderet, vel elocaret? tunc enim hoc onus pertinet ad servitutem justè retentam; atque hoc, teste eodem Urbano, sæpe accidit, dicens, similem servitutem legitimo tempore posse præscribi, modo habeatur justus titulus.

43. Dico sextò, qui venatur in loco juris publici vel privati ubi est prohibitum venari, peccat quidem pro ratione illatæ injuriæ, non tenetur tamen ad restitutionem ferarum, quas cepit. Prob. prima pars, quia invito domino non potest alienus fundus invadi: debet interim injuria quoad feras esse magni momenti, ut constituat peccatum mortale; quia communi hominum judicio censetur obligatio non venandi parum urgere conscientiam, nisi notabile valdè damnum inferatur, prout fieri potest, dum feræ sunt gravidæ, vel tam frequens est venatio, ut pene exhauriantur feræ sylvestres: alioqui enim Princeps videtur contentus esse sola mulcta, quam incurrit venator deprehensus post sententiam Judicis: atque hæc mulcta solùm debet esse pecuniaria, nisi quis sæpe in pecuniis mulctatus censeretur non velle se emendare; tunc enim videtur flagellatio posse adhiberi. Dixi *injuria quoad feras debet esse magni momenti, &c.* quia qui per venationem infert alteri damnum in bonis suis, peccat pro ratione damni, & tenetur ad restitutionem.

44. Prob. secunda pars, quia feræ captæ nullius erant, utpotè cum essent in sua libertate naturali, etiam facta prohibitione, aut loci prohibiti elocatione, unde nec erant prohibentis, nec similem locum conducentis: posset tamen Princeps lege sua extraordinaria eum reddere incapacem dominii ferarum, qui in alieno fundo venatur invito domino. Ita Urbanus & Wiggers; qui ultimus cum Medina notat, posse venatorem excusari, etiam ab onere reparandi damnum grave in ordine ad Principem, eò quòd hic ordinariè non soleat curare talem restitutionem, sed ei sufficiat, quòd deprehensi mulctam solvant. Cæterùm, qui venatur in loco clauso non magnæ vastitatis, vel piscatur in alterius vivario domino invito, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem ferarum vel piscium, ut ex dictis patet.

45. Adde venationem, ratione status, Clericis lege pontificia esse inhibitam, ne à cultu Divino ad hanc voluptatem deficiant. Patet *ex cap.* 1. *de Clerico venatore,* estque desumptum ex Concilio Aurelianensi: hoc tamen maximè intelligendum est de venatione, quæ fit cum magno strepitu & armorum vi, ita ut à mortali non videantur excusandi, juxta Wiggers & alios, Clerici in sacris constituti (idem dic de Religiosis) frequenter incumbentes venationibus talibus: si tamen (inquit idem Wiggers) id rariùs, & non ex consuetudine, sed quasi ex accidente fieret, solum venialiter peccaretur, modo absit periculum gravis scandali, aut homicidii, & mutilationis. Ita etiam Medina & Sylvester. Quibus adde insuper ex Urbano & cæte-

cæteris satis communiter, si venatio non sit clamorosa, strepitu canum & vi armorum facta, nullum esse peccatum; quia hæc solum censetur Clericis inhibita. Unde licitum est eis venari cum retibus, laqueis, aut paucis canibus, modo desit scandalum. Neque est mortale venari die Festo aut Dominico, si Sacrum audiatur, & absit periculum scandali; quia venatio non numeratur inter opera servilia: præcipuis tamen Festis venari, est indecorum, ut ait Becanus: & eam tunc vix posse fieri absque scandalo, tradit Wiggers.

§. III.

De acquisitione dominii rerum inventarum.

46. DIco primò, inventa, quæ nunquam habuerunt dominum, sunt inventoris sive primi occupantis. Patet ex antedictis: talia autem sunt gemmæ, lapides pretiosi, & similia, quæ inveniuntur in littore maris: item illa, quorum dominus temporis longinquitate ignoratur; nec non ea quæ habentur pro derelictis: qualia sunt ea, quæ dominus facile potest recuperare, & non facit, vel quæ sponte abjicit. Ubi adverte, eum dici primò occupare, qui primò arripit, non qui primò videt; quod constat ex donis missilibus ut v.g. pecuniis, quæ populo sparguntur, ubi non primò videns, sed primò arripiens dominus instituitur.

47. Nota hic insuper, bona ejecta à naufragantibus non censeri hoc ipso derelicta; imo ea, si Christianorum sunt, nullus occupare potest, quin incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: quæ tamen non incurretur, si verosimilius sit, veros dominos, quos arripiens non novit, nunquam ad ea recuperanda reversuros; in tali enim casu annumerantur bonis derelictis.

48. Dico secundò, inventa, quæ verum dominum habent, ipsi domino restituenda sunt, si hic ab inventore possit dignosci. Est certum. Quòd, si post diligentem inquisitionem dominus reperiri non possit, juxta communiorem sententiam debent dari pauperibus; quia non dimittitur vel non liberatur quis à peccato, nisi restituatur ablatum: secundùm autem præsumptam voluntatem domini tales res sunt dandæ pauperibus vel applicandæ in pias causas, quatenus sic restituantur, & prosint ipsi domino, quantum hic & nunc prodesse possunt. Verùm hoc non obstante DD. probatissimi sustinent, posse probabiliter inventorem similia bona sibi reservare. Ita Less. Malder. Medina, Henriq. Diana, & alii quos citat & sequitur Burghaber *Centur. 1. casu* 68. idque Franc. B. Spei sustinet specialiter pro Belgio. Atque id omnino certum est, si ipse inventor sit verè pauper, etiam respectivè secundum statum suum, qui res similes

similes retinere poterit ad relevationem paupertatis propriæ. Ubi tamen inventores dominum rei inventæ resciverint, tenentur, quamprimum possunt, eam domino restituere: nec potest inventor dominum ex justitia obligare ad aliquid sibi dandum propter redditionem rei inventæ; nam hæc res est tota domini, ac consequenter nullum jus habet inventor ad aliquid ipsius: poterit tamen quod ultro à domino offertur acceptare, vel ex gratitudine aliquid petere; imo & ex justitia exigere recompensationem laboris, aut damni, quod subiit per talis rei inventionem, custodiam, & relationem.

Contrà secundam resolutionis partem, sic discurrit Caramuel *fundam.* 59. 1. *par.* §. 4. *num.* 1259.

49. *Ioannes noctu grassatur per plateas, spoliavit nonnullos, quos non cognovit, nec post diligens examen cognoscit, nunc pœnitentiâ ductus ad pedes mei Dianæ* (tenet enim illam sententiam) *pervolvitur, & inquirit an teneatur ad restitutionem? si illum pauperibus facturum restitutionem Diana dicat, Ioannes reponet Dianam inconsequentia laborare.* Hæc & alia Caramuel *loc. cit.* ad quæ cum omnibus respondet Diana, quod bona per delictum contracta vel comparata, quæ diligenti inquisitione adhibita remanent incerta, sint elargienda pauperibus *ex cap. cum tu* 5. *de usuris*, & hoc DD. communiter extendunt ad quodcumque delictum, prout etiam colligitur *ex cap. cum sit, de Iudæis*: est & in omnibus eadem ratio, ne scil. hominibus iniquis integrum relinquatur ex sua iniquitate ditescere sub spe rapiendo, quæ postmodum non debebunt restituere dum dominus ignorabitur. Undè bene Castrus Palaus. *tom.* 7. *disp.* 1. *pun.* 18. §. 8. *num.* 3. sic inter cætera discurrit. *Licèt verum sit ex natura rei, seu spectatâ justitiâ legibus seclusis, quæcumque debita incerta ex usura, simonia, aliòque delicto habita non esse in pauperes aliósve pios usus eroganda, quia justitia tantùm obligat debitum reddi ei, cujus est: quo non comparente, impossibilis est talis redditio & obligatio: neque pauperes aliáve opera pia sunt partes, neque hæredes necessarii creditoris. Attamen jure positivo in pœnam criminis commissi impedita est dominii acquisitio: quod colligitur ex eo, quòd in defectum veri domini pauperes, aliáve pia opera designentur, inter quos distributio facienda sit.* Ita Palaus. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tr.* 1. *res.* 12. Quia igitur de bona fide inventis nulla extat constitutio, ut dentur pauperibus, probabiliter possunt ab inventore retineri: quod idem sustinet Navarra de Mercatore, qui bonâ fide accepit 100. loco 80. & emens non potest inveniri; eum nimirum posse excessum sibi retinere; secùs si malâ fide acciderit. Dian. insuper *tract.* 8. *resol.* 12. petit, an pauperes, qui res aliquas inventas pro eleëmosyna habuerunt, si dominus compareat, teneantur illa restituere? & respondet his verbis, *negativam sententiam sustinet Sotus, Ledesma, Navarra, etiamsi in propria specie res existat, vel ob ejus consumptionem ditiores facti fuerint; quia non mutuo, sed in eleëmosynam acceperunt, sicuti si ipse dominus rem illis concessisset: verùm magis probabiliter dicendum est, in tali casu obligationem restituendi adesse, & ita docet Molina, & Layman.* Dico ego certò obligationem resti-

restituendi adesse in isto casu: quia similes eleëmosynæ dantur sub conditione restituendi si dominus posteà compareat re existente adhuc in propria specie, sicut absolutè à principio non darentur, si dominus à principio compareret.

50. Dico tertiò, thesaurus (qui nihil est aliud quàm vetus pecuniæ depositio aut alterius rei mobilis, cujus non exstat memoria) inventoris est de jure naturæ: veruntamen sequentia sunt jure civili in commune bonum justè ordinata. Primò, ut thesaurus arte magicâ inventus sit fisci: quamvis tamen magus non teneatur eum fisco tradere, nisi post sententiam judicis, eò quòd sit lex pœnalis. Secundò, ut inventus in loco publico dividatur inter inventorem & fiscum, vel ipsam communitatem. Tertiò, ut repertus in loco sacro dividatur inter Prælatum vel Ecclesiam & inventorem, si casu aut de licentia Prælati repertus fuerit; si verò secùs, totus est Prælati. Idem cum proportione dic de thesauro invento in terra aliena, cum, vel sine licentia domini loci, casu vel de industria inventoris. Quintò denique, statutum est, ut thesaurus inventus in loco proprio, totus sit inventoris.

51. Petes, an locus in quo cognoscitur latere thesaurus, emi possit, ac si de eo nihil constaret? Resp. affirmativè cum D. Thoma & aliis contra quosdam antiquiores. Probatur, quia justum rei pretium non sumitur ab utilitate, quam res emptori adfert, sed ex communi hominum æstimatione: undè, quantumvis ea alicui utilis sit, potest hic eam emere prout ab aliis æstimatur: sic enim qui scit, ex decreto Principis nondum evulgato, erigendam esse civitatem in certo loco, potest vicinos agros emere pretio currenti, ut communiter omnes DD. tradunt: item potest pharmacopola, v.g. in fasciculo herbarum videns unam plantam pretiosam, fasciculum emere pretio currenti sive ordinario. Similiter etiam si emisti à milite vel alio sacculum cum lupulo, lino, *&c.* ac posteà in eo reperias thesaurum, non teneris augere pretium: secùs tamen dic de eo, qui à rustico emisset pretiosum lapidem vili pretio, eò quòd rusticus valorem ejus ignoraret; quia talis lapis plus valet ex communi hominum æstimatione; cujus contrarium in prædictis accidit.

§. IV.

De præscriptione & usucapione.

52. Præscriptionem & usucapionem solebant jurisperiti inter se distinguere, quas tamen confundunt canonistæ: imò & eas jam communiter etiam à jurisperitis confundi, docet N. Urban. *tr. 3. tit. 4. c. 7. fol. 514.* quare præscriptio sive usucapio, est acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti. Ita DD. communiter *ex l. 3. ff. de usucapione.* Ubi P. Franciscus

ciscus monet, per *dominium* debere intelligi dominium latè sumptum, sic ut cum aliis juribus usufructus, servitutis, actionis, *&c.* confundatur. Quo posito

53. Dico, acquisitio dominii per præscriptionem licita est, ac locum habet in foro conscientiæ (de foro autem civili non est dubium, nam jura sunt clara) idque sive alter, contrà quem præscribitur, fuerit negligens in re sua recuperanda sive non. Ita cum Lessio docet Urban. & cæteri communiter. Prob. quia non est, cur non valeat Princeps aut legitimus Superior ratione præscriptionis rerum dominia validè ac licitè transferre in commune bonum & utilitatem. Quòd verò quidam dicant, neminem esse privandum re suâ absque sua culpa, tantùm verum est, ubi ratio boni communis id non exigit ad fugiendas multas difficultates & lites in Repub. Quare igitur, qui rem legitimè præscripsit & postmodum cognoscit, eam fuisse alienam, non tenetur in conscientia eam restituere: cùm enim usucapio definiatur acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti, transacto illo tempore acquisitum est dominium; undè nulla remanet obligatio. Varias causas, ob quas beneficium præscriptionis introductum est, vide apud Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 3. *n.* 100.

54. Ad validè autem præscribendum, requiruntur hæ quatuor conditiones desumptæ ex jure canonico: scil. possessio, titulus probabiliter præsumptus, bona fides, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum. Ubi

55. Nota primò, possessionem esse omninò necessariam ad præscriptionem; quia, ut habetur *regulâ juris in 6.* sine possessione præscriptio non procedit. Est autem possessio triplex, civilis tantùm, naturalis tantùm, ac civilis & naturalis simul: harum prima, quâ solo animo rei nostræ etiam absenti insistimus, & tertia ad præscriptionem sufficiunt; secundâ verò minimè. Undè dum v. g. domus vacua relicta à mercatore profecto ad nundinas ab alio invaditur, hîc eam nequit præscribere, quia tantum habet possessionem naturalem, ac dictus mercator retinet civilem, contrà quam præscribi nullatenùs potest. Præscriptio igitur solùm incipit ab eo die, quo prior dominus amittit possessionem civilem: ex tunc enim tantum incipit detentor eamdem rem civiliter possidere.

56. Nota secundò circa titulum, nomine tituli justi intelligi eum, qui probabiliter justus præsumitur, licèt à parte rei non sit, ut v. g. titulus venditionis ab eo factæ, qui à parte rei non habet jus vendendi, probabiliter tamen putatur ab emptore jus illud habere, Sed hanc conditionem non omninò necessariò requiri absolutè loquendo, constat *ex lege Sicuti cap. de præscript. triginta annorum*, ubi dicitur absolutè absque titulo res mobiles & immobiles præscribi spatio 30. annorum. Vide P. Franciscum. *num.* 103.

57. Nota tertio quoad bonam fidem, possessorem malæ fidei nullo tempore posse præscribere. Patet *ex reg. juris in 6. citata suprà.* Est autem bona fides hîc, credulitas qua quis sibi prudenter persuadet, rem esse suam, vel fal-

saltèm nescit esse alienam: quare dubium positivum, quod quis habet, an res aliqua sit sua, impedit inchoationem præscriptionis defectu bonæ fidei; quia in dubiis est melior conditio possidentis, qualis non est dictus dubitans, sed potiùs alter de quo dubitatur, an res sit ipsius. P. Franciscus *num.* 106. Adde tamen, dictum dubium non impedire continuationem præscriptionis bonâ fide inchoatæ: quia tunc dubitans est possessor, cujus melior est conditio: tenetur interim diligens examen instituere si fortè certior reddi possit de rei veritate: quô factô si non possit reddi certus, adhuc putarem aliquem posse inchoare præscriptionem sub hac conditione, modò scil. res, de qua dubitatur non sit aliena, de quo proponit pro opportunitate adhuc diligentius inquirere; sic enim removetur omne periculum injuriæ.

58. Nota denique, circa continuationem præscriptionis, bona mobilia præscribi triennio; immobilia verò decennio inter præsentes, sive in eodem territorio existentes. Ubi adverte, res furtivas nullo tempore posse præscribi, sicut nec res omnibus hæredibus communes possunt ab uno hæredum præscribi ante divisionem: nec similiter res in usum & utilitatem communem destinatæ, ut sunt viæ, pontes, & similia. Ad res insuper ecclesiasticas immobiles præscribendas requiritur præscriptio longissimi temporis, id est, quadraginta annorum, & si sint Ecclesiæ Romanæ, non nisi spatio centum annorum. Vide Franc. *num.* 116. *& seq.*

59. Cæterùm, pro notitia terminorũ in hac materia, addo præscriptionem quandoque dici non procedere, quod fit dum propter aliquam causam non potest incipere. Quandoque etiam dicitur dormire, dum scil. post inchoationem aliquo tempore cessat, quo elapso rursus continuatur computato priore tempore quo valuerat; sicque dormire dicitur tempore pestis, belli, incapacitatis ad gerenda negotia, ut in filiis-familias, pupillis, uxore vivente marito, & Ecclesia mortuo Parocho. Dicitur denique interrumpi, dum post inchoationem ita cessat, ut, si fortè posteà rursus vim resumat, non continuetur cum tempore præcedente, quo fuerat inchoata, sed de novo debeat inchoari. Ita ferè Urbanus ab Ascens. & alii communiter.

* * *

DIS-

DISPVTATIO II.

De cæteris iuribus à dominio distinctis.

DVBIVM I.

De usufructu.

1. DIco primò, usufructus est jus rebus alienis utendi & fruendi, salvâ earum substantiâ. Undè non sumitur hîc pro ipso actu usufruendi, sed pro jure ad talem actum, quod est facultas quædam alicui competens per modum habitus. Per ly *utendi* excluditur jus, quod habet creditor in pignus vel hypothecam, & depositarius in depositum; his enim non est licitum iis uti: per ly *fruendi* verò significatur, usumfructum suprà nudum usum dicere jus ad percipiendum omnes fructus ex re fructuaria perceptibiles. Quod si tamen usufructuarius fructibus etiam maturis non collectis moriatur, non cedunt hæredibus ipsius, sed domino directo rei, seu proprietario; quia quamdiu adhærent fundo, censentur unum quid cum illo: unde sicut fundus, ita & illi ad dominum pertinent, prout habetur *instit. de rerum divis. §. His verò.*

2. Sub ly *fruendi* involvitur ulteriùs potestas ad placitum disponendi de re, cujus habetur usufructus, etiam elocandi; quod facere non potest, qui habet solum usum. Per ly denique, *salvâ earum substantiâ*, excluditur dominium perfectum & directum tantùm; ac ratione hujus particulæ adjunctæ usufructuarius obligatur, primò in grege supplere capita demortua *Instit. de rerum divis. §. Sed si gregis.* Ratio est, quia grex censetur perpetuus: cùm tamen ècontra unum pecus non censeatur perpetuum, usufructuarius unius ovis aut vaccæ v. g. non obligatur aliam substituere, si naturaliter intereat. Ibidem §. *In pecudum.* Secundò obligatur in vinea vel silva loco arborum pereuntium alias plantare, nisi tempestate vel alio simili modo extraordinario pereant. Tertiò tenetur in ædibus modicam adhibere reparationem, ut integræ consistant; non tamen ita, ut meliores reddantur. Quartò denique, tenetur proprietario dare cautionem, quòd nimirum secundùm viri prudentis arbitrium utetur & fruetur re ipsius, quòdque eam statuto tempore salvam restituet. Franc. B. Spei *de jure & Iust. disp. 2. num.* 10. Id tamen non est semper necessarium in usufructu legali; pater enim non tenetur præstare cautionem pro usufructu bonorum adventitiorum sui filii, quamvis interim id semper sit necessarium in usufructu conventionali; & ita quidem, ut licèt uxor ligaret usumfructum om-

ſe, fiet primi capientis, etiam licet ſignum impreſſum circumferret, quo cognoſcitur cujus fuerit; quia naturali obtenta libertate de poteſtate prioris domini exiit: atque hæc jure communi & Cæſareo ſtatuta ſunt; quidquid tamen in his omnibus, ſicut & ſequentibus attendi debeat ad locorum conſuetudines. Pro occaſione

36. Quæres, an unicuique ſit licitum tenere columbas? Reſpondeo affirmativè, niſi ſpeciali lege id prohibeatur; modò tamen à domino alantur vel domi, vel in agris propriis: ſi enim eas dominus non aleret, peccaret ratione damni, quod inde vicini paterentur. Ita Bacho *quodlib. lib. 3. quæſt. 4. art. 1.* ubi tres caſus excipit, in quibus quis à dicto peccato poſſet excuſari: imò videtur ſimiles excuſare generaliter à mortali Urbanus *loc. cit. cap. 6. fol. 510.* tum quia talis eſt conſuetudo legitimè præſcripta, tum quia damnum, quod columbæ inferunt, non poteſt eſſe magnum: pabulum ſiquidem earum magis naturale ſunt prava ſemina, quæ ſata ſuffocant lolium, nigella, &c. nec detegunt ſemina terræ mandata, ut patet ex eo, quòd in agro, in quo ſitum eſt columbarium, non minùs colligatur grani, quàm in vicinis: nec ſpicas evellunt, ſed granis tantùm prolapſis veſcuntur. Ita ille: quæ tamen aliis fortè videbuntur minus vera, cum DD. communiter doceant contra ipſum, & Molinam, eas vicinis magnum inferre detrimentum, adeoque accuſent eos peccati mortalis, qui illas domi vel in agris propriis non alunt: & vera puto, experientia eſſe manifeſtum, columbas lolium & nigellam non attingere, quamdiu vera grana reperiunt: atque ideo juxta communem DD. ſententiam licitum eſt, eas capere vel occidere, ſi in tuis ſatis comedant, vel in tuo columbario. Ita Toletus, Sylvius & alii, quia aliter damno occurri nequit. Non licet tamen arte, vel exquiſitis ad hoc ſeminibus alienas columbas ad ſuum trahere columbarium; & ſic captæ debent domino reſtitui: ſecùs ſi ſponte cum tuis columbis redeant ad tuum columbarium. Sylvius & alii communiter. Attende tamen ſemper ad conſuetudinem loci, ut ante movi: quia in aliquibus locis mos eſt, undecunque & quomodocunque columbas attrahere, ubi id, teſte Urbano, nemo rationabiliter invitus patitur. Vide etiam P. Franc. *num.* 88.

Petes hîc fortè, quid dicendum ſit de eo, qui ex ſylva aliena ligna cedit, tum ad proprium ſuum uſum, tum ut aliis vendat? Reſpondet Burghaber *Centur. 3. caſu 77.* ſequentibus verbis. Probabile eſt, illum in alienis ſylvis non circumſeptis abſque devaſtatione & immoderata ſtrage ligna cedentem & avehentem non peccare, ſaltem mortaliter, nec teneri ad ullam reſtitutionem. Ita Bannez 2, 2. *quæſt. 62. art. 3. dub. 4. concluſ. 2. & 3.* Salonius, Ledeſma, & plures alii Dominicani, quos refert, & eorum opinionem probabilem cenſet Dedicaſtillo *de juſt. tr. D. 9. num. 357.* Ratio eſt, quia ejuſmodi ſylvæ ab initio non alia lege fuerunt conceſſæ communitatibus, aut privatis dominis, quàm ut ipſis liceret

liceret in illis lignare impunè, non item aliis, citra majorem tamen obligationem vel peccati contrahendi, vel restitutionis faciendæ, nisi devastationem aut stragem majorem facerent, ut sic aliquod foret discrimen inter arbores frugiferas & sylvestres; cum enim istæ singulari cultura non indigeant, sicut illæ, sed eas humus sua sponte procreet, non decuit ita has sylvestres arbores appropriari uni, ut nullo modo frui iisdem possint cæteri. Secus se res habet, si prædictæ sylvæ sint circumseptæ, vel proprio alicujus labore plantatæ, aut si ligna ab alio jam fuerint cæsa, & in strues conjecta, quia hac ratione tam ipsæ sylvæ, quam ligna in eis cæsa sufficienter jam censentur alicui appropriata, ut absque injuria domini auferri ex illis aliquid nequeat: Ita ille, & alii non irrationabiliter concedentes tamen posse sub pœna à dominis inhiberi, ne etiam in prioribus sylvis quis ligna cedat.]

§. II.

Resolvuntur varia circa venationem, & piscationem.

37. Dico primò, in dubio an fera sit vulnerantis an capientis, hujus est, nisi ex parte vulnerantis hæc tria concurrant: primum, si sufficienter læserit ad capiendum: secundùm, si eam sic læsam persequatur: tertium, si sit moraliter certum, quòd eam ipse fuisset comprehẽsurus; si enim vel hoc solum dubium fuerit, erit capientis, cùm tunc censeatur adhuc remanere in sua libertate naturali. *Leg. naturalem ff. de acquisitione dominii.*

38. Dico secundò, fera laqueo vel reti tuo capta, tua est, si fuerit inextricabiliter illaqueata, ita ut luctando se liberare non valeat: si secùs, erit capientis. Ratio utriusque est, quia in primo casu per similem illaqueationem amisit libertatem suam naturalem, devenitque in possessionem ponentis laqueum per dictam quasi apprehensionem, quæ potest fieri tam per instrumentum, quam per ipsam manum immediatè. Secundo verò casu needum amisit suam libertatem, adeoque fit primi occupantis: si autem dubium sit, an inextricabiliter, an extricabiliter fuerit illaqueata, verosimilius est ponentis laqueum, qui per similem intricationem fit quodammodo possessor, cujus est melior conditio, quamvis plures velint in hoc casu feram esse dividendam.

30. Dico tertiò, si te insequente fera incidat in mea retia inextricabiliter, fit mea; quia tu non acquiris ejus possessionem eam insequendo, sed ego capiendo. Ita plures, quidquid Fuliensis dicat, esse primò arripientis, & Urbanus eam velit esse utriusque.

Cum proportione adhæc resolves de piscibus secundùm quod extricabiliter, vel inextricabiliter in nassa capiuntur & intricantur: item & de avibus similiter. Cæterùm si fera, avis vel piscis sit in reti meo vel nassa, etiam solùm extricabiliter, modò ego adsim, non potest alius me prævenire in capiendo: quia per istam intricationem saltem acquiro aliquod jus ad rem, quod ab alio nullum prorsus jus habente, præveniri non potest.

Petes, an Princeps justè inhibeat venationem: & an hæc inhibitio obliget subditos sub peccato?

40. Resp. & dico quartò, licitum est Principi inhibere venationem (atque idem est de piscatione & aucupio) in locis juris publici varias ob causas: ut primò, dum id necessarium judicatur ad onera Reip. sustinenda: tunc enim jus illud potest elocari, ut sic procurentur pecuniæ necessariæ ipsi Principi aut Reipub. Secundò, dum id est necessarium ad tempus, ne alias totum ferè genus ferarum deleatur; ut si omnes passim venarentur quado feræ sunt gravidæ, aut dum nix jacet. Tertiò inhibere potest, ne venatio fiat certis instrumentis ob eandem rationem; sunt enim quædam instrumenta, quibus fermè omnia animalia capi possent. Quartò insuper, potest quilibet Princeps venationem in dictis locis inhibere de consensu populi, sive gratis, sive per contractum præstito; potest enim populus cedere juri suo. Atque hæc omnia sunt clara.

41. Dico quintò, etiam est licitum Principi inhibere venationem, & jus venandi sibi reservare in certis locis, etiam publici juris, ob solam suam recreationem absque populi consensu. Ita recentiores communiter. Ratio est, quia, cum Princeps totus impendi debeat in gubernanda Rep. potest quædam loca sibi ad recreationem determinare, vel maximè, cùm idipsum conducat ad Principis dignitatem. Interim tamen iidem recentiores censent, inhumanum fore, si quis Princeps vellet populum ab omnibus locis excludere, & sibi soli omnem omninò venationem reservare: imò, id propè tyrannicum vocant Becanus, Wiggers & alii, nisi fortè talem ob causam Princeps aliquid populo remittat de tributis sibi debitis, vel aliter compenset: durum enim nimis esset privare totum populum omni recreatione & utilitate venationis, quæ jure naturali & gentium ipsi est concessa, ob solum commodum & recreationem Principis.

42. Adde, Principem quodcumque jus in venatione sibi reservantem obligari ad præcavenda damna, quæ animalia possent agris vicinorum, vel aliis eorum bonis inferre: aliàs enim tenebitur compensare damna illata. Nec quemquam in particulari ab hoc excusat, quòd à multis hæc obligatio parvipendatur, ut bene monet Wiggers: nam licet non sit, qui similes hic cogat ad similia damna, sæpe non parva, restituenda; etenim aliquando *stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Excipit tamen à dicto onere, & bene, N. Urbanus Principes illos, quibus vicinorum agri sunt feudatarii, dum videl. Princeps in

in eis sibi reservavit jus venationis, ferarumque multiplicationis, antequam eos agros colonis divideret, venderet, vel elocaret? tunc enim hoc onus pertinet ad servitutem justè retentam; atque hoc, teste eodem Urbano, sæpe accidit, dicens, similem servitutem legitimo tempore posse præscribi, modo habeatur justus titulus.

43. Dico sextò, qui venatur in loco juris publici vel privati ubi est prohibitum venari, peccat quidem pro ratione illatæ injuriæ, non tenetur tamen ad restitutionem ferarum, quas cepit. Prob. prima pars, quia invito domino non potest alienus fundus invadi: debet interim injuria quoad feras esse magni momenti, ut constituat peccatum mortale; quia communi hominum judicio censetur obligatio non venandi parum urgere conscientiam, nisi notabile valdè damnum inferatur, prout fieri potest, dum feræ sunt gravidæ, vel tam frequens est venatio, ut pene exhauriantur feræ sylvestres: alioqui enim Princeps videtur contentus esse sola mulcta, quam incurrit venator deprehensus post sententiam Judicis: atque hæc mulcta solùm debet esse pecuniaria, nisi quis sæpe in pecuniis mulctatus censeretur non velle se emendare; tunc enim videtur flagellatio posse adhiberi. Dixi *injuria quoad feras debet esse magni momenti, &c.* quia qui per venationem infert alteri damnum in bonis suis, peccat pro ratione damni, & tenetur ad restitutionem.

44. Prob. secunda pars, quia feræ captæ nullius erant, utpotè cum essent in sua libertate naturali, etiam facta prohibitione, aut loci prohibiti elocatione, unde nec erant prohibentis, nec similem locum conducentis: posset tamen Princeps lege sua extraordinaria eum reddere incapacem dominii ferarum, qui in alieno fundo venatur invito domino. Ita Urbanus & Wiggers; qui ultimus cum Medina notat, posse venatorem excusari, etiam ab onere reparandi damnum grave in ordine ad Principem, eò quòd hic ordinariè non soleat curare talem restitutionem, sed ei sufficiat, quòd deprehensi mulctam solvant. Cæterùm, qui venatur in loco clauso non magnæ vastitatis, vel piscatur in alterius vivario domino invito, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem ferarum vel piscium, ut ex dictis patet.

45. Adde venationem, ratione status, Clericis lege pontificia esse inhibitam, ne à cultu Divino ad hanc voluptatem deficiant. Patet *ex cap. 1. de Clerico venatore,* estque desumptum ex Concilio Aurelianensi: hoc tamen maximè intelligendum est de venatione, quæ fit cum magno strepitu & armorum vi, ita ut à mortali non videantur excusandi, juxta Wiggers & alios, Clerici in sacris constituti (idem dic de Religiosis) frequenter incumbentes venationibus talibus: si tamen (inquit idem Wiggers) id rariùs, & non ex consuetudine, sed quasi ex accidente fieret, solum venialiter peccaretur, modo absit periculum gravis scandali, aut homicidii, & mutilationis. Ita etiam Medina & Sylvester. Quibus adde insuper ex Urbano & cæte-

cæteris ſatis communiter, ſi venatio non ſit clamoroſa, ſtrepitu canum & vi armorum facta, nullum eſſe peccatum; quia hæc ſolum cenſetur Clericis inhibita. Unde licitum eſt eis venari cum retibus, laqueis, aut paucis canibus, modo deſit ſcandalum. Neque eſt mortale venari die Feſto aut Dominico, ſi Sacrum audiatur, & abſit periculum ſcandali; quia venatio non numeratur inter opera ſervilia: præcipuis tamen Feſtis venari, eſt indecorum, ut ait Becanus: & eam tunc vix poſſe fieri abſque ſcandalo, tradit Wiggers.

§. III.

De acquiſitione dominii rerum inventarum.

46. DIco primò, inventa, quæ nunquam habuerunt dominum, ſunt inventoris ſive primi occupantis. Patet ex antedictis: talia autem ſunt gemmæ, lapides pretioſi, & ſimilia, quæ inveniuntur in littore maris: item illa, quorum dominus temporis longinquitate ignoratur; nec non ea quæ habentur pro derelictis: qualia ſunt ea, quæ dominus facile poteſt recuperare, & non facit, vel quæ ſponte abjicit. Ubi adverte, eum dici primò occupare, qui primò arripit, non qui primò videt; quod conſtat ex donis miſſilibus ut v.g. pecuniis, quæ populo ſparguntur, ubi non primò videns, ſed primò arripiens dominus inſtituitur.

47. Nota hic inſuper, bona ejecta à naufragantibus non cenſeri hoc ipſo derelicta; imo ea, ſi Chriſtianorum ſunt, nullus occupare poteſt, quin incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: quæ tamen non incurretur, ſi veroſimilius ſit, veros dominos, quos arripiens non novit, nunquam ad ea recuperanda reverſuros; in tali enim caſu annumerantur bonis derelictis.

48. Dico ſecundò, inventa, quæ verum dominum habent, ipſi domino reſtituenda ſunt, ſi hic ab inventore poſſit dignoſci. Eſt certum. Quòd, ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus reperiri non poſſit, juxta communiorem ſententiam debent dari pauperibus; quia non dimittitur vel non liberatur quis à peccato, niſi reſtituatur ablatum: ſecundùm autem præſumptam voluntatem domini tales res ſunt dandæ pauperibus vel applicandæ in pias cauſas, quatenus ſic reſtituantur, & proſint ipſi domino, quantum hic & nunc prodeſſe poſſunt. Verùm hoc non obſtante DD. probatiſſimi ſuſtinent, poſſe probabiliter inventorem ſimilia bona ſibi reſervare. Ita Leſſ. Malder. Medina, Henriq. Diana, & alii quos citat & ſequitur Burghaber *Centur. 1. caſu* 68. idque Franc. B. Spei ſuſtinet ſpecialiter pro Belgio. Atque id omnino certum eſt, ſi ipſe inventor ſit verè pauper, etiam reſpectivè ſecundum ſtatum ſuum, qui res ſimiles

similes retinere poterit ad relevationem paupertatis propriæ. Ubi tamen inventores dominum rei inventæ resciverint, tenentur, quamprimum possunt, eam domino restituere: nec potest inventor dominum ex justitia obligare ad aliquid sibi dandum propter redditionem rei inventæ; nam hæc res est tota domini, ac consequenter nullum jus habet inventor ad aliquid ipsius: poterit tamen quod ultro à domino offertur acceptare, vel ex gratitudine aliquid petere; imo & ex justitia exigere recompensationem laboris, aut damni, quod subiit per talis rei inventionem, custodiam, & relationem.

Contrà secundam resolutionis partem, sic discurrit Caramuel *fundam.* 59. 1. *par.* §. 4. *num.* 1259.

49. *Ioannes noctu grassatur per plateas, spoliavit nonnullos, quos non cognovit, nec post diligens examen cognoscit, nunc pœnitentiâ ductus ad pedes mei Dianæ* (tenet enim illam sententiam) *pervolvitur, & inquirit an teneatur ad restitutionem? si illum pauperibus facturum restitutionem Diana dicat, Ioannes reponet Dianam inconsequentia laborare.* Hæc & alia Caramuel *loc. cit.* ad quæ cum omnibus respondet Diana, quod bona per delictum contracta vel comparata, quæ diligenti inquisitione adhibita remanent incerta, sint elargienda pauperibus *ex cap. cum tu 5. de usuris*, & hoc DD. communiter extendunt ad quodcumque delictum, prout etiam colligitur *ex cap. cum sit, de Iudæis*: est & in omnibus eadem ratio, ne scil. hominibus iniquis integrum relinquatur ex sua iniquitate ditescere sub spe rapiendo, quæ postmodum non debebunt restituere dum dominus ignorabitur. Undè bene Castrus Palaus. *tom.* 7. *disp.* 1. *pun.* 18. §. 8. *num.* 3. sic inter cætera discurrit. *Licèt verum sit ex natura rei, seu spectatâ justitiâ legibus seclusis, quæcumque debita incerta ex usura, simonia, aliòque delicto habita non esse in pauperes aliósve pios usus eroganda, quia justitia tantùm obligat debitum reddi ei, cujus est: quo non comparente, impossibilis est talis redditio & obligatio: neque pauperes aliáve opera pia sunt partes, neque hæredes necessarii creditoris. Attamen jure positivo in pœnam criminis commissi impedita est dominii acquisitio: quod colligitur ex eo, quòd in defectum veri domini pauperes, aliáve pia opera designentur, inter quos distributio facienda sit.* Ita Palaus. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tr.* 1. *res.* 12. Quia igitur de bona fide inventis nulla exstat constitutio, ut dentur pauperibus, probabiliter possunt ab inventore retineri: quod idem sustinet Navarra de Mercatore, qui bonâ fide accepit 100. loco 80. & emens non potest inveniri; eum nimirum posse excessum sibi retinere; secùs si malâ fide acciderit. Dian. insuper *tract.* 8. *resol.* 12. petit, an pauperes, qui res aliquas inventas pro eleëmosyna habuerunt, si dominus compareat, teneantur illa restituere? & respondet his verbis, *negativam sententiam sustinet Sotus, Ledesma, Navarra, etiamsi in propria specie res existat, vel ob ejus consumptionem ditiores facti fuerint; quia non mutuo, sed in eleëmosynam acceperunt, sicuti si ipse dominus rem illis concessisset: verùm magis probabiliter dicendum est, in tali casu obligationem restituendi adesse, & ita docet Molina, & Layman.* Dico ego certò obligationem

restituendi adesse in isto casu: quia similes eleëmosynæ dantur sub conditione restituendi si dominus posteà compareat re existente adhuc in propria specie, sicut absolutè à principio non darentur, si dominus à principio compareret.

50. Dico tertiò, thesaurus (qui nihil est aliud quàm vetus pecuniæ depositio aut alterius rei mobilis, cujus non exstat memoria) inventoris est de jure naturæ: veruntamen sequentia sunt jure civili in commune bonum justè ordinata. Primò, ut thesaurus arte magicâ inventus sit fisci: quamvis tamen magus non teneatur eum fisco tradere, nisi post sententiam judicis, eò quòd sit lex pœnalis. Secundò, ut inventus in loco publico dividatur inter inventorem & fiscum, vel ipsam communitatem. Tertiò, ut repertus in loco sacro dividatur inter Prælatum vel Ecclesiam & inventorem, si casu aut de licentia Prælati repertus fuerit; si verò secùs, totus est Prælati. Idem cum proportione dic de thesauro invento in terra aliena, cum, vel sine licentia domini loci, casu vel de industria inventoris. Quintò denique, statutum est, ut thesaurus inventus in loco proprio, totus sit inventoris.

51. Petes, an locus in quo cognoscitur latere thesaurus, emi possit, ac si de eo nihil constaret? Resp. affirmativè cum D. Thoma & aliis contra quosdam antiquiores. Probatur, quia justum rei pretium non sumitur ab utilitate, quam res emptori adfert, sed ex communi hominum æstimatione: undè, quantumvis ea alicui utilis sit, potest hic eam emere prout ab aliis æstimatur: sic enim qui scit, ex decreto Principis nondum evulgato, erigendam esse civitatem in certo loco, potest vicinos agros emere pretio currenti, ut communiter omnes DD. tradunt: item potest pharmacopola, v.g. in fasciculo herbarum videns unam plantam pretiosam, fasciculum emere pretio currenti sive ordinario. Similiter etiam si emisti à milite vel alio facculum cum lupulo, lino, *&c.* ac posteà in eo reperias thesaurum, non teneris augere pretium: secùs tamen dic de eo, qui à rustico emisset pretiosum lapidem vili pretio, eò quòd rusticus valorem ejus ignoraret; quia talis lapis plus valet ex communi hominum æstimatione; cujus contrarium in prædictis accidit.

§. IV.

De præscriptione & usucapione.

52. PRæscriptionem & usucapionem solebant jurisperiti inter se distinguere, quas tamen confundunt canonistæ: imò & eas jam communiter etiam à jurisperitis confundi, docet N. Urban. *tr. 3. tit. 4. c. 7. fol. 514.* quare præscriptio sive usucapio, est acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti. Ita DD. communiter *ex l. 3. ff. de usucapione.* Ubi P. Franciscus

ciscus monet, per *dominium* debere intelligi dominium latè sumptum, sic ut cum aliis juribus ususfructus, servitutis, actionis, *&c.* confundatur. Quo posito

53. Dico, acquisitio dominii per præscriptionem licita est, ac locum habet in foro conscientiæ (de foro autem civili non est dubium, nam jura sunt clara) idque sive alter, contrà quem præscribitur, fuerit negligens in re sua recuperanda sive non. Ita cum Lessio docet Urban. & cæteri communiter. Prob. quia non est, cur non valeat Princeps aut legitimus Superior ratione præscriptionis rerum dominia validè ac licitè transferre in commune bonum & utilitatem. Quòd verò quidam dicant, neminem esse privandum re suâ absque sua culpa, tantùm verum est, ubi ratio boni communis id non exigit ad fugiendas multas difficultates & lites in Repub. Quare igitur, qui rem legitimè præscripsit & postmodum cognoscit, eam fuisse alienam, non tenetur in conscientia eam restituere: cùm enim usucapio definiatur acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti, transacto illo tempore acquisitum est dominium; undè nulla remanet obligatio. Varias causas, ob quas beneficium præscriptionis introductum est, vide apud Franc. B. Speci *de Iure & Iust. disp.* 3. *n.* 100.

54. Ad validè autem præscribendum, requiruntur hæ quatuor conditiones desumptæ ex jure canonico: scil. possessio, titulus probabiliter præsumptus, bona fides, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum. Ubi

55. Nota primò, possessionem esse omninò necessariam ad præscriptionem; quia, ut habetur *regulâ juris in 6.* sine possessione præscriptio non procedit. Est autem possessio triplex, civilis tantùm, naturalis tantùm, ac civilis & naturalis simul: harum prima, quâ solo animo rei nostræ etiam absenti insistimus, & tertia ad præscriptionem sufficiunt; secundâ verò minimè. Undè dum v. g. domus vacua relicta à mercatore profecto ad nundinas ab alio invaditur, hîc eam nequit præscribere, quia tantum habet possessionem naturalem, ac dictus mercator retinet civilem, contrà quam præscribi nullatenùs potest. Præscriptio igitur solùm incipit ab eo die, quo prior dominus amittit possessionem civilem: ex tunc enim tantum incipit detentor eamdem rem civiliter possidere.

56. Nota secundò circa titulum, nomine tituli justi intelligi eum, qui probabiliter justus præsumitur, licèt à parte rei non sit, ut v. g. titulus venditionis ab eo factæ, qui à parte rei non habet jus vendendi, probabiliter tamen putatur ab emptore jus illud habere, Sed hanc conditionem non omninò necessariò requiri absolutè loquendo, constat *ex lege Sicuti cap. de præscript. triginta annorum*, ubi dicitur absolutè absque titulo res mobiles & immobiles præscribi spatio 30. annorum. Vide P. Franciscum. *num.* 103.

57. Nota tertio quoad bonam fidem, possessorem malæ fidei nullo tempore posse præscribere. Patet *ex reg. juris in 6. citata suprà.* Est autem bona fides hîc, credulitas qua quis sibi prudenter persuadet, rem esse suam, vel

fal-

DISPVTATIO II.

De cæteris iuribus à dominio distinctis.

DVBIUM I.

De usu fructu.

1. Dico primò, ususfructus est jus rebus alienis utendi & fruendi, salvâ earum substantiâ. Undè non sumitur hîc pro ipso actu ususfruendi, sed pro jure ad talem actum, quod est facultas quædam alicui competens per modum habitus. Per ly *utendi* excluditur jus, quod habet creditor in pignus vel hypothecam, & depositarius in depositum; his enim non est licitum iis uti: per ly *fruendi* verò significatur, usumfructum suprà nudum usum dicere jus ad percipiendum omnes fructus ex re fructuaria perceptibiles. Quod si tamen usufructuarius fructibus etiam maturis non collectis moriatur, non cedunt hæredibus ipsius, sed domino directo rei, seu proprietario; quia quamdiu adhærent fundo, censentur unum quid cum illo: unde sicut fundus, ita & illi ad dominum pertinent, prout habetur *instit. de rerum divis. §. His verò.*

2. Sub ly *fruendi* involvitur ulteriùs potestas ad placitum disponendi de re, cujus habetur usus fructus, etiam elocandi; quod facere non potest, qui habet solum usum. Per ly denique, *salvâ earum substantiâ*, excluditur dominium perfectum & directum tantùm; ac ratione hujus particulæ adjunctæ usufructuarius obligatur, primò in grege supplere capita demortua *Instit. de rerum divis. §. Sed si gregis.* Ratio est, quia grex censetur perpetuus: cùm tamen è contra unum pecus non censeatur perpetuum, usufructuarius unius ovis aut vaccæ v. g. non obligatur aliam substituere, si naturaliter intereat. Ibidem §. *In pecudum.* Secundò obligatur in vinea vel silva loco arborum pereuntium alias plantare, nisi tempestate vel alio simili modo extraordinario pereant. Tertiò tenetur in ædibus modicam adhibere reparationem, ut integræ consistant; non tamen ita, ut meliores reddantur. Quartò denique, tenetur proprietario dare cautionem, quòd nimirum secundùm viri prudentis arbitrium utetur & fruetur re ipsius, quòdque eam statuto tempore salvam restituet. Franc. B. Spei *de jure & Iust. disp. 2. num. 10.* Id tamen non est semper necessarium in usufructu legali; pater enim non tenetur præstare cautionem pro usufructu bonorum adventitiorum sui filii, quamvis interim id semper sit necessarium in usufructu conventionali; & ita quidem, ut licèt uxor ligaret usumfructum omnium

nium suorum bonorum marito, cum expressè eximendo ab obligatione satisdandi, seu cautionem præstandi, adhuc eam præstare teneretur. *l.1. cap. de usufructu & le. penult. cap. Vt in possessionem.* Quòd si fortè usufructuarius ob paupertatem satisdare, aut etiam fidejussorem reperire non possit, tunc censebitur sufficere cautio juratoria, si persona non sit suspecta; aliàs debebit ususfructus alteri tradi, de quo hic usumfructum sumere possit. Ita plures post Bartholum.

3. Dico secundò, ususfructus acquiritur dupliciter: legis dispositione, & dicitur legalis; & dispositione privatâ ut v. g. testamento, pacto, *&c.* & sic vocatur conventionalis. E contrà verò amittitur ususfructus sex modis: primò morte usufructuarii. Secundò interitu ipsius rei. Tertiò præscriptione decennali inter præsentes, vicennali inter absentes. Quartò per maximam vel etiam mediam capitis diminutionem usufructuarii: dicitur autem maxima capitis diminutio, quando quis civitate ac libertate exuitur; media quando adhuc retinetur quidem libertas, sed civitas amittitur, minima verò capitis diminutio (per quam non amittitur ususfructus) est, dum simul & libertas & civitas retinetur, sed status hominis immutatur. Quintò perditur ususfructus patris in bonis adventitiis filii, dum ille fit Hæreticus. Denique, dum usufructuarius jus suum cedit proprietario.

DUBIUM SECUNDUM.

De usu.

4. Dico primò, usus est jus utendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ. Ita omnes *ex instit. de rerum divis.* Adhuc tamen post ly *utendi* bene addit Urbanus *dumtaxat*, ut excludatur ususfructus, qui est quidem jus utendi, sed insuper etiam jus fruendi, ut visum est. Addit & P. Franc. *ad suum tantùm, & non alienum, sive gratis, sive pretio, commodum.* Per ly *utendi* excludes, quæ per idem statim à definitione ususfructus exclusimus: ac ratione ultimæ particulæ obligatur usuarius ad rei conservationem, quantum fieri potest. Quare valdè parum juris habet is, qui solum usum rei alienæ obtinet: sic enim, qui solum usum habet alieni fundi, potest quidem in eo manere, ambulare, *&c.* ita tamen, ut domino non sit molestus; item potest sumere poma, oleta, fœnum, ligna, *&c.* ad usum quotidianum; nil tamen ex his omnibus potest aliis donare, vendere, aut elocare. Deindè, qui habet usum domus, potest quidem eam inhabitare cum familia propria & hospites recipere, usum tamen ejusdem non potest alteri concedere: similiter, qui habet nudum usum equi v. g. non potest permittere ut alter eo utatur, nisi domino permittente. Hæc omnia habes *instit. de divis. rerum & ff. de usu & habitatione.*

5. Di-

5. Dico secundò, in rebus unico usu consumptibilibus, usus à dominio distinguitur, si sit revocabilis. Ita recentiores jam satis communiter, quibus ut adhæream, me movet, quòd varii Pontifices, inter quos sunt Nicolaus III. & Clemens V. expressè declararint, Fratres Minores habere usum dictarum rerum, uti sunt vinum, oleum, pecuniæ, *&c.* dominio tamen earum remanente penes summum Pontificem. Undè, ne dicatur unus Papa contra alios aliquid declarasse, dum Joannes XXII. contrarium docuit, vel id fecit tanquam privatus Doctor, prout ostendit Urbanus *fol.* 492. addens, non debere absurdum videri, asserere, eum ut talem minùs bene sensisse in re nihil ad fidem aut mores necessariò pertinente: vel intelligendus est, loqui de usu irrevocabili, qui in dictis rebus non videtur distingui posse à dominio: eodem modo intelliges D. Thomam, dum aliqui dicunt, eum contrarium sustinere. Insuper,

6. Hæc nostra & communior sententia confirmari potest, tum quia indubitatum est apud omnes, Religiosos solemniter professos non habere in particulari ullius rei dominium, cum tamen habeant usum dictarum rerum, etiam in particulari: tum etiam, quia convivæ v. g. habent usum cibi & potus eorum, quæ in mensa apponuntur, dominio tamen eorum apud hospitem remanente. Nec dicas, hos omnes relatos solum habere usum facti absque usu ad factum, quasi sic consequenter dicere deberes, eos uti rebus, quibus utuntur absque jure utendi, sicque injustè agere, quod reverà non faciunt. Neque obstat, quòd usum suprà definierimus *jus utendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ*; quia hæc ultima particula solum convenit usui propriè dicto scil. rerum, quæ unico usu non consumuntur, quique usus sit ad aliquod saltèm tempus irrevocabilis, quem usum ibi tantum intendimus definire, & non usum minùs propriè dictum, de quo hîc agimus. Tamen

7. Dices fortè, ex nostra resolutione sequi, multos posse ab usura excusari, eò quòd dicent, se accipere duplex pretium pro sua pecunia; idque licitè, unum nempe pro ejus dominio, quod in alios transferunt, & aliud pro usu à dominio distincto, quem eis concedunt.

8. Resp. negando sequelam; nam quidquid quoad hoc ultimum dicatur, per id usurarii se nullatenùs excusant: quia utrique illi pretio reddit alter æquivalens, dum ei reddit summam pecuniæ ab eo mutuò acceptam: sic namque centum aurei mutuò dati, compensantur ad æqualitatem per centum alios, qui redduntur, quia tantum valent isti quantum illi, jusque illis utendi simul & dominium eorum à debitore redduntur creditori. Committit ergò usuram creditor, si pro centum aureis mutuo datis aliquid suprà exigat, prout notant Urbanus, & Lothus *tract.* 7. *quæst.* 5. *art.* 1. qui nuperrimè hanc difficultatem latè discutit. Sed quia Franc. N. *de jure & just. disp.* 3. *dub.* 3. *resp.* 2. fortiter agit pro opposita sententia: desiderarem ejus argumenta videre efficaciter soluta ab ali-

aliquo Scholastico, cujus plus interest: prout idem in simili superius me desiderare insinuavi. Alios Authores hac in parte videndos in magno numero proponit Vidal. *de paupert. Religiosa inquisit. unica fol.* 400. *num.* 12 *&* 13.

DUBIUM TERTIUM.

De emphyteusi, feudo & servitute.

QUia hæc quamdam habent affinitatem cum usufructu, ideo de iis hîc agitur.

9. Dico primò, emphyteusis est contractus, quo res immobilis alicui traditur fruenda sub certa pensione reali: requiritur autem, ut sic alteri tradatur, ut minus ad decennium, si determinetur tempus; aliàs enim erit contractus locationis. Si non determinetur tempus, semper est emphyteusis quando dicto modo traditur res ad vitam unius vel aliquorum, aut etiam in perpetuum. Ubi adverte, quomodocumque res tradatur, eam totaliter redire ad priorem dominum, si pensio intra certum tempus non solvatur. Ita colligitur ex *le.* 2. *&* 3. *cap. de jure emphyt.* Est autem hoc certum tempus duorum annorum, si emphyteusis sit ecclesiastica, trium verò si sæcularis. Qui rem aliquam tradit in emphyteusim dicitur proprietarius, & qui eam accipit emphyteuta.

10. Dico secundò, feudum est concessio fruendæ rei immobilis, vel quæ pro immobili habetur, sub onere servitii personalis præstandi feudatori: ut dum v.g. Rex alicui concedit aliquam civitatem ut in bello pro Rege pugnet. Is, qui concedit, dicitur feudator vel infeudator, cui verò conceditur, feudatarius vel vasallus; dicitúrque feudum à fidelitate, quâ feudatarius feudatori dictum servitium personale exhibere obligatur.

11. Dico tertiò, servitus hîc nihil est aliud, quàm subjectio quædam seu obligatio, quâ res aliena alteri est subjecta. Est duplex, realis una, quæ à re debetur rei; personalis altera, quæ à re debetur personæ: ut v. g. alienus ager vel servit meæ personæ, si indè habeam usumfructum, & ut sic ista obligatio dicitur servitus personalis; vel inservit meo agro, dum videl. per eum debet permitti liber transitus in meum agrum, & tunc vocatur realis. Servitus realis est iterum duplex; rustica scil. quæ prædio rustico, id est, horto vel alteri rei ab ædificio distinctæ, debetur; & urbana, quæ debetur ædificio ubicumque hoc constat. Sic servitutes rusticæ sunt, quibus est licitum vel ire per alienum agrum ad tuum, vel per eundem facere aquæductum, *&c.* Urbanæ verò sunt, quòd v.g. vicinus non possit erigere suam domum altiùs, ne tuum impediat lumen; quòd teneatur recipere stillicidium tecti tui in suam aream, *&c.*

12. Ad-

2. Adverte servitutem realem variis modis institui, ut lege, testamento, donatione, pacto, & præscriptione: servitutes verò personales constituuntur iisdem modis, quibus diximus institui usumfructum, usum, emphyteusim & feudum; iisdemque modis, quibus hæc finiuntur.

DVBIVM QVARTVM.

De possessione.

13. Dico primò, possessio est rei detentio, vera vel ficta, animi, corporis, & juris adminiculo. Addunt alii *rei corporalis*: sed cùm incorporalium, v.g. beneficiorum, dignitatum, &c. possessiones verè dentur, monet rectè P. Franciscus melius particulam istam omitti. Per *detentionem* intellige etiam primam rei apprehensionem; per hanc enim inchoatur possessio. Dicitur autem detentio vera, quæ manibus in bonis mobilibus, pedibus in immobilibus fit; & ficta, quæ vel juris fictione fit, vel habet æquivalentiam cum vera: sic qui accipit claves portæ alicujus domus aut civitatis, earum censetur accipere possessionem. Dicitur *corporis & animi adminiculo*, quia nec sola corporis apprehensio sufficit, ut patet in depositario; neque etiam sola animi, ut constat in avaris. Additur autem *& juris*, quia etiam necessarium est, ut jus permittat rem possideri: quare detentio rei Sacræ non facit laicum ejusdem possessorem, propter dispositionem juris contrariam *Leg. universas §. 2. de acquirenda possessione.*

14. Dico secundò, possessio est duplex, una naturalis, alia civilis: hæc est, dum solo animo retinetur possessio, anteà corporis simul & animi adminiculo inchoata; sic absentes possident rem semel apprehensam. Naturalis verò est corporis animique detentio. Adverte tamen furem non habere veram possessionem rei furtivæ, licèt eam corpore ac animo detineat; quia juxta jura non fit verè ac civiliter possessor qui rē ab altero adhuc civiliter possessam occupat, quamvis id faciat animo civiliter occupandi, *leg. clam. possidere ff. de acquirenda possessione.* Valet interim adhuc furis possessio dum pacificè jam rem detinet, ut ab extraneo privatâ authoritate deturbari non possit, nequidem ab ipso rei domino.

15. Dico tertiò, possessio rerum corporalium tribus modis acquiritur: apprehensione verâ, apprehensione fictâ, & legis dispositione. Apprehensio vera est illa manuum pedúmve de qua statim, & hæc requiritur ad possessionem eorum, quæ nullius sunt, & ad possidendam relictam hæreditatem, vel quando vi aliquid possidetur. Ficta est, dum rei dominus talem actum exercet, per qualem in jure possessio tradi censetur. Legis dispositione

tione denique possessio acquiritur, quando res in alterum transfertur sinè ulla apprehensione vera vel ficta, sed præcisè quia leges sic statuunt; sic v. g. primogenitus succedit in majoratu. Franc. B. Spei *disp*. 3. *num*. 20.

16. Dico quartò, possessio jurium, & rerum incorporalium obtinetur exercitio actus circa tale jus, qui actus sufficit unicus consumatus sciente & ferente eo, cujus intererat concedere vel prohibere; modo tamen eum commodè prohibere potuerit.

17. Dico quintò, possessio rerum mobilium amittitur quatuor modis: primò voluntate possidentis, nisi sit pupillus vel fatuus. Secundò furtò. Tertiò amissione. Quarto fugâ animalium non habentium consuetudinem redeundi; excipitur tamen mancipium. Adde totidem etiam modis amitti possessionem bonorum immobilium: primò scil. voluntate possidentis. Secundò longâ ejus absentiâ si non protestetur. Tertio possessoris negligentiâ, vel metu ejusdem non audentis rem suam ab invasore recuperare. Denique continua fluminis vel maris inundatione: circa quæ omnia vide Lessium, & alios fusè hæc explicantes.

Petes quænam sint possessoris privilegia?

18. Resp. inprimis eum fieri dominum rei bonâ fide possessæ certo tempore elapso juxta dicta de præscriptione. Deinde potest suam possessionem armis tueri. Tertiò potest etiam rem à se possessam armis recuperare, modò confestim, & sine intervallo fiat. Quartò in dubio utrimque æquè probabili facit meliorem ejus conditionem. Circa quod notandum venit, hoc axioma, *in dubio melior est conditio possidentis*, non tantùm habere locum in materia rigorosæ justitiæ, sed & in omni omninò virtute, nam titulus & ratio possessionis æquè reperitur in occasionibus aliarum virtutum, quæ voluntatem humanam obligant, quàm in materia justitiæ, prout notavit Urban. *tract*. 1. *cap*. 10. *fol*. 19. Unde quamdiu dubitas de lege, voto, præcepto, &c. an videl. lex sit lata, votum emiseris, &c. post diligentem inquisitionem, non teneris ad eorum observationem, quia adhuc es in possessione tuæ libertatis. Si verò certus de lege, voto, &c. dubites an actus, quem intendis committere, sit contra legem, votum, &c. teneris eum non ponere, quia tunc lex, votum, &c. sunt in possessione. Hinc ulterius si dubites an unquam debueris centum aureos illi, qui eos à te petit, nec post diligens examen dubium tuum superare queas, ad nihil teneris: secus tamen teneris ad totum, si certus quod debueris, dubites an solveris: in primo enim casu tu es in possessione, in secundo vero ipse creditor, cujus possessio non tollitur per tuum dubium. Excipit tamen ab hac regula Urbanus cum communi post D. Thomam, peccata dubia, quæ ut dubia confiteri tenemur etiamsi dubitemus an ea commiserimus; quia, inquit, tunc tutior pars eligenda est propter animæ periculum: nec possessio in casu posito favet libertati dubi-

dubitantis, sed potius communi fini Ecclesiæ: neque est ibi causæ paritas ut melior existat conditio possidentis; quia non remittitur peccatum mortale etiam dubium, nisi per confessionem debitam in lege Evangelica. Ita Urbanus: verùm de hoc ex professo agemus *in tract. de Sacram.* Circa cætera interim semper prævalet possessio, si nimirum res sit verè dubia: quod addo, quia Caramuel *suæ Theol. moral. lib.3. disp.3. quæst,9.* non admittit hanc propositionem, *In probabilibus standum necessariò pro possessione*; ratio ipsius est; quia non tenemur facere meliora sed bona; & tametsi etiam in probabilibus melior sit conditio possidentis, possumus, nisi lege obligatoriâ impediamur, stare pro non possidente, cujus conditio tametsi non sit melior, est tamen bona. Ita ille. Quod & Diana *par.4. tract.3. Res.32. & par. 11. tract.5. Res. 27.* dicit se in praxi secutum tanquam probabile. Verùm hæc aliorum judicio relinquo; nullatenus tamen admittens in casu quo est periculum injuriæ tertii, conformiter ad dicta suprà *in tract. de actibus humanis disp.2. num.15.* ubi quærebamus an licitum esset sequi sententiam probabilem, probabiliori relictâ.

19. Non vult etiam P. Scilder illud axioma admittere pro principio universali: quia *ille* (inquit *tract.3. num. 10.*) *qui tanquam Sacerdos diu celebravit, adeoque est in possessione celebrandi, si dubitare incipiat an validè ordinatus sit, non magis celebrare potest, quàm is, qui dubius de valida ordinatione nunquam celebravit.* Sed antedicta ad hæc respondent, etiam hunc, si bonâ fide ordinatus sit, posse celebrare; quia licet non sit in possessione celebrationis actualis, est verè in possessione potestatis, seu juris celebrandi, quæ certa possessio non debet per dubium superveniens turbari, nisi velis ut & in hac, & in aliis materiis infinitæ anxietates obveniant. Simili modo etiam satis fit iis, quæ circa finem ejusdem numeri habet; *Si dubium oriatur an debitor solverit, non potest creditor dicere se esse in possessione exigendi, quandoquidem nunquam aliquid tanquam debitum exegerit:* quia adhuc talis verè dicitur esse in possessione, seu quasi possessione (voca ut volueris) juris exigendi debitum, licet non actualis exactionis. Unde nulla hîc necessitas recurrendi ad aliud principium. Nec dicendum est cum Layman, & Ildephonso apud eundem Scilder *tract.4. num.369.* tunc esse solvendam partem debiti.

20. Subdit idem Scilder: *Dubius, an matrimoniũ validè cum aliqua iniverit, tenetur alteri bonâ fide petenti reddere debitum. cap. dominus de secundis nuptiis.* Verùm hæc faciunt pro nobis, quia sicut per matrimonium bona fide contractum uterque conjux constituitur in possessione juris exigendi debitum, sic uterque amittit possessionem suæ libertatis, quam possessionem per dubium superveniens neuter potest recuperare: unde ille malè supponit, similem dubium esse in possessione suæ libertatis. Quod autem addit; *Non habet locum in dubio uter ex duobus titulum domini prius acceperit; is enim, qui ostendit, se accepisse tempore certo, præfertur possesso-*

possessori, qui tempus certum ostendere non potest: non est contra nos; quia hîc cætera non sunt paria, sive dubium non est utrimque æque probabile, sed præsumptio stat pro primo. Et certè miror, illum hæc contra nos hîc objicere, cum ipse sibi sufficienter in iis satisfaciat *tract.* 3. *num.*43. dicendo, possessio *tantùm dat favorem in dublo*; *in casu autem* (scil. statim posito) *non est solum dubium pro utroque, sed pro uno certitudo temporis.*

Insuper quod idem Author adfert *num.*18. & parum ante *num.*11, *Dubius an copulam carnalem habuerit cum una, consobrinam ipsius ducere non potest, &c, si eam duxerit, separari debet.cap. Iuvenis de Sponsal.* non habet vim contra nos, cum debeat intelligi de ducente illam in simili dubio, quando nulla, aut non sufficiens veritatis indagatio est adhibita, nullumque est formatum prudens judicium; ne contraveniatur iis, quæ ex ipsomet in initio hujus dubii attulimus juxta *cap. dominus, &c.* Atque ita in simili respondet etiam Burghaber *centur.*3. *casu ult.* Vel dic, jus ecclesiasticum hîc aliter disponere ob rationes, quæ non militant in aliis materiis.

21 Cæterùm ut habeas regulam generalem, quis sit dicendus esse in possessione; observa, pro eo semper judicandum esse, pro quo stat præsumptio; quæ semper stat pro hominis libertate quando dubium oritur circa actionem, per quam primò incipit obligatio: è contra verò pro obligatione legis, voti, &c. dum dubitatur circa actionem ad quam obligatio jam certò est orta. Unde si verè dubites an sis jejunus, communicare potes: item si sis dubius, an compleveris annum vigesimum primum, necdum teneris ad jejunium, quia adhuc es in possessione tuæ libertatis: si verò dubites, an habeas annos sexaginta completos, adhuc obligaris, quia præceptum tunc contra te est in possessione: quidquid tamen juxta Caramuelem statim citatum adhuc in hoc casu etiam non obligeris, si habeas rationem probabilem quoad impletionem anni sexagesimi. Nota interim in his omnibus dubitantem debere præmittere diligentem inquisitionem ad dubium superandum, antequam vi suæ possessionis procedat ad opus, quod denotant illa verba *num.*18. à nobis posita, *post diligentem inquisitionem; post diligens examen.*

* * *

DISPV-

DISPVTATIO III.

De Justitia in genere.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex Justitia.

1. JUstitia in sacris paginis sæpè sumitur pro universitate omnium virtutum; sic, ut quælibet virtus sit pars ipsius justitiæ, & nemo justus dicatur, si vel ab unica virtute recedat. Ita sumitur *Matth.* 5. dum dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, & alibi sæpiùs. Ratio autem esse potest, quia universitas virtutum reddit voluntatem æqualem seu conformem suæ regulæ, cui commensurata esse debet, scil. ipsi legi: deinde per collectas omnes virtutes redditur legislatori Deo quod illi suo modo debetur. Attamen de justitia hoc latiori modo sumpta hîc non agimus, sed de ea, quatenùs est virtus specialis à cæteris condistincta, de qua

2. Dico primò, justitia est constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Ita omnes, saltem quoad substantiam: quod addo, quia licèt Theologi communiter post Aristotelem, vel etiam sancti PP. aliter eam verbotenùs definiant, nihil tamen novum afferunt, ut notat Urbanus *tract.* 3. *tit.* 1. *cap.* 1. *fol.* 400. Voluntas in definitione data non sumitur pro potentia, sed pro actu quasi virtualiter sive habitualiter perseverante, quod significatur per ly *constans ac perpetua*; quæ hîc non sunt idem, nam per hoc, quòd dicatur *voluntas constans*, indicatur propositum debere esse firmum, quo decernitur dare cuique suum: per hoc verò, quòd addatur *perpetua*, significatur, quòd oporteat semper & in omni occasione velle unicuique tribuere jus suum: quæ ambo necessariò requiruntur ad rationem perfectæ justitiæ: non enim sufficit velle aliquo tempore, aut in aliquibus negotiis unicuique tribuere quod suum est. Per *jus* intellige jus strictum, de quo nos suprà.

3. Ad perfectam & strictam justitiam tria necessariò requiruntur: primum est perfecta alteritas, ita videl. ut is, cui jus suum tribuitur, sit altera persona ab eo, qui id tribuit, idque non solùm physicè, sed etiam moraliter. Secundum, ut jus, quod redditur, sit simpliciter & rigorosè debitum. Tertium denique, ut tradatur ad omnimodam æqualitatem. Unde religio, pietas & observantia non sunt strictè justitia; quia Deo, parentibus & magistris reddi non potest ad omnimodam æqualitatem. Neque etiam justitia dici possunt fortitudo aut temperantia; quia non disponunt nos ad alterum,

ſed ad nos ipſos. Occaſione tertii requiſiti dicit Urban. *loc. cit.* poſt D. Thomam, juſtitiam reſpicere medium rei, cæteras verò virtutes medium rationis; nam juſtitia attendit æqualitatem rei ad rem abſque reſpectu ad quodvis aliud, ut nempe tantum præcisè reponatur, quantum ablatum & debitum eſt: cæteræ autem virtutes attendunt medium rationis, in quantum recta ratio hîc & nunc ſecundùm diverſitatem circumſtantiarum præſcribit, ut v. g. temperantia, quantum cibi & potus ſumendum ſit in tali differentia temporis & corporis diſpoſitione; fortitudo, quâ audaciâ aggrediendum ſit periculum, & ſic de ſimilibus. Ex quibus patet, medium quidem juſtitiæ ſemper eſſe æquale, nullo habitu reſpectu, prætèrquam ad jus & debitum, ſed media aliarum virtutum pro ratione circumſtantiarum eſſe inæqualia.

4. Dico ſecundò, juſtitia communiter dividitur in commutativam, diſtributivam, & legalem: verùm hæc (quæ juxta Franc. B. Spei eſt conſtans ac perpetua voluntas ſervandi bonum commune quà tale) non eſt juſtitia ſtrictè ſumpta, cùm enim ſingulorum civium actiones in commune Reip. bonum dirigat, adeoque ipſi communitati debitum reddat, nunquam poteſt tribuere ad perfectam æqualitatem; nam Reip. membra nunquam ſe poſſunt exonerare, quin adhuc eidem obligentur: deinde in juſtitia legali non eſt perfecta alteritas, cùm quodlibet communitatis membrum non diſtinguatur adæquatè ab ipſa communitate. Imo neque juſtitia diſtributiva eſt propriè dicta juſtitia: quia hæc non reddit alteri jus ſuum ſive rigorosè debitum; conſiſtit enim in diſtributione bonorum, officiorum, & onerum publicorum communitatis: membrū autem cōmunitatis, licèt ſit fortè cæteris capacius ad hoc officium v. g. non eſt tamen ei rigorosè debitum, nec adhuc habet ſtrictum jus ad illud: unde fit, quòd propter violationem juſtitiæ diſtributivæ præcisè nullus teneatur ad reſtitutionem: licèt tamen ſæpiùs Princeps vel Superior teneatur ex juſtitia commutativa bona publica communitatis diſtribuere magis idoneis, quando nimirum implicitè vel explicitè convenit de eo cum ipſa communitate; quo caſu, ſi contraveniat, tenebitūr ad reſtitutionem ratione contractus. Item vi juſtitiæ commutativæ tenetur Princeps juxta conventionem militibus ſtipendia ſolvere, ſicut & mercedem operariis; quod eſt manifeſtum: quia in his ſe habet inſtar hominis privati conducentis operam alterius. Cæterùm, licèt Superior violando juſtitiam diſtributivam non violet juſtitiam propriè dictam, nec conſequenter teneatur ad reſtitutionem, peccat tamen, quoties idoneô relictô, dat officium minimè idoneo; verùm de his poſtea latiùs. Ex dictis igitur conſtat, juſtitiam commutativam eſſe ſolam propriè dictam juſtitiam, cujus violatio ſemper obligat ad reſtituendum. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iuſt. diſp. 2. num. 14. & ſeq.*

DUB. II.

DVBIVM SECVNDVM.

Inter quos Justitia intercedat.

5. EX dictis constat, non posse dari veram justitiam ad seipsum (idem enim à seipso alter esse non potest) ac consequenter nemo potest sibi ipsi inferre veram injuriam. Hoc posito

6. Dico primò, inter patrem & filium formaliter, sive quà tales, nulla stricta intercedit justitia: quia filius ut filius est aliquid patris, & unum quid cum ipso: adeoque inter ipsos non reperitur perfecta alteritas, quidquid igitur filius ut filius debet patri, debet titulo pietatis. Verùm hoc non obest, quin filius furando bona patris, injuriam committat; quia hoc non facit ut filius patri, sed ut homo homini: quamvis tamen cæteris paribus sit minus peccatum eandem summam surripere patri quàm alteri extraneo, prout secundùm omnes injuria est minùs gravis; quia videl. pater censetur minùs invitus quàm extraneus.

7. Dico secundò, inter dominum & servum formaliter etiam nulla potest intercedere justitia propriè dicta: quia servus est etiam aliquid domini, utpote animatum ejus instrumentum, & aliquid de bonis ipsi propriis.

8. Dico tertiò, inter maritum & uxorem nulla intercedit justitia circa regimen familiæ; non enim est inter eos quoad hoc perfecta alteritas, cùm in eo uxor non possit quidquam disponere independenter à marito, qui est caput uxoris. Intercedit tamen inter eos propriè dicta justitia, primò in iis, quæ sunt usus matrimonialis, nam solutio debiti est actus perfectæ justitiæ. Secundò etiam in iis, quæ uxori sunt propria (qualia sunt bona paraphernalia, *&c.*) potest inter ipsam & maritum justitia reperiri. Tertiò uterque conjux habet jus strictum, ut ab altero alatur ac vestiatur; item ut ab eo singulariter ametur, quatenùs conjux est, atque ut alia quædam erga se officia ab altero exhibeantur. Interim hîc diligenter

9. Adverte, justitiam propriè dictam non sic dici, quasi semper includat perfectius aut magis strictum jus, sive ut sit magis obligans, quàm justitia minùs propriè dicta: interdum enim hæc plùs obligat, ut videre est in pietate, sive jure paterno; quia peccata, quæ fiunt contra jus paternum, graviora sunt iis, quæ comittuntur in alios contra justitiam strictam cæteris paribus. Dicitur ergo jus sive justitia propriè dicta, quia inter personas est perfecta alteritas, quæ non reperitur in personis, inter quas intercedit pietas v. g. De cætero inter reliquos homines omnes potest justitia propriè dicta reperiri. An verò eadem locum habeat hominem inter & Deũ? multùm controvertitur; quia tamen id nihil ad intentum nostrum, pro eo consulere potes Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 2. n. 27.*

DVBIVM TERTIVM.

Quid injustitia, & an eam quis possit pati volens?

10. Sicut justitia juxta ante dicta est duplex, ita & injustitia: sumitur enim semel generaliter pro cujusvis legis transgressione, in quantum scil. per eam non tribuitur, quod legi debetur: atque hinc in Scriptura sæpiùs omne genus peccati dicitur iniquitas & injustitia. Aliter verò sumitur particulariter, prout opponitur justitiæ, quatenùs hæc est virtus specialis: de qua hoc modo sumpta.

11. Dico primò, injustitia, ut habitus, est prava voluntatis dispositio, inclinans ad jus alterius violandum: pro actu verò sumpta nihil est aliud, quàm juris alieni violatio, quæ semper inducit onus restitutionis. Sed

Petes fortè, quare ex injustitia, sive injuria, potiùs oriatur obligatio restitutionis, quàm ex violatione charitatis, aut alterius virtutis?

12. Resp. quia motivum servandæ justitiæ, ne videl. alter re sua privetur, æquè habet locum, dum alienum retinetur vel non restituitur, quàm dum primo aufertur: in charitate verò omninò aliter res se habet; teneor namque subvenire proximo ex charitate, quia est in necessitate constitutus, quare necessitate cessante, cessat & ipsum motivum charitatis, & consequenter etiam ipsius obligatio; quod & fit in aliis virtutibus à justitia distinctis.

13. Dico secundò, nullus sciens ac volens potest injuriam pati: quia qui sciens ac volens aliquid patitur, cedit suo juri, nec consequenter ipsius jus violatur: hinc pro regula juris statuitur: *Scienti & consentienti non fit injuria.*

14. Dices tamen, ergo qui alterum scientem ac volentem occidit, non peccat contra justitiam, sicut nec ille, qui conjuge consentiente adulteratur, aut qui alteri consentienti dat pecuniam ad usuram, quæ videntur absurda.

15. Respondet Urbanus in primo & secundo casu non inferri quidem injuriam occiso aut conjugi consentienti in adulterium: in primo tamen committitur injuria (inquit) communitati, cujus occisus est pars, ac etiam Deo, qui omnium vitæ & necis author existit: in secundo verò casu peccatur specialiter contra legem matrimonii, cui cedere nullus conjux potest. Ita Urban. *tract.3.tit.1.c.4.fol.*410. post Lessium, Valentiam, & Vasquez. Verùm Franc. B. Spei *de Iure & Iust.disp.2.n.*40. probat, conjugem in casu posito pati strictam injuriam; cùm juri quod habet in conjugem, legitimè cedere non possit, meritò ipsius consensus reipsa censetur nullus; ac proinde alter adulterat sine jure, & sic injuriam formalem eo modo reipsa conjugi infert,

ac si non consentiret, quod miratur non esse à Lessio consideratum. Idem dic de occiso in eodem casu.

16. Ad tertium verò casum respondeo in eo adhuc committi strictam injustitiam sive injuriam; licèt enim ille qui usuras solvit ex pacto voluntariè inito, eas solvat volens, non tamen in eo reperitur voluntarium perfectum, sed secundùm quid tantùm; nam ita recipit pecunias sub usura, ut tamen libentissimè eas gratis reciperet si suo modo non cogeretur ab usurario solvere usuram sub pœna non recipiendi mutui: unde cùm hæc coactio sit actio prorsus injusta, ex qua oritur dictum voluntarium imperfectum, fit, quòd mutuatarius, illo voluntario non obstante, patiatur strictam injuriam.

17. Cæterùm ut citata regula juris subsistat, debet utrumque conjungi *scienti*, scil. *& volenti*, prout idem Urbanus notat *tr.3. circa finem fol.* 729. & ratio est, quia potest quis pati injuriam consentiens si non sit sciens, ut pupillus qui habet debile judicium: item & sciens si non sit consentiens, ut constat ex dicto mutuatario, qui ob metum sciens accipit pecunias ad usuram.

18. Dico tertiò, nemo ab opposito potest propriè injuriam inferre nisi volens: quia cùm homo ab aliis agentibus non distinguatur nisi per voluntatem, & tamen injuriam inferre nequeat nisi ut homo, clarum est, eum non inferre propriè dictam injuriam nisi sit volens. Deindè inferre injuriam est peccare, quod ex libera electione fieri necesse est: quare pueri & amentes non dicuntur inferre injuriam licèt aliis graviter noceant. Adde tamen sufficere voluntarium implicitum seu interpretativum, quod reperitur in eo, qui sciens aliquid esse contra jus alterius, illud facit; nam talis vult injustitiam suo actui necessario annexam. Idem voluntarium est in eo, qui operatur aliquid, quod ex ignorantia culpabili nescit esse injustum: ille enim censetur velle injustitiam in ipsa sua ignorantia tanquam in causa impediente scientiam, qua juris alieni violatio impediretur: qui tamen ex ignorantia inculpabili vel omnino coactè faceret aliquid, quod est læsivum juris alieni, non diceretur facere injustitiam; sicut nec ille, quid id faceret ex gravi valde passione tollente omnem deliberationem; quia ignorantia inculpabilis, coactio, & similis passio tollunt liberum, ut docuimus *in tr. de actibus humanis*: quare hi quidem dicerentur facere injustùm, non tamen injustè sive injustitiam: quæ duo bene distinxit Aristoteles 5. *Ethic.* 9. quòd scil. justum & injustum præcisè respiciant æqualitatem vel inæqualitatem rerum: jus verò, justitia & injustitia æqualitatem vel inæqualitatem implicitè vel explicitè ab operante intentam.

* * *

DISPVTATIO IV.

De Restitutione in genere.

DVBIVM I.

Quid Restitutio, & an sit necessaria ad salutem?

De restitutione agit Noster Bacho *in 4. dist. 21. quæst unica* per totam, quem poteris pro opportunitate consulere: ego verò de ea breviter

1. Dico primò, restitutio est positio in pristino statu rei ab alio ablatæ vel acceptæ.

2. Dico secundò, restitutio differt à solutione, quòd non omnis solutio sit propriè restitutio; non enim dicimur restituere dum solvimus votum vel juramentum, aut aliam obligationem religionis, vel charitatis. Differt similiter à satisfactione, quòd omnis hæc etiam non sit restitutio, nam impletio præcepti & pœnitentiæ sacramentalis dicitur satisfactio, pro pœnis scil. purgatorii v. g. & tamen illa restitutio propriè vocari non potest. Præcisam ergo distinctionem inter restitutionem & solutionem ponit P. Francisc. quòd hæc sit rei, quæ nondum est in creditoris potestate; illa verò illius, quod in creditoris potestate erat. Hinc illa plurium definitio, *restitutio est rei accepta vel damni illati compensatio*, non est accurata; quia si quis damnum illatum in re, v. g. fructibus, compenset per pecuniam vel alios similes fructus proprios, erit solutio potiùs, quàm restitutio rigorosè sumpta.

3. Dico tertiò, restitutio est quidem necessaria necessitate præcepti, non necessitate medii ad salutem. Ita D. Thomas, Franc. B. Spei, & alii omnes. Probatur prima pars, quia dum quantitas rei restituendæ est notabilis, præceptum restitutionis obligat sub mortali; ergo restitutione rei notabilis, culpabiliter omissâ, nullus salvari potest: & verè rem invito domino retinere non minus est malum, quàm eam primò auferre; ergo sicut hoc est peccatum mortale, ita & illud. Unde bene dixit Augustinus: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Probatur etiam secunda pars, quia quacumque restitutione inculpabiliter omissa potest obtineri salus, si nimirum omittatur ab eo, qui invincibiliter ignorat se ad eam obligari, vel qui est impotens restituere; hic enim si habens voluntatem restituendi si posset, ac de cæteris peccatis dolens verè pœniteat, constituitur in gra-

gratia, in qua si moriatur, salvabitur.

Petes primò, an debeatur restitutio illi, qui miraculosè resuscitatur?

4. Resp. affirmativè, etiam quoad bona, quæ ipse antea per ultimam voluntatem alienasset. Ita Glossa *in legem servus effectus, ff. de actionibus.* Ratio est, quia in omni testamento hæc conditio virtualiter apponitur: *Si moriar, & mortuus perseverem*: unde dum jura ex Apostolo statuunt, testamentum confirmari morte testatoris, intelligi debet sub dicta conditione. Nec refert, quòd Religiosus resuscitatus non teneatur ad servanda sua vota, nec maritus ad priorem uxorem; quia ille non vovit, nisi usque ad mortem, neque hic aliter tradidit uxori corpus suum.

5. Petes secundò, an peccatum injustæ retentionis sit unum an plura peccata, quando quis multo tempore alienum retinet?

6. Resp. esse unum æquivalenter multa, pro multiplicatione notabilis temporis, ad hoc requisiti, ut dominus censeatur rationabiliter invitus, nisi fiat quædam moralis interruptio voluntatum restituendi, & non restituendi, quo casu essent multa formaliter peccata. P. Franc. *suprà, n.* 19.

7. Petes fortè tertiò, quomodo dominus possit censeri rationabiliter invitus, cùm debeat malle re sua carere, quàm proximum injustâ retentione mortaliter peccare, & damnari?

8. Resp. ipsum non teneri cum suo notabili damno temporali impedire peccatum & damnationem malitiosam proximi, ut vidimus *in tr. de charit.* Ita idem Franc. B. Spei *ibid. num.* 21.

Petes 4. an noceat animæ defuncti in purgatorio, si restitutio differatur; aut omittatur ab hæredibus?

9. Resp. negativè: quia defuncti in gratia recipiuntur in cælum simul ac pro peccatis suis satisfecerint: si tamen ipsi, dum viverent, in eo aliquam negligentiam commiserint, pro ea satis pati debent: secùs tota culpa redundat in hæredes, aut alios, quibus restitutio est commissa. Si igitur quandoque animæ defunctorum appareant, petantque fieri restitutionem, id fit, primò, quia restitutio sic petita, & obtenta potest esse suffragium pro defuncto. Secundò, ut avertat amicos à peccato injustæ retentionis rei alienæ, prout petebat facere dives epulo. Tertiò, quia fortè talis petitio est pars pœnæ, quam in purgatorio debet subire. Denique, ut hæredes alii discant in hoc esse diligentiores, vel etiam ob alios fines Deo notos. Non omitto interea hîc exprimere, quæ habet P. Scilder *tract.* 4. *num.* 342. nempe, quando testator jussit hæredem post mortem suam restituere bona pauperibus, præsumitur consensisse, ut hic tempore vitæ suæ distribuat. Quamvis non approbem ea, si agatur de bonis, quæ ipse testator obligabatur pauperibus distribuere; prout, quoad apparentiam, innuit verbum *restituere*: quia nec ipse testator poterat id sic differre. Verùm sequentia videntur satis indicare, ipsum loqui de aliis bonis.

* * *

DUB. II.

DVBIVM SECVNDVM.

Vnde oriatur obligatio restitutionis.

10. Dico, obligatio restitutionis oritur ex triplici capite, videl. ex re accepta, rei acceptione, & contractu. Restitutionem pro hac difficultate extende etiam ad solutionem, ut vitetur quæstio de nomine. Quoad primum caput constat; eo ipso enim quò quis apud se habet rem alienam, licèt eam iniustè non acceperit, tenetur eandem restituere, ut sic æqualitas constituatur inter se habentem aliquid plus quàm suum, & alterum habentem aliquid minus quàm suũ. Quoad secundum verò caput etiam patet, quia sæpe quis obligatur ad restitutionem, licèt apud ipsum res aliena non exstet, nec quidquam eius loco successerit, ex quo sit factus ditior, v.g. dum quis invito rei domino rem in mare proiecit vel combussit. De tertio capite postea agemus. Hîc quoad primum caput

11. Nota, nomine rei acceptæ non tantùm intelligi rem in propria specie existentem, sed & existentem in pretio vel valore, dum quis ex consumptione rei alienæ est factus ditior; nullus enim potest ditescere ex bonis alienis. Dico *dum quis ex* &c. *est factus ditior*, nam si inde non sit ditior factus, non tenetur ratione consumptionis bonâ fide factæ ad ullam restitutionem: quia qui ex sola re aliena obligatur, solùm manet obligatus quamdiu habet talem rem vel pretium ejus per quod auxit sua bona ordinaria. Ita omnes communiter. Hinc qui rem alienam bonâ fide inventam vel ab alio gratis acceptam recreatione extraordinaria eâdem bonâ fide consumpsit, ita ut ex propriis bonis eâ recreatione non obstante tantùm expenderit, ac si re alienâ caruisset, ad nullam tenetur restitutionem: idem dic de eo, qui rem similem per lusum amisit aliàs non lusurus: item de eo, qui rem furtivam bonâ fide emptam eadem fide vendidit eo pretio, quo emerat; quia hi omnes ex re aliena non sunt facti ditiores, nec ea res ampliùs apud ipsos exstat. Secus dicendum est de eo, qui ob prædictam recreationem pepercisset sumptibus, quos aliter fecisset ex bonis propriis, vel si æquè multum ex pecunia propria fuisset expensurus, aut si rem furtivam vendidisset plus quàm sibi constitisset, aut etiam si vendidisset rem alienam bonâ fide gratis ab alio acceptam; in his enim omnibus casibus ditior ex re aliena est factus, totum verò in quo quis est factus ditior ex re aliena, restituendum est: quidquid aliqui cum Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.17.n.63.* in casu revenditionis, etiam rei furtivæ bonâ fide factæ, negent excessum esse restituendum, quia illud majus pretium reputatur moraliter fructus industriæ. Adde, rem alienam in specie adhuc existentem semper

per esse restituendam, quamvis aliquis eam suis expensis aut labore meliorem reddidisset, quia per hoc non desinit esse aliena, nisi inde occultus peccator manifestari oporteret, aut aliud grave damnum sequeretur, prout teste N. Francisco rectè limitat Valentia. Imò si aliquis postquam sciverit rem à se possessam alienam esse, eam ulteriùs retineat, cùm tamen eandem hîc & nunc commodè possit restituere, incipit esse possessor malæ fidei, & obligari non tantùm ratione rei acceptæ, sed ratione iniquæ detentionis, quæ juxta suprà dicta iniquæ acceptioni æquivalet; unde si res postea pereat sive culpâ suâ, sive fortuitò, tenetur ejus valorem domino restituere, quia fuit in mora culpabili. Ita omnes. Dum tamen quis in casu suprà posito rem alienam bonâ fide possessam suis expensis aut labore melioravit, potest à domino rei exigere compensationem sumptuum quos fecit, sicut & laboris, præsertim si dominus tantundem erat expensurus.

12. Nota insuper ex Urbano *tract.* 3 *tit.* 5. *cap.* 1. *fol.* 519. nomine rei alienæ hîc intelligi non eam solam, quæ in alterius est dominio, sed omnem illam, ad quam alter jus in re vel ad rem habet, licèt ejus dominus non sit. Hæc de primo capite; de secundo verò plura quærenda erunt in sequentibus: hîc interim animadverte, eum non peccare duplici peccato nec specie nec numero, qui non restituit cùm sit obligatus restituere ex utroque capite simul, quia & contra eandem virtutem & ad idem obligatus ex utroque illo capite peccat.

DVBIVM TERTIVM.

Quæ culpa inducat onus restitutionis ob damnum illatum.

13. Culpa à Jurisperitis quintuplex solet assignari: latissima, quæ idem est quod apertus dolus: latior, quæ est dolus præsumptus: lata, quæ est omissio diligentiæ solitæ adhiberi ab hominibus ejusdem conditionis, ut v.g. dum quis relinquit librum foris ante ostium: levis, quæ est omissio diligentiæ adhiberi solitæ à prudentioribus, ut dum quis librum relinquit in officina vel cubiculo aperto: & levissima, quæ est omissio diligentiæ à prudentissimis solitæ adhiberi, ut dum quis domum aut cubibulum claudendo manu non tentat an ostium sit obseratum. Nos ut plurimùm agemus de culpa Theologica, quæ convertitur cum peccato, quæque maximè spectat ad forum internum sive conscientiæ.

14. Dico primò, seposito officio & contractu (de quibus *dub. seq.*) nullus ad restitutionem obligatur vi damni dati nisi in ipsa illatione peccatum

commiserit. Est communis & in praxi tuta, probaturque *ex cap. ult. de injuriis & lege 3. ff. ad legem*: & quia aliàs damnum patiens non est rationabiliter invitus, prout non potest rationabiliter alterum obligare ad impossibile, ut nimirum non inferat damnum, licèt de eo inferendo non cogitet. Ita Urbanus *tract. 3. tit. 5. cap. 3. fol. 523.* Ex hac resolutione plurimos casus resolves in quibus pro regula generali habeas neminem teneri ad restitutionem damni, etiam maximi, provenientis ex actione, quæ verè non fuit peccatum, ut v. g. quando dictum damnum est secutum ex oblivione naturali, inconsideratione aut ignorantia inculpabili. Unde ulteriùs

15. Colliges, neminem obligari ad restitutionem ob culpam levem aut levissimam; quia cùm nemo in conscientia obligetur adhibere majorem diligentiam, quàm quæ est solita adhiberi à sui similibus, qui boni & providi habentur, in dicto casu non peccatur, ac consequenter juxta resolutionem datam, damnum, quod sic alteri obvenit, non debet huic imputari.

16. Dices, ille, cujus canis aut aliud animal intulit alteri damnum, punitur, vel in se, vel in suis animalibus: ergo &c. Resp. illum in conscientia ad nihil teneri si id acciderit absque sua culpa, licèt in foro externo animal vel ejus æstimatio auferatur ab eo, aut alia mulcta imponatur ad compensandum damnum, ne foveatur negligentia aut fenestra aperiatur fraudibus; vel etiam propter præsumptionem.

17. Adde tamen, quod si culpa juridica sit admissa, fieri, ut post sententiam Judicis sit in conscientia restituendi obligatio: quia leges conditæ de restituendo ob culpam juridicam, sunt quodammodo juris naturalis interpretatio, eò quòd in bonum commune sint, & ut homines in præcavendis damnis fiant cautiores. Neque tunc licita est compensatio occulta, ut volunt Dicast. Rebell. Rodrig. & alii: quia hi falsò supponunt, leges illas, per quas ad restitutionem condemnatio fit, in præsumptione culpæ, quæ non est, fundari, cùm in bono communi, & ut homines in præcavendis damnis cautiores sint, fundentur. Ita Fr. B. Spei *de Iur. & Iust. disp. 17. n. 42.*

18. Dico secundò, verius & omnino tutum in conscientia est, neminem sub mortali, ratione damni dati præcisè, ad restitutionem obligari, nisi ex peccato mortali. Ita Sotus, Navarra, Lessius, Sylvius, Malderus, Bassæus, & alii plures apud Wiggers contra N. Urbanum, Franciscum B. Spei, & plures alios. Probatur, quia ubi solùm committitur culpa venialis non est actus perfectus in ratione injustitiæ; ergo nec inducit obligationem saltem perfectam restitutionis, quæ obliget sub peccato mortali: non enim potest obligatio esse major in suo ordine, quàm sit injuria in suo; quia culpa levis non potest mereri pœnam gravem. Hinc deducit Lessius, ne quidem sub veniali aliquem teneri ad restitutionem damni gravis illati per solum peccatum veniale; mirum (inquit) videretur, aliquem obligari sub veniali tantùm ad restitutionem v. g. aliquot mul-

millium florenorum, quorum amissioni causam vel occasionem dedisset per venialem aliquam inconsiderationem aut negligentiam, quòdque ab illo peccato veniali absolvi non posset sine illorum restitutione. Ita etiam Wiggers. Cæterùm dum committitur veniale peccatum in illatione injuriæ ratione parvitatis materiæ, aliàs tamen omnino deliberatè, exurgit certò obligatio restituendi sub veniali; prout in sententia aliquorum satis rationabili, in casu anteriori incurritur obligatio restituendi partem damni conformem injuriæ illatæ. Ex his facilè colliges, an & in quantum teneatur ad restitutionem, qui volens bombardâ occidere avem sedentem supra tectum villæ, ipsam villam incendit. Ad nullam enim in foro conscientiæ tenetur restitutionem, si verè nullam culpam Theologicam commiserit: tenetur sub mortali ad totum damnum, si culpa mortalis intercesserit ex prævisa, & non vitata actione tam periculosa: ac similiter tenetur sub veniali (saltem ad restitutionem alicujus exiguæ partis) si culpa venialis tantùm affuerit. Ita etiam nobiscum sentiunt Burghaber *Centur.* 1. *casu* 67. & Bonacina ab ipso citatus. Dixi tamen *in foro conscientiæ*: quia in foro externo sæpe præsumitur grave damnum cum gravi culpa illatum esse, nisi de contrario aliunde constat: &, ut diximus *n.* 17. Judices in hoc foro non tantùm se fundant in præsumptione culpæ Theologicæ.

19 Dices cum Urbano, ex resolutione sequitur, posse aliquem culpabiliter proximo grave damnum inferre sine obligatione restituendi, nimirum multis vicibus paulatim rem levem surripiendo, eamque statim consumendo sine voluntate ultèrius furandi, quod videtur absurdum.

20. Resp. similem furem obligari ad restituendum quodlibet furtum minutum sub peccato veniali ratione injustæ acceptionis: sicuti enim, quamdiu non restituit, est causa voluntaria & culpabilis quòd dominus re suâ privetur, ita & perseverat ipsius injustitia & inæqualitas inter ipsum & dominum istarum rerum levium, ac consequenter etiam ipsius peccatum veniale. Tantùm igitur difficultas remanet, an dictus fur non teneatur sub mortali ad restitutionem omnium istarum rerum simul? quæ etiam manet solvenda ab ipso Urbano, & erui poterit ex dicendis infrà de furtis minutis. Neque dicenda est sententia nostra, quæ est probatissimorum DD. nimis laxa; quia (ut optimè notant Lessius & Wiggers) dum damnum, quod infertur, est grave, censendum est ordinariè intercessisse peccatum mortale, si aliqua vera culpa intercesserit: si enim aliquousque quis advertat periculum, vel si occurrat aliquid, quod meritò excitet ad periculi considerationem, & diligentia debita negligatur, communiter culpa gravis & peccatum mortale committitur; nam in operibus externis rariùs contingit, quòd aliquis ita imperfectè consideret, ut in re gravi tantùm venialiter delinquat, eò quòd opera externa statim suum periculum ingerant, mentemque ad

ejus considerationem moveant & excitent. Atque inde est, quòd ipse Urbanus *loc. citat.* dicat, pro qualitate rei majorem aut minorem debere diligentiam adhiberi; adeoque qualitatem rei, quæ periit, spectandam esse, ut judicetur ex qua culpa perierit. Nec puto quemquam ex culpa lata posse esse causam magni damni quin peccet mortaliter, & consequenter teneatur ad restitutionem: quia qui negligit in actionibus periculosis adhibere diligentiam ab aliis suæ conditionis adhiberi solitam, censetur moraliter velle damnum, quod inde sequitur, eò quòd ad illud vitandum non faciat quod potuit & debuit facere.

21. Insuper vix mihi possibile videtur, quòd quis cum veniali præcisè mille aureos accipiat, & illos statim consumat: quia si ad illud damnum vel leviter tantùm attendat, cui per peccatum, alioqui tantùm veniale, alterum exponit, mortaliter peccabit, injustè sciens & volens alterum graviter damnificando. Unde non video, quomodo nostra & aliorum satis prospectorum Authorum sententia dicatur viam aperire ad quamplurimas rerum alterius notabilium, cum fide venialiter mala tantùm detentarum, consumptiones, sub restituendi obligatione veniali tantùm: quamvis id asserat Franc. B. Spei *de Iure & Iust disp.17.n.34.*

Petes an quando propter delictum alius falsò accusatur ac damnificatur, tenearis damnum illud resarcire?

22. Resp. quòd non, si ex tuo delicto tale damnum non prævideris ei obventurum, nec ex eo sit natum sequi; cùm enim aliàs tale damnum accidat ob ignorantiam vel malitiam aliorum, non est id tibi voluntarium, ut patet. Si tamen ob tuum crimen alter cogeretur parti à te læsæ satisfacere, tenereris damnum ipsius compensare; quia ad idipsum obligabaris ab initio illis, quibus hoc alter innocens præstitit, ac proinde hic quasi pro te id fecit, adeoque actionem primi damnificati in se contra te transtulit.

DVBIVM QVARTVM.

Quæ culpa obliget officiarium vel contrahentem ad restitutionem damni?

23. DIco primò, ratione officii præcisè nullus ad restitutionem obligatur ob culpam levem vel levissimam: sed solùm ob culpam latam. Probatur, quia nullus in suo officio exercendo tenetur majorem diligentiam aut prudentiam adhibere, quàm passim similis officii homines in talibus negotiis soleant. Hinc si quis litem amittat eò quòd advocatus non adhibuerit eam operam & diligentiam, quam

quam prudentiores aut prudentissimi adhibere solent, ad nihil tenetur, modò præstiterit, quod solent boni & prudentes præstare: idem à pari dic de medico, architecto, tutore, & similibus. Ita Urbanus & alii communiter: ac sanè aliàs crearentur infiniti scrupuli.

Lessius & Sylvius quosdam casus excipiunt, in quibus docent, officiarios aliquando teneri ad restitutionem ob culpam levem vel levissimam, ut v. g. dum quis se profitetur aliis diligentiorem & peritiorem, vel etiam diligentissimum, ac per hoc ad se pertrahit eum, qui similem quærit; quia talis promittit implicitè plus præstare, quàm præstent diligentes (aliàs enim non cessaret alius quærere meliorem:) si igitur non præstet illud plus, tenebitur ad restitutionem. Ita illi: quæ omnia in se sunt vera: sed non est necessarium hanc exceptionem ponere, eò quòd talis non committat solam culpam levem, sed gravem: cùm enim se gerat pro peritiori aut peritissimo, si non adhibeat diligentiam & peritiam diligentiorum ac peritiorum, vel peritissimorum, omittit præstare id, quod suæ putatæ, & à se fictæ conditionis homines præstare solent, ac consequenter committit culpam gravem: unde hæc pertinent ad quæstionem de nomine. Solùm nota ex Sylvio, dictum advocatum (& idem est de similibus) ob non præstitum illud plus, non obligari ad restitutionem totius damni, quod alter patitur ex tali amissione litis, sed ad aliquid dumtaxat ex prudentis viri judicio: ac collige vix ullum obligari ad restitutionem damni dati gravis per negligentiam commissam in exercitio sui officii, nisi in eo commiserit mortale peccatum: quia vix potest quis committere culpam latam in officio suo circa rem gravem absque gravi peccato. Vide circa hæc Franc. B. Spei *de jure & just. disp. 17. num 44. & seq.*

24. Petunt hîc aliqui, an Confessarius teneatur ad restitutionem, dum omittit eam pœnitenti injungere ex ignorantia vel inadvertentia culpabili? Verùm nos de eo commodiùs agemus *in tract. de Sacram.* quare circa obligationem vi contractus.

25. Dico secundò, dum res alteri locata vel commodata apud ipsum perit casu vel fortuitò, ad nihil tenetur, nisi de eo expressum pactum intercesserit. Ita omnes *ex cap. unico de commodato*: & ratio est, quia res domino perit, dum nulla intercessit culpa vel pactum in contrarium: quòd si vera culpa intercessit, ut v. g. si commodatarius fuerit in mora reddendi rem commodatam ex sua culpa, vel aliter fuerit usus re commodatâ, quàm erat conventum, tenebitur ad restitutionem, etsi res fortuitò pereat; quia si tempore statuto rem reddidisset, vel eâ solùm usus fuisset, prout erat conventum, forsan non periisset. Si tamen constaret, adhuc rem apud dominum perituram fuisse, licèt tempore statuto ei tradita fuisset, non tenetur pretium rei restituere. Ita DD. *ex eodem cap.* Imo P. Franciscus, citans Lessium, hanc in terminis ponit conclusionem *loc. cit. n. 77. Si res erat apud dominum,*

non obstante illius diligentiâ, citra injuriam certò peritura, nequidem fur, cujus culpâ res talis, intra eundem locum & tempus perit, ad restitutionem tenetur; modò tamen eam non vendiderit, vel consumptione illius ditior factus non sit. Rationem dat; quia res illa, ut sic spectata, moraliter nullius valoris est; unde illi non censetur damnum irrogari alicujus momenti.

26. Dico tertiò, dum res perit apud aliquem, qui eam acceperat ex contractu cedente in proprium suum commodum tantùm, tenetur ad restitutionem ob quamcumque culpam, etiam levissimam. Ita enim statutum est *dicto cap. unico:* cujus ratio est, quòd æquitas naturalis postulet, ut, qui gratìs re alienâ utitur in propriam utilitatem dumtaxat, adhibeat maximam diligentiam ne domino pereat, aliàs mala esset domini conditio, qui rei sine sua culpa pereuntis detrimentum pateretur; & non ille, cujus culpâ perrit. Ita P. Urbanus cum aliis communiter. Interea etiam probabilem censeo oppositam sententiam Soti, Sa, Lugo, & Lessii; quia sistendo intra limites juris naturalis nemo tenetur ad restitutionem damni dati, nisi ob culpam latam; neque ullus obligatur majorem curam adhibere in custodiendâ re alienâ etiam gratìs sibi concessâ, quàm in custodia rei propriæ, & quam ipse dominus adhibuisset, si apud rem fuisset; ergo si hac diligentiâ præstitâ adhuc contingat rem perire, peribit sine culpa sua Theologica, sive sine suo peccato, adeoque & absque injustitia: atqui nemo tenetur in conscientia de damno dato, nisi sit datum injustè; ergo, &c. Ita Wiggers, qui tamen ob leges humanas sententiam communem absolutè sustinet; quidquid ad eas videatur posse responderi, eas non esse receptas sub tam gravi onere, ut obligent in conscientia: vel cum Soto non improbabiliter dici potest, eas intelligendas de culpa Theologica sive peccato, non vero de juridica. Neque ratio ex Urbano allata omninò convincit; quia aliàs etiam ex culpa levi vel levissima teneri videretur conductor, depositarius & alii, quod tamen est contra omnes. Quid si aliquis sartor v. g. in domo à se conducta operetur cum multis famulis, & ex prunis inter illos malè custoditis domus ignem concipiat ac comburatur? Respondeo cum pluribus Juristis apud Burghaber *centur. 2. casu 57. l. 3. tr. 4. c. 22. num. 6.* illum ad nullam restitutionem obligari, nisi proprietarius probet, incendium accidisse ex culpa certi ac determinati famuli, qui communiter pro negligenti est habitus, & tamen ab isto sartore in domum inductus & toleratus fuit: aliàs enim nulla probatur in eo fuisse culpa.

27. Dico quartò, dum contractus, quo res aliena accipitur, cedit in commodum solius dantis, accipiens non tenetur ad restitutionem, nisi de culpa lata: si verò in commodum tam dantis quàm recipientis, tenetur probabiliùs de culpa levi, non de levissima. Ita idem Urbanus *ex Instit. quibus modis contrahatur obligatio, §. interea:* & *lege etiam de commodato:* ac *lege contractus, ff. de reg. juris.* Primum probat hac

hac ratione, quia quisque tenetur adhibere diligentiam in re aliena custodienda, quam solent homines communiter adhibere, ut sit in tuto, quæ diligentia excludit culpam latam, & non levem neque levissimam. Secundum autem similiter probat, quia ex una parte æquum est, ut ad majorem diligentiam obligetur, qui rem alienam accepit in suam utilitatem, quàm teneatur ad propriam: ex altera verò, quia contractus etiam cedit in utilitatem dantis, non est æquum, ut ipse dans nulli periculo subjaceat. Hæc ille: attamen in hoc secundo casu etiam neminem obligari, saltem probabiliter, nisi ex culpa lata; patet à fortiori ex dictis *resol. præced.*

Petes, an dum rem alienam, quæ apud nos servatur, simul cum nostra non possumus salvare, nostram alienæ præferre possimus?

28. Resp. juxta sententiam communem & probabiliorem, si quis rem alienam acceperit in propriam tantùm utilitatem, tenetur hanc rei propriæ præferre, sive sit æqualis, sive etiam parum minoris æstimationis. Si verò eam acceperit in solam utilitatem dantis, potest proprias res præferre alienis: & si in utilitatem utriusque, poterit præferre proprias, si sint æqualis, vel majoris æstimationis, non tamen si minoris. Ita Lessius, Sylvius, &c. quæ etiam omnia constant ex dictis de diligentia, quam quisque ratione diversorum contractuum majorem vel minorem in re aliena conservanda adhibere tenetur. Verumtamen juxta sententiam oppositam, quam etiam probabilem diximus, propria res in omni casu, secluso pacto, rei alienæ præferri potest; quia contractus quicumque, etiam commodati, non obligat in conscientia ad custodiam cum gravi detrimento proprio; neque enim commodatarius censendus est se obligasse cum tanto onere, nisi res aliena sit notabiliter majoris valoris.

* * *

DISP. V.

DISPVTATIO V.

De injuria per homicidium vel mutilationem.

DVBIVM I.

An unquam liceat seipsum vel innocentem occidere?

1. SUppono ex Scriptura *Exod. 22, Deut. 20. ad Rom. 13.* &c. publicâ authoritate posse occidi malefactores: quod & ratione manifestâ probat D. Thomas hîc *art. 2. & 3.* neque in hoc potest moveri difficultas: quidquid contrarium docuerint Lactantius & Waldenses hæretici, quos (teste Francisco N.) valde periculosè sequitur Scotus *in 4. dist. 5. q. 3. a. 2.* docens, non licere occidere quemquam, nisi casibus, in quibus Deus dispensare legitur.

2. Dico primò, nunquam est licitum seipsum directè, sive ex directa intentione occidere, nisi Dei authoritate id fiat. Prob. ex præcepto *non occides,* quo, juxta omnes communiter, id in omni alio casu prohibetur. Nec refert, quòd, juxta Eusebium, Ambrosium, & alios, plures fœminæ se in flumen vel ignem conjecerint, aut alio modo seipsas interfecerint, quæ tamen ab Ecclesia pro Martyribus coluntur, quia vel id fecerunt divinâ ductæ inspiratione, ut vult D. Augustinus, idem asserens de Samsone, qui tamen aliunde ab aliis excusatur, eò quòd tantùm indirectè se occiderit: vel ex ignorantia invincibili: per quod illis sic ab omni culpa excusatis, cùm mortem subierint pro fide christiana, & tyrannide ethnicorum compulsę, secundùm moralem æstimationem censentur à tyrannis occisæ, atque ideo eas Ecclesia pro Martyribus colit.

3. Adde Franciscum B. Spei suæ Noctuæ *dub. 20. num. 657.* dicere, à ratione præcisè convincens argumentum non apparere, ne aliquis exigente notabili bono communi, authoritate publica justè præcipiente, seipsum occidere possit, ne alioqui Resp. notabile damnum patiatur; aut ipse authoritate publicâ multò immaniùs ac crudeliùs sit certò occidendus. Idem repetit in sua Theol. *de Iure & Iust. disp. 19. n. 62.* ubi subtiliter, uti solet, discurrit.

4. Dico secundò, licitum est indirectè causam dando mortis proprię seipsum occidere faciendo vel omittendo aliquid, unde mors sequatur, modò adsit justa causa. Sic reus, qui potest ex carcere fugere, non tenetur ad fugam; imò potest se offerre justitiæ, ut debitas

debitas pœnas luat. Potest item, juxta plurium sententiam in naufragio quis alteri cedere tabulam arreptam, per quam posset evadere: nec non potest aliquis se objicere telo directo in principem: in peste aliis servire: injicere ignem in pulverem tormentarium, ne navis in qua est, capiatur ab hoste, licèt certum sit, se & omnes alios socios fore occidendos; quidquid Lothus post Sylvium & Wiggers contra Lessium, velit id militibus non licere, quamdiu ipsi sunt in navi, sed tantùm sic ut pulvis concipiat ignem postquam in mare desilierunt, Ratio omnium horum est, quia in illis circumstantiis non mors, sed alius honestus finis intenditur, estque mors omninò præter-intentionalis. Adde etiam plures propter eandem rationem docere, reum posse, imò & teneri, sumere venenum, si ad hoc justè sit condemnatus: sed hoc negat Diana *par.* 11. *tract.* 6 *resol.* 50. & à fortiori id quod docent Aragonius, Victoria & Corduba, quos sequitur Pontius, posse nempe etiam aliis modis reum se occidere jubente judice. Vide eundem Dianam ibid. *res.* 46.

5. Petes, an peccet, qui, ut gravia fugiat tormenta, fatendo crimen falsò sibi impositum, dat causam suæ mortis? Eum peccare mortaliter judico, quia (præterquam quòd mentiatur in re gravi) unusquisque minùs esse potest author mortis propriæ, cæteris paribus, imponendo sibi crimen falsum, quàm esse possit author mortis alterius per crimen ei falsò impositum; quia *dilectio sui est regula dilectionis proximi.* Ita P. Franc. B. Spei *loc. cit. n.* 195 Scio, plures docere cum Burghaber *centur.* 1. *casu* 100. & Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 7. post Sanchez & alios, eum ne quidem peccare venialiter, quia vita non censetur digna tanto dolore, & talis omnino excusatur à mendacio ratione restrictionis mentalis: sed nos illas restrictiones suo loco rejiciemus. Adde tamen in casu posito hominem posse verum crimen occultum revelare, unde ante erat mortem promeritus; quia tunc cessat jus, quod habet, ne authoritate publicâ occidatur, & aliunde rationabilis subest illud detegendi causa, quâ utendo non facit se suæ mortis causam, sed ostendit causam aliunde esse positam. Ita idem Franciscus *ibid.*

6. Dico tertiò, potest quis seipsum mutilare ad conservandam vitam, ut v. g. amputare manum in carcere, ut solvat catenas, & evadat mortem. Probatur, quia meritò pars postponitur suo toti: deinde, juxta DD. communiter, tenetur æger permittere mutilationem judicatam à medicis necessariam ad conservationem vitæ; excipe tamen, nisi similis mutilatio esset valde dolorosa, vel causativa magni defectus, aut deformitatis: quia nemo obligatur assumere remedia adeo extraordinaria cum tanto suo incommodo, nisi fortè in casu valde particulari mors similis ægri allatura esset magnum detrimentum Reip. vel communitati.

7. Cæterùm prorsùs illicitum est, se vel alium castrare, tam ob bonum temporale, ne v. g. bonus cantor vocem amittat: quàm ob bonum spirituale, ut scil. quis liberetur à periculis

Mm incon-

incontinentię. Quoad secundum constat manifestè ex Concilio Niceno *Can.1.c. Si quis, dist.55.* à quo à fortiori primum contra Salonium eruitur; si enim id minimè liceat ob bonum spirituale, quomodo ob lucrum temporale id fieri licebit? Certè (ut bene Tannerus 2.2. *dist.4. q.8. dub.5.n.101.*) bonum illud, quòd scil. sic meliùs poterit castratus suo cantu Ecclesiæ inservire, victumque lucrari, tanti momenti non est, ut ob id res tam per se à natura aliena suscipiatur; cùm bonum spirituale longè majoris momenti sit, nec tamen pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando id licitum sit: quare Franc. B. Spei suæ Noctuæ *dub.22. num.684.* asserit, nobiscum sentire ferè omnes DD. oppositamque sententiam videri erroneam: quam *in tract. de Iure & Iust. disp.19. num.38.* probat, quia amputatio membri cujuscumque est partiale suiipsius homicidium: & *num.40.* dicit, Christi dictum *Matth.24. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,* &c. non de parte, seu oculo corporali, sed de spirituali per occasionum peccandi remotionem, deberè intelligi; prout & illud *Matth.19. Sunt, qui se castraverunt propter regnum cælorum*: id est, per servatam castitatem. Vide eundem Franciscum *loc. cit. num. 106. & seq.*

9. Sed quomodò Caramuel *Theol. fundam. fol.560. p.1.* quærit, an mulier ad evadendum periculum peccati mortalis manifestum, in casu videl. quo ab aliquo diu multumque sollicitatur ad peccatm carnis, vel etiam in periculo proximo est, ut ab eo opprimatur, an, inquam, tunc non possit se occidere, ne peccet mortaliter? Verè id mihi videtur implicitè damnatum à dicto Concilio: neque rationes Caramuelis quidquam movent, cùm ipse falsum supponat, nempe fœminam posse constitui in tali casu, ut aliter peccatum mortale fugere nequeat, quin sibi ipsi manus violentas inferat. Deinde explicitè & in terminis damnatum est id, quod ipse rationibus oppugnat *fundam.55. §.9.* de quo plus miror, & meritò contra ipsum invehitur Diana *p.11. tract.1. resol.23.* ac Franciscus in Noctua *dub.21. res.1. num.660.* asserit, certam esse omnium DD. sententiam, quòd nemo ad peccatum vitandum se occidere possit, quod & demonstrat ex S. Augustino.

9. Dico quartò, nunquam licitum est directè occidere innocentem. Probatur, quia neque Resp. neque alius quicumque habet dominium in alterius vitam: quandoque tamen indirectè id licitum est; primò, dum injustus invasor utitur puero pro clypeo, quatenùs tuo ictu frustrato ipse te occidat; potes enim tunc puerum & ipsum occidendo mortem evadere, si aliter non potes: tunc namque ictus tuus non dirigitur in puerum, sed in injustum invasorem, contra quem licitè uteris jure tuo. Secundò, potest incendi turris, in qua sunt inimici, etsi contineantur aliqui extranei innocentes: & sic dicendum de similibus.

* * *

DUB. II.

DVBIVM SECVNDVM.

An licitè occidatur invasor injustus?

10. Dico primò, cuicumque est licitum occidere invasorem injustum vitæ suæ, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Probatur, quia juxta Innocentium III. Alexandrum tertium, & D. Thomam, jus naturæ docet, licere vim vi repellere cum dicto moderamine. Postulat autem moderamen illud, ut non fiat plùs in sui defensionem, quàm sit hîc & nunc necessarium ad malum avertendum: unde hoc moderamen puto excedere quemcumque, qui alterum in casu posito occidit directè, sive ex intentione occidendi; quia absque illa intentione potest quisque se illæsum servare, directè tantùm intendendo suam defensionem. Ita D. Thomas, Sylvius, & alii. Nec sequitur (quidquid plures dicant) occisio invasoris in casu posito, quando scil. aliter mors evadi non potest, est licita; ergo & licitum est eam intendere: quia id solùm sequitur, ubi actus est licitus absolutè & per se, non verò quando tantùm licitus est, ut aliunde consequens: non enim sequitur in simili, pollutio secuta ex lauta comestione, ex equitatione necessaria, &c. est licita; ergo licitum est pollutionem intendere lautè comedendo, equitando, &c. Quia tamen Franciscus B. Spei *de Iure & Iust. disp. 19. num. 26.* cum Lessio contrarium sustinet, id omninò etiam reputo probabile. Cæterùm, quando contra resolutionem nostram principalem videtur obstare Scriptura, vel Sancti PP. intelligi debent de occidente invasorem ex vindicta, vel excedendo moderamen inculpatæ tutelæ.

11. Dices tamen, plus tenemur juxtà suprà dicta diligere vitam spiritualem proximi, sive animæ ipsius salutem, quàm vitam corporalem propriam; ergo ad hanc servandam non licèt injustum invasorem occidere, cùm constet eum esse in statu peccati mortalis.

12. Resp. inprimis, neque ipsum invasum esse certum, quòd sit in gratia; ac ab alia parte invasor jam accepto vulnere poterit adhuc pœnitere & salvari, si velit. Deinde nullus vi præcepti charitatis tenetur suam vitam corporalem exponere pro salute spirituali alterius, qui spontè & ex mera sua malitia se in periculum salutis spiritualis conjicit, maximè dum potest facillimè seipsum illi periculo eximere; sed tantùm, dum salus proximi est in extrema necessitate, ex qua non possit se liberare, nisi ope nostra & nostro auxilio. Quare est major difficultas, dum aggressor non est injustus, v. g. quia amens, ebrius, &c. de quo Pontius apud Dianam *p. 11. tr. 6. ref. 52.* si constet eum in amentiam vel ebrietatem incidisse cum peccato mortali, docet aggressum teneri ex charitate potiùs permittere se interfici, quàm occidere invasorem, si invasus credat probabiliter

biliter se esse in statu gratiæ. Ex his omnibus deducit Diana, posse occidi satellites seu ministros publicos cum moderamine inculpatæ tutelæ, si vel injustè conentur interficere innocentem, vel eum capere, ut injustè occidatur, dummodo ipsi sciant eum esse innocentem; si tamen bonâ fide munus suum obirent, plerique Authores docent non posse occidi: bonum enim commune postulat, ut non inferatur damnum ministris bonâ fide publicum officium exercentibus. Ita Dicastillus, adducens Molinam, Aragonium, & alios; sed Franciscus de Cuensa ait, injustè carceratum posse licitè è carcere fugere, etiam carceris custodes occidendo, si opus fuerit. Hæc omnia Diana *loc. cit.*

13. Adde interim, neminem teneri ad sui defensionem cum occisione invasoris injusti (quidquid reclamet Pontius *in cursu Theol. disp. 52. q. 5. conclus. 8. n. 31.*) nisi & ipse sit in mortali peccato, vel sit persona necessaria Reip. Imò Sancti Augustinus & Ambrosius docent, sæpè consultum esse, permittere sui occisionem: quod & patet exemplis multorum Sanctorum, ac maximè Christi Domini. Deinde in simili defensione sui, periculum subest, ne vel ira vel odium se intermisceant, vel etiam excedatur moderamen inculpatæ tutelæ; ac denique licèt charitas ad hoc non obliget, multùm tamen in hoc inclinat, ne proximus in æternum pereat. Dixi, *nisi ipse etiam sit in peccato mortali*, tunc enim teneretur magis propriam salutem diligere, quàm alienam: dixi item, *nisi sit Reip. necessarius*, quia debet tunc commune bonum præponere bono alicujus privati, maximè dum hic sua sponte se in periculum conjicit. Ex dictis

14. Colliges cum P. Franc. B. Speri, cuicumque contrà quemcumque insignioris notæ invasorem, patrem v. g. herum, &c. adhibito moderamine, &c. licere vim vi repellere, occidere, &c. quantumvis invasus dederit causam per adulterium, contumeliam, &c. quia cùm propterea non censeatur injustus invasor, jus, quod habet propriæ vitæ tuendæ, nondum amisit. Adverte tamen, quòd prout non licet, desinente moraliter actu injustæ aggressionis, aggressorem occidere, ita non liceat nondum eo aggressionis actu moraliter incipiente, quia tunc esse non potest moderamen inculpatæ tutelæ; secùs si moraliter inceperit & perseveret. Unde Layman, Lessius, & alii multi docent, licere uxori maritum occidere, qui jam habet pugionem sub cervicali, venenum aut quidpiam simile, ad ejus necem certò alioqui futuram, paratum. Hæc verbotenus idem Franciscus *disp. 19 num. 28.*

15. Dico secundò, licitum est occidere invasorem vitæ proximi innocentis. Prob. à pari *ex resol. 1.* quia sicut potest quis se defendere contra invasorem injustum, ita & alterum innocentem: quod confirmatur exemplo Moysis, qui in defensionem Israëlitæ Ægyptium interemit. Verùm ad hoc nemo obligatur cum gravi suo periculo vel damno, nisi fortè alicui ex officio cura incumbat ad dicti innocentis vitam tuendam, uti v. g. incum-

incumbit Principi & Magistratui; ad quod tamen nec hi tenentur cum periculo vitæ propriæ.

16. Dico tertiò, licitum est occidere injustum invasorem bonorum suorum temporalium magni momenti, quæ postea ampliùs recuperari non possent. Probat P. Franciscus ex Scriptura, variis juribus, & hac ratione, nam si liceat vim vi pro vitæ conservatione repellere, etiam licet pro conservatione ad vitæ sustentationem necessariorum. Atque hæc etiam se extendunt ad Clericos, ut patet ex Innocentio IV. *cap. dilecto.* Dum igitur *Exodi* 22. dicitur, non licere occidere furem diurnum, intelligitur de occisione absque moderamine inculpatæ tutelæ; prout etiam intelliges August. *lib.* 1. *de libero arbit. c.* 5. Docent insuper plures, etiam tibi licitum esse occidere invasorem tuæ pudicitiæ, si aliter evadere non valeas: quia & in hoc casu, quoad rem magni momenti, vis vi repellitur: & deinde hac in parte subest magnum periculum peccati. Verùm contrarium sustinet Franciscus Bonæ Spei *in Noctua dub.* 20. *num.* 661. & in sua Theol. *tract. de Iure & Iust. disp.* 19. *num.* 78. *& seqq.* Sed quia illius probationes breviter hîc poni nequeunt, meliùs eas apud ipsum legere quilibet poterit.

17. Navarrus, Henriquez & alii ex præjactis fundamentis docent, licitum esse nobili vel alteri cuicumque, acceptâ alapâ à rustico v. g. eum insequi, & lædere, etiam ad mortem, si id videat necessarium, ut honorem & famam conservet. Verùm hoc aliis meritò displicet; quia talis non defendit suam famam, sed se vindicat, quod authoritate privatâ non est licitum; ex quo ulteriùs inferunt non licere colaphum pro colapho reddendo recuperare honorem suum, quod etiam est se vindicare & non defendere; nam defensio fit contra invasionem & malum futurum; percussio autem & infamatio est malum præteritum. Quidquid sit, poterit prudens Confessarius insignis notæ virum in casu particulari excusare hac in parte ob authoritatem probatorum DD. pro quibus omnibus vide Wiggers hîc *tract.* 2. *cap.* 2. *dub.* 12. *&c.* Ac P. Mendo *in sua statera dissert.* 4. *quæst.* 3. *num.* 18. ubi nobiscum sentiens expressè dicit, *probabilitas extrinseca à gravibus adeo Authoribus nequit facilè negari* (eos enim enumeraverat in magno numero) *prædictæ opinioni; intrinsecam tamen ei nego, & assero, post injuriam acceptam non posse quem percutere aut occidere injuriantem.*

18. Collige, absolutè non licere Clerico aut Religioso occidere eum, qui minatur Religioso aut suæ Religioni magnam inferre infamiam; pro quo vide Dianam *part.* 11. *tract.* 1. *resol.* 20. ubi ferè per totam citat nostri Lezanæ verba, per quæ reprobat contrariam sententiam Amici, cujus sententia etiam damnata est à sacra Congregatione Indicis, quæ ipsius tomum quintum inter libros prohibitos apposuit; unde miror illam sententiam adhuc in dubium revocari à Caramuele *in Theol. fundam. part.* 1. *fundam.* 55. §. 4. *numer.* 1141. Adde, licèt vir nobilis juxta probatos Authores non teneatur cum magna infamia fugere invasorem

injustum, sed possit ipsi resistere etiam lædendo vel occidendo si opus sit ad defensionem vitæ propriæ; id tamen non habere locum in Clerico, cui honori ducitur si fugiat in tali casu: quamvis Diana eâdem *p.11.tr.6.res.29.* dicat, probabiliter Clericum occidendo talem injustum invasorem, licèt fugere possit, non incurrere irregularitatem, quia juxta plurium doctrinam non peccat contra justitiam, sed charitatem tantùm. Vide etiam Noctuam Francisci *dub.* 20. ubi contra Caramuelem & alios docet, ac latè probat, nunquam esse licitum occidere invasorem famæ aut honoris: quod & repetit in sua Theol. *tr. de jure & just. disp.* 19. *num.* 48. quem legisse, non pigebit. Addo etiam nunquam licitum esse marito occidere uxorem à se in adulterio repertam; quia sequens propositio damnata est ab Alexandro VII. *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Quare immeritò P. Mendo *in sua Statera dissert.* 3. *quæst.* 2. *num.* 18. conqueritur, librum Patris Sa à Magistro S. Palatii correctum esse, eò quòd contrariam judicaret probabilem. Nec ampliùs dicat, Authoribus, qui hanc absolutè defendunt, nullum nigrum theta infligi: quæ enim doctrina denigrari potest plus illâ, quam ipse summus Pontifex per expressum decretum damnat? quid circa hæc licitum sit marito juxta Jus Cæsareum, & aliquorum particularium Regnorum; hìc non tango.

19. Quid de sagis, quæ magicis artibus plurimùm nocent? Posse insigniter verberibus excipi, & ad tollendum maleficium cogi (quando scil. id tollere possunt absque peccato) constans est Theologorum sententia, teste P. Francisco *disp.* 19. *sæpe cit. num.* 29. Imò volunt Lessius, Bonacina & alii, eas etiam posse occidi: limitat tamen bene Franciscus, si eas esse tales moraliter constet, & per vitam earum permanentem constet damnum renovandum, & aggravandum magis, quàm alioqui foret, si non occiderentur.

DVBIVM TERTIVM.

Ad quid teneatur occisor, aut mutilator injustus.

20. DIco primò, pro morte occisi, vel membro mutilati præcisè nulla est facienda restitutio. Ita Urban. & Franciscus cum aliis contra Scotum, Sotum & Valentiam apud Urbanum *tract.* 3. *tit.* 9. *cap.* 2. Probatur, quia *Exodi* 21. ubi præcipitur fieri compensatio expensarum in medicos, non fit mentio de occisione, mutilatione aut læsione: deinde in his nunquam potest satisfieri ad æqualitatem; nam *lege ult. ff. de iis qui effuderint, &c.* dicitur, corpus hominis liberi nullam recipere æstimationem. Nec dici potest pro eo debere satisfieri quantum potest; quia irrationabile videtur dicere, aliquem

quem pauperem satisfacere duodecim florenis v.g. pro membro aut vita alicujus, ubi dives non posset satisfacere trecentis millibus. Item cùm omnium membra & vitæ sint æqualis valoris, tantùm restitui deberet pro mutilatione aut occisione rustici, quàm Regis aut Imperatoris, quod non minùs videtur esse contra rationem. Deniquè (ut bene notat N. Franciscus) alioqui pro damno spirituali, v. g. æternæ damnationis præcisè, similiter deberet fieri restitutio per bona inferioris ordinis, quod nullus admitti t.

21. Dices, qui alteri intulit damnum in bonis fortunę, cui non potest ex integro satisfacere, teneretur satisfacere quantum potest: ergo idem dicendum in casu nostro. Respondeo esse disparitatem, quòd in priori casu possit satisfieri, saltem pro parte illati damni: in alio verò minimè, cùm, ut dictum est, vita aut membra pretio æstimari nullatenùs possint, scil. præcisè ut talia sunt.

22. Dico secundò, mutilator aut occisor injustus tenetur ad omnia damna ex amputatione membri vel morte occisi secuta. Ita omnes: quare obligatur solvere omnes expensas curationis, & æstimationem operum læsi vel occisi pro ratione spei lucri, quod facturus erat illæsus; quia horùm damnorum est efficax causa injustè: non debet tamen solvere expensas funeris; cùm enim hæ sint semper faciendæ, earum non est causa, nisi fortè occisio facta sit, ubi expensæ exequiarum notabiliter sunt majores, quàm in Patria occisi: nam tunc teneretur de excessu ejusmodi juxta Navarrum & Wiggers. Quòd si hæc damna occisor, vel mutilator non restituit, manent ejus hæredes obligati, qui, sicut succedunt in bonis ipsius, ita & in obligationibus ejus.

23. Quomodo autem spes lucri æstimanda sit in occiso? Puto hîc meliorem regulam statui non posse, quàm ut fiat compensatio juxta judicium prudentum arbitrorum omnibus circumstantiis diligenter pensatis. Ita post multos Urbanus, & Franciscus. Quia tamen nec arbitri poterunt præcisè determinare quantum de jure sit restituendum, judicarem semper expedire, ut in hoc negotio fiat compositio inter partes; quod idem dic de læsione aut mutilatione. Ubi adverte cum communi contra Joannem Majorem, in æstimatione spei lucri non debere deduci labores, quibus occisus aut mutilatus dictum lucrum sibi comparare debuisset; quia quòd non operetur, sive illos labores non exerceat, fit per injuriam mutilantis vel occidentis, non verò ex ignavia. Deindè qui abstulit ab opifice instrumentum, quo laborando victum sibi & familiæ comparat, secundùm omnes tenetur ad totũ damnum; ergo idem dicendum in casu nostro. Non desinam tamen hîc ponere verba Dianæ, qui *part. 3. tr. 6. resol. 53.* oppositam sententiam censet æquè probabilem ac est nostra cōmunis, ubi & pro ea præter Majorē citat Rebellium & Molinam, sicq; ait: *Igitur in tali casu si pœnitens vellet æstimationem laboris deducere, confessarius potest eum securè absolvere, & à dicto onere restitutionis liberare.* Quibus adde, in occisione alte-

alterius deduci posse expensas, quas occisus solebat vivus facere; quæ enim sumpsisset per modum alimenti vel aliter, non poterant ad hæredes transire.

Petes primò, quibus sit facienda restitutio prædictorum ab occisore?

24. Resp. eam imprimis faciendam esse uxori; aut liberis, si uxor obierit, de quo nullus dubitat: item succedentibus in hæreditatem ab intestato, si nec uxorem nec liberos habeat, nec habiturus erat etsi non fuisset occisus: quod ultimum addo, quia si verò similius sit quòd liberos esset habiturus, dictis hæredibus nullum damnum intulit occisor, sed potiùs commodum, ac proindè illis nihil tenetur rependere, prout docet P. Urbanus post Lessium. Neque etiam tenetur occisor quidquam solvere creditoribus occisi, quia nullum damnum illis infert, cùm hæredibus restituat omnia, ut suppono, quæ ipse putabatur lucraturus: qui hæredes tenentur satisfacere debitis occisi. Limitat tamen id noster Urbanus: *Nisi occisus fuerit obligatus ex lucris quotidianis creditoribus persolvere, & nihil reliquerit hæreditatis successoribus, ex quo ipsis possit satisfieri.* Verùm hæc limitatio non videtur necessaria; cùm enim occisor teneatur satisfacere hæredibus juxta spem lucri quotidiani, idemque jus creditores retineant in hæredes quod anteà habebant in occisum, nihil amittere videntur: deindè jus creditorum ita libero consensu contrahentium acquisitum est, ut maneat dependens à periculis vitæ & bonorum ipsius debitoris. Attamen

25. Difficultas remanet, an occisor teneatur ad restitutionem iis, quos occisus liberaliter sustentabat? Partem affirmativam sustinet idem Urbanus cum aliquibus aliis apud Petrum Navarra *lib. 4. cap.* 1. Verùm ego negativam judico probabiliorem, quia occisus non tenebatur quidquam iis præstare; ergo nec occisor tenetur, maximè cùm hoc damnum sit omninò per accidens cum morte, quam alter infert, conjunctum. Deindè ea, quæ alter ex mera liberalitate præstabat, non censentur ex ejus voluntate, quantum est ex parte ejusdem, diutius eis præstanda, quàm dum ipse vixerit, sive morte naturali, sive violentâ contingat eum mori, prout notavit Wiggers: unde non est cur occisor remaneat obligatus ad eadem præstanda post alterius mortem.

26. Dices cum P. Urbano, occisor per injustam occisionem privat illos à certa consecutione bonorum, quorum carentia injuriam & damnum affert resarciendum, siquidem unusquisque jus habet ne per injuriam benefactori illatam impediatur à consequendo bono, quod in ipsum conferretur.

27. Resp. hæc solùm esse vera in casu quo aliquis, saltem interpretativè & implicitè, intendit alios impedire à consecutione talium bonorum, non verò dum quis aliquid facit, cui omninò per accidens & præter intentionem delinquentis dictum impedimentum est annexum. Neque hinc sequitur (ut vult P. Urbanus) occisorem etiam respectu uxoris aut liberorum

rum non obligari: est enim lata disparitas; quia occisor occidendo patrem vel maritum infert immediatè injuriam uxori ac liberis, in quantum scil. hi sunt quodammodo unum quid cum occiso: filii namque sunt pars patris, & uxor ac maritus sunt una caro: quare occisor hos læsit in bonis propriis: quod minimè contingit respectu eorum, quos occisus ex mera liberalitate sustentabat.

Petes secundò, an ab onere restitutionis, etiam faciendæ uxori ac liberis, absolvantur hæredes occisoris dum hic subit pœnam talionis?

28. Resp. probabiliùs negativè, quamvis nonnulli sustineant contrarium. Ratio mea est, quia quoad hæc damna videtur esse paritas cum damno quod fur intulit auferendo alteri suum, qui fur quamvis suspendatur, debet nihilominùs res furto ablata ab hæredibus furis adhuc restitui, ergo, &c. à pari. Neque ideò dicendum est, occisorem bis puniri in idipsum, quia pœna talionis non infligitur ad reparanda dicta damna, sed potiùs ut satisfiat Reip. cui per occisionem membri ejusdem intulit injuriam. Addo tamen cum Wiggers, esse probabile, in dicto casu hæredes occisoris non teneri dicta damna reparare, nisi hæredes occisi id ab ipsis exigant: sic enim videtur habere communis sensus & usus, ut completo in homicidam supplicio, alii conquiescant: quòd si tamen damni compensationem ulteriùs exigant, oportebit ea resarcire, ut dictum est. Sic etiam censet Franc. Bonæ Spei *de Iur. & Iust. disp.* 19. *n.* 120. sive sententia de pœna talionis sit lata ad instantiam partis, sive non.

29. Petes tertiò, quid dicendum, si læsus interfectori omnia remittat? Ad nihil tenebitur: quia filiis non fit injuria per homicidam in bonis fortunæ, nisi quatenus læduntur in parente contra ipsius voluntatem. Ita Franc. B. Spei *n.* 119. Addens tamen non benè facere læsum condonando, si filii egeant.

Petes quartò, quid de eo, qui occidit alterum, qui prius occisorem ad pugnam provocavit, vel dum duo se invicem provocantes pari consensu libenter in certamen descendunt?

30. Resp. eum ad nullam teneri restitutionem hæredibus occisi: qui enim provocat, vel ita lubens pugnat, censetur renuntiare juri, quod alioqui haberent hæredes ad petendam restitutionem. Nec talis potest conqueri, quòd alter ei injuriam fecerit, cùm fuerit sciens & volens. Ita Sylvius hîc *quæst.* 62. *art.* 2. *quæsit.* 3. *conclus.* 5. Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 53. & Francisc. B. Spei *n.* 127.

31. Quid si homicidium sit prorsùs casuale? Nec peccat homicida, nec irregularitatem incurrit, nec ad ullam restitutionem tenetur. Idem dic de eo, qui alterum in ebrietate inculpabili occidit: imò & in ebrietate culpabili, si homicidium futurum non præviderit, aut prudenter, ne in ebrietate fieret, timere non debuerit, cùm tunc ei nequidem in causa homicidium fuerit voluntarium. P. Franc. *n.* 130.

alterius deduci posse expensas, quas occisus solebat vivus facere; quæ enim sumpsisset per modum alimenti vel aliter, non poterant ad hæredes transire.

Petes primò, quibus sit facienda restitutio prædictorum ab occisore?

24. Resp. eam imprimis faciendam esse uxori; aut liberis, si uxor obierit, de quo nullus dubitat: item succedentibus in hæreditatem ab intestato, si nec uxorem nec liberos habeat, nec habiturus erat etsi non fuisset occisus: quod ultimum addo, quia si verò similius sit quòd liberos esset habiturus, dictis hæredibus nullum damnum intulit occisor, sed potiùs commodum, ac proindè illis nihil tenetur rependere, prout docet P. Urbanus post Lessium. Neque etiam tenetur occisor quidquam solvere creditoribus occisi, quia nullum damnum illis infert, cùm hæredibus restituat omnia, ut suppono, quæ ipse putabatur lucraturus: qui hæredes tenentur satisfacere debitis occisi. Limitat tamen id noster Urbanus: *Nisi occisus fuerit obligatus ex lucris quotidianis creditoribus persolvere, & nihil reliquerit hæreditatis successoribus, ex quo ipsis possit satisfieri.* Verùm hæc limitatio non videtur necessaria; cùm enim occisor teneatur satisfacere hæredibus juxta spem lucri quotidiani, idemque jus creditores retineant in hæredes quod anteà habebant in occisum, nihil amittere videntur: deindè jus creditorum ita libero consensu contrahentium acquisitum est, ut maneat dependens à periculis vitæ & bonorum ipsius debitoris. Attamen

25. Difficultas remanet, an occisor teneatur ad restitutionem iis, quos occisus liberaliter sustentabat? Partem affirmativam sustinet idem Urbanus cum aliquibus aliis apud Petrum Navarra *lib.4.cap.1.* Verùm ego negativam judico probabiliorem, quia occisus non tenebatur quidquam iis præstare; ergo nec occisor tenetur, maximè cùm hoc damnum sit omninò per accidens cum morte, quam alter infert, conjunctum. Deindè ea, quæ alter ex mera liberalitate præstabat, non censentur ex ejus voluntate, quantum est ex parte ejusdem, diutius eis præstanda, quàm dum ipse vixerit, sive morte naturali, sive violentâ contingat eum mori, prout notavit Wiggers: unde non est cur occisor remaneat obligatus ad eadem præstanda post alterius mortem.

26. Dices cum P. Urbano, occisor per injustam occisionem privat illos à certa consecutione bonorum, quorum carentia injuriam & damnum affert resarciendum, siquidem unusquisque jus habet ne per injuriam benefactori illatam impediatur à consequendo bono, quod in ipsum conferretur.

27. Resp. hæc solùm esse vera in casu quo aliquis, saltem interpretativè & implicitè, intendit alios impedire à consecutione talium bonorum, non verò dum quis aliquid facit, cui omninò per accidens & præter intentionem delinquentis dictum impedimentum est annexum. Neque hinc sequitur (ut vult P. Urbanus) occisorem etiam respectu uxoris aut liberorum

rum

rum non obligari: est enim lata disparitas; quia occisor occidendo patrem vel maritum infert immediatè injuriam uxori ac liberis, in quantum scil. hi sunt quodammodo unum quid cum occiso: filii namque sunt pars patris, & uxor ac maritus sunt una caro: quare occisor hos læsit in bonis propriis: quod minimè contingit respectu eorum, quos occisus ex mera liberalitate sustentabat.

Petes secundò, an ab onere restitutionis, etiam faciendæ uxori ac liberis, absolvantur hæredes occisoris dum hic subit pœnam talionis?

28. Resp. probabiliùs negativè, quamvis nonnulli sustineant contrarium. Ratio mea est, quia quoad hæc damna videtur esse paritas cum damno quod fur intulit auferendo alteri suum, qui fur quamvis suspendatur, debet nihilominùs res furto ablata ab hæredibus furis adhuc restitui, ergo, &c. à pari. Neque ideò dicendum est, occisorem bis puniri in idipsum, quia pœna talionis non infligitur ad reparanda dicta damna, sed potiùs ut satisfiat Reip. cui per occisionem membri ejusdem intulit injuriam. Addo tamen cum Wiggers, esse probabile, in dicto casu hæredes occisoris non teneri dicta damna reparare, nisi hæredes occisi id ab ipsis exigant: sic enim videtur habere communis sensus & usus, ut completo in homicidam supplicio, alii conquiescant: quòd si tamen damni compensationem ulteriùs exigant, oportebit ea resarcire, ut dictum est. Sic etiam censet Franc. Bonæ Spei *de Iur. & Iust. disp.* 19. *n.* 120. sive sententia de pœna talionis sit lata ad instantiam partis, sive non.

29. Petes tertiò, quid dicendum, si læsus interfectori omnia remittat? Ad nihil tenebitur: quia filiis non fit injuria per homicidam in bonis fortunæ, nisi quatenus læduntur in parente contra ipsius voluntatem. Ita Franc. B. Spei *n.* 119. Addens tamen non benè facere læsum condonando, si filii egeant.

Petes quartò, quid de eo, qui occidit alterum, qui prius occisorem ad pugnam provocavit, vel dum duo se invicem provocantes pari consensu libenter in certamen descenduat?

30. Resp. eum ad nullam teneri restitutionem hæredibus occisi: qui enim provocat, vel ita lubens pugnat, censetur renuntiare juri, quod alioqui haberent hæredes ad petendam restitutionem. Nec talis potest conqueri, quòd alter ei injuriam fecerit, cùm fuerit sciens & volens. Ita Sylvius hîc *quæst.* 62. *art.* 2. *quæsit.* 3. *conclus.* 5. Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 53. & Francisc. B. Spei *n.* 127.

31. Quid si homicidium sit prorsùs casuale? Nec peccat homicida, nec irregularitatem incurrit, nec ad ullam restitutionem tenetur. Idem dic de eo, qui alterum in ebrietate inculpabili occidit: imò & in ebrietate culpabili, si homicidium futurum non præviderit, aut prudenter, ne in ebrietate fieret, timere non debuerit, cùm tunc ei nequidem in causa homicidium fuerit voluntarium. P. Franc. *n.* 130.

DUBIUM QUARTUM.

De restitutione circa bona temporalia.

32. DIco primò, juxta communem sententiam occisor non tenetur ad ullam restitutionem ex justitia præstandam animæ occisi, ut v.g. per eleëmosynas, Sacra, orationes, &c. Ratio est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis, qualis est vita corporalis: neque secundùm praxim etiam piorum DD. bona inferioris ordinis per bona ordinis altioris sunt ex justitta compensanda. Nec dicas, occisorem ad hoc teneri in quantum occisum injustè privavit opportunitate per merita & alia pia exercitia exsolvendi pœnas, quas nunc fortè subire debet in purgatorio: quia ista particularia futuri sæculi nobis sunt nimis occulta, quàm ut secundùm ea res humanæ & civiles hîc mensurentur. Ita Malderus & Wiggers. Deinde privatio hujus opportunitatis nullo nostro opere potest ad æqualitatem compensari, prout dictum est suprà de vita & membro. Intereà cum dicto Wiggers judico saluberrimi esse consilii & æquitati naturali valde consonum, ut prædicta ab occisore animæ occisi impendantur: quare poterit Confessarius in satisfactionem pro peccato homicidii ejusmodi opera spiritualia injungere, prout etiam monent Sotus, Lessius, & alii apud eundem Wiggers hîc *tr.* 2. *cap.*3.*dub.*7. Jam de restitutione bonorum spiritualium.

33. Dico secundò, certum est inprimis, inferentem alteri grave damnum in bonis spiritualibus, mortaliter peccare nisi excuset inadvertentia. Quòd si alteri invito tale damnum inferatur, ut, v.g. vi vel fraude, est peccatum contra justitiam; unusquisque enim habet jus strictum, ne in dictis bonis damnificetur per vim vel fraudem. Unde qui veneno vel aliter privat alterum usu rationis, vel etiam aliquo sensu externo, item qui vi vel fraude alterum inducit ad peccatum, committit strictam injustitiam: ac in primo casu tenetur ex justitia compensare damna temporalia inde secuta, si nimirum per hoc alter impediatur artem suam aut aliam functionem exercere, qua victum lucrabatur: item si rationis aut dicti sensus usum possit restituere, ad hoc tenetur: si verò non possit, non tenetur ad aliam restitutionem præcisè pro ipso damno sensus vel usus rationis; quia sicut corporis membra, ita & hæc nullam æstimationem recipiunt. In secundo autem casu, dum scil. unus alterum vi vel fraude induxit ad peccatum, tenetur ex justitia illam removere, ne imposterum in idem vel simile peccatum labatur. Ita Urban. Franc. B. Spei, & alii communiter. Verius tamen puto, eum non teneri ulterius ex justitia efficere, ut alter convertatur; quia cùm jam cesset vis ac fraus, & alter noscat se deceptum

ptum & in peccato esse, potest per gratiam Dei, si velit, evadere omne damnum spirituale, quod est passus, adeoque si omittat resurgere per propriam negligentiam, censetur alteri totum damnum condonare, eò quòd nolendo illud resarcire, videatur respuere bonum spirituale, quod anteà habuit. Imò si alter non fuerit invitus sed voluntariè deceptus, licèt deceptor ex parte sua egerit fraudulenter, nequidē tenetur ex justitia fraudem amovere: quod & verum est, si deceptus postea aliunde veritatem cognoverit: quia non tunc decipientis fraus aut decepti error est causa peccati, si hîc in eo perseveret, sed mera hujus malitia.

34. Adverte tamen, in omnibus dictis casibus, sicut & in aliis, adhuc teneri decipientem ad alterum inducendum ad pœnitentiam vi præcepti Charitatis, eum magis, quàm cæteros obligantis, qui enim plùs quàm cæteri est author damni, debet & plus cæteris conari, ut damnum reparetur. Putant interim Navarrus & Becanus, eam obligationem, quatenùs præ cæteris obligatur, non esse sub mortali; quia Charitas non obligat ad correptionem sub mortali, nisi in casu necessitatis, quando etiam alii obligantur: cùm verò deceptus supponatur errorem suum cognoscere, & posse pœnitere si velit, non est in necessitate. Quòd si tamen vi, vel fraude deceptus putaretur in casu speciali non resurrecturus à peccato, non tam ex affectu ad peccatum, quàm ob aliquam animi pusillanimitatem, teneretur deceptor, etiam ex justitia illam pusillanimitatem sublevare, si id mediis opportunis præstare possit. Ita Wiggers cum aliquibus satis probabiliter: quod & sentire videtur Urbanus *tract. 3. tit. 6.* ubi post Valentiam docet, decipientem teneri ex justitia alterum exhortari, ut de peccato pœniteat, dum, nisi exhortatio adhibeatur, censeretur adhuc virtualiter perseverare injusta inductio; hæc enim in casu positivo adhuc virtualiter censetur perseverare in dicta pusillanimitate.

Petes, ad quid teneatur, qui alterum impedit injustè ab ingressu Religionis, aut alterum ingressum extrahit?

35. Resp. eum teneri ex justitia à sua actione injusta desistere tollendo vim, vel aperiendo fraudem. Patet ex statim dictis. Deindè obligatur ad faciendam restitutionem monasterio secundùm spem commodi temporalis, quòd à tali exspectabatur: quia est injusta causa, cur monasterium eo commodo privetur. Non tenetur tamen ipsemet Religionem ingredi: nam cùm status Religiosorum sit status perfectionis, qui non acquiritur nisi liberrimis functionibus, non videtur quomodo ejus obligatio aliter possit oriri quàm ex voto spontaneo: maximè cùm voluntas intrandi Religionem haberi debeat per Divinam inspirationem: ex quo fit, quòd quamvis Ecclesia ob enormia scelera aliquando in monasterio includat delinquentes, nunquam tamen cogat, aut cogere possit ad Religionem profitendam ratione perfectæ libertatis requisitæ. Ita P. Urbanus. Aliam rationem dat P. Franc. B. Spei *de Iur. & Iust. disp. 19. n. 8.*

quia libertas, quâ similis se privaret, est altioris ordinis, quàm commoda illa temporalia, quibus Religionem privat; restitutio autem bonorum inferiorum non est certò facienda cum præjudicio bonorum superioris ordinis. Cæterùm qui solo consilio, absque vi vel fraude, novitium à novitiatu seduxit proponendo v.g. honores, divitias, voluptates in sæculo, & oppositam in Monasterio vilitatem, paupertiem, molestiam, &c. ne quidem peccavit mortaliter, juxta Filliucium, à Castro, & Burghaber *cent.* 3. *cas.* 80. ac à fortiori ad nihil tenetur ex justitia, quia in hoc nullam commisit strictam injustitiam: ex Charitate tamen vi præcepti correctionis fraternæ teneretur, prout posset, efficere, ut alter priorem animum reassumeret juxta omnes communiter: sed neque hoc sub gravi culpa, cum seclusâ vi & fraude alter relictus sit plenæ suæ libertati.

DISPUTATIO VI.

De injuriis circa famam.

DUBIUM I.

De detractione, contumelia, & susurratione.

1. An, & qualiter licitum sit infamare seipsum, collige ex dictis *disp.* 1. *dub.* 5.

Dico primò, detractio est occulta famæ alienæ injusta denigratio. Contumelia verò injusta honoris diminutio in præsentia alterius facta. Unde differunt objecto; in prima enim læditur fama, in secunda honor: item & modo; nam detractio per modum furti fit occultè contra absentem: contumelia autem per modum rapinæ fit apertè & contra præsentem. Detractio & contumelia fiunt insuper susurratio, dum inter eum, cujus fama aut honor læditur, & ipsos audientes seminatio discordiæ, aut imminutio amicitiæ intenditur. Pro quorum intelligentia

2. Nota, famam esse plurium testimonium & æstimationem alterius excellentiæ, honorem verò esse testificationem æstimationis, quam quis habet de alterius excellentia; quæ testificatio potest fieri verbo, vel solo signo. Vide de his Franciscum B. Spei *de jure & justitia disp.* 19. *numer.* 163. & *seq.*

3. Dico secundò, detractio & contumelia fieri possunt octo modis; quatuor scil. modis directè, & quatuor

tuor indirectè, juxta hos duos versus ab Urbano N. relatos:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Fiunt ergo directè, primò falsum crimen alteri imponendo. Secundò verum crimen augendo. Tertiò occultum crimen propalando. Et quartò dictum vel factum alterius sinistrè interpretando. Indirectè item fiunt, primò negando alterius bona aut honesta facta. Secundò ea extenuando. Tertiò ea tacendo in illis circumstantiis, in quibus reticentia à præsentibus habetur pro vituperio. Denique ita frigidè alterum laudando, ut id potiùs cedat in laudati opprobrium. Quòd si unum ex his omnibus fiat, ut causentur discordiæ, erit simul susurratio. Vide eundem P. Franciscum *ibid.*

4. Dico tertiò, detractio, contumelia, & susurratio, sunt ex suo genere peccata mortalia: quia honor & fama sunt bona altiora quàm pecuniæ, quarum tamen injusta ablatio est mortalis ex genere suo. Possunt interim esse peccata venialia, vel ex parvitate materiæ, vel defectu advertentiæ. Cæterùm contumelia est peccatum majus detractione; cùm enim fiat in præsentia alterius, est magis contra ipsius voluntatem, sive est alter magis invitus; videturq; habere annexam quandam irreverentiam erga alterum, cùm fiat per apertum contemptum. Adde, susurrationem esse peccatum longè majus detractione & contumeliâ; nam his superaddit insuper malitiam finis pessimi, ut patet ex ipsius descriptione. Imo hoc peccatum summè detestatur Deus, ut videre est in Scriptura *Proverb. 6.* ubi dicitur: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus, scil. eum, qui seminat inter fratres discordias.* Ubi tamen adverte, non esse peccatum susurrationis, si quis uni eorum, inter quos est perniciosa amicitia ad malum, de aliis narret aliquos defectus præcisè, ut eum à malo eorum consortio separet.

5. Dico quartò, omnes detractiones inter se, sicut & omnes contumeliæ, sunt ejusdem speciei: eodem enim præcepto inhibentur, eidemque virtuti scil. justitiæ commutativæ opponuntur, atque ad idem vitium pertinent: quare juxta sententiam probabilem sufficiet dicere in confessione: *Toties in gravi materia proximo detraxi, toties ei gravem intuli contumeliam*; vel, *dixi quidquid mihi occurrebat*, non referendo illatas calumnias: pro quo vide Dianam *p. 11. tract. 7. resol. 34.* Hoc tamen non obstat, quò minùs, propter circumstantiam advenientem ipsi detractioni aut contumeliæ, aliquando addatur malitia specie distincta, adeoque in confessione necessariò aperienda; ut dum quis detrahit patri aut Sacerdoti: tunc namque detractio habet superadditam malitiam contra pietatem parentibus debitam, vel contra reverentiam debitam statui sacerdotali. Ita post alios P. Urbanus *tract. 3. tit. 7. cap. 1.* quæ etiam applica contumeliæ. Quale autem peccatum sit, & quomodo confitendum, dum quis unico actu detrahit pluribus? ha-

bes suprà *in tract. de actib. humanis.* Solùm

6. Adverte, convitia, quibus mulierculæ, pueri, & infimæ sortis homines sese afficiunt, ex animi promptitudine effutiendò, quidquid in buccam venit, modò non intendant gravem injuriam, non esse peccata mortalia ob parvitatem materiæ: nam cùm audientes similium verbis nullam fidem adhibeant, non causatur gravis jactura honoris aut famæ; unde remanent immunes à peccato mortali contra justitiam. Verùm hoc non destruit peccatum grave iræ, aut odii, ex quibus similia sæpè proveniunt, ut notat idem P. Urbanus *loc. cit.* Interim ex eodem capite communiter loquendo à mortali etiam excusatur, qui narrat solos defectus naturales animi, corporis, aut natalium, v. g. *quòd aliquis sit ignarus, claudus, spurius, &c.* cùm enim hæc à natura contra hominis voluntatem proveniant, à prudentibus infamię aut dedecori non vertuntur. Sylvius, Lessius & Layman apud Busenbaum idem asserunt de infamantibus alios generalibus nominibus peccatorum mortaliũ, dicendo v. g. *alium esse iracundum, superbum, &c.* quia audientes similia intelligunt ordinariè de naturali propensione & involuntario defectu, nec proinde fit grave damnum in fama. Attamen puto hoc nullatenus extendi posse ad omne genus peccati mortalis; nam graviter nocet famæ alterius, qui de viro honesto dicit, quamvis in generali, *eum esse luxuriosum, vel ebriosum*: quidquid cõmuniter non sit mortale, narrare in particulari peccata mortalia, quæ ob conditionem personæ non notabiliter famam lædunt; ut si v. g. de communi milite dicatur, *eum pugnasse in duello, meditari vindictam, abstulisse alienum, &c.* Quibus Busenbaum post Layman addit; *habere concubinam*: quod tamen vix à mortali possem excusare in hac patria, ubi id nec ipsis militibus commune est, & est multùm defamativum. Cæterùm nota, me semper dixisse *communiter*, quia interdum per accidens non possunt prædicta à mortali excusari, maximè si dicantur de viris gravibus: nam & sola venialia eorum revelare, frequenter est peccatum mortale, ut si de Prælato gravi & optimi nominis dicat quis, *eum esse mendacem*: quare semper, & in omnibus diligenter abstinendum est à similibus. Vide de his omnibus Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 19. num. 162. & sequent.*

Addo juxta Burghaber *centur. 2. casu 87.* posse aliquem per frequentatas veniales detractiones aliquando mortaliter peccare, quando nimirum per has fit gravis famæ læsio, ut v. g. fieret, si quis coram Principe de uno ex ipsius ministris modò dicat, ipsum esse imprudentem; modò, esse ignavum, modò, esse aulæ & rebus communibus peragendis parum aptum, &c. Singulæ enim illæ detractiones possunt in mente Principis postmodùm ita nairi, ut merito de illo ministro exiguam concipiat opinionem, gravemque hic infamiam patiatur. Verùm ego ad hoc puto necessarium fore, ut omnes illæ parvæ detractiones fiant parvo tempore mediante; pro quo vide dicenda infrà *disp. 7. num. 9.*

7. Quid si peccata occulta, occultatis authoribus, aperiantur? Nullum quidem

quidem peccatum est, si omne periculum (etiam ex suspicione) infamiæ authoris aut communitatis absit: grave tamen pro gravitate istiusmodi periculi. Ita dictus P. Franciscus *ibidem.*

Addo hic, maritos sæpè peccare mortaliter, dum uxores vocant sagas, meretrices, adulteras, & singulariter, quando ex vindicta hæc eis objiciunt: quidquid interdum teneantur illas verbis corripere, etiamsi contineant convitium materiale; imo etiam verberibus, quando verba non sufficiunt ad emendationem morum perversorum: maritus est enim caput uxoris; *ad Ephes.* 5. teneturque hæc ei subjici sicut Domino suo. *Ibid.* capitis autem & Domini est corripere. Quare Gobat *in Alphab. matrim. part.* 2. *casu* 23. *num.* 773. hæc in terminis habet: *Observo, non videri objurgatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has, & nobiles facio discrimen cum Palao) uxores merobibulas, seu ebriosas, aut sectantes consortia suspecta, post gravem increpationem bis, terve frustra factam, ita castigant fuste, vel pugnis, ut sensus doloris duret ad quatuor, aut quinque dies.* Verùm ego existimo maritum raro debere uti verberibus, & in casu necessitatis, magis moderatè.

DUBIUM SECUNDUM.

An sit mortale viro prudenti alterius delictum aperire?

8. Dico veriùs id esse mortale peccatum, si tale delictum sit grave, licèt absit periculum nocumenti ulterioris. Ita Urbanuus, & Franciscus post Suarez & alios ferè omnes apud Filliucium. Probatur, quia unusquisque meritò graviter fert, se etiam apud unicum virum prudentem infamari; nam sæpè infamia sic creata apud sapientem & taciturnum plùs nocet, quàm si creata foret apud plures alios, qui non sunt tantæ considerationis. Deinde cùm judicium temerarium de re gravi in mente unius conceptum, sit peccatum mortale, ut postea videbimus, & contumelia juxta D. Thomam *quæst.* 73. *art.* 1. alteri nullo alio præsente objecta sit grave vel leve peccatum, pro ratione materiæ; non video, quomodo dicta revelatio à mortali excusari possit: nam ex ea æquè ac ex dicto judicio oritur alteri grave nocumentum in fama. Denique in sententia opposita iste vir prudens sine culpa mortali poterit idem crimen uni alteri similiter prudenti aperire æquè ac tu ipsi, & hic iterum uni alteri, &c. ita ut tandem delictum alterius fiat publicum absque eo, quòd is, qui est in culpa, graviter delinquat, quod videtur absurdum. Quare

9. Colliges cum P. Urbano, graviter peccare conjuges, qui de aliorum crimi-

criminibus inter se colloquuntur occulta revelando, quamvis aliàs sint prudentes. Verumtamen ab hoc peccato excusari poterunt, si per hoc se invicem moneant de peccatis filiorum aut famulorum, quia id reputatur fieri in finem utilitatis causandæ, vel damni avertendi. Sic etiam à peccato excusatur, qui alterius crimen narrat uni viro prudenti causâ consilii aut auxilii petendi, vel ut impediatur damnum in altero. Unde dum agitur de conferendo beneficio, assumendo famulo, &c. licitum est alterius inhabilitatem & crimina indicare, si aliàs notabile incommodum timeatur, nec aliter hoc impediri possit: videndum tamen, ut hoc fiat cum minima jactura famæ alterius, quàm fieri potest. His omnibus non obstantibus

10. Diana *p. 2. tract. 3. resol. 22.* docet absolutè non esse mortale, revelare crimen proximi uni aut duobus, quibus dicere perinde sit, ac si nulli diceretur; & pro se citat Cajetanũ, Navarr. Reginald. & alios, nostram tamen vocans sententiam communem & probabiliorem: ac meritò ob fundamenta jam adducta; quibus inspectis non video, quomodo revelare crimen uni aut alteri, etiam prudentissimo, possit perinde esse, ac si nulli diceretur: & nónne ipse Diana rubore confunderetur, si magna crimina prudenti Confessario etiam in confessione aperire deberet? Quomodo, cùm hoc maximè sit crimen dicere, perinde ac si nulli diceretur, quantum fieri potest? Tu igitur tene nostram sententiam.

11. Puto interim cum Diana *p. 3. tract. 5. resol. 32.* ubi pro se citat Sylvium, Lessium, Navarra, Molinam, Layman, & alios communiter, à peccato, saltem mortali, liberum esse, narrare alicui amico prudenti & secreto injuriam, etiam gravem, sibi factam præcisè ad leniendum dolorem: quia nimis durum videtur, & præter humanam consuetudinem, aliquem cogere acceptas injurias se solo ferre, & dolorem interiùs concoquere; ac proinde contrarium faciens videtur uti suo jure. Neque hîc est periculum publicationis, quia is, cui narratur, non concipit tantum dolorem ex damno amici, ut debeat illud ulteriùs alteri narrare ad eum leniendum. Hanc etiam doctrinam tradunt Franciscus, Urbanus, & Busenb. qui duo ultimi rectè monent, ne id pluribus narretur, vel persona damnificans apertiùs nominetur, quàm sit necesse ad solatium obtinendum; quidquid Joannes de la Cruz apud Dianam *loco cit.* dicat, si persona secretò graviter injuriata non valens se à dolore cohibere, in querimonias publicas prorupit, non illicò eam de culpa mortali damnandam esse, quamvis per hoc injurians infametur, quia durum videtur, &c. ut suprà. Ita ille citans Lopez.

12. Cæterùm, quando pœnitens teneatur complicem sui peccati detegere, dicetur *in tract. de Sacram.* Hoc obiter observa, semper adeundum esse Confessarium, qui complicem non novit, quando id commodè fieri potest: in quo tamen poteris excusare uxores ac matres, quæ peccata maritorum & filiorum tangunt apud Confessarium, cui illi noti sunt: quia id communiter faciunt ad petendum con-

consilium aut dolorem leniendum: & aliàs nimis durum foret continuò adire novos Confessarios: quapropter ob frequentiam criminum, quæ tales quotidie erga uxorem vel matrem committunt, videntur privari jure suo, quod fortè aliàs haberent, ne infamentur apud Confessarium alterius. Imò Franciscus B. Spei *de Iure & Iust. disp. 19. num. 167. in fine*, hæc generalibus terminis ponit: *Plurimi excusant à peccato revelationem complicis ad integram confessionem: & quidem rectè; nam si ad consilium & consolationem id liceat, à fortiori ad integram confessionem licebit; quandoquidem hæc causa sit justior & suorum criminum in confessione revelatio, non sit sumpsius infamatio.* Ita ille: quæ benè observa.

DVBIVM TERTIVM.

An liceat infamare alium ad evitandum grave malum?

13. Dico primò, nunquam licitum est alium infamare imponendo crimen falsum, hoc enim est mentiri: quare si alteri sic imponatur crimen grave, quamvis ad summum damnum proprium vitandum, erit mortale peccatum, utpote mendacium in re gravi, sive cum gravi alterius detrimento. Interim tamen Sylvius & Navarr. apud Busenb. putant, id solùm esse veniale, si fiat ad vitandum valde grave damnum, ut v.g. ad gravia tormenta evadenda; & si inde sola alterius infamia sequatur, ac posteà revocetur: rationem reddunt, quia non est tunc efficax causa infamiæ; possunt enim audientes prudenter existimare, similem hoc dicere ad fugienda tormenta, præsertim cùm postea revocet.

14. Dico secundò, ad grave detrimentum proprium vel alienum evadendum, licitum est revelare alterius crimen verum, quoties id ad hoc necessarium judicatur: quia obligatio ad celandum secretum proximi crimen non obligat cum gravi nostro vel alterius damno: sic namque juxta omnes, licitum est aperire imperitiã medici, dum aliàs quis inde periculum vitæ vel sanitatis incurreret: ac similiter qui novit alterum esse furem, licitè potest monere eos, cum quibus alter frequenter conversatur, ut sibi caveant: item dum quis injustè tuam famam lædit, nec vales eam conservare aut recuperare, nisi ipsius famam minuas, potes verum ipsius crimen occultum manifestare, quantum necesse est, ut tuam famam serves illæsam: cave tamen, ne eum plus lædas, quàm tu ab ipso lædaris, considerando nimirum tuam & alterius personam. Vide circa hæc P. Franciscum *loc. sæpiùs cit. num. 179.*

15. Dico tertiò, licitum quoque est

crimen alterius aperire, quando id necesse est ad ipsius delinquentis malum impediendum vel bonum promovendum. Patet ex dictis *de charitate* suprà, ubi diximus post correctionem fraternam proximum esse deferendum Ecclesiæ, si aliter emendari non possit.

16. Dico quartò, qui injustè devenit in notitiam alieni delicti, potest hoc revelare in tribus casibus; primò, quando alter eum injustè vexat, nec aliter vexam evadere potest; tunc enim vim vi repellit. Secundò, quando alter ex justitia obligatur suum crimen fateri, quia tunc amisit jus ad famam. Tertiò, quando aliàs periclitaretur salus Reip. aut Regis, vel imminceret magnum damnum Religioni: sic qui legendo alterius epistolas devenit in notitiam secreti delicti; quamvis mortaliter peccarit eas aperiendo & legendo, nisi putasset prudenter ex circumstantiis in iis nihil magni momenti contineri, poterit adhuc istâ scientiâ uti in tribus dictis casibus. Adde non esse peccatum, saltem mortale, legere litteras laceratas vel abjectas; quia tunc censetur Dominus suo juri renuntiasse; si tamen quid grave inde deprehenderis, adhuc teneris ad secretum.

Petes, quale sit peccatum referre audita ut talia?

17. Resp. primò, referre alterius peccata sic ut non affirmetur ita esse, sed tantùm dicendo se talia audivisse, semper est peccatum saltem veniale contra charitatem, licèt id non fiat animo infamandi, sed ex quadam loquacitate: quia id verè repugnat huic præcepto naturali: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: ita autem referre grave alterius delictum animo infamandi, est mortale, quia hoc est directè & formaliter alteri detrahere in re gravi.

18. Resp. secundò, qui narrat alterius peccata audita, licet expressè asserat se nihil certò scire, sed tantùm recensere, quæ audivit, non potest à morali, saltem contra charitatem, excusari, quando sic referens est tantæ authoritatis ut ei credatur, vel quando narrat in talibus circumstantiis, ut aliquos ex levitate credituros prævideat. Ita Sotus, Navarrus, Sylvius, & alii plures apud Dianam *part.3. tract.5. resol.28.* Ratio est, quia qui ex suis dictis aut factis advertit proximum graviter lædendum, tenetur vi præcepti graviter obligantis ab iisdem abstinere, ubi potest sine gravi incommodo: & revera qui positâ dictâ advertentiâ non abstinet à simili relatione, virtualiter & interpretativè censetur velle illam proximi læsionem: quare non video, quomodo à mortali possit excusari, quidquid Diana *loc.cit.* putet, probabiliter dictum narrantem non peccare mortaliter, quando prævidet aliquos ex audientibus temerè credituros: verùm ratio, quam adfert, solùm excusat narrantem à peccato mortali injustitiæ, minimè à peccato gravi contra charitatem; quare cum Petro Navarra ab omnibus nostram sententiam sustinendam judico.

19. Cæterùm semper dictus narrans, secundùm omnes, peccat mortaliter, & quidem contra justitiam, si ita narret, ut aliquam majorem certitudinem addat ultra eam, quæ habetur

ex

ex relatione communi: quia tunc per actionem suam, verè injustam, per se & propriè est causa alterius infamiæ: sic v.g. graviter contra justitiam peccat, qui narrans grave alterius delictum, dicit se id audivisse à fide dignis; ab iis, quos novit hac in parte non esse mentitos, &c. nam talia dicendo dat audientibus fundamentum sufficiens credendi. Hæc omnia videtur brevibus verbis comprehendere Franciscus B. Spei, dum ad hanc quæst. *Quid de relatis ut auditis?* Respondet: *Videndum an auditores sint habituri fidem, cum notabili infamia proximi.*

DVBIVM QVARTVM.

An crimen in uno loco publicum, licitè divulgetur in alio?

20. Dico primò, delictum, in uno loco notorium, narrare in alio, ubi est ignotum, non est peccatum contra justitiam, sive in priori loco sit notorium nŏtorietate facti, seu per rumores & publicam famam; sive notorietate juris, seu per sententiam judicis. Ratio est, quia qui uno ex istis modis notoriè deliquit, perdidit jus ad suam famam. Ita Franc. B. Spei, & cæteri DD. communiter.

21. Dico secundò, prædictum delictum sic narrare in alio loco est peccatum mortale contra charitatem, si delictum sit grave: quia per hoc proximus adhuc graviter læditur, adeoque meritò ægrè fert id sibi fieri, ac consequenter contravenitur præcepto charitatis: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Ita iidem DD. communiter. Quidquid Diana *p.*3. *tract.*5. *resol.*17. dicat, contrariam sententiam esse probabilem, pro se citans Fagundez, qui ipso teste suam sententiam probat validissimis rationibus, nostramque rationem solidè reprobat; unde miror post hæc immediatè Dianam subjungere, igitur viatores abstineant à similibus detractionibus; & maximè cùm *p.*4. *tract.*4. *resol.*128. dicat, sententiam Fagundez, quam ibidem vocat suam, non esse minùs probabilem, quàm sit nostra communis, ubi insuper pro ea citat Emanuelem Sa. Interim tu sequere communem sententiam; cum limitatione tamen, nisi alter infamatus parum curet se alibi etiam infamari: quod fieri solet, dum alter locus valde procul abest. Aliam adhuc limitationem ponit Lessius, nisi quis ob crimen grave fuerit in alio loco publicè punitus; tunc enim, inquit, sæpè expedit talia ad ædificationem narrari: verùm hanc non admitto generaliter, quia talis ædificatio sufficienter obtinetur, licèt non exprimatur nomen puniti.

22. Adde illum, qui injustè diffamatum in hoc loco, diffamat in alio, vel apud aliquos, apud quos necdum erat

erat infamatus, peccare contra justitiam: quia nullus amittit jus ad suam famam per injustam infamationem: unde sicut per injuriam primò facta est infamatio, ita & per injuriam continuatur ac dilatatur. Quare Burghaber *centur.1.casu* 54. postquam docuisset, crimen alicujus in uno loco notorium detegere in alio, nec esse mortale contra justitiam, nec probabiliter contra charitatem; malè subdit. *Atque hoc verum est, etiamsi scelus injustè* in primo loco *publicum evasisset.* Quin ego judico, pessimè facere plurimos narrantes aliorum crimina ab aliis publicata, absque ulla discussione, an justè vel injustè sint facta publica, nisi fortè bona fide præsumant absque injuria ea publicata esse. Ast etiam hi, si post narrationem suam cognoverint publicationem injustè factam esse, vel alium non comisisse quod narrarunt, tenentur ex charitate impedire damna ex sua narratione secutura; non tamen resarcire præterita, quia horum non fuerunt causa culpabilis. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.*19. *num.*174. ubi cum Lessio, quoad hoc punctum, sententiam nostræ oppositam dicit videri probabiliorem: & rationem dat, quia de natura primæ infamiæ publicæ, justa sit aut injusta (attentâ sociabili hominum conversatione, cui durum nimis foret de publicis silere) esse videtur, posse extendi; alioqui revera totus mundus continuò esset detractionibus injustis expositus.

23. Dico tertiò, narrare grave crimen alterius eo tempore, quo nescitur, est mortale contra justitiam, quamvis id ante notorium fuerit. Ratio est, quia cùm tale crimen jam minimè notum sit, imò ita sit, ac si nunquam fuisset notorium, recuperavit alter strictum jus ad suam famam; idque vel maximè, quia publicando nunc ejus antiquatum delictum, non solùm læditur ejus fama vetus quam aliquando desiit possidere, sed & illa, quam modò habet & jure possidet, ut benè notat Toletus. Atque hinc juxta P. Urbanum peccant graviter, qui conscribunt mortuorum peccata non manifestando simul eorum resipiscentiam, si hæc secuta est: quidquid tamen ipse post Lessium, Azorium, & alios contra Molinam dicat, non peccare contra justitiam eum, qui alicui revelat proximi delicta, propter quæ fuit aliàs infamis, licèt actibus honestis famam suam recuperaverit, modò patefaciat simul ejus resipiscentiam: ratio est, quia is, cujus delicta narrantur, amisit jus in perpetuum habendi bonam famam pro illo tempore, quo fuit peccator publicus, nec proinde fit illi injuria, si non ingeratur auditorum mentibus, illum modò adhuc esse infamem. Ita Urbanus *tract.* 3. *tit.*7. *cap.*4. *fol.*571.

Petes primò, an sit peccatum, narrare secretum alterius delictum brevi cert[illegible]è divulgandum?

24. Resp. inprimis esse mortale contra justitiam, si inde alter patiatur grave incommodum, quod non patietur ex futura infamatione: quia injusta actio est efficax causa istius damni. Non esse tamen peccatum mortale simpliciter & ordinariè loquendo, tradunt Lessius, Molina, Lugo & alii; quia nimirum id ordinariè parum vel nihil

nihil nocet: attamen eò quòd sit res plena periculis, in praxi id semper cavendum censeo.

Petes secundò, an sit peccatum de uno aut pluribus criminibus infamatum, de aliis etiam infamare?

25. Resp. primò, non esse mortale infamatum de uno crimine, de altero valdè affini & ordinariè cum priori conjuncto infamare apud eos, qui priùs crimen norunt. Sic v.g. non peccat mortaliter, qui de notorio adultero dicit, eum scripsisse litteras amatorias vel alias lascivias exercuisse cum adultera; per hoc enim non censetur nova infamatio saltèm gravis fieri; quia similia solent adulterio esse annexa. Ita P. Urbanus cum aliis.

26. Resp. secundò, esse peccatum mortale injustitiæ, quando unum crimen non est ordinariè alteri conjunctum: quia per hoc, quòd aliquis sit infamis in uno crimine, minimè amittit jus ad famam, quam adhuc habet illæsam in aliis virtutibus; non enim fama est quid simplex & indivisibile, sed sicut diversæ virtutis laus est diversa, ita & diversorum criminum diversa est infamia; nec video, cur ebriosus aut fur notorius haberi nequeat pro vero Catholico, pro fideli uxori suæ, &c. Qui igitur de ebrioso dicit, quòd sit hæreticus, adulter, &c. magnam adhuc ei infert injuriam. Neque ullatenùs probabile existimo, quod docet Sylvester apud Wiggers, videl. non esse peccatum, saltèm mortale, publicare aliquod crimen minùs illius, qui de gravioribus est infamis, ut v.g. de eo, qui est infamis de homicidio & furto, quòd fuerit fornicatus; quia reverà talis adhuc habet jus ad suam famam in materia castitatis. Si tamen aliquis de tam multis, ac variis criminibus esset infamatus, ut passim haberetur pro eo, qui nullum scelus tempore & loco verecundatus est perpetrare, locum haberet dicta Sylvestri sententia; quia talis in omni virtutis materia famam suam censeretur amisisse, nec ex relatione alicujus criminis minoris, censeretur ejus infamia augeri, saltèm notabiliter. Ita Wiggers. Pro horum complemento

27. Nota ex Urbano N. crimen famosum dici, cujus fama pervagatur per majorem partem viciniæ, communitatis, oppidi, parochiæ, &c. éstque simul nixa sufficientibus indiciis: ex quo fit, ut respectivè ad locum, in quo viget fama, censendum sit publicum sive famosum. Notorium autem est id, quod constat per evidentiam facti vel juris. Adde mortuum infamare in re gravi, etiam mortale peccatum esse; minus tamen grave quàm infamare vivum, eò quòd hic plus suâ famâ indigeat ad vitam quietè ducendam. Quia tamẽ consanguinei & amici non sunt famæ defuncti successores, & defunctus non est, dicit benè Franc. B. Spei, non apparere, cui tunc restitutio fieri debeat: unde satis esse videtur, si auditores aliter informentur.

DUBIUM QUINTUM.

Quale peccatum sit audire detractorem.

28. Dico primò, qui ita detractorem audit, ut eum ad detrahendum provocet, interrogando, hortando, exteriùs in hoc eum laudando, &c. peccat contra justitiam: quia per hoc est injusta causa alterius damni. Imò (ut notant Wiggers, Urbanus, & Franciscus) talis graviùs delinquit, quàm ipse detrahens: Præterquam enim quòd peccet peccato injustitiæ sicut detrahens, ac proinde hoc deficiente teneatur famam per similem detractionem amissam restituere, committit insuper peccatum scandali, quatenùs dat occasionem ruinæ spiritualis ipsi detrahenti.

29. Dico secundò, qui absque provocatione delectatur audiendo detractionem, vel detractorem non corrigit, dum facilè potest, peccat contra charitatem: ratio est, quia qui de peccato proximi delectatur, eidem & consentit, quod semper malum est: qui verò non corrigit detractorem dum potest, peccat contrà præceptum correctionis fraternæ, ac insuper negligit avertere infamiam ab eo, de quo fit detractio. Nec ullatenùs approbo quod quidam apud Wiggers tradunt, scil. non esse mortale, gaudere detractionibus audiendis ex sola curiosa cognitione factorum proximi: quia hæc curiosa cognitio est ipsa famæ proximi diminutio, vel hujus causa, unde, qui de illa gaudet, censetur & de hac interpretativè gaudere.

30. Dico tertiò, audiens detractorem non peccat, si, neque ad hoc eum excitet, neque de eo gaudeat, neque corrigere omittat dum facilè potest. Probatur, quia non est contrà quod præceptum talis impingat. Deinde juxtà probatissimos Authores apud Dianam *p.2. tract.3. resol.24. & p.3. tr.5. res.35.* qui ob timorem, verecundiam, negligentiam aut animi levitatem non resistit detractori, solum venialiter peccat. Adde sæpè non peccare eum, qui simpliciter detractorem audit & nō corrigit, quia, vel ignorat, an quod alter narrat, sit publicum, vel an ipse justè id non narret: tunc enim non est certus, narrantem peccare, & tamen aliundè certus est, narrantem infamari per correctionem, cujus infamatio fortè erit injusta: cum ergò in dubio semper interpretandum sit in meliorem partem, & nemo præsumendus sit malus, sæpè prudenter intermittitur dicta correctio: quod bene observarunt Bonac. Rebell. Malder. & alii. Accedit, quòd sæpè consulatur famæ proximi si permittatur finiri detractio jam inchoata: frequenter enim in fine non tam graviter apprehenditur quàm initio erat conceptum. Denique si apud unicum fiat detractio, poterit hîc auditum crimen servare secretum, sicque

acque juxtà sententiam aliquorum Authorum suprà relatam (quòd scil. non sit mortale uni prudenti & secreto viro, *&c.* cui saltèm in dubio quis se conformare poterit) alter non patietur grave detrimentum. Ex his omnibus concludo cum Busenbaum, multos falli existimantes, simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id se mox refutare debere.

31. Adverte tamen primò, in prædictis optimum fore, divertere sermonem, vel tristem vultum ostendere juxtà illud *Proverb.* 25. *Facies tristis dissipat linguam detrahentis.*

32. Adverte secundò, Superiorem quo nomine veniunt communiter parentes respectu filiorum, Domini respectu servorum, Prælati respectu Religiosorum, *&c.*) teneri impedire suum subditum à detractione: &, si non fecerit, tenebitur ex officio curare, ut ab eodem subdito restituatur fama injustè ablata, vel debebit ipse per se eam restituere: cùm enim ipse ex officio teneatur impedire suum subditum ne alteri noceat, censetur injusta causa damni dum non obsistit; nisi fortè sit absens tempore detractionis: quo casu deberet quidem subditum compellere quantum posset, ad restitutionem; non tamen hujus defectum supplere, cùm nullam culpam commiserit. E contrà si externus abstulit famam à subdito tuo, minimè teneris ad restitutionem, quia non suscepisti curam ex officio famæ tui subditi, sed animæ ipsius salutis: quæ si sufficienter non posset procurari, nisi fama injustè ablata restituatur (aliqui enim dum se vident infamatos, liberiùs durante infamiâ impudentes fiunt, famæ fræno eos non ampliùs coërcente) censet Lessius fore obligatum Superiorem curare, ut subdito fama restituatur ab externo injustè ablata. Ita enim P. Urbanus *tract.* 3. *tit.* 7. *cap.* 4. *fol.* 573.

DUBIUM SEXTUM.

De suspicione & temerario iudicio.

33. Dico primò, suspicio est opinio mali orta ex levibus indiciis: quare semper retinet annexam formalem vel virtualem formidinem de opposito; in quo distinguitur à judicio temerario, quod est definitiva sententia de malo proximi similiter fundata in judiciis insufficientibus. Inter suspicionem & judicium dictum, datur dubitatio, quæ est suspensio animi in neutram partem inclinando. Levia indicia hîc dicuntur, quæ non moverent virum prudentem ad dubitandum, suspicandum, aut judicandum. Ubi adverte, indicia posse esse sufficientia ad dubitandum, & insufficientia sive levia ad judicandum vel suspicandum, sicut & sufficientia ad suspicandum, possunt esse insufficientia ad judicandum. Ut verò cognoscas; an

actus

actus tuus sit solùm opinio, an judicium; nota ex Cajetano apud Bassæum verbo *judicium temerarium*, tunc quempiam habere judicium, quando rogatus an rem habeat pro certa, responderet, eam sibi certam vel quasi certam videri; tunc autem solùm habere suspicionem, quando responderet, se non esse moraliter certum, sed facilè posse falli.

34. Dico secundò, judicium temerarium de gravi delicto proximi est peccatum mortale. Constat ex Scriptura *Matth.* 7. & *Lucæ* 6. ubi dicitur: *Nolite judicare & non judicabimini*: item *Corinth.* 4. *Nolite ante tempus judicare, &c.* ne videl. id fiat, (ut benè notat Urbanus) per nimiam animi levitatem & affectus præcipitationem. Probatur etiam ratione, quia cùm judicium de se sit quid grave, quisque habet jus ne alius de se temerariè judicet, ac proinde graviter læditur justitia, dum de altero temerariè ac contra rationem grave malum judicatur, præterquàm quòd sit contrà legem charitatis, *quod tibi non vis fieri, &c.* Id tamen à mortali excusatur, juxtà P. Urbanum & alios, si quis perfectè non advertat ad damni gravitatem, vel ad judicii temeritatem; item, secundùm Busenbaum, si ipsum judiciũ habeat magnã probabilitatem, etsi non omninò sufficientem ad certitudinem; quia moralis certitudo & magna probabilitas non adeò distant, ut censeatur esse magna injuria, judicare certum quod est valdè probabile. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Inst. disp.* 19. *num.* 213.

35. Varii Authores docent, probabiliter nullam suspicionem esse mortalem; sentientes idem à fortiori de dubitatione, utpotè minoris momenti quàm sit suspicio, cùm nullum secum trahat assensum positivum. Ita Urbanus N. *tract.* 3. *tit.* 3. *cap.* 2. *fol.* 427. post Cajetanum, Sylvestrum, Navarrum & alios, quos etiam sequitur Busenbaum. Probat Urbanus primò ex D. Thom. & August. qui ultimus *tract.* 90. *in Ioannem*, referente ipso D. Thomâ, sic loquitur: *Genus istud suspicionis ad humanam tentationem pertinet sine qua vita ista non ducitur*: Sanè Augustinus ista non diceret, si suspicionem aliquando mortalem esse existimaret; quis enim dixerit, inquit Urbanus, peccatum mortale ad humanam tentationem, id est fragilitatem, pertinerè, sinè qua vita nõ ducitur? Hoc námque esset dicere, nos non posse vitare mortale peccatũ quia homines sumus. Dum igitur D. Thomas dicit aliquem gradum suspicionis posse esse peccatum mortale, per eum intelligit judicium temerarium; nam gradum illum assignans ait, scil. *cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis.*

36. Probatur præterea ratione, quia cùm suspicio semper annexam habeat formidinem de opposito, nec consequenter per eam firmiter credatur alterum deliquisse, solùm leviter per eandem læditur alterius fama, quamvis suspicio sit de gravissimo crimine; vel maximè si consideretur id ad humanam tentationem pertinere: propter quod non videtur quis ob suspicionem de se habitam posse esse graviter invitus rationabiliter. Hæc ab opposito probat P. Urbanus hoc modo, nul-

nullus dicet eum esse in magna fama apud homines, de quo hi magnifica quidem cogitant, sed imperfecto solùm assensu, qualis est assensus debilis cum formidine de opposito, maximè si levibus indiciis nitatur: ergò, *&c.* à contrario. Hanc etiam sententiam docet Diana *p. 3. tract. 5. resol.* 31. citans alios plurimos.

37. Si dicas, qui de Beata Virgine solùm peccatum veniale suspicaretur, peccaret mortaliter; ergò, *&c.* Respondebunt, illud futurum solùm peccatum mortale hæreseos, non verò injustitiæ.

38. Verùm his omnibus non obstantibus, dicit Franciscus B. Spei *loc. cit. num.* 212. grave malum de probatissima persona temerè suspicari, se excusare non posse à mortali, ubi omnes communiter docent de persona honesta, pia, & sancta nonnulla venialia revelare, esse mortale: multum enim temeritas crescit ex tali circumstantia personæ. Quare dic S. Augustinum suprà loqui de suspicione ordinaria tantùm: & tu diligenter cave similem extraordinariam, quæ certè ad humanam tentationem nullatenus videtur pertinere, ut patet ex casu D. Virginis.

Petes an, dum quis dubitat de alieno facto, teneatur suum dubium in meliorem partem interpretari?

39. Resp. quòd sic, si hîc & nunc interpretari voluerit; quia cum id quisque sibi fieri vellet, debet idem circa alios facere: quare SS. PP. nos monent, ut dum opus non possumus, intentionem excusemus. Minimè tamen mortale erit, tunc omne judicium suspendere, ut patet ex statim dictis, & ex eo, quòd nemo teneatur sub gravi culpa, se periculo erroris exponere judicando esse falsum, quòd fortè est verum, ut alterum à parva infamia liberet, quæ sola per dubitationem incurritur.

40. Cæterùm nota, in praxi esse licitum, in rebus magni momenti ita se gerere ac si constaret, eos inter quos agitur esse malos, ut quis se & sua servet indemnia: expediet tamen tum hoc judicium formare, *Credo tales esse bonos, attamen nolo me vel mea periculo exponere.* Vide Franciscum suprà *num.* 218. ubi inter alia tradit modum, quo Superiores se gerere possunt, quando agitur de cavendo damno, & adhibendo remedio.

DVBIVM SEPTIMVM.

Quis teneatur ad restitutionem famæ.

41. DIco primò, omnis, qui per detractionem alterum infamavit, tenetur ex justitia famam restituere, & compensare omnia damna, quæ inde sunt secuta; quia horum omnium est causa injusta: unde non potest remitti ejus peccatum, nisi restituat sic ablata: atque hoc verum puto, sive per detractionem alteri falsum crimen sit impositum, sive, quod occultum erat,

sit propalatum. Nec video quomodo Sotus quoad hoc secundum velit, tunc detractorem non teneri ad totalem restitutionem damnorum, sed ad partialem dumtaxat juxtà prudentis arbitrium; cùm qui occultum crimen alterius, licèt verùm, sine causa aperit, peccet contra rigorosam justitiam, ac consequenter sit injusta causa tam infamiæ, quàm aliorum omnium damnorum inde sequentium: quo ergo titulo ab eorumdem restitutione totali excusabitur? Non nego interim, eum, qui per detractionẽ est causa ne alter consequatur beneficium vel officium, non obligari ad totum valorẽ beneficii vel officii restituendum, sed ad valorem ipsius spei de beneficio vel officio obtinendo: nam juxtà omnes plus valet bonum possessum, sive in re, quàm solum in spe: quòd si tamen quis per detractionem causa sit, cur alter beneficio vel officio obtento privetur, tenebitur ad totum valorem, quia restitutio debet fieri ad æqualitatem pro damno dato. Ita Lessius, Navar. Bassæus, & alii.

42. Dico secundò, probabilius etiam ad restitutionem famæ tenetur, qui alterum infamavit infamatione objectivè injustâ, licet id fecerit bonâ fide & absque peccato, ut v. g. quia narravit alterius delictum putatum verum & publicum, quod tamen ita non erat. Ratio est, quia ubi talis cognoverit infamationem alterius objectivè injustam esse secutam ex sua narratione, séque esse quasi injustum retentorem alienæ famæ, quamdiu relinquit pravã opinionem à se in mentibus aliorum generatam, tenetur eam vero domino restituere, cùm hic ad eam habeat strictum jus. Quod ulterius probatur à simili ex eo, quòd quis rem alterius apud se reperiens, teneatur eam restituere, licèt penes ipsum sit per acceptionem solùm objectivè injustam. Ita Lessius, Bassæus, & Urbanus; qui tamen benè ponunt discrimen inter eum, qui læsit alterius famam per infamationem formaliter injustam, & alterum jam dictum; primò, quòd hic non teneatur ex justitia ad restitutionem famæ cum notabili detrimento famæ propriæ; cum enim non peccarit, saltèm mortaliter, non potest tam graviter obligari, ut ex supradictis patet. Secundò etiam non tenetur compensare detrimenta, quæ alteri ex sua infamatione objectivè tantùm injusta sunt secuta, ob eandem rationem: tenetur tamen ex justitia impedire futura, si possit sine gravi suo incommodo; sicut quis ex justitia, juxtà omnes, tenetur extinguere scintillam, quam sine advertentia cadere permisit, si prævideat vel timeat inde secuturum incendium; aliàs enim censeretur cum advertentia de novo ponere talem actionem: quæ advertentia si ab initio adfuisset, ab initio ad restitutionem obligatus fuisset: si ergò post moram culpabilem ex jam dicta sua infamatione sequatur damnum, obligatur ex justitia hoc compensare, quia ab eo tempore, quo scivit alterum à se esse infamatum & in mora est, formaliter injustè retinet ulteriùs famam.

43. Contrà nos hîc sentit P. Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 19. num.* 190. qui non vult, prædictum ad ullam restitutionem teneri ex justitia; quia non retinet famam alterius: dicere autem,

nunc

nunc esse injustam acceptionem, inquit, licèt à principio non fuerit, quam impedire potest, nihil refert; quia cùm injusta illa acceptio, seu potiùs materialis damnificatio, citrà culpam inceperit, quasi casualiter perseverare censetur ex causa, quæ in bona fide est posita, & in eadem desiit. Ita ille etiam probabiliter

Petes primò, an obligatio restituendi famam transeat ad hæredes infamantis?

44. Resp. negativè; quia hæredes solùm succedunt in bonis fortunæ: ac obligatio restituendi famam respicit nudam personam infamatoris. Si tamen ex injusta alicujus infamatione alter passus sit damnum temporale, deficiente infamatore, tenentur ejus hæredes dictum damnum compensare; quia hæc obligatio afficit etiam bona infamatoris, in quibus verè succedunt hæredes. Item ab opposito, si quis detraxit patri-familias v. g. atque inde damnificentur filii vel hæredes, tenentur infamator etiam ad horum damnorum restitutionem, quia & horum est injusta causa.

Petes secundò, an à restitutione famæ liber sit, qui, postquam aliquem in certa materia infamavit dicendo v. g. eum esse ebriosum, conciliat ei famam in materia alia dicendo v. g. eum esse castum?

45. Resp. cum P. Urbano post Navarrum, quòd non: quia restitutio facienda ob illatum damnum debet esse damni illati compensatio, undè debet restitui res ablata, vel saltèm æquivalens; solæ enim res æquivalentes possunt pro se invicem commutari; fama verò in una materia non est æquivalens, nec proinde commutari potest cum fama in alia materia. Neque infamatus in tali casu perinde se habet ac si nullum damnum in fama passus esset, ut per se est manifestum. Addo tamen, juxtà statim dicenda, hoc sufficere, & omninò expedire, dum in eadem materia fama restitui nequit.

DVBIVM OCTAVVM.

De modo restituendi famam.

46. Dico primò, qui abstulit alterius famam narrando crimen falsum pro vero, tenetur dicere se errâsse: quod si non sufficiat, mentitum se esse: & si nec sic possit ablatam famam restituere, debet idipsum jurare. Ita Cajetan. Sylvius, Navar. Tannerus, & alii, quos citat & sequitur Diana *part. 3. tract. 5. resol. 29.* Imò juxtà Molinam, Cruz, Sotum & Salonium, tenetur adhibere sui mendacii testes si opus fuerit: quia talis tenetur efficaciter revocare dictum suum. Hoc ultimum tamen non admittit P. Franciscus.

47. Dico secundò, qui alterum infamavit verum crimen occultum injustè propalando, obligatur dicere, se errasse, aut malè dixisse; verè enim errat & malè dicit omnis, qui ore peccat: non tenetur tamen, imò nec potest dicere,

se esse mentitum; quia & hoc ipsum dicendo mentiretur, quidquid multi velint similem à mendacio excusari posse per restrictionem mentalem, de qua nos infrà, & P. Franciscus aliundè eum adhuc verum dicere asserat, quia falsum dixit falsitate publicâ, sive attendendo ad id, quod publicè notum est.

48. Verùm quidquid has duas resolutiones communiter omnes sustineant, Urbanus *tr.3.tit.7.c.3.fol.564.* consultius putat, quemcumque infamatorem loqui magnificè de infamato ubi se offert occasio in aliqua alia materia coràm iis, qui infamationem audierunt; quia, inquit, calliditas hominum eò jam devenit, ut suspicentur prædictas retractationes fieri eo solùm fine, ut restituatur fama ablata, de cætero credentes firmiter id, per quod fama ablata est, ita se habere. Ita ille. Quod in certis circumstantiis verum puto. Interim debet infamator semper paratus esse, si alii petant, quomodo nunc tam bene loquatur de illo, de quo anteà crimen revelaverat, dicere, ab eo tempore comperisse se errasse, fuisse deceptum, *&c.* atque ita minus occasionis habebunt auditores suspicandi id merè fieri ad restitutionem famæ, ut idem Urbanus rectè notavit.

49. Insuper Diana *loc. cit. resol.* 30. vult absolutè sufficere, si aliquis alterum à se infamatum in una materia occultum ejus crimen injustè propalando, in alia materia laudet: quia in praxi, ait, pœnitentes difficulter famam restituunt asserendo se perperam locutos, vel injuriam fecisse, vel fuisse deceptos, vel se dixisse falsum, *&c.* Séd nos contrarium statim resolvimus: & nunquid in praxi difficulter pœnitentes restituunt rem furtivam magni pretii bonâ fide emptam? Omninò, & quidem majori cum fundamento, nam nullam commiserunt culpam, ubi isti peccarunt mortaliter: non ideò tamen excusantur. Intereà subdit Dian. *part. 11. tract. 6. res.* 57. postquam citasset pro se Cajetan. Sotum, Lessium, Valent. Sylvium, & alios plures; notent hæc Confessarii, quia nullum faciliorem modum pro pœnitentibus reperient, & ego scio quàm difficùlter pœnitentes famam restituant, & in quantis tricis se involvant, quando aliis modis volunt famam restituere. Ita ille: quod in praxi tutum erit in casu, quo vir magnæ famæ alterum infamavit, qui si sibi timeat valdè magnam infamiam, non tenebitur revocare suum dictum, vel dicere se mentitum esse, etiamsi alterum infamasset falsum crimen imponendo, nisi fortè infamatus ejusdē, vel majoris dignitatis, valdè magnam infamiam per hoc incurrisset: pro quo ex N. Francisco hanc regulam generalem pone omnibus restitutionibus communem, quæ fiunt ratione injustæ acceptionis: *Tenetur damnificator restituere cum æquali damnō: non tamen cùm notabiliter majori*; v.g. unum aureum cum jactura decem aureorum. Vide illum *de Iure & Iust. disp.* 19. *n.* 202. *&* 203.

Petes primò, an qui aliquem infamavit apud eos, qui insuper eundem infamarunt apud alios, auditum crimen referendo, teneatur ejus famam apud omnes restituere?

50. Res

50. Resp. cum distinctione: affirmativè nempe, si infamator sciverit aut suspicatus fuerit, eos idem crimen aliis revelaturos; tunc enim per suam injustam infamationem censetur efficax causa infamiæ apud omnes contractæ, negativè verò, si alter crediderit eos fore taciturnos; quia tunc ulterior infamatio est casualis, ac merè per accidens censetur prior narrans esse causa illius. Ita Villal, Bassæus Urbanus, & alii communiùs: quidquid tamen Faber, pro se citans Alensem apud Dianam *part. 3. tract. 5. resol.* 34. sinè ulla distinctione negativè respondeat, imò contrarium dicat esse irrationabile; nam cum verba ex ore prolata in infinitum crescant, impossibile est infamatorem posse se retractare apud omnes, ad quos talis infamatio perveniet. Ita ille: cui tamen responderi potest, illum teneri se retractare apud eos omnes, apud quos, moraliter loquendo, potest: cum enim fama sit divisibilis, non minus quàm bona temporalia, tenetur infamator injustus totam infamiam tollere, cujus efficax causa extitit; ac si hoc non possit, tenetur eam imminuere quantum potest, prout omnes tradunt de damnificante injustè in bonis temporalibus.

Petes secundò, quomodo teneatur famam restituere qui eam alteri abstulit per libellum famosum, aut signum externum publicum, quale v. g. est apponere cornua ad alterius januam?

51. Resp. similem obligari ad restitutionem publicam, præconis voce, vel scripto; quia aliter tolli non potest gravis alterius infamia, cujus ipse est causa efficax. Hoc est gravissimum peccatum in hoc genere: propter quod incurritur pœna capitis in foro civili, & in foro spirituali excommunicatio.

Petes tertiò ad quid teneatur is, qui ex susurratione de altero malè locutus est?

52. Resp. inprimis eum teneri ad restitutionem famæ & damnorum temporalium, si quæ sint secuta, ut patet ex dictis. Deinde debet allaborare, ut amicitia aut charitas fracta inter alios de novo resumatur: cui tamen per prius videtur sufficienter satisfieri, nam si in corde alterius odium remaneat, postquam jam cognoscit causam ejusdem falsò, vel saltem injustè sibi à detractore datam fuisse, id censetur ex ejus malitia fieri.

DVBIVM NONVM.

Quænam excusent à restitutione famæ.

53. Dico, causæ à restitutione famæ excusantes communiter assignantur octo: prima, condonatio infamati; nisi forè per hujus infamiam

etiam alii sint passi infamiam: tunc enim adhuc his teneretur famam restituere, & si hoc fieri nequeat nisi ipsum principaliter infamatum famæ pristinæ restituendo, id facere debet non obstante hujus condonatione. Sic, licèt Religiosus injustè infamatus infamatori condonet obligationem restituendæ famæ sibi ablatæ, adhuc tenetur alter ei famam restituere, quia illius infamia redundat in monasterium vel Ordinem, cujus juri ipse cedere non potest, nec aliter potest fama monasterio restitui, nisi dictus Religiosus pristinæ famæ restituatur.

54. Secunda causa est, quando fama ablata restitui nequit nisi cum periculo amittendi bonum longè majus; quod fit, dum quis non potest alteri famam restituere sinè jactura famæ propriæ longè majoris momenti, aut sinè periculo vitæ; quia tum infamatus non potest in hoc esse rationabiliter invitus: & juxtà Cajet. Cordub. Tanner. Malder. Sylvest. Franc. B. Spei, & alios apud Dianam *p.3.* supra, generaliter bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento boni ordinis superioris; quidquid tamen P. Urbanus, secutus Lessium, Sotum, & alios, dicat, probabilius esse oppositum in casu valde particulari, quando videl. juxta prudentem æstimationem damnum boni superioris ob exiguam quantitatem leve censetur comparaparatum cum damno boni ordinis inferioris in maxima quantitate amissi: sic v. g. tenetur fur magnam summam pecuniarum ablatam restituere, licèt indè timeat parvam infamiam: aliàs enim nunquam ferè quis obligaretur ad restitutionem bonorum temporalium. Ita P. Urbanus, quamvis contra Sotum judicet probabilius esse, nunquam famam etiam summam injustè ablatam restituendam esse cum periculo vitæ: quia adhuc semper hæc pluris æstimatur.

55. Cæterum, in casu quo fama restitui non potest, non tenetur eam infamator pecuniâ compensare, saltem probabilius: quia, dum fama in se restitui nequit, censetur impossibile auferre damnum per detractionem illatum. Nec dicas pecuniam esse mensuram rerum omnium, nam est tantùm mensura rerum venalium, qualis non est fama. Ita idem Urbanus cum communi. Adverte tamen Dianam *loc. sæpè cit.* docere, quia sententia in hoc nobis contraria etiam est probabilis, consequenter etiam probabile esse, posse infamatum sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si hîc aliâ viâ satisfacere nolit, aut non possit. Verùm non video, quomodo hîc taxari posset quantitas debiti pecuniarii, ex quo fieret talis satisfactio.

56. Tertia ratio à restitutione famæ excusans, est justa compensatio. Sic v.g. quamvis infamando alterum, qui te infamavit, pecces, non teneris tamen ad restituendam ejus famam, nisi & ipse vicissim tibi restituat tuam, vel nisi tu ipsum plus infamaveris. Ita Sylvius, Malderus, Diana, Bassæus, & alii satis communiter: licèt Urbanus judicet probabilius oppositum post Cajetanum; cujus ratio est, quia te non-restituente alterius famam, nihil tibi famæ accrescit,

crescit, nec quidquam decrescit infamiæ.

57. Quarta causa est, quando crimen à te injustè detectum, alia via est factum publicum; tunc enim infamatus amisit jus ad famam.

58. Quinta dum prudenter judicatur, infamiam illatam jam esse traditam oblivioni.

59. Sexta quando ex narratione, licèt aliàs injusta, nulla est secuta infamia, vel quia narranti non adhibetur fides, vel quia id quod narratur, erat audientibus notum.

60. Septima causa excusans est, dum restitutio famæ est prorsus impossibilis.

61. Octava deniquè ab aliquibus causa additur, quando aliquis est justè infamatus: verùm in hoc casu nulla absolutè loquendo adest obligatio. Vide circa hæc Dianam *p. 11. tract.6. resol.57.*

DISPVTATIO VII.

De injuriis circa bona fortunæ.

DVBIVM I.

De furto & rapina.

1. DIco primò, furtum est ablatio alieni domino rationabiliter invito: ubi per alienum intelligitur omne illud, quod ad alterum ut dominum spectat, vel quod est in alterius potestate, ut est v.g. res deposita, commodata, locata, &c. Dicitur *domino rationabiliter invito*, quia aliàs non est furtum, ut v.g. dum alteri aufertur quod suum erat, per justam sententiam judicis, in extrema necessitate, &c. Adverte tamen cum P. Urbano *tract.3. tit.8. cap.1. fol.576.* domiminum posse dupliciter esse invitum, scil. quoad rem quæ accipitur, & quoad modum accipiendi: sic enim filius sæpè accipit aliquid à patre invito, non quòd pater nolit filium tale quid accipere, sed quia non vult quòd occultè vel patre inscio accipiat: quo casu nullum committitur furtum, quia talis acceptio plùs dicenda est fieri patre inscio, quàm patre invito. Atque hinc multæ similes acceptiones domesticæ excusari possunt, dum præ verecundia tolluntur res occultè, non tamen invitis simpliciter dominis. Ita P. Urbanus. Verùm in hoc minimè puto laxandas esse habenas filiis familias, &c. propter facilem excessum, qui in hoc fieri potest: præterquam quòd tales acceptiones, etiam secundùm ipsum Urbanum, semper sint peccata venialia propter modum surripiendi; puta si nulla urgeat necessitas.

2. Dico

2. Dico secundò, rapina est alieni per violentiam ablatio, domino rationabiliter invito: quæ definitio claret ex data explicatione definitionis furti.

Furtum & rapina diversæ sunt speciei juxta diversitatem objectorum: si enim divertatur bonum Reip. dicitur peculatus: si surripiatur pecus à grege disperso, dicitur abigiatus: si quis abducat alienum servum, vocatur plagium: si denique auferatur res sacra, vel etiam profana de loco sacro, dicitur sacrilegium. Ad hoc ultimum tamen requiritur, ut res profana sit sub immunitate loci sacri seu ecclesiasticâ, vel quia v.g. est deputata in servitium templi, vel ad templum dilata, ut sit sub dicta immunitate: aliàs enim qui crumenam acciperet ex sacco alicujus in templo existentis, non ideo committeret sacrilegium. Quomodo etiam fieri possit, ut in bello res, quæ sunt sub immunitate Ecclesiæ, in certo casu capi possint sinè sacrilegio? dictum est suprà ubi egimus de bello.

3. Dico tertiò, furtum & rapina sunt ex genere suo peccata mortalia; crescunt enim ad mortale solâ adauctâ materiâ absque alia circumstantia, ut patet ex Scriptura *Corinth.6.* ubi dicitur, fures regnum Dei non possessuros. Rapina interim est peccatum gravius furto, quia fit magis invito domino; & constat à pari ex dictis de contumelia.

4. Petes, quæ quantitas materiæ requiratur ad constituendum peccatum mortale? Relictis opinionibus aliorum, quæ, teste Dianâ *part.2. tract. 3.resol.57.* sunt tot, quot sunt Doctores; Respondeo cum distinctione: furari ex bonis Regis aut alterius valde divitis unum aureum id est tres florenos, est peccatum mortale: à vivente suis reditibus quatuor vel quinque regales, id est viginti vel viginti quinque stuferos: ab artifice duos aut tres regales: à mendico verò unum regalem.

5. Probatur primum, quia quamvis fortè Rex parvi facere videatur aureum unum vel alterum; hi tamen ipsi sufficiunt pro justo stipendio militis vel famuli ad aliquot dies: præterquam quòd aureus sit simpliciter quantitas in se verè notabilis. Quare puto cum P. Urbano, esse omnino intollerabile & perniciosum, quòd quidam voluerunt; nimirum furtum etiam centum aureorum non sufficere ad mortale, si non sequatur inde grave damnum.

6. Probatur secundum, quia quatuor regales, respectu viventis suis reditibus, censentur summa notabilis, cum ei sufficiant ad victum & alias expensas diurnas: idem dic de tertio & quarto.

7. Adverte tamen in prædicta summa determinanda, non solùm debere attendi ad valorem rei secundùm se spectatæ, sed etiam, & maximè ad utilitatem quam domino adfert, vel ad damnum quod ejus ablatio ipsi creat: sic namque potest quis mortaliter peccare auferendo acum à sartore, non quidem in materia furti simpliciter, cùm non auferat rem notabilem, sed contra justitiam in quantum per injustam suam actionem infert alteri grave damnum. Vide circa hæc

Franc.

Franc. Bonæ Spei *de Iure & Iust. disp.* 19. *num.* 222. Cæterum plus requiritur ad quantitatem notabilem in rebus, quæ ultrò proveniunt, & difficilius custodiuntur (eò quòd v. g. transeuntibus sint expositæ :) quod ipsum ita extendit P. Urbanus, ut dicat, non fore peccatum mortale, accipere castaneas, nuces, &c. ex arbore in tanta quantitate, quæ in foro æstimaretur quinquaginta stuferis : quod tamen negat locum habere in rebus, quæ magno labore & industria nascuntur, ut sunt uvæ & fruges : licèt interim quantitas ad mortale sufficiens, dum tales res sunt collocatæ domi, non sufficiat, dum adhuc sunt in campo.

DVBIVM SECVNDVM.

De furtis minutis.

8. DIco primò, qui per furta minuta intendit ditescere vel alienum acquirere in quantitate notabili, peccat mortaliter, etiam dum furatur primum assem : quod verum est sive ab eodem, sive à diversis id facere intendat ; quia sicut in primo intendit inferre damnum homini privato, sic in secundo communitati sive Reip. idem inferre intendit, quod sufficit ; nam verè taliter infertur damnum simpliciter & secundùm se grave. Ita omnes communiter : nec videtur sinè errore contrarium posse sustineri, cùm idipsum tanquam grave peccatum Scriptura damnet *Deuteron.* 25. & *Proverb.* 11. ubi dicitur : *Statera dolosa abominatio est apud Deum.*

9. Dico secundò, qui levia paulatim furando non intendit acquirere alienum in quantitate notabili, peccat solùm mortaliter, ubi cognoverit minutim accepta crescere ad notabilem quantitatem ; licèt Franc. B. Spei *sua Noctua dub.* 16. in fine, *de Iure & Iust. disp.* 19. *num.* 224. & alibi, juxta sententiam probabiliorem, velit, talem peccare mortaliter capiendo ultimam materiam parvam cum præcedentibus complentem materiam gravem ; quia omnes acceptiones unam moralem, perseverantem moraliter, relinquunt, ad eum modum, quo peccata moraliter perseverant : adhuc puto probabiliter, eum solùm peccare mortaliter peccato injustæ retentionis, eò quòd non videantur diversæ acceptiones, quæ diversis temporibus & non una intentione fiunt, rectè posse in unam coalescere. Aliàs enim diversæ detractiones in parva materia factæ, mediãte longo intervallo tẽporis, sive de eodem, sive de diversis personis, etiam unam detractionẽ moralẽ, perseverantẽ moraliter, relinquerent, ad eũ modum, quo peccata moraliter perseverant : quod dicere, est ferè omnes homines peccati mortalis arguere, ut consideranti patebit. Insuper ab hoc quoque peccato injustæ retentionis mortali videtur quis excusari posse, si firmiter statuat priora furta restituere,

antequam dictam ultimam levem materiam capiat: quia tunc nulli, etiam in communi, intendit grave damnum inferre, nec de facto infert. Imò quamvis quis præcedentia restituere non intendat, juxta quosdam adhuc poterit à mortali excusari, qui similiter à diversis parum surripit propter necessitatem alendi suam familiam, quam aliter ægrè alere posset; tunc enim damnificati non censentur graviter inviti. Ita plures: quia tamen per hoc via aperitur occultis furtis, hanc necessitatem non facilè approbet Confessarius, nisi eam verè adesse constet, eaque valdè gravis sit.

10. Dico tertiò, qui cognoscit se per furta minuta possidere alienum in quantitate notabili, v.g. in valore viginti quinque assium (hîc enim major quantitas requiritur, quam dum tota quantitas simul surripitur) non tenetur sub mortali ad restitutionem, nisi in quantum necessarium est, ut materia decrescat infrà quantitatem materiæ gravis: quia sicuti non peccat mortaliter, qui v.g. primò octodecim asses aufert, ita nec ille, qui ex viginti simul ablatis, duobus restitutis, solùm octodecim retinet; vel qui ex viginti quinque per parva furta ablatis, restitutis quinque, tantùm retinet viginti. Debet autem dicta restitutio, per se loquendo, fieri proprietariis, sive iis, à quibus quis est furatus: quia tamen hoc est valde difficile, & plerumque moraliter impossibile iis, qui per stateram dolosam, per ulnam breviorem, &c. à plurimis parum quid sunt furati, communiter hi satisfacient restituendo pauperibus; vel pro causis piis.

Cæterùm sicut statim diximus, ad mortale ex furtis minutis requiri majorem quantitatem, quàm si simul & semel quis eam auferret: similiter plus requiritur, si plura à diversis, quàm ab uno & eodem diversis vicibus auferantur; nec non, si plura ab eodem post longa intervalla temporis, quàm in dies aut alternis diebus accipiantur: quia in uno est dominus magis rationabiliter invitus quàm in alio. Hæc DD. communiter: quibus tamen contradicit P. Franc. B. Spei *loc. antea sapè cit. num.* 225.

11. Insuper Navarra *in manuali cap.* 17. *num.* 139. docet, eum, qui magnis intervallis dictam notabilem quantitatem conflaret, ut v.g. aliquot diebus unius mensis aliquot furta parva committendo, & post alium vel alios menses totidem, & post aliquot alios iterum totidem, &c. ita ut in fine trium vel quatuor annorum conflarent summam, etiam duplo majorem, quàm sit illa, quæ semel accepta peccatum mortale induceret; docet, inquam, eum adhuc non teneri ad restitutionem sub mortali, ratione illâ firmâ, ut ait, quòd cæteris paribus magis peccet qui capit, quàm qui retinet, & quòd qui capit illa parva sine intentione perveniendi ad quantitatem notabilem, non peccet plus quàm venialiter; ergo nec retinendo illa. Ia ille. Verùm ratio illa mihi videtur valde infirma, primò, quia acceptiones illæ non conflant moraliter unam acceptionem, benè retentiones, quæ tam diu perseverant, quamdiu singula furta parva non restituuntur: secundò, licèt in dicto casu accipiens non intendat

intendat furari rem notabilem, tamen dum per similia minuta furta se cognoscit pervenisse ad notabilem quantitatem, & non restituit, intendit rem alienam retinere in quantitate notabili simul & semel. Poterit interim talis accipiens adhuc à mortali peccato injustæ retentionis excusari, & consequenter ab onere restitutionis faciendæ sub mortali, si per ignorantiam inculpabilem non advertat, se retinere rem alienam in quantitate notabili.

12. Dico quartò, qui parum furatur ab eo, à quo plures alii similiter furantur, peccat mortaliter, si consilio, auxilio, exemplo, pacto, &c. sit causa dicti furti in aliis. Ita omnes: quia ut sic, est causa totius damni. Puto tamen verius, eum non peccare, nisi venialiter, si nullo ex dictis modis in causa sit, cur alii ab eodem furentur, licèt cognoscat aut videat alios sic furantes. Ita apud Dianam *part.2.tract.3. resol.42.* docent Tannerus, Lessius, Salas, Malderus & Sanchez: quibus addo Urbanum *tract.3. tit.8. cap.1. fol.581.* & Busenbaum: ac quamvis dicat Diana, oppositam sententiam communiter à DD. tradi, nostram tamen etiam esse probabilem affirmat, addens, hunc casum frequenter accidere, maximè inter servos nobilium. Probo igitur cum Urbano post alios; quia talis ex se parum damni infert alteri, nec est causa, cur alii eidem damnum aliquod inferant: ergo tantùm leviter peccat. Nec refert, quòd cooperetur damno gravi, vel etiam, quòd causa sit cur damnum, quod fortè notabile non fuisset, fiat notabile: quia solùm cooperatur gravi damno in parva quantitate, nec est per se & simpliciter loquendo, nisi parvi damni causa: estque merè per accidens, quòd per suum furtum parvum compleatur materia ab omnibus simul ablata in esse materiæ & damni gravis: neque ullo modo potest ideo augeri malitia parvi furti, quod hic committit, ad constituendam culpam mortalem; quia aliàs, ut bene notat Urbanus, qui acciperet unum assem ab eo, à quo sciret alium novemdecim accepisse, plus peccaret quam ille alius, quod omnino videtur rationi repugnans.

Petes primò, an saltem non peccet mortaliter, qui parum furatur ab eo, à quo antea multum est furatus?

13. Resp. talem probabiliter peccare mortaliter in quolibet minuto furto subsequente: quia per quodlibet novum furtum & advertentiam ad priora furta, absque voluntate ea restituendi, censetur implicitè renovare intentionem retinendi alienum in notabili quantitate. Ita Rebellius, Bonacina, & Sanchez apud Dianam *p.2. tract. 3. resol. 43.* Verùm puto cum eodem Diana, etiam probabilem esse oppositam sententiam Lessii, Salas & & Filliucii: ratio est, quia quodlibet furtum minutum in casu dato, non consummat quantitatem notabilem, sed ipsam jam consummatam auget dumtaxat in re parva. Ita illi. Deinde, licèt consummaret quantitatem notabilem, quia tamen nequidem moraliter coalescit cum aliis minutis furtis præcedentibus, adhuc non esset peccatum mortale acceptionis, ut antè insinuavimus. Manet interim certum, primò, voluntatem retinendi

ſimul hæc parva furta cum aliis, eſſe peccatum mortale, quod fit continuò majus & majus ſecundùm quod plus & plus retinetur. Secundò etiam certum eſt, illa nova furta conficere novum peccatum mortale injuſtæ retentionis, quando de novo, ſeparata à cætera quantitate, perveniunt ad notabilem quantitatem, quod alter advertens, non proponit reſtituere.

Petes ſecundò, an ſartores ſæpè furando fragmenta, quæ ſuperſunt, peccent mortaliter?

14. Reſp. affirmativè, dum ſcil. valor eorum aſcendit ad materiam gravem: non enim eſt ulla ratio, cur ea ſibi retineant, cùm aliunde recipiant pretium juſtum pro confectione veſtium. Ita Vilal. apud Dian. *part. 4. tract. 4. reſol. 176.* Ob oppoſitam tamen rationem Thomas Sanchez ſuſtinet oppoſitum, idque etiamſi fragmenta ſint magni valoris. Quia, inquit, illis communiter minus ſolvitur quàm fracturæ mereantur, prout mihi dixerunt multi ex timoratis & rectæ conſcientiæ, unde ſibi compenſant & ſatisfaciunt his, quæ ſuperſunt. Ita ille apud Dianam citatum; qui, licèt hoc ipſi minus placeat, dicit tamen, ſe non damnaturum ſartores aut Confeſſarios, qui opinionem Sanchez ſequuntur. Verùm ego judico eos revera damnandos eſſe, ſaltem dum fragmenta ſunt alicujus valoris. Quod addo, quia poſſunt retinere illa, quæ moraliter loquendo, à dominis ſponte derelicta habentur, vel quia parvi ſunt valoris, vel quia ipſis non ſervirent reſtituta; ut loquitur Franciſcus B. Spei *de Iure & Iuſtit. diſp. 13. numer. 25.*

DVBIVM TERTIVM.

De furtis uxorum, filiorum, & famulorum.

15. DIco primò, uxor mortaliter peccat & tenetur ad reſtitutionem, dum rem notabilem expendit, invito marito, ſi hic erat rei illius dominus vel adminiſtrator. Probatur, quia ut ſic alienat id, cujus dominium vel uſusfructus ad alterum ſpectat: non peccat tamen expendendo ex bonis familiæ juxta proprium ſtatum & qualitatem, quantum videl. cæteræ ſuæ conditionis expendere ſolent. Item licèt quid ultra expendat cùm interpretativa licentia mariti: ſi id faciat, ut ſuccurrat proximo extremè aut valde graviter indigenti, vel etiam in neceſſitate levi parentibus, aut fratribus, pro quo vide dicta *tract. 3. diſp. 3. num. 20.* Nec non expendendo neceſſaria pro victu, veſtitu aut ſanitate ſua aut familiæ: inſuper ſi id faciat ad impediendum temporale vel ſpirituale malum mariti, quod aliter averti non poteſt. Nec denique peccabit, ſi expendat ea, quorum habet adminiſtrationem liberam, ut ſunt bona paraphernalia, niſi fortè in his ſit prodiga. Imò juxta plures ſi maritus ſit prodigus aut effuſus in ludos & poculæ

pocula, potest uxor, absque mortali, aliqua sibi arripere, minimè tamen pari modo dilapidare, quamvis cuipiam videri posset, nec tunc fortè eam peccare contrà jus mariti, eò quòd per suam prodigalitatem videatur hic jus amittere quod habet, ne uxor inutiliter res familiæ expendat. An verò, & quales possit uxor facere eleëmosynas, alibi diximus. Cæterùm restitutio ab uxore, dum fieri debet, facienda est ex bonis, quorum administratio ad ipsam pertinet: ac si nulla habeat talia, tenetur damnum mariti compensare per laborem & industriam extraordinariam.

13. Dico secundò, filiusfamilias furatur & tenetur ad restitutionem, si accipiat ea, quorum dominium vel administratio ad patrem & matrem spectat, iis rationabiliter invitis. Patet ex dictis. Non furatur tamen accipiendo & expendendo bona castrensia, vel quasi castrensia, quia horum habet liberam administrationem. Neque peccat mortaliter peccato furti, expendendo certam summam in ludos, eleëmosynas, honestam recreationem; imò etiam luxuriosam (ut loquitur Bassæus) si in iis non excedat status sui conditionem: quia in his non censetur parens rationabiliter graviter invitus, nisi fortè quoad modum expendendi, non verò quoad rem, quæ à filio expenditur. In aliis etiam casibus semper major quantitas requiritur ad constituendum peccatum furti mortale in filio, quàm in extraneo; quamvis in ea assignanda minimè DD. conveniant. Lugo in filio Principis requirit quinquaginta aureos; Lessius quatuor vel quinque, si pater sit prædives. Verùm malo ego eam prudentis judicio determinandam relinquere, inspectis conditionibus status, ætatis, personarum, locorum, temporum, amoris etiam patris, ac indulgentiæ in filium; nam juxtà horum omnium considerationem censetur pater plus minúsve invitus circa substantiam & quantitatem, quam filius surripuit, & ipso inscio expendit. Quicumque autem filius à patre rem notabilem omnibus dictis consideratis furatus est, tenetur eam restituere, si apud se adhuc existet; sin minùs, debet satisfacere ex suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus; quæ si non habeat, tenetur compensare fratribus in bonorum communium divisione, nisi & ipsi fortè similiter acceperint, vel ei pater condonaverit, aut ipse patri aut familiæ præstiterit obsequia præ cæteris fratribus digna. Ita omnes DD. communiter. Filio à patre furanti assimilatur is, qui ea, quæ à patre dantur pro studio, ludendo & potitando dilapidat, ut benè notat Burghaber *centur.* 2. *casu* 36. quia pater non tantùm quoad absumendi modum, sed quoad rem ipsam etiam tunc invitus est.

17. Dico tertiò, furatur famulus auferens aliquid à Domino invito: unde peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si res sit notabilis. Vix tamen furta poculentorum & esculentorum esse mortalia in famulo, etiamsi adsit notabilis quantitas, docent P. Urban. *tract.* 3. *tit.* 8. *cap.* 1. *fol.* 580. & Bassæus verbo *Furtum*; modò tamen ea in usum & comestionem

ſuam conſumat; ſi enim ea conſumeret in uſu, cui Dominus nullatenùs conſenſurus cenſetur, ut in extraordinariis compotationibus aut ludis, facilè mortaliter delinqueret, ſicut & ſi ea daret & venderet extraneis. Ratio utriuſque partis eſt, quòd in primo non cenſeatur Dominus eſſe graviter invitus, niſi quoad modum accipiendi: in ſecundo verò eſt etiam invitus quoad rem ſive ſubſtantiam, quæ aufertur. Ita illi: bene tamen primum reſtrinxerat idem Urbanus parum ante *in reſol. 4. ad quæſt. 2.* niſi cibi, quos famuli capiunt, etiam ad comedendum, ſint adhuc integri; quia & tunc cenſetur Dominus graviter invitus quoad ſubſtantiam: quod idem ego etiam reſtringo, niſi potus, qui ſurripitur à famulo etiam ad bibendum, ſit valdè rarus, ob eandem rationem. Circa hæc interim & omnia alia ad mortale in famulo major requiritur quantitas quàm in extraneo, quæ prudentis judicio determinanda relinquitur, attentis circumſtantiis & conditionibus, ut ſuprà.

DVBIVM QVARTVM.

De compenſatione occulta.

18. Dico, licita eſt occulta compenſatio, poſitis certis conditionibus à DD. communiter requiſitis: quarum prima eſt, ſi debitum ſit liquidum, id eſt, moraliter certum. Secunda, ſi non plus accipiatur, quàm alter ex juſtitia debeat. Tertia, ſi debitum ſit actu, ſive ſi ſit hoc tempore ſolvendum, vel ſaltèm deſit ſpes tempore ſtatuto illud obtinendi. Quarta, ſi præcaveatur, ne idem debitum poſtea ſibi vel ſucceſſoribus iterum ſolvatur, quod fiet ſufficienter monendo alterum, ſibi nihil ampliùs deberi; vel potiùs in libro annotando, ſibi quoad hoc debitum eſſe plenè ſatisfactum. Quinta conditio eſt, ſi commodè rem tuam aliâ viâ recuperare non valeas; aliàs enim peccares contra juſtitiam legalem, inquantum uſurpares officium judicis. Hanc tamen conditionem non putat neceſſariam Diana *part. 2. tract. 2. reſol. 46.* cum aliis; quia quando ex compenſatione occulta nec adeſt periculum ſcandali, nec turbationis Reip. non invaditur munus judicis, qui ſolùm conſtitutus eſt ad publicam pacem tuendam. Pro quinta ergò conditione meliùs putarem tantùm poni, ſi debiti ſolutionem vel rei tuæ reſtitutionem à debitore petendo probabiliùs nihil efficies. Quibus adde, in compenſatione non poſſe vim adhiberi, ni fortè Reſp. ita perturbata foret, ut nequiret quis ſuum per judicem obtinere. His igitur conditionibus poſitis, licitum eſt occultè compenſationem ſibi procurare; illicitum tamen, ſi vel unica ex illis deficiat: pro quibus vide

Franc.

Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 19 n. 227. & seq.*

19. Colliges primò, famulum licitè uti occultâ compensatione, si dignum à Domino stipendium non recipiat: quod verum esse sustinet Pourrè, quamvis ob paupertatem coactus fuerit pacisci pro injusto & omninò inæquali stipendio, quod etiam extendit ad operarium. Ratio ipsius est, quia in tali casu tam quoad famulum, quàm operarium, adsunt omnes conditiones suprà positæ. Limitat hoc Bassæus, nisi inter servum & Dominum de parvo pretio conventum sit ea mente Domini, ut servitio diligenter præstito sit suppleturus, vel nisi famulus spontè Domino inserviat parvo pretio sub spe acquirendi mercedem, ut v. g. officium ab eo impetrandi, sine ullo pacto aut intentione Dominum ad majus pretium obligandi. Verùm ego absolutè judico, famulum debere esse contentum cum stipendio, de quo conventum est, ne aliàs occultis furtis porta aperiatur, prout etiam docet Burghaber *centur. 2. casu 76.* excipiens solum casum, in quo famulus aliis rebus occupatur à Domino, quàm ab initio fuerat conventum. Sed nec tunc, inquit, potest uti compensatione occulta, si debitam mercedem pro illo excessu sui servitii amicabili petitione, aut per Judicem facilè obtinere sine suo damno potest. Conformiter loquitur idem Burghaber *casu 80.* de filio v. g. mercatoris, qui in domo paterna multum patri lucratur suâ industriâ, aliis fratribus intereà otiosis, vel studentibus: hunc enim vult posse de jure à patre tantam mercedem exigere, quantam extraneo famulo dare deberet. Quòd si, inquit, filius ex metu reverentiali illam petere non audeat, sciens se repulsam passurum, potest clàm tantundem accipere. Ita ille post Lessium; adhortans tamen meritò similem filium, ne tali licentia abutatur, sed quàm fieri potest rarissimè utatur: addítque, ipsum nullam similem licentiam habere, si pater egeat, quia tunc ex pietate tenetur tales operas veluti obsequia præstare patri: vel si alii filii etiam similiter patri lucrentur; æquitas enim dictat, ut tunc nullus plus altero recipiat. Vide dictum Franc. scum B. Spei *disp. 13. num. 25.*

20. Colliges secundò, eum, qui amico vel alteri cuicumque pauperi alimenta præstitit, vel etiam aliud quodcumque ob amicitiam, consanguinitatem, vel paupertatem, non posse ab eodem posteà clam facere compensationem, quamvis alter, dum ad pinguiorem statum venit, nolit sibi præstitam gratiam alteri rependere: quia ad hoc non tenetur ex justitia, cùm nullum pactum, nulláque stricta obligatio supponatur intercessisse ex parte accipientis beneficium: quare ex sola gratitudine & honestate obligatur alteri vices rependere.

* * *

DU

DVBIVM QVINTVM.

De emptore vel venditore rei furtivæ.

21. Dico primò, qui rem furtivam emit, si dominus compareat ante legitimam præscriptionem, tenetur ei rem in specie existentem restituere, etsi bonâ fide eam emerit: quia quælibet res, ubicumque fuerit reperta, est semper vero domino restituenda: atque in foro judiciali Judex, simul atque cognoscit rei dominum, præcipit omninò eam ipsi reddi. Intereà, si quis rem alterius emisset parvo pretio à fure, à quo dominus eam nunquam erat recepturus gratis, posset dictum parvum pretium à domino repetere; quia tunc censetur emens prudenter rem domini egisse, ac idem in simili vellet sibi ab aliis fieri. Imò posse semper prædictum emptorem rem emptam furi restituere, & contractum rescindere, docent Azorius, Lessius, Rebellius, Tolet. Valentia, Malderus, & alii plures apud Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 69. quorum sententiam & ipse judicat probabiliorem: ratio est, quia talis emens non tenetur potiùs bonis alterius consulere quàm propriis, cùm ipse bonâ fide alienam rem acceperit; neque dominus est rationabiliter invitus comparatione similis ementis. Imò idem Diana *part.* 2. *tract.* 3. *resol.* 4. asserit, hanc sententiam claram esse & communem; cujus ulterior ratio ab aliis redditur, quia id faciendo non constituitur alterius res in pejori statu quàm erat ante. Ita de novo etiam sustinet Burghaber *cent.* 3. *casu* 14.

22. Attamen tu adhuc adhære nostræ sententiæ; quia emptor, talem rem furi reddendo censetur cooperari iniquæ ipsius detentioni, & exinde tractat rem alterius domino rationabiliter invito, eam scil. in pejori statu constituens, quàm de facto sit. Ita Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disput.* 17. *num.* 87.

23. Dico secundò, qui rem alienam bonâ fide emptam eâdem fide consumpsit, nihil debet vero domino restituere, nisi in quantum indè fortè factus sit ditior: non enim tenetur ratione rei alienæ, cùm hanc non habeat, nec ratione injustæ acceptionis ut patet; ergò ex nullo capite. Ita omnes. Sic similiter, qui rem furtivam bonâ fide emptam revendit alteri eadem fide, ad nihil tenetur, nisi fortè factus sit ditior, ob eandem rationem. Dixi *nisi factus sit ditior*, quia si revenderit plus quàm emerit, volunt Navarrus, Sanchez, Lessius & alii, illud plus esse domino rei restituendum vi legis *si & rem ff. de pet. hæred.* Quod & locum habere vult P. Schilder *tract.* 4. *num.* 74. etiam in dubio, an factus sit inde ditior: quia nemo præsumitur suum (nec consequenter rem à se possessam) inutiliter jactare *l. cùm de indebito. ff. de probat.* Citat idem author pro se præter decem celebres authores, Glos-

Glossam ad *l. Vtrum v. consumpsisse ff. de hæred. petit.* Ast ego puto id solum locum posse habere in foro externo, in quo similis teneretur probare se non esse inde ditiorem: quo ad forum enim internum, putarem meliorem esse conditionem ipsius possidentis: quòd & sustinent alii novem à P. Scilder ibid. contrà se citati. Imò prædictum non teneri ad ullam restitutionem, licet certò sit factus ditior, sustinet Molina absolutè, & probabiliter Diana *p. 3. tract. 5. resol.* 41. quorum ratio est, quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ vendentis illam justo alio pretio majori: fructus autem industriæ ad possessorem bonæ fidei, & non ad rei dominum spectat. Sic etiam sentit Burghaber *centur.* 1. *casu* 87. citans insuper Less. Rebell. & Lugo. Ad legis verò allatæ authoritatem respondet Molina, id esse speciale in dicta actione hæreditatis seu juris universalis, ut pretium succedat loco rei; secùs autem dicit rem se habere in particularibus contractibus. Addo ipsum P. Scilder *loc. cit. num.* 77. moderare suam sententiam, dicendo. *Excipe, nisi possessor post acquisitionem rei alienæ liberalius vixerit, sive consumendo rem alienam, sive pecunias ex illius distractione conflatas: præsumitur enim hoc non fuisse facturus, nisi rem alienam possedisset, cùm ordinariè intuitu lautioris fortunæ homines lautiùs vivere soleant.*

24. An autem prædictus vendens totum pretium rei restituere debeat ei, cui eam vendidit; controvertitur. Affirmativè respondent Bonac. Turrianus, Malder. & alii apud Dian. *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 68. quia, inquiunt, qui vitrum v. g. vendit pro gemma, aut permutat falsum aurum pro vero, tenetur in conscientia dissolvere contractum, & alterum reddere indemnem: ergò pari ratione, si vendat rem alienam, putans esse suam, debet contractum dirimere dum noscit eam esse alienam. Ita probabiliter illi, & Franc. B. Spei *num.* 89. Non minùs tamen probabiliter oppositum tuentur Navar. Lopez, Pitigian. Angelus, Sylvest. & alii apud Dianam *ibidem*. Probatur, quia in dicto casu nec tenetur vendens ratione rei acceptæ, cùm illam apud se non habeat, nec ratione injustæ acceptionis, ut patet. Dicere autem, quòd pretium succedat nomine rei, non est universaliter verum, sed solùm in judiciis universalibus, cujusmodi sunt hæreditas, dos, *&c.* Dicendum est igitur, inquit Diana, talè venditorem tantùm teneri in foro conscientiæ suo emptori cedere actionem de evictione, quam ipse habebat adversus eum, à quò bonâ fide dictam rem emerat: nec est hîc paritas cum eo, qui dedit falsum aurum pro verò; quia hic dedit rem intrinsecè vitiosam, non item ille. Jam conformiter ad dicta *resol.* 1.

25. Dico tertiò, qui furi aliquid bonâ fide vendidit & postea cognoscit, pecunias in pretium acceptas, esse furto ablatas, quarum & dominum noscit, tenetur eas vero domino restituere; æquè enim pecuniæ, ac aliæ res, ad priorem dominum spectant ubicumque repertæ fuerint. Ita Sanchez post Navarra: atque hoc omnes dicere debent qui *resol.* 1. nobiscum locuti sunt; saltèm si dictæ pecuniæ

non sint cum aliis pecuniis prædicti venditoris permixtæ: quod addo, quia aliàs puto contrarium esse verius cum eodem Navarra. Sanchez, Sayro & Vasquez, quos in hoc sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 40. Ratio est, quia cum juxtà *l. si alieni nummi ff. de solutione,* fiat vendens dictarum pecuniarum dominus per dictam mixtionem, ut docent Gabriel, Sylvest. Medin. & alii apud Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 23. *num* 34. non tenetur ratione rei acceptæ, utpotè qui rem alienam non habet; nec ex ea factus est ditior: neque etiam ratione acceptionis injustæ, cum supponatur bonâ fide accepisse ac inter suas pecunias bonâ fide reposuisse: ergò ex nullo cap. obligatur.

26. Dico quartò, qui rem furtivam emit malâ fide, tenetur rem vero domino restituere, nec potest eam comperto domino tradere suo venditori, ut ejus pretium recipiat. Constat à fortiori *ex resol.* 1. atque hanc, præter Authores ibi citatos, tenent Rebellius, Bannes, Vasquez, Reginald. & & alii apud Dianam *p.* 2. *tract.* 3. *resol.* 4. quibus tamen adhuc se opponit Toletus *l.* 5. *cap.* 17. *num.* 13. & alii apud Burghaber *Centur.* 3. *casu* 14. quos nec ipse damnat. Volunt igitur illi, absolutè esse licitum tali ementi, rem furtivam restituere venditori & cum eo contractum rescindere: quod probabile esse etiam asserunt Gabriel, Angelus, Sylvest. Paludan. D. Antoninus, Malderus, & Diana *loc. cit.* Ratio est, quia emptor malæ fidei id faciendo non constituit rem loco pejori quàm erat ante, potéstque plus consulere sibi quàm alteri: quia tamen suprà ostendimus similem cooperari injustæ alterius retentioni, & eum constituere rem in pejori statu quàm de factò tunc est, adeòque & rei dominum in hoc esse rationabiliter invitum (quod magis locum habet in emptore malæ fidei, cum hic injuriam fecerit domino, rem taliter emendo) nostram sententiam omninò tenendam existimo. Nec refert dicere, per hoc rem alienam non constitui in pejori statu quàm fuerit ante, quia nec id fieret etiamsi illam rem in proprium usum verteret, supposito quòd fur eam etiam fuisset consumpturus, nec tamen hoc ideò cuiquam est licitum: deinde usurpare rem domino rationabiliter invito, semper furtum esse, docet D. Thom. *quæst.* 66. *art.* 3. dicens simpliciter, ad rationem furti pertinere, usurpare alienum; ubi & eum docere, rem prædictam debere domino, & non posse furi restitui, clarè patet ex sequentibus verbis, sic enim ait: *Id quod rei alienæ detentor habet ultra id quod suum est, debet illi subtrahi, & dari ei, cui deest secundùm formam justitiæ commutativæ*: cum ergo domino suum desit & nihil furi, illi, non huic restitui debet. Ubi nota, hæc verba D. Thomæ æquè confirmare resolutionem primam quàm hanc, cum ea nullo modo restringat. Nec dici potest, D. Thomam id solùm velle, nisi rescindatur contractus; quia de licentia rescindendi contractum nihil tangit, imò ipsa ejus verba potiùs contrarium supponunt, prout bene notavit Sylvius. Quare dum Diana dicit, posse Confessarium consulere, ut Petrus rem fur-

furtivam malâ fide emptam, ad recuperandum pretium sine ullo scrupulo furi & non vero domino restituat, ut summum potest esse probabile sistendo in authoritate præcitatorum Authorum.

DUBIUM SEXTUM.

De restitutione pro re furtiva consumpta.

27. Dico primò, res furtiva injustè consumpta restitui debet juxtà damnum, quod patitur dominus ex ejus consumptione: v. g. qui furatus est modium tritici tempore furti valentem tribus, nec interea plus valentem, tenetur ad tria, modò inde nullum aliud damnum sit passus ipse dominus: quia ut sic, restituitur ad perfectam æqualitatem. Si verò pretium rei tempore injustæ retentionis fuerit auctum & posteà iterum imminutum, tunc, si dominus rei eam venditurus erat tempore pretii adaucti, tenetur fur hoc ei restituere, quia quoad hoc totum pretium, alter est injustè damnificatus: si tamen dominus eam erat reservaturus usque ad tempus, quo iterum minoris valet, sufficiet hoc pretium minus ei restituere, juxta Bonacinam, qui docet idem dicendum esse in casu, quo dominus rem suam erat consumpturus ante adauctionem pretii: quia tunc fur, vel alius possessor iniquus, reddit dominum indemnem restituendo ad æqualitatem damni, quod passus est. Verùm hanc sententiam reprobat Navarrus *cap. 27. num. 26.* volens, furem teneri ad restitutionem pretii summi, quo valuit res tempore injustæ possessionis; quia, inquit, dum res illa valebat pretio summo, debebat domino restitui, sed ab hac obligatione fur nunquam fuit liberatus per remissionem, donationem, vel solutionem; ergò semper manet ad hoc obligatus. Attamen, quamvis hæc Navarri sententia sit satis rationabilis, puto sententiam Bonacinæ esse in praxi satis tutam, cum per illam nullum domino rei damnum creetur: imò eam esse sententiam communem asserit P. Urbanus *tract. 3. tit. 8. fol. 583.* ubi & respondet ad rationem Navarri dicens. *Quamvis totum pretii incrementum tempore summi pretii fuerit domini, eique reddendum ex justitia pro tunc, hoc tamen tempore, quo incrementum periit, & perinde perisset apud dominum, fur jam liberatus est obligatione restituendi talis incrementi; quia eo ipso, quòd sic periit, nullum restat caput, ex quo restitui debeat.* Ita ille: qui etiam verius putat, si incertum sit an dominus rem suam venditurus erat in statu pretii summi, adhuc non teneri furem ad restitutionem integri pretii summi, quia illa incertitudo minuit æstimationem illati damni: sicut cum alienæ segetes devastantur, de

quibus non erat certum, quòd ad maturitatem pervenirent, minùs pro iis restituendum est, quàm si id certum fuisset: quare Dian. *p.* 2. *tract.* 3. *resol.* 52. vult in hoc casu restitutionem faciendam esse juxta pretium medium. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 17. *num.* 64. *& seq.*

28. Dico secundò, qui rem alterius furto abstulit, vel eam malâ fide à fure emit, tenetur ad restitutionem fructuum ex ea perceptorum tempore iniquæ detentionis; vel etiam ex sua negligentia aut aliundè non perceptorum, qui tamen à domino percepti fuissent, si apud eum res permansisset. Ita omnes communiter. Ratio est, quia in his omnibus injustè dominus damnificatur: atque hoc plures volunt esse verum, sive prædicti fructus à jure percepti, sint naturales sive industriales, sive mixti, deductis tamen expensis ac labore. Verùm merè industriales non esse rei domino restituendos, nisi eâdem industriâ ipse dominus circa prædictam rem esset tantundem lucraturus, probabilius puto cum Franc. B. Spei: quia hi fructus non sunt rei, sed industriæ alterius, nec quoad hos dominus ullum patitur detrimentum: cum tamen semper patiatur detrimentum quoad fructus naturales & mixtos, hi semper restituendi sunt, quamvis res etiam fortuitò apud furem interierit. Quòd si verò eadem res apud dominum similiter certò peritura erat, plures satis probabiliter docent, furem esse liberum à restitutione, non solùm fructuum, sed etiam rei; quia tunc in nullo dominus passus est detrimentum. Limita tamen hoc cum P. Urbano, nisi res apud dominum fuisset peritura injustâ alterius actione; quia sicut hic injustè damnum inferens teneretur ad restitutionem, ita & tu cum intuleris, obligaberis: quòd enim ipsum prævenias, facit, ut tu subeas obligationem, quàm ipse subire debuisset. Ita etiam docet Franc. B. Spei *disp.* 17. *num.* 72. *& seq.*

29. Cæterùm is, ad quem res alterius devenit bonâ fide, tenetur quidem fructus ejus naturales exstantes restituere domino si non sint præscripti; quia res domino fructificat: non verò bonâ fide consumptos, nisi quantum inde est factus ditior; quæ deduci possunt ex antedictis. Solùm

30. Adverte, eos fructus naturales esse, qui proveniunt à re independenter ab industria hominum, ut fructus arboris: industriales, qui proveniunt à sola industria, ut fructus negotiationis cum pecunia: mixtos denique, qui partim à re, partim ab industria proveniunt, ut segetes agri.

* * *

DU-

DVBIVM SEPTIMVM.

De debitore moroso: & acceptis ob turpem causam.

31. DIco primò, debitor inculpabiliter morosus solam rem ab initio debitam restituere tenetur, idque dum sinè gravi suo detrimento præstare potuerit: quia non est ex quo titulo ad aliud obligetur. Limita, nisi pacto vel contractu expresso liberè se ad aliud obligaverit. Si verò quis fuerit culpabiliter in mora solvendi, obligatur ad compensationem totius lucri cessantis & damni emergentis ipsius creditoris; quia utriusque est injusta causa. Ita DD. communiter. Unde si creditor ex injusta dilatione solutionis cogatur pecunias, vel aliud quodcumque petere ad interesse, tenetur debitor ad totum interesse: similiter obligatur supplere quod alter accepisset ex reditu, si statuto tempore solutionem obtinuisset. Casu tamen quo debitor ignoraret penuriam aut necessitatem sui creditoris, deberet eam creditor ipsi indicare & monere, dicendo se cogi simile damnum pati, si statim non solvat.

32. Dico secundò, accepta ob turpem causam nulli sunt restituenda. Ita communiter DD. apud Dian. *p.2.tract.2.resol.*38. contra Durandum, Medinam & paucos alios. Prob. quia non est cui v.g. meretrix obligetur restituere pretium usûs sui corporis, cùm ipse abutens omninò liberè illud solverit. Nec refert dicere, opus meretricis, utpote malum, non esse licitè vendibile: quia aliunde adhuc est sufficienter pretio æstimabile, in quantum est delectabile, idque ut plures volunt, juxta exercentis arbitrium: unde secundùm hos authores, si petenti centum florenos centum dentur, licitè retinentur; nam res ad sustentandam vitam minimè necessariæ, sed quæsitæ ob nudam voluptatem justè æstimantur ad arbitrium venditoris; quod & nos ut probabile admittimus infrà *disp.9.num.*59. Hinc à prædictis Authoribus non admittitur discrimen, quod Lessius, & Urbanus ponunt inter meretricem & honestam, quòd scil. illa non possit justè accipere ultra pretium ordinarium. Sed quid si meretrix acceperit aliquid à filiofamilias, qui alienare non potest? Illud semper restituendum esse respondet Trullench. *in Bulla Cruciata lib.3.cas.*37. *num.*9. quod tamen temperat Mendo *in Bull.disp.*34.*cap.*19.*num.*204. ubi ait: *Censeo igitur tunc eam non teneri ad restitutionem, cùm modici sumptus fiunt à filiisfamilias: etenim licèt parentes (idem dico de curatoribus respectu minorum) sint inviti circa filiorum culpas & lasciviendi licentiam; attamen si semel peccent, judicantur spontanei circa eos moderatos sumptus cum fœminis, & sciunt hoc ipso, quòd cum eis turpiter agatur, aliquid fore insumendum. circa quod absolutè non sunt inviti.* Ita ille.

33. Adde Molinam, Reginaldum,

& alios apud Dian. *p.2. tract.3. resol.7.* docere, mulierem conjugatam non posse sibi retinere pretium adulterii, sed debere illud marito tradere, ac si id aliter laborando acquisivisset: quia maritus est dominus corporis uxoris suæ quoad actus conjugales, unde per dictum illius usum peccavit uxor contra justitiam marito debitam. Ita illi, monentes ut dictum pretium marito occultè tradatur, ut propria servetur fama, & alia mala vitentur. Ast oppositam sententiam probabiliorem reputat Diana, cujus ratio est; quia licet uxor in eo actu peccet contra justitiam, non tamen tenetur ad ullam restitutionem pecuniariam; nec enim pro omni injuria debetur hæc restitutio, sed tantùm pro injuria, quæ fit cum damno pecuniâ æstimabili: atque in hoc cum Diana sentiunt Megala, Bonacina, & alii; estque satis conforme doctrinæ à nobis traditæ suprà *disp. 5. num. 20.* ubi docuimus pro occisione aut mutilatione nullam restitutionem pecuniariam esse faciendam.

Petes, an fornicator in conscientia teneatur meretrici solvere mercedem solitam, si eam non promiserit?

34. Resp. affirmativè, quia semper censetur promittere implicitè & convenire cum meretrice de pretio ordinario: cùm igitur licitum sit pro tali actu pretium solvere, non est unde à tali obligatione excusetur: attamen quia sententia Durandi, Medinæ & aliorum docentium esse illicitum tale pretium dare, non est improbabilis, & quia Franc. B. Spei *disp. 17. num. 93.* generaliter docet, accepta vi contractus de re turpi v.g. fornicatione, homicidio, falsâ sententiâ, &c. vel quocumque alio peccato perpetrando, tam post, quàm ante patratum peccatum, omninò esse restituenda, eò quòd tales contractus sint omnino nulli; non erit neganda absolutio ei, qui similem mercedem non vult solvere, etiam quamvis eam dare promisisset. Adde ex P. Urbano, accipere mercedem pro turpi causa adhuc committenda, à mortali culpa excusari non posse; eò quòd talis datio & acceptio in actum turpem referantur tamquam in finem, quod semper est malum. Unde si alteruter à simili contractu resiliat, velitque sibi pretium reddi ante exercitium actus, reddendum est ex justitia; quia dans dictum pretium, semper apponit conditionem de complendo actu; quâ conditione sublatâ tollitur totum jus alterius. Atque hinc Lopez docet, fœminas & puellas accipientes munera à suis amatoribus, spe ab ipsis consequendi quod pravè concupiscunt, si non consentiant, esse obnoxias restitutioni. Verum puto probabiliùs has non teneri ad restitutionem similium donorum; tum quia verè & absolutè ea donantur licèt ob finem malum; nullus enim est amator, qui non erubesceret, si dicta munera ei redderentur: tum etiam quia filiæ ea non recipiunt sub aliquo pacto, sive tamquam pretium suæ pudicitiæ, sed tamquam incitamentum duntaxat. Ita Valerus & Rebell. Ex his

35. Colliges eum, qui alterum occidit aut mutilavit inito pacto de recipiendo pretio ab aliquo tertio, licitè retinere & accipere simile pretium partim

partim pro ipso actu, qui erat in ipsius dominio tamquam res pretio æstimabilis, ratione delectabilis vel utilis, quod adfert dicto tertio; partim etiam ratione periculi, cui occidens, *&c.* se subjecit. Nec peccato jam perpetrato donatio & acceptatio habent rationem inductionis ad peccatum, nec in malum finem tendunt: quare is qui sic homicidium curavit fieri, tenetur ex justitia solvere pretium de quo est conventum, cùm id solvere possit absque peccato. Ita Urbanus. Non desinam tamen hîc ad longũ ponere, quæ habet P. Franciscus *de jure & just. disp. 6. num. 16.* ubi ait: *Ego, salvo meliori judicio, puto promissionem illam etiam post peccatum patratum, non obligare. Primò, quia ante non obligabat, nec post peccatum renovatur. Secundò, quia si traditio pretii laboris, periculi, &c. juxta promissionem factam, ante patratum peccatum, sit peccati approbatio, ita & post; nam idem est labor, periculum, &c. post quod fuit ante peccatum. Tertiò, quia sententia illa, videtur Reip. perniciosa; nam multas personas ad peccandum trahit. Quartò, quia sequentes leges* l. plagii ff. de verb. obligat. Si plagii faciendi, vel facti causâ, cõceptâ sit stipulatio, ab initio non valet. *Et* l. generaliter ff. eodem, *quæ sic habet*: generaliter novimus turpes stipulationes esse nullius momenti *(quas adversarii sic interpretantur, quasi solùm negent dandam actionem in foro externo pro stipulationibus) quæ sunt in favorem Reip. sunt in ejus favorem interpretandæ; allata autem ab adversariis interpretatio est in ejus odium; in favorem verò, si, ut sonant, nobiscum accipiantur; quæ autem sunt jure positivo illicita, consequenter jure naturæ per illud declarato & determinato, sunt illicita, ut suprà de pupillorum contractibus & testamentis, debitâ solemnitate carentibus, dictum est.* Hæc Franciscus, etiam valde probabiliter. Insuper manet, semper esse peccatum, dictum pretium solvere, vel acceptare ante peccatum commissum, prout ante diximus.

DVBIVM OCTAVVM.

Vbi, quando, & quo ordine restitutio fieri debeat.

36. Dico primò, quod debetur alteri ex sola re accepta, & non ex injusta acceptione, restitui debet ubi & quando deprehenditur esse alienum: & si dominus id velit sibi alibi restitui, debet fieri ipsius expensis; quia cum debitor nullam commiserit culpam, non tenetur ad tantum damnum. Franc. B. Spei *de Iure & Iustitia disp. 19. num. 254.*

37. Dico secundò, alteri debitum ex injusta acceptione, est restituendum expensis debitoris in loco, ubi dominus pro tunc erat rem debitam possessurus; quia qui alterum damnificat injustè, tenetur eundem indemnem reddere. Idem P. Franc. *ibid.* Quod si tamen in hoc valde magnæ expensæ faciendæ essent, posset restitutio differri,

ferri, modò adesset spes illam alio loco & tempore sinè notabili creditoris detrimento commodiùs restituendi. V. g. fur, qui in Brabantia aliquid furatus est à Petro jam in Italia existente, non tenetur illud eidem suis expensis transmittere, si sciat eundem Petrum brevi iterum in Brabantiam venturum, nisi simul constet ipsum jam in Italia summopere indigere illâ re, vel pecuniis furto ablatis: hoc enim casu, si aliàs Petrus suas pecunias jam erat in Italia possessurus, fur eas non mittens, vel per cambium non procurans, ut Petrus suas pecunias æquivalentes ibidem recipiat, cùm possit, tenebitur ipsi postea in Brabantia existenti ultra pecunias furto ablatas compensare lucrum cessans vel damnum emergens, quod passus est eò quòd in Italia debuerit iis pecuniis carere; deductis tamen expensis, quas alter facere debuisset eas eò transportando. Quòd si verò dominus pecuniæ vel alterius rei furto ablatæ tam procul abesset, ut ei restitui non posset, quin plus expenderetur quàm ipsamet valeat, tunc ex præsumpta domini mente posset restitui pauperibus vel in causam piam, nisi speraretur dominum rediturum ad locum, ubi ipsi commodius poterit restitui.

38. Cæterùm omnis restitutio, tam quæ debetur ratione rei alienæ, quàm ratione injustæ acceptionis, semper facienda est statim quantum commodè fieri potest. Adde ex Francisco N. debita occulta occultè restituenda esse; publica verò publicè, v. g. usurarum, ut scandalum vel offensio publica tollatur.

39. Dico tertiò, qui est sufficiens solvere omnia sua debita, nullum ordinem ex justitia debet servare prout per se patet: qui vero non est solvendo omnia, debet debita certa præponere incertis, tam quoad rem, quàm quoad personam.

40. Dico quartò, inter debita certa, quæ omnia simul solvi nequeunt, ante omnia restitui debet res alterius in specie adhuc exstans, sive ex deposito, sive ex furto, sive alio quocumque titulo habeatur; quia adhuc dominium est penes ipsum. Deinde solvenda sunt quæ debentur pro funere & exequiis. Tertio quæ debentur inventario domus & custodia suppellectilis. Quarto debet satisfieri creditoribus hypothecariis, atque ex his prius ei, qui prior est sortitus hypothecam in bonis debitoris. Est autem hypotheca res immobilis, quæ à debitore creditori obligatur in assecurationem debiti: quæ res si fuerit mobilis, erit pignus. Plures volunt generaliter creditoribus senioribus (etiam non hypothecariis) prius solvi oportere; aliis tamen negantibus. Quinto præferri potest creditor pauper creditori diviti, cum proportione tamen; ita nimirum, ut in debito æquali, non totum solvatur pauperi, & nihil diviti; sed pauperi parum plùs quàm diviti secundùm paupertatem & divitias amborum, ac juxta magnitudinem summæ utrique debitæ: imo multi absolutè volunt (& nominatim N. Franciscus) pauperem creditorem non esse præferendum diviti, nisi dum est in ex-

trema, vel gravi necessitate. Sextò etiam varii volunt, contra eundem Franciscum, probabiliùs priùs solvi posse ei, qui priùs petit solutionem; hoc enim dicunt mereri ejus diligentiam in petendo & exigendo solutionem: atque hinc aliqui addunt, debitorem posse amicum suum monere, ut priùs solutionem petat, ac sic eidem primò solvere. Vide Dian. *p.* 11. *tract.* 3. *res.* 12. & 13. ubi plures docent, quamvis debitor, impotens solvere omnia debita, & solvens uni omnia sua cum detrimento cæterorum, peccet contra justitiam, non ita tamen peccare creditorem recipientem solutionem, eumque eam licitè retinere posse. Septimò quæ debentur in titulo oneroso, priùs solvi debent, quàm quæ gratuitò; quia hoc modo debita involvunt conditionem, *si aliud non obstet.* Hæc omnia in praxi tuta sunt: si tamen jus particulare alicujus loci aliter statuat quàm dictum sit, servandum erit.

DVBIVM NONVM.

De cooperantibus, in damnificatione injusta.

41. COoperantes hoc metro continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Nomine jubentis intelligitur omnis explicitè vel implicitè mandans: dicitur autem mandans implicitè, qui subdito, aut famulo facto vel signo ostendit sibi gratum fore, hoc vel illud fieri; secùs si solum gaudeat de damno jam illato; nisi fortè inde moveat subditos vel famulos ad adhuc plùs damnificandum. De hoc ergo

42. Dico primò, omnis mandans, si causâ ejus mandati alteri grave damnum injustè accidit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ita omnes. Ab hac tamen obligatione excusabitur; primò, si constet ejus imperio alium non fuisse motum ad dictum damnum inferendum, vel si de eo rationabiliter dubitet: idem dic de consulente & omnibus aliis; quia in dubio melior est conditio possidentis, maximè in materia justitiæ. Ita plures apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 84. quamvis tamen omnes satis communiter doceant, præsumptionem stare contra mandantem aut consulentem si res jussa aut consulta fuerit secuta. Quare P. Scilder *tract.* 4. *numero* 349. dicit, talem consulentem (indubiè idem dicturus de mandante) teneri in defectum homicidæ ad resarciendum totum damnum illatum. Et noster Cornejo (quem Diana doctum Magistrum intitulat, & pro se citat *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 42.) cum communi docet, in tali dubio mandantem aut consulentem homicidium esse irregularem, quidquid contrarium doceat Giballinus. Quòd si mandans aut consulens

lens solùm sit causa accelerationis homicidii ad paucas horas, quia nimirum certò posteà accideret equidem à mandarario, tunc nec irregularitatem, nec obligationem restitutionis incurri, nisi quoad damna secuta ex tali acceleratione, docent plures apud Dianam *ibidem resol.* 49. Vide circa hæc Franciscum B.Spei *de Iure & Iust. disp.* 18. *num.* 10. & 24. qui in his ultimis punctis nobiscum sentit.

43. Secundò excusatur, si alter ab initio noluerit mandatum acceptare quod posteà complet, nisi mandatum adhuc formaliter vel virtualiter perseveret. Tertiò si ante eventum, mandatum suum revocet apud omnes mandatarios; aliàs luet sive culpabiliter sive inculpabiliter serò venerit: ac si sciat revocationem suam ab aliis non curari, tenetur eos seriò per se, vel per alios monere, ac precibus vel aliter eos movere, ut abstineant à damno inferendo. Ita DD. communiter. Ratio est, quòd in primo mandans sit causa efficax damni alterius; minimè verò in aliis, ut consideranti constabit: atque ob eandem rationem etiam in primo casu tenetur solùm ad quantitatem damni, quod jussit inferri; non verò ad illud, in quo alter excessit: quia quoad excessum non est ipse causa efficax. Quid si quis juberet occidi Pétrum & occideretur Paulus quia putatur esse Petrus? Eum ad restitutionem teneri docet cum pluribus Diana *part.* 11. *tractat.* 6. *resolutione* 19. quidquid ipso teste contrarium videatur docere Serra; & Rebellius dicat, in tali casu homicidam ad minorem restitutionem in foro conscientiæ obligandum esse.

44. Nomine consulentis, præter dantem consilium, intellige etiam adhibentem preces, exprobrationes, dantem munera, &c. ut damnum fiat. De quibus

45. Dico secundò, cujus consilio constat damnum esse illatum, tenetur ad ejusdem damni compensationem; secus si satis tempestivè suum consilium revocarit: quidquid in hoc rectè aliqui cum hac distinctione philosophentur, dicentes. Si prædictus solùm verbis simplicibus consuluerit, eum esse liberum post revocationem, quia consilium tunc ultrà non operatur: si verò detexerit vias, artes, & motiva nocendi, non volunt ipsum per suam revocationem esse liberum; quia tale consilium tunc adhuc operatur & movet: idque debuit consulens antea prævidere; atque in hoc taliter consulens differt à mandante. Ita P. Urban. *tract.* 3. *tit.* 5. *c.* 4. *fol.* 531. Quod ulteriùs probat à simili; quia adhuc teneretur ad compensationem damni, qui emissâ sagittâ vellet eam revocare, si posset, antequam feriret: hâc enim voluntate non obstante, adhuc est causa damni per injustitiam. Ita etiam alii plures citati à Diana *resol.* 83. suprà. Verùm quamvis hæc rationabiliter sint dicta, adhuc aliqui generaliter docent, consulentem excusari, si consilium suum seriò revocaverit. Ita expresse docet Navarra *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. cujus sententiam probabilem vo-

vocant Lessius, Sa & Layman: cum quo ultimo concludit Diana, ad tollendos omnes scrupulos; eum, qui alteri propositis rationibus homicidium persuasit, si eas posteà quantum potuit retractavit, secuto nihilominùs homicidio, nec excommunicationem, nec irregularitatem, pro solo consulente latam, nec etiam probabiliter obligationem restituendi incurrere: quod ipsum docet Busenbaum, maximè si etiam moneat eum, cui damnum paratur, ut caveat. Ad similitudinem autem P. Urbani respondent, esse disparitatem, quòd post revocationem consilii cujuscumque, censeatur injustum damnum sequi ex sola damnificantis malitia, minimè verò efficaciter ex consilio, quantum fieri potest, revocato. Vide Franciscum B. Spei *de Iur. & Iust. disp.* 18. *num.* 34. ubi hanc responsionem refutat, & Urbani sententiam firmat. An, & quando licitum sit, parato majus malum inferre, consulere, ut minus inferat? Resolvimus alibi: de eo poteris videre eundem Francisc. B. Spei hîc *numer.* 35. & *seq.*

46. Dico tertiò, quoad consentientem, solus ille tenetur ad restitutionem, cujus consensus est vera causa damni, sive à cujus consensu pendet, ut damnum fiat vel non fiat: quare qui fert suffragium ad injustum damnum inferendum, quod scit certò inferendum per prævia suffragia aliorum, quibus efficaciter damnum procreatur, non tenetur ad restitutionem: secus si adhuc suum suffragium videat esse necessarium, ut damnum inferatur. Imo si suffragia dentur secretò, quilibet semper sub onere restitutionis tenetur justum dare suffragium; quia tunc omnes ferentes injustum suffragium simul sunt causa totalis damni, ac singuli in individuo cooperantur ad totum damnum, adeoque obligantur singuli integrum damnum restituere. Ita P. Franciscus *num.* 42. & omnes communiter apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 79. uno excepto Stroverdorf, qui contrarium putat probabile, dicens, eos omnes non obligari, nisi pro parte sua tantùm; quod & docet etiam de pluribus suadentibus simul idem damnum, si consilium singulorum sine aliorum consilio non fuisset efficax; subditque hanc sententiam publicè in Academia Lovaniensi docuisse Alardum Wielium. Neque de hac sententia ullum fert judicium Diana, nisi quòd moneat sententiam communem ei opponi.

47. Dico quartò, palpo, id est, qui adulatione & blanditiis alium inducit, etiam ad restitutionem obligatur, quando ejus adulatio est vera causa damni. Vide dicta de consulente..

48. Dico quintò, is, qui dat furi securitatem in sua domo (qui venit nomine recursus) tenetur ad restitutionem; primò, si ante completam injuriam offerat domum suam ad alterum protegendum, vel si eâ completâ illum ut furem recipiat: quia sicut in primo est causa injustæ acceptionis rei alienæ, ita in secundo est causa injustæ retentionis. Secundò, si res furtivas custodiat, easque postea furi tradat, dum potest eas domino restituere

sinè suo magno incommodo. Tertiò ratione recursus etiam ad restitutionem tenetur advocatus aut procurator, qui scienter alterum defendit, ne cogatur ad justam restitutionem. Ita DD. communiter.

49. Participantis nomine intelligitur, tam qui participat de re accepta, quàm qui de injusta acceptione: de quibus tamen variè est loquendum. Quare

50. Dico sextò, qui solùm de re accepta participat, solùm tenetur ad restitutionem partis, quam acquisivit: qui verò participat in injusta acceptione, obligatur in solidum, quia hic est vera causa totius damni secuti ex injusta acceptione, cui est cooperatus. Ita etiam omnes communiter. Unde qui agit excubias, qui applicat scalas, parat instrumenta, conficit falsas litteras, &c. tenentur ad totum damnum illatum: excusantur tamen qui similia non sponte, sed metu gravi coacti faciunt, si ipsorum actio non sit intrinsecè mala, id est, si possit licitè & illicitè fieri. Sic communiter excusantur rustici, qui spolia militum injusta coguntur avehere; item & remiges Christiani apud Turcas contra Christianos pugnantes. Imò juxta Layman, qui sponte tenet scalas ascendente fure, non tenetur ad restitutionem, si hic adhuc equidem ascenderet, licèt nullus scalas teneret. Idem dic de eo, qui alterum juvat in asportando res furtivas, quas sinè ipsius adjutorio adhuc auferret; quia eorum cooperatio est tantùm materialis in effectum formaliter non influens, cùm sine ea idem numero damnum ab eodem damnificante eodem tempore illatum fuisset. Ita Layman *in Theol. moral. lib. 2. sect. 3. tract. 2. cap. 5. num. 5.* qui & alios plures pro se citat. Verùm contrarium mihi videtur probabilius; quia per hoc quòd iis non cooperantibus adhuc totum damnum sequeretur, non desinunt ipsi esse vera causa damni: causa enim non sumitur ab eo quòd sine illa potuerit, vel non potuerit poni effectus; sed vera causa est, quæ ponit actionem per se illativam talis effectus, prout patet in physicis, ubi, dum duæ causæ totales idem producunt, utraque dicitur vera causa, quamvis unâ absente poneretur effectus, ut benè observavit noster Franciscus Bonæ Spei *de Iure & Iustitia disputat. 18. numero 6.*

51. Prædicti sex cooperantes cooperantur positivè in illatione damni, tres verò sequentes, scil. mutus, non obstans, non manifestans, solùm negativè.

Dico septimò, ut mutus, non obstans, & non manifestans teneantur ad restitutionem, requiritur ut sint obligati ex justitia resistere, & ut resistendo damnum impedire potuerint: unde ratione horũ nullus obligatur compensare damnum alteri illatum, nisi ex officio, pacto, vel stipendio illud avertere debuerit; quia alii ex sola charitate tenentur damnum proximi impedire. Quare licèt aliquis possit suo clamore furem impedire à furto & non faciat, non tenetur ad restitutionem rei, quàm alter surripit, etiamsi à fure reciperet pretium sui silentii, eò quod ad clamandum non teneatur ex justitia: si tamen dictum pretium esset

pars

pars rei furtivæ, tenebitur illud restituere. Hinc colligunt Layman, & Lessius cum aliis, si duo sint ejusdem familiæ famuli, quorum uni cura penus custodiendæ demandata est, & non alteri, primum solùm teneri ad restitutionem, si furta non impediat; quia hic solus obligatur ad id ex justitia, alter verò non nisi ex charitate, graviter tamen obligante, dum id sine gravi suo incommodo præstare potest. Ita generaliter illi: quod tamen meliùs videtur limitare Navarra, nisi fures extranei domum ingrediantur ad furandum: puto enim tunc quemlibet famulum obligari ex justitia ad id revelandum, clamandum, vel aliter obstandum.

52. Colligit insuper P. Franciscus *num.* 47. custodes viarum, sylvarum, vectigalium, *&c.* si non obstent, aut delinquentes non manifestent, teneri ad restitutionem, non solùm illatorum damnorum, sed & mulctæ pecuniariæ deprehensis impositæ; quia non solùm ad hoc constituti videntur, ut Domini ab illis indemnes serventur, sed etiam, ut periculum vitetur damnorum similium, communiter alioqui inferendorum, quod fit per mulctam pecuniariam; unde meritò hujus non solutio reputatur damnum emergens. Ita ille. Vide etiam Dian. *p.11. tract.6. resol.6. & resol.* 18. ubi inquirit, an qui ex officio tenentur obstare, ad id teneantur cum periculo vitæ? Respondens cum Soto, pensandum esse damnum, & cum periculo conferendum.

Petes, quo ordine prædicti cooperantes teneantur ad restitutionem?

53. Resp. primo loco semper obligari eum, apud quem res aliena in specie exstat, vel qui eam mala fide consumpsit, aut ex consumptione bonæ fidei factus est ditior: quia hi possident alienum in se, vel in pretio; alienum autem est semper domino restituendum. Secundo loco tenetur executor operis damnificativi; quia hic est præcipuus injuriæ author, nisi fortè damnum intulerit ex mandato Regis, Principis, aut Superioris; hi enim tenentur ante executores, eò quòd horum mandata censeantur quasi coactiones, adeoque magis principaliter influant, quàm ipsi mandatarii: & moraliter loquendo, ipse mandans per personam sibi subditam operatur tanquam per instrumentum. Atque hæc clarè exprimi videntur, *ff. de reg. juris, l.* 37. *ad l. Aquil.* his verbis: *Is damnum dat, qui jubet dare, & actio competit contra eum, ex cujus jussu alter injuriam intulit, si habuit jus imperandi: quòd si non habuit, agendum contra eum, qui fecerit.*

54. Tertio loco, juxta aliquos, tenetur mandans non superior; quia & hic videtur adhuc aliquo modo alterum cogere ad malum: sed contrarium judico sustinendum cum N. Francisco; nisi minis, terroribus, vel pecunia executionem extorqueat: tunc enim ad mandantem superiorem reduci debet, & sicut hic ante alios ad restitutionem obligatur, cùm agat ut causa fortior. Quarto loco multi ponunt consulentem: at veriùs cum aliis puto, nullum ordinem esse ponendum inter cæteros positivè cooperantes, eò quòd inter hos nulla videatur esse subordinatio: tenentur tamen omnes hi ante cooperantes negativè; quia hi solùm non a-

vertunt damnum, quod illi verè inferunt. Quidquid adhuc Urbanus velit, nullum ordinem esse ponendum in causis positivis comparatis cum negativis, saltem in obligatione restitutionis; quia, inquit, causa negativa non minùs inservit causæ exequenti damnum, quàm alia causa positiva. Ita ille *tract.3.tit.5.c.6.resol.4.fol.*541. Cæterùm nullus poni debet ordo inter cooperantes negativè, nisi dum unus immediatiùs tenetur alterius damnum avertere, prout custos particularis substitutus universali primo loco tenetur damnum compensare, quod sua culpa permisit inferri. Ita DD. communiter. Circa hæc omnia

55. Adverte, dum is, qui primo loco restituere tenetur, restituit, cæteros liberari ab omni onere restitutionis: si verò restituat, qui secundo loco obligabatur, is, qui ab initio primo loco tenebatur, debet isti in integrum satisfacere, cæteris manentibus liberis. Similiter si ei, qui tenetur primo loco, onus restitutionis remittatur ab habente ad hoc potestatem, alii omnes à sua obligatione absolvuntur: si autem remittatur secundo, adhuc tenetur primus, simpliciter scil. loquendo; quia, quoties remittitur uni ex subordinatis, bene monet P. Franciscus, ad mentem remittentis attendi debere. E contra quando omnes æquè primò obligantur, uno solvente, tenentur cæteri huic refundere, ita ut si omnes refundere velint, debeat quisque suam partem illi dare juxta quantitatem damni alteri illati, & multitudinem cooperantium: si verò unus solus velit prædicto refundere, debebit ei solvere medietatem pretii soluti, & alii his duobus manebunt obligati: ac si duo vel tres proponant simul restituere, tenebitur quisque ad mediam vel tertiam partem. Ex his patet plurimùm referre, an quis teneatur primo an secundo loco restituere.

DVBIVM DECIMVM.

De iis, quæ excusant à facienda restitutione.

16. SUppono cum P. Franc. B. Spei hîc *disp.*19. *num.*258. vix ullum esse regnum, aut Dynastiam, ubi non sit, & observetur statutum aliquod, quod salaria, mercedes, honoraria; famulorum, procuratorum, opificum stipendia & operas, certis temporibus peti statuit, & post illud tempus, annum v.g. biennium, *&c.* nullas actiones admittit. Imò ferè toti Belgio commune est sequens statutum: *A petendis censibus, reditibus, pensionibus perpetuis, ultrà triennium cessare non licèt; alioqui debitor solvendo pensiones trium annorum, à reliquis ipso jure liberatur, &c.* Atque hoc ne super dubiis solutionibus lites excitentur; ne tandem decursus in censibus fundum superent, & sic ex malitia creditoris, fundus insolubiliter ei plerumque obligetur;

tur; aut etiam, ne creditores in negligentia petendi debitum foveantur. Ita Franciscus, qui & *num.* 262. hanc ponit resolutionem : *Ius positivum annullans debita ex pacto nullo, aut prohibens vera debita post tempus determinatum peti, ab eorum solutione in conscientia excusat, licèt debitor fateatur se debuisse, & non solvisse ante illud tempus.* Probationes & solutiones ibid. reperies. In quorum confirmationem possunt adjici verba edicti Caroli V. de 4 Octob. 1540. pro nostro Belgio: renovati 30 Junii, 1650. *Vt omnia salaria Advocatorum, Procuratorum, Secretariorum, Medicorum, Chirurgorum, Apothecariorum, Clericorum, Notariorum, mercedes famulorum, operariorum, pretia mercium ad consumptionem venditarum, intra biennium opera præstita, mercisve tradita juridicè exigantur, nisi chirographum scriptum sit; ac tunc quidem contra principalem debitorem, alioquin post mortem intra biennium contra hæredem, postquam mors creditori innotuerit: post lapsa hæc tempora, omnia ea habeantur pro solutis, nec detur actio.* Hoc edictum habes apud Antonium Anselmo *in Triboniano Belgico cap.* 3. Insuper

17. Ab obligatione restitutionis excusare ea omnia, quæ efficiunt, ut creditor non possit rationabiliter esse invitus, quamvis in se revera invitus maneat, omnes DD. tradunt. Illa autem partim se tenent ex parte creditoris, partim ex parte debitoris. Quare

58. Dico primò, ex parte creditoris excusat; primò, si hic cognoscatur per occultam compensationem sibi satisfecisse ad æqualitatem. Secundò excusat voluntaria creditoris remissio, si habeat ad hoc sufficientem potestatem. Hinc, qui cum creditoribus minori summa composuit, modò hanc solvat, ad nihil ultrà tenetur, licèt ad pinguiorem fortunam postmodùm pervenerit; quia compositio hæc est quædam libera remissio potentis donare, quæ (positis ad validam donationem necessariis) omnino valet. Imò rectè notat Sa, minorem partem creditorum reclamantium teneri stare conventioni majoris partis, nec plùs illis solvendum, quàm pro rata solvatur majori parti. Caveant tamen debitores, ne fraude vel dolo ad Ecclesias, vel loca remota confugiant, ut iniquam compositionem obtineant. Hæc verbotenùs P. Franciscus *num.* 281. quæ proinde bene observa. Tertiò excusat saltèm à restitutione statim facienda notabile damnum corporale vel spirituale creditoris; ut si repetat rem sibi debitam ad fornicandum vel alium occidendum: hoc tamen non habet locum, dum ex negatione restitutionis timeretur malum majus, v.g. occisio sui ipsius ex ira, *&c.*

59. Dico secundò, excusat à restitutione ex parte ipsius debitoris; primò extrema vel gravis necessitas, quamdiu durat. Vide dicta *tract.* 3. *disp.* 3. *dub.* 2. in fine. Sed quid si in eadem extrema necessitate sit creditor? Melior etiam tum est conditio debitoris possidentis id, quod tum commune esse debet, ut notat P. Franciscus.

60. Excusat secundò grave detrimentum debitoris, sive corporale sive spirituale: quare si quis hìc & nunc non

non possit restituere centum, nisi v. g. vendendo equum pro centum, qui valet ducentis, potest differre restitutionem; licèt id in foro externo non admittatur, ne omnes passim se excusent. Similiter excusatur quis ob notabile detrimentum famæ aut honoris: quod tamen ut plurimùm caveri potest restituendo per tertium. Item ob damnum notabile debiti status. Quæ omnia docet D. Thomas, & post ipsum Valentia, Urbanus, & alii. Hæc tamen P. Urbanus limitat; nisi creditor æquale, vel ferè æquale damnum pateretur ex dilatione restitutionis; quia sicut nemo ex alieno potest justè ditescere, ita nec potest ex alieno propriis incommodis cum damno creditoris occurrere. Ita ille *tract.* 3. *tit.* 10. *fol.* 596. cum communi; addens, si debitor inculpabilis ex restitutione statim facta, pateretur totalem sui status jacturam, non teneri eum statim restituere, quamvis creditor ex dilatione damnum notabile sit passurus, modò debitor sit paratus resarcire illud cum evenerit; quia in hoc non videtur creditor posse esse rationabiliter invitus. Ita etiam Navar. Sylvest. & alii apud eundem Urbanum, qui id confirmat ex constitutionibus, quibus communiter datur facultas nobilibus, ut paulatim creditoribus satisfaciant, etsi omnia eorum bona obnoxia sint restitutioni; quod fieri nequit sine gravi saltem aliquorum creditorum damno. Imò prædicta etiam locum habere in debitore, qui injustè statum acquisivit, docet idem Urbanus post Gabrielem, Ledesma, & DD. citatos; limitans tamen semper, si debitor paratus sit damnum creditori emergens compensare, ad quod probabiliter postea erit potens: hanc limitationem contra rationem addi, asserit Burghaber *centur.* 1. *casu* 10. pro se citans Navarr. Verùm in hoc P. Franciscus Urbano meritò contrariatur, & à fortiori Patri Burghaber; quia ille non [illegible]m statum suum amittit, quàm alienum dimittat, & ad statum suum revertatur. His conformiter dic, si quis sua culpa in prædictas angustias sit prolapsus, ut v. g. ludo, gula, *&c.* teneri adhuc restituere; quia tum debet sibiipsi imputare, quòd sine jactura status restituere non valeat. Ita Layman. Busenb. & Franc. *loc. cit. num.* 267. qui *num.* 277. prudenter addit, ea, quæ in debitorum favorem diximus, non debere ad illos extendi, qui sunt infimæ sortis, quæ ad mendicismum valde accedit.

61. Tertiò ex parte debitoris etiam excusat ignorantia juris dubii aut facti: quam excusationem testatur P. Urbanus, esse ab omnibus receptam, ex eaque concludit cum Rodrig. quamvis hæredi per unum testem, etiam omni exceptione majorem, constet aliquid esse legatum à testatore, nihilominus illum non teneri id alteri præstare, si sit res alicujus momenti; quia unius hominis testimonium non facit, ut res non sit dubia; in dubio autem melior est conditio possidentis. Ita illi: quod est benenotandum. Sed quid, si certum sit de debito, incertum verò tam debitori, quàm creditori de solutione, de qua uterque dubitat? Aliqui ajunt, solutionem certam faciendam esse, alii negant quidquam restare solvendum: ubi ego cum prioribus sentio

ſentio ob meliorem conditionem poſſidentis : quidquid non irrationabiliter Diana *part. 11. tract. 5. reſol. 27.* dicat, tunc videri conveniens, ut inter ſe rem componant, & velit, ſententiam docentem nihil deberi, eſſe probabilem.

62. Quartò à reſtitutione facienda pauperibus, dum v. g. dominus rei ignoratur, excuſat, ſi quis rem reſtituendam ſibiipſi verè indigenti det: quo caſu eam poſtea, cùm ad pinguiorem ſtatum venerit, non tenetur dare alteri pauperi ; quia antea eſt factus ejus abſolutus dominus.

63. Quintò excuſat ingreſſus Religionis, ut poſt D. Thomam omnes communiter : tum quia ingrediens poteſt licitè cedere bonis (de quo ſtatim) tum quia per profeſſionem fit incapax ad ſolvendum : peccat tamen mortaliter, qui potens poſt paucum tempus ſuis creditoribus ſatisfacere, non vult ingreſſum ſuum aliquantulùm differre. Imo juxta communem DD. ſi poſt ingreſſum adhuc poſſit ſatisfacere per laborem honeſtum, tenetur eum exercendo ſatisfacere habito Superioris conſenſu : quidquid tamen ſimilem conſenſum, juxta quoſdam ſatis probabiliter, Superior præſtare non teneatur : & multò minùs tenetur Superior aut ipſum monaſterium reſtituere pro tali Religioſo, dum ipſe per laborem proprium non poteſt ſatisfacere. Adverte interim Pium IV. ad evadendas occaſiones litium & injuriarum, inhibuiſſe ingreſſum Religionis, & irritaſſe profeſſionem ejus, qui eſt gravatus ære alieno: cujus tamen ordinationem temperavit Clemens VIII. ita ut ejus profeſſio ſit quidem valida, minimè verò licita.

64. Sextò excuſat ſatisfactio facta creditori ſui creditoris ; licèt hæc in foro externo non admittatur, niſi fiat de conſenſu creditoris immediati, vel via juris.

65. Denique, excuſat ceſſio bonorum authoritate publica, ac jure civili introducta in favorem pauperum debitorum. Verùm hæc in conſcientia non plùs excuſat, quàm ipſa inopia ſive impotentia : quamvis interim poſſint occultari bona neceſſaria ad tenuem & honeſtam ſui ſtatus conſervationem. Si tamen, poſtquam quis ceſſit bonis, redeat ad ſtatum pinguiorem, tenetur præcedentia debita paulatim ſolvere, ut DD. communiter docent. Unde nullatenùs admitto, quod Danza & Novarius tradunt apud Dian. *part. 4. tract. 4. reſol. 78.* nempe prædictum non teneri poſtea ad reſtitutionem, ſi paſſus ſit ignorantiam & ſpeciem infamiæ: quia hæc infamia non infligitur loco ſolutionis, ſed tanquam pœna ob manifeſtam vel præſumptam culpam debitoris. Ita, ut dixi, DD. communiter.

66. An verò modo dicto aliqua bona occultare poſſit debitor, qui ex delicto ad reſtitutionem obligatur? Negativè reſpondet P. Urbanus cum communi contra Navarr. idque, quia uſus eſt in contrarium, qui delinquentem prorſus ſpoliat in pœnam, ut ait. Attamen pręter Navarrum oppoſitum

T t etiam

etiam sustinent Less. & Diana ubi supra: imo & horum sententiam videtur ipse Urbanus probabilem judicare, cùm tantùm dicat, suam fore tutiorem in conscientia: sed contra illam insurgit Franc. B. Spei *suprà num.* 280. dicens, similes potiùs pœna corporali, quàm tali beneficio esse dignos.

67. Diana *part.11.tract.6. resol.* 20. postquam attulisset duodecim causas à restitutione excusantes, inquirit, an dum quis ex justa causa ad tempus excusatur à restitutione, teneatur ad damnum emergens aut lucrum cessans creditori compensandum? Affirmativè respondent Molina & Layman; distinguit Dicastillus: ast Diana approbat negativam sententiam Castri Palai & Navarræ; cujus ratio est, quia cùm talis non sit in mora culpabili, non tenetur ratione injustæ acceptionis aut retentionis, nec ratione rei acceptæ, cùm nihil ad eum perveniat ex iis, quæ creditor amittit. Ita ille

68. Petes hîc fortè, quomodo Religiosus bona monasterii, contra voluntatem Superioris in usus illicitos expendens, obligari possit ad restitutionem?

69. Resp. cum P. Francisco *num.* 287. Religiosum è quatuor Ordinibus ostiatim mendicantibus, teneri vel magìs laborare, vel sibi ex concessis aliqua minùs necessaria subtrahere, vel aliunde ab amicis procurare bona, ex quibus debitam faciat restitutionem: idque licèt illa bona à Superiore aliàs legitimè concessa sint, quæ in usus illicitos consumpsit: quod idem Franciscus *num.* 289. contra P. Lugo & Pellizzarium efficaciter probat. Vide etiam N. Lezanam *tom.* 1. *qq. regul. c.* 6. *num.* 53. ubi religiosè & sapienter hanc materiam tractat.

70. Adde, Religiosum, cui cura temporalium incumbit, teneri ad restitutionem eorum, quæ ex ipsius culpa lata pereunt. Nota, restitutionem hîc non accipi rigorosè, prout ex propriis fieri debet, sed pro compensatione ex procuratis.

* * *

DISP. VIII.

DISPVTATIO VIII.

De contractu in genere.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex contractus.

1. Dico primò, contractus communiter à DD. definitur *ultrò citroque obligatio*; non quòd sit obligatio formaliter, sed causaliter, sive ipsa causa obligationis. Unde juxta Franc. N. *est pactum hinc inde obligationem generans.* Hæc definitio sumpta in rigore, non videtur omnes omnino contractus comprehendere; nam promissio & donatio gratuitæ non nisi in altero contrahentium obligationem generant. Verùm dici posset, has non esse contractus propriè dictos, sed mera pacta: est autem pactum, *plurium in idem consensus.* P. Urbanus expressiùs contractum definit, ut sit duorum vel plurium consensus mutuus, signo externo expressus, & in se invicem directus, super re aliquâ, pariens in utroque jus & obligationem vel civilem vel naturalem. Ita ipse *tract.3.tit.11.cap.1.fol.601.* ex qua definitione constat, quatuor necessariò requiri ad omnem contractum. Primum, ut fiat circa rem ab uno in alium transferibilem. Secundum, ut adsit causa efficiens, quæ est voluntas per suum consensum. Tertium ipsemet internus consensus. Quartum denique, ut dictus consensus per signum externum manifestetur: quod signum potest esse quadruplex, sive quatuor modis, sive signis, contractus perficiuntur, ut alii loquuntur. Primò, re, qualiter perficiuntur, qui requirunt alicujus rei traditionem, ut censeantur essentialiter completi; quales sunt depositum, mutuum, &c. Secundò verbis, qui ex hominum beneplacito certam verborum formam requirunt; ut dum quis dicit: *Promittis?* alio respondente, *promitto.* Tertiò contractus perficiuntur scripturâ, ut emphyteusis, &c. Quartò denique ipso consensu, qualiter perficiuntur omnes illi, ad quos sufficit solus contrahentium consensus qualitercumque expressus; modò tamen exprimatur per signa ex sensu communi significativa talis consensus. Obligatio autem definiri potest, *vinculum juris, quo homo, velit, nolit, ad aliquid astringitur.*

2. Dico secundò, contractus dividitur, primò, in formalem, in quo expressè obligatio contrahitur, & virtualem, in quo obligatio contrahitur implicitè: sic dum quis acceptat officium, eo ipso se implicitè obligat ad illud decenter obeundum. Secundò dividitur in nominatum, qui nomen specia-

speciale habet à jure, ut locatio, venditio, &c. & innominatum, qui nullum nomen à jure sortitus est; hicque quadruplex est, ut, *do, ut des, facio ut facias, do ut facias, & facio, ut des.* Insuper dividitur in contractum lucrativum, sive non reciprocum, in quo nihil rependitur, ut est promissio aut donatio liberalis; & onerosum, sive reciprocum, in quo redditur quid pro quo, ut fit in venditione, &c. Quartò iterum dividitur contractus in nudum, qui adhuc aliquid requirit, ut obliget; & vestitum, cui nihil deest, ut juxta jus civile robur habeat, quia videl. juxta juris exigentiam initus est coram notario & testibus, vel per scripturam. Ubi

3. Adverte, contractus nudos (& idem est de innominatis) parere strictam obligationem in foro conscientiæ, nisi fortè in casibus particularibus à jure positivo sint irritati. Probatur, quia de jure naturæ tenetur quisque stare suis pactis, quæ voluntate liberâ exteriùs expressâ iniit: & quidquid in foro externo nullam obligationem inducant ob legem *juris gentium*, 7. §. *de pactis*, ubi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit, sed exceptionem*: ob naturalem tamen obligationem adhuc habent dicti contractus alios effectus; primò enim impediunt soluti repetitionem. Secundò tribuunt jus compensandi in foro conscientiæ. Tertiò retineri potest pignus. Quartò efficaciter obligant, si accedat fidejussor; quæ omnia esse satis nota in jure, tradit Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 4.* Cæterùm contractus vestiti obligant in quolibet foro, si ex nullo capite irriti fuerint, ut certum est apud omnes.

DUBIUM SECUNDUM.

De contractu inito ex errore, dolo, aut metu.

4. Dico primò, error aut dolus circa substantiam rei, de qua initur contractus, irritat contractum; quia tunc verè deest consensus: econtra tamen non irritat, si error aut dolus solù sit circa qualitatem, ut DD. communiter docent; quia tunc adhuc semper adest substantialis consensus, ex quo maximè est sumenda substantia contractus. Si verò hîc error aut dolus esset causa contractus, ita ut illo absente contractus nullatenùs iniretur, poterit contractus rescindi pro arbitrio decepti, quia passus est injuriam: tenetur tamen illi stare deceptor, si alter velit; nam contractus est validus, ac ipse omnino liberè in eum consensit. Ita etiam DD. communiter: quidquid P. Urbanus non improbabiliter doceat, omnem contractum esse ipso jure probabiliter irritum, si error aut dolus contingat circa qualitates graviores, ac multum utilitatis adferentes ad effectum contractus ineundi; quia in contractibus, utpote ad utilitatem ac commoditatem institutis, consensus magis fertur in rei utilitatem, quàm in substantiam. Ita ille: hinc deduces, si quis

quis se pauperem fingendo accipiat eleëmosynam, teneri eum ad restitutionem, eò quòd consensus dantis feratur in solam paupertatem, cujus defectus destruit consensum: secùs ait dicendum, si pauper existens se fingat Sanctum, quia in sanctitatem primariò aut præcipuè non fertur intentio dantis eleëmosynam. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iustit. disp.* 5. *num.* 13. & *seq.*

5. Deinde, si dolus aut error causetur ab altero tertio non cooperante contrahente, tenetur stare contractui qui decipitur: quia alter habet jus sumendi fructum ex valido contractu, qualis est, ubi dolus aut error non est circa substantiam: ac absolutè ea videtur debere esse mens contrahentium, ut velint stare tali contractui; quamvis oppositum non improbabiliter doceant Lessius, Malderus, & Wiggers, ob regulam generalem, quâ dicitur, quòd non sequatur obligatio, dum subest aliquid, quod si ab initio patuisset, non fuisset initus contractus: ad quam tamen regulam responderi potest, eam solùm posse intelligi de contractibus lucrativis donationis aut promissionis gratuitis, ubi alter nullam patitur injuriam, licèt deceptus resiliat: aliàs enim si illa regula esset generalis, nullus ferè esset contractus inter homines certus & stabilis, ut notat N. Franc. *loc. cit.* & Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. quamvis adhuc eam satis latè extendat P. Urban. dum dicit; si error aut dolus accidant circa qualitatem notabilem materiæ contractus per immutationem, quæ consequatur ipsum contractum jam ratum, posteà posse rescindi propter mutationem illam supervenientem, si prævisa non fuit: quia, inquit, talis est virtualis intentio contrahentis. Ita cum ipso docent plures. Atque id existimo debere habere locum in contractu sponsalitio, in quo requiritur libertas major ob amorem necessarium inter conjuges, quem dictus dolor, error, aut mutatio tolleret: quare si sponsus post inita sponsalia fiat æger & incapax artificii exercendi, si sponsa amittat unum oculum &c. poterit alter resilire. Verùm de hoc latiùs suo loco.

6. Dico secundò, metus incussus ab intrinseco sive à causis naturalibus, non irritat ullum contractum. Patet ex votis factis in periculo naufragii. Quoad metum verò incussum ab extrinseco, sive à causis liberis, non conveniunt DD. adferam tamen aliqua ex Diana, & aliis apud ipsum *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 117. 118. & 119. quæ in praxi omnino tuta existimo. Igitur

7. Dico tertiò, contractus onerosi, qui ex metu etiam gravi & extrinsecè injustè incusso fiunt, sunt validi jure naturæ, excepto saltem matrimonio. Ita pluribus citatis docet Pontius contra Rebellium, & alios. Probatur ex dictis *de act. hum.* ubi docuimus, dictum metum non auferre libertatem. Imo & dictos contractus valere jure positivo, sustinet idem Pontius: sicque authores communiter sentire, asserit Franc. B. Spei *disp.* 5. *cit. n.* 17. qui non ponit distinctionem inter contractus onerosos & lucrativos: quamvis cum omnibus fateatur, dari actionem metûs causâ, & hanc suam sententiam

 limi-

limitet Pontius in contractu ludi, & alienatione rerum ecclesiasticarum, qui contractus metu facti, jure positivo irritantur. Itaque ante Judicis sententiam nulla adest obligatio restituendi in eo, qui taliter contrahendo metum intulit; quia adhuc contractus sunt validi in utroque foro donec alter exigat rescisionem.

8. Validos quoque esse jure naturæ contractus lucrativos ex simili metu initos, docent Sotus, Henriq. Ledes. Sanchez, & alii, quorum sententiam satis probabilem esse asserit Diana. Deniquè quoad metum levem extrinsecè incussum etiam DD. non conveniunt: eum enim invalidare contractum, docent Lessius, Rebellius, Sanchez, & alii *ex lege metum ff. quod metus causâ*; probantque ratione; quia, qui metu cogitur ad aliquem contractum, privatur per injuriam suâ libertate, cùm supponatur non contracturus, si metus abesset. Contrarium tamen docent Medina, & Pontius, quem ultimum dicit Diana sibi instar multorum esse: & etiam probatur, quia metus levis refutari potest ac deberet, cùm is qui agit ex metu, non prudenter agat, præsertim dum metus solùm est levis, quare omninò voluntariè videtur agere, cùm metum possit reprimere & non velit, adeoque non censetur talis passus injuriam nisi volens. Atque hanc sententiam dicit prædictus Pontius veram esse in foro conscientiæ & externo, quod & ut probabile admittit Diana. Unde ex his omnibus cum eodem Diana *p.3.tr.5.* suprà.

9. Conclude primò, Confessarium posse dare absolutionem pœnitenti non volenti restituere ei, cui injustè metum intulit: & è contra, si pœnitens passus est metum, posse Confessarium ei licentiam præbere, ut repetat ea, quæ jam tradidit.

10. Conclude secundò, promissiones factas latroni propter injustum metum, nullam inducere obligationem ratione justitiæ: & universim actus omnes, in quibus legitimus titulus est donatio vel liberalitas, si ex gravi metu, vel etiam ex levi, juxta aliquos, injustè illato fiant, ad nihil obligare, quamvis tamen è contra juxta alios ita metu, etiam gravi extorta ante sententiam judicis non sint restituenda; quæ à Confessariis diligenter sunt observanda, ut suo tempore consilia favorabilia pœnitentibus dare possint. Cæterùm de contractu inito ex metu incusso ab altero tertio loquere proportionaliter ad dicta de errore aut dolo à tertio causato. Fortè hîc

11. Peres, an Superior teneatur servare pactum de impunitate promissa reo? Multi apud Dianam *p.11.tr.7.res.16.* respondent negativè, & multi è contra affirmativè: ast meliùs videtur distinguere Diana inter Superiorem seu Judicem supremum & non supremum; cùm enim ille possit impunitatem concedere, non est cur non stet promissioni: hîc verò non potest eam concedere, adeoque ipse reus debet sibi imputare, quòd invalidæ promissioni fisus sit.

DUB. III

DUBIUM TERTIUM.

Quomodo contractus juramento firmetur, & de contractu conditionato.

12. NOta aliud esse, juramentum esse validum, & juramentum validare seu firmare contractum: primum namque fit quotiescumque juramentum servandum est ob honorem Dei, quod debet semper fieri dum servari potest absque peccato jurantis; nisi fortè is in cujus favorem est factum; servari non velit, vel per Episcopum aut alium legitimè relaxetur, vel etiam nisi à jure positivo irritetur. Secundum autem tantùm fit, quando alteri, in cujus favorem juratur, juramentum jus tribuit ad standum contractui sic per juramentum validato. Hoc notato,

13. Dico primò, contractus jure naturæ irritus, aut qui irritari potest, non firmatur juramento; licèt tamen ipsum juramentum servandum sit, si fiat circa rem licitam. Ita omnes. Firmatur verò contractus juramento toties quoties nec jure naturæ est irritus, nec ullam includit turpitudinem, quamvis sit irritus jure positivo; nisi fortè exstet dispositio irritans ipsum juramentum. Ita etiam DD. communiter: & probatur *ex cap. debitores de jurejurando, cap. Cùm contingat, & Autentica, Sacramenta puberum*, in quibus id expresè decernitur. Hoc etiam locum habere in nudis pactis, ita ut firmentur ac vestiantur accedente juramento, docent verius Covar. Panorm. Molina, & alii: quæ tamen probabilius puto non extendi ad juramenta impuberum, cùm in dicta Autentica soli puberes nominentur. Adverte insuper, ad hoc ut juramentum firmet contractum, non sufficere quòd sit merè assertorium, quo v.g quis jurat se intendere inire contractum etiam validè: sed requiri promissorium, quo quis jurat se non revocaturum contractum initum, seque ratificare id, quod promittit, non obstante juris positivi dispositione in contrarium.

14. Dico secundò, omnis conditio apposita de præterito vel præsenti non suspendit valorem aut effectum contractus; sed si vera est, statim infert eius valorem; si falsa, eo ipso eum annullat. Conditio de futuro è contra suspendit valorem usque ad conditionis eventum, eâque positâ contractus perficitur ac transit in absolutum: eâ verò tempore statuto non positâ, contractus omnino evanescit. Quòd si autem conditio sit de futuro impossibili, vel sit peccaminosa, irritat contractum, quia ut sic est signum dissensus, cùm nemo censeatur ferri vel consentire in rem impossibilem aut malam. Ita Urbanus *tr. 3. titul. 11. cap. 2. fol. 604.* ubi quoad hoc ultimum cum aliis bene excipit contractum matrimonialem

lem

lem & ultimas voluntates, in quibus conditiones turpes & impossibiles habentur pro non adjectis, ut colligitur *ex cap. finali de conditionibus appositis*. quod si tamen contrarium aliunde constaret, etiam in his standum esset contrahentium intentioni, quia *contractus ex conventionibus legem accipere dignoscuntur*. Quoad conditionem denique de futuro necessario, communiter pro non apposita habetur. Vide circa hæc P. Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 5. *n.* 31. *& seq.* ubi contractui conditionato annectit contractum *sub modo*, qui modus in eo conditioni affinis est, quòd sit quædam moderatio ex mente promittentis, aut legantis, dispositioni adjecta, ut *do mille aureos, ut me ad sepulturam admittas, sacellum ædifices*, &c. & in eo ab ea distinctus, quòd dispositionem & effectum illius non suspendat, bene conditio. In casu tamen dubio, an moderatio adjecta vim modi, an conditionis habeat, ex materia & verbis dispositioni adjectis decidendum est, & si adhuc dubium perseveret, conditionem esse, non modum, credi debet. Ita P. Franciscus post Palao, & alios. Est autem contractus *sub modo*, contractus sub dicta moderatione celebratus: qui, sive sub modo honesto, sive turpi, sive possibili, sive impossibili, sive necessario, si consensus de præsenti adsit, est validus: quia modus actum non suspendit, sed actui perfecto advenit.

15. Sed quid si modus non servetur? Resp. cum eodem P. Franc. *num.* 43. si, prudenter conspectâ promissoris aut donatoris mente, modus sit causa finalis principalis, & quasi conditio sine qua non, revocari potest contractus, & donatum repeti; secus si solùm sit causa impulsiva, qua cessante adhuc promissio aut donatio futura erat: licèt promissarius aut donatarius ad modum implendum, & non impleti interesse, compelli possit. In dubio verò utrùm fuerit causa finalis vel solùm impulsiva, puto, quòd in causa pia donatio præsumatur absolutè facta propter Deum & in peccatorum remissionem. Ita cum Franc. docent Abbas, Lessius, & alii.

Petes, quinam possint validè contrahere?

16. Resp. omnes habentes liberam bonorum suorum administrationem; pro quo vide dicta *in tract. de charit.* ubi *de eleëmosyna*: & adverte *ex l. cum lex* & *l. naturaliter*, validè in foro conscientiæ contrahere minorem, id est infra viginti quinque annos natum; item pupillum pubertati proximum, ut v. g. decem annis natum: quibus tamen conceditur restitutio in integrum, si in suo vel alterius pro se contrahentis contractu multùm læsi sint, ita disponente jure positivo. Adde generaliter, nullum posse validè contrahere nisi habeat rationis usum; quia contractus est actus humanus, qui necessariò debet esse liber. Vide hæc apud sæpe citatum Franciscum *loc. cit. n.* 50. *& seq.*

* * *

DISP. IX.

DISPVTATIO IX.

De contractibus in specie.

DVBIVM I.

De promissione.

1. Dico primò, promissio est spontanea fidei obligatio alteri facta de re bona & possibili; unde differt à proposito, cujus violatio non includit aliam turpitudinem correspondentem proposito, quàm inconstantiæ, non verò infidelitatis aut injustitiæ, quia fit nullâ fide datâ alteri.

2. Dico secundò, qui intendit promittere, & non se obligare, nihil efficit, nisi magìs efficaciter intendat prius; nam aliàs intenderet promittere & non promittere, quæ sunt opposita. Ad fugiendas autem deceptelas, tali in foro externo non adhibetur fides: imo & in conscientia tenetur posteà consentire, si aliàs promissarius grave inde pateretur damnum; quia injuriosâ suâ fictâ promissione esset ejus damni causa: quod juxta DD. communiter extenditur ad omnem fictè contrahentem. Puto tamen probabiliter, prædictum fictè promittentem aut contrahentem omnino satisfacere, si impediat aut compenset damnum, quod alter patitur ex simili fictione, cùm sic servet alterum prorsus indemnem, nec alia subsit ratio, cur in conscientia obligetur stare promissioni, aut alteri contractui, qui non est in se verus contractus aut promissio.

3. An promissio merè interna obliget? Non conveniunt DD. Certum interim est apud omnes, eam validam & obligatoriam esse, si fiat Deo, vel Sanctis; quod patet ex votis factis sola mente: idque etiam verius quidam putant, dum fit homini, si rationem & jus naturæ inspiciamus: quia quilibet implicitè acceptare censetur illud, quod sibi est apertè melius quàm ejus carentia. Ita Ledesma, Mendosa, Molina, & alii; quorum sententiam probabilem vocat Diana *part. 3. tractat. 5. resol. 116.* ubi asserit, ideo aliquem, qui alteri aliquid mente promisit, teneri patefacere hominibus, quæ pollicitus est; nam probabile est, inquit, in promissionibus posse transferri dominium per actum interiorem: additque se dedisse licentiam cuidam, ut sibi per occultam compensationem satisfaceret non restituendo certas pecunias alterius, quas apud se habebat, & hoc, quia alter eas ei promiserat actu interiori, nec poterat eas commodè aliâ

via obtinere. Verùm difficulter potest alicui certò constare de simili promissione sibi facta; & quia insuper sententia opposita P. Francisci *de Iure & Iustitia disput.6.num.8.* & aliorum est probabilior & communior, prædictus promittens hanc sententiam sequendo potest seipsum, etiam in foro conscientiæ, omni obligatione exuere, & promissionem suam silere: prætèrquam quòd in foro civili & jure positivo irritentur omnes promissiones, etiam externæ, ante explicitam acceptationem promissarii, ob multas difficultates & lites, quæ aliàs orirentur. Excipe tamen promissiones factas Civitati, & quasdam alias, quas vide apud Lugo, quæ etiam juxta leges positivas pariunt obligationem ante acceptationem: unde probabiliter omnis promissio externa obligat in conscientia ante explicitam acceptationem: quidquid oppositum, quod P. Franciscus absolutè sustinet, probabilius judicem, eò quòd promissio semper hanc conditionem: *Si promissarius acceptet, si ei gratum fuerit, quod promitto,* includere videatur, ne alioqui stulta appareat. Puto tamen promissionem certò obligare ante explicitam acceptationem, dum fit alteri præsenti & tacenti; quia tunc juxta regulam juris, qui tacet, consentire videtur.

4. Petes, qualiter obliget promissio externa explicitè acceptata à promissario? Sub mortali obligare in materia gravi, volunt Suarez, & Lessius apud Dianam *p. 4. tr. 4. resol. 122.* item Sanch. Navarr. Vasq. Malder. & alii apud eundem *p. 2. tr. 3. ref. 9.* Negant id tamen Cajet. Henriqu. Ledes. & Fernandez; quorum sententiam probabilem esse fatentur Lessius, & Diana: ac ratio est, quia frangere fidem in promissis non opponitur justitiæ, sed fidelitati dumtaxat, sive veracitati; sicut enim ex hac virtute tenemur dicere verum, ut verba respondeant menti; ita & obligamur implere promissum, ut verbis respondeant opera: unde hanc fidem frangere non est nisi mendacium, ac consequenter non est mortale, nisi sit perniciosum, sive promissario graviter nocivum. Verùm quidquid sit de probabilitate harum sententiarum.

5. Dico tertiò, an dicta promissio graviter vel leviter obliget, decerni debet ex intentione promittentis: qui si intendat se solùm obligare ex fidelitate (qualiter omnes communiter solent, nisi aliter expresserint) tantùm tenebitur sub veniali; secus si se intenderit obligare ex justitia. Ita expressè Urbanus *tr.3. tit.16. c.1. fol.655.* Franc. B. Spei *loc. cit. n.13.* & implicitè Diana *p.4. suprà,* ubi ait, solos ignaros vel pertinaces negare, hoc esse probabile, & in praxi tutum. Quòd si dubium sit, an promittens se intenderit obligare ex justitia, nec ne, judicandum erit in hujus favorem, quia *in dubio non est onus imponendum, quod non nisi sponte suscipitur:* &, ut bene Franciscus, pro libertate præsumendum est, quamdiu de obligatione non constat; *Odia enim restringenda, favores ampliandi.* Cæterùm quomodocumque se intenderit, vel non intenderit promittens obligare, semper tenetur stare promissioni, quando aliàs promissarius pateretur

inde

inde grave damnum; quia aliter inferret ei gravem injuriam: unde dum quis ob sibi factam promissionem certæ summæ pecuniarum, non petiit mutuum, dum id gratis poterat obtinere, & modò ob pecunias promissas non acceptas cogitur petere cum interesse (quo casu, juxta communem, tenetur promittens sub mortali stare suæ promissioni) tenetur promittens isti damno occurrere, vel gratis ei mutuando quantum ab alio gratis erat accepturus; vel solvendo interesse, cui causam dedit.

6. Petes primò, quanti momenti debeat esse res promissa, dum quis intendit se ex justitia obligare, ut teneatur sub mortali stare promissioni?

7. Respondet Navarr. apud Wigg. *tr. 5. c. 2. dub. 3.* sufficere, si sit tanti momenti, ut in materia furti censeatur res notabilis: esi nimis rigidè. Eam igitur debere esse multò majoris momenti docet meliùs Urbanus, quamvis non ausim approbare, quod volunt Sanchez, & Lopez apud Wigg. *loc. cit.* nimirum requiri, ut sit quadruplò majoris momenti. Quòd interim debeat esse momenti majoris, saltem duplò, probò, quia quod ex liberali promissione debetur, est longè imperfectiori modo debitum, quàm quod absolutè est alterius, vel quod alteri debetur ratione contractus onerosi, aut damni dati, ut per se patet. Vide P. Franciscum *num.* 14. qui & *num.* 16. inquirit ac resolvit varia de promissione facta ob turpem causam, quæ deduci possunt ex à nobis dictis *suprà disp. 7. dub. 7. post medium.*

8. Adde juxta eundem P. Urbanum, ad incurrendam obligationem ratione promissionis, requiri, ut velut in cautionem rei promissæ præstetur fides à promittente: unde communes illi modi promittendi, quibus utuntur homines inter discurrendum, ut bonam suam voluntatem invicem explicent, non sunt veræ promissiones, quantumvis illos juramento confirment, defectu nimirum intentionis se obligandi, cujus signum esse deberet illa fidei protestatio in securitatem rei promissæ. Ita Urbanus *ubi suprà.* Imo juxta Busenb. post Sa, vix quisquam promittentium intendit se obligare, aut alteri dare jus exigendi, nisi addat juramentum, vel faciat instrumentum; aliàs solùm videtur declarare suum propositum. Attamen diligenter cavendum est semper, ne alii ex dicto communi modo voluntatem suam explicandi decipiantur, existimantes, alterum verè promittere, ac sic promissum, quod expectant, non accipientes, detrimentum patiantur: quàm ob rem puto sæpe graviter peccare Procuratores & Advocatos multa fictè rusticis promittentes: quod idem dic de Medicis similiter multa ægris promittentibus; quia hi sæpe sunt causa, cur non advocentur plures Medici, qui forsan consultiora remedia adhiberent, & illi efficiunt, ut dicti rustici omnia ipsis committentes, litem amittant, quam adeundo peritiores ac diligentiores probabiliùs fuissent lucrati: quare similes omninò tenentur stare suis verbis, etiamsi ea se gratis præstituros promiserint, nec debitam compensationem exspectent.

Petes secundò, quænam excusent ab obligatione adimplendæ promissionis?

9. Resp. excusari, primò si observatio fiat impossibilis vel illicita: patet ex ipsa definitione promissionis. Secundò si superveniat mutatio talis, ut promittens meritò noluisset se obligare, si ab initio adfuisset, vel eam eventuram prævidisset: & hoc juxta regulam *disp. præced.* citatam. Tertiò si duorum sibi mutuò promittentium unus non stet promissis, disobligatur & alter, juxta axioma: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*, quod alibi exposuimus. Quartò excusat etiam ingratitudo promissarii: quibus quintum addit N. Franciscus, si causa, ob quam promissio facta est, nulla esse deprehendatur. Denique ad revocandam promissionem sufficit quodlibet aliud, quod juxta dicenda *dub. seq.* sufficit ad revocandam donationem.

DUBIUM SECUNDUM.

De donatione.

10. Dico primò; donatio est actio liberalis (id est, aliunde titulo justitiæ non debita) rei dominium transferens per actualem traditionem: unde ante traditionem necdum habetur jus *in re*, sed *ad rem* tantùm, ita ut si res, duobus successivè data, tradatur secundo, hic fiat ejus dominus; remanente tamen jure in primo datario agendi contra datorem, quantum intererat, ut illum non deciperet; ac si priori intenderit se obligare ex justitia, tenebitur sub mortali æquivalens restituere: pro quo vide dicta *dub. præc.* datio enim ante rei traditionem, juxta Lessium & alios, vix videtur differre à promissione, quamvis naturâ suâ dominium transferre deberet, si jus civile contrarium non statueret, teste N. Francisco.

11. Dico secundò, donatio variè dividitur: primò in realem seu perfectam, quæ juxta datam definitionem completur traditione: & verbalem seu imperfectam, cui adhuc deest traditio. Secundò dividitur in gratuitam & remunerativam seu antidotalem; prima est, quæ nullam omnino obligationem supponit; secunda verò est compensatio beneficii juxta obligationem gratitudinis. Tertiò dividitur in donationem puram, cui nulla apponitur limitatio, & non puram, cui certa limitatio apponitur. Quartò item in donationem inter vivos, & donationem causâ mortis; illa est, quæ ante mortem sortitur effectum; hæc, quæ solum morte confirmatur, ut sunt testamenta & ultimæ voluntates. Ut autem noscatur, quando donatio inter vivos fuerit, quando causâ mortis; attendendum, an facta sit mortis mentio in donatione, nec ne; quia cùm facta non est, donatio inter vivos censeri debet, licèt ab infirmo & morti proximo facta sit, ut habetur

l. Seja.

l. Seja, §. *finali*, *ff. de donationibus causâ mortis*. Ita Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 6. *n.* 22.

12. Dico tertiò, donare possunt, qui possunt contrahere aut eleemosynam facere; de quibus vide dicta alibi. Hîc tantùm,

13. Adverte primò, non esse illicitum facere aliquas donationes remunerativas iis, quibus est inhibitum jure positivo donare: quare illas possunt facere Religiosi: item & tutores ex bonis pupillorum ob exigentiam gratitudinis. Quoad Religiosos, vide P. Lezanam *tom.* 3. verbo *dare quoad Regulares*, ubi latè & benè omnia quoad hanc difficultatem discutit: & P. Franciscum *loc. cit. num.* 27. ubi notandum monet ex Bulla Clementis VIII. de largitione munerum ab Urbano VIII. confirmatâ, omnibus Regularibus utriusque sexus esse prohibita munera, *præterquam leviora, esculenta & poculenta, seu ad devotionem vel Religionem pertinentia munuscula, ex Superioris licentia danda*, &c. Unde Faustus & Paulinus Berti apud eundem P. Franciscum docent, eam quantitatem esse contra Bullam istam, quæ data sine licentia, esset materia furti mortalis: posse tamen Superiores sine gravi causa dare, & suis permittere dare infra annum levia munuscula, quæ universum non excedunt quatuor aureos, docet ibid. Verricellus, referens Clementem VIII. declarasse, munusculum valoris duorum aureorum esse leve: addens, cum causa gravi remuneratoria, eos posse absque transgressione Bullæ multò notabiliorem summam elargiri. Vide P. Franciscum *loc. cit.*

14. Adverte secundò, donationes inofficiosas (quibus scil. parens privat suas proles portione legitima (posse à prolibus revocari: parentes verò, gratuitis donationibus gravantes legitimam portionem filiorum, mortaliter delinquunt, quamvis tamen contra justitiam peccare non videantur, eò quòd filii non habeant jus strictum in hæreditatem patris, patre vivente. Vide Authores citatos à Diana *p.* 1. *tr.* 8. *de contract. resol.* 84. Prohibentur insuper jure communi donationes conjugum inter se; ne videl. ob excessum amoris se invicem bonis spolient, unde ad arbitrium donantis sunt revocabiles: adhuc tamen duobus modis confirmari possunt; juramento, quo conjux jurat se eas non revocaturum; & morte donantis: ad quod ultimum requiritur, ut res ante mortem fuerit aliquo modo tradita. Imo statim validantur dictæ donationes, primò, si Imperator det Imperatrici, vel econtra. Secundò, si fiant inter conjuges ad restaurationem ædium incendio dirutarum. Tertiò, si donans non fiat pauperior, quàm erat immediatè ante, ut si rem, quæ sibi daretur, permittat à conjuge pro se acceptari, vel si renuntiet hæreditati, ut perveniat ad alterum conjugem. Quartò, si conjux, cui aliquid datur à conjuge, ex eo non ditescat, ut si vir det uxori ad distribuendum pauperibus, vel in pias causas, ad emendos fucos, &c. Quintò, si id fiat, ut alter consequatur officium vel dignitatem. Sextò, denique etiam statim validatur donatio inter conjuges, si aliquid detur remuneratoriè.

15. Adverte tertiò, donationes pa-

tris in liberos non emancipatos, esse etiam invalidas, ita ut pro patris voluntate revocari possint: quod tamen non est idem de matre, eò quòd proles non sint sub potestate matris, sed patris, cujus etiam donationes juramento firmantur, sicut & morte patris. Item valent statim dictæ donationes, primò, si aliquid detur in dotem. Secundò, si filio ad bellum eunti dentur aliqua bona mobilia. Tertiò, si professuro aliquam disciplinam dentur quidam libri. Quartò, si donatio fiat in remunerationem obsequiorum, vel ob alios fines, ob quos diximus validari donationes inter conjuges. Hæc omnia deducuntur ex variis legibus, quas videre poteris in compendio Lessii *cap.6.q.15, & 16.*

Petes primò, quantum quis validè donare possit?

16. Resp. inprimis jure communi invalidam esse donationem omnium suorum bonorum, *ex L. stipulatio hoc modo 61.ff. de verb. oblig.* cujus ratio communiter redditur, quia per illam donationem aufert donans sibi potestatem liberam condendi testamentum, quod est contra bonos mores civiles. Excipiuntur tamen duo casus, in quibus dicta donatio est valida: primus, si fiat Ecclesiæ vel in causas pias; non videtur enim jus civile in hoc posse Ecclesiis vel causis piis derogare, neque bono spirituali donantis. Ita Wiggers, citans Covar. & Julium Clarum, quibus addo Less. Becan. & Urbanum. Secundus casus est, si prædicta donatio juramento firmetur; quia cùm naturaliter bonis moribus non repugnet, nec simpliciter loquendo sit peccaminosa, à juramento robur accipit. Ita DD. satis communiter: quidquid Franciscus B. Spei *de Iure & Iust. disp.6.n.34.* dicat, in his omnibus donationibus invalidis juramentum nihil prodesse, quia juramentum sequitur naturam rei, circa quam fit, nec proinde dare potest ullam irrevocabilitatem, aut valorem non habenti; estque contra bonos mores, & vanum, non secùs, quàm talis donatio. Ita etiam docent Azor. Molina, Dicastillo, ut dixi, contra cæteros communiter. Insuper DD. communiter censent, validam esse donationem, qua quis donat omnia sua bona præsentia; poterit enim postea alia acquirere, & de iis testari: unde non est invalida donatio, qua simpliciter dicitur, do tibi omnia mea bona: quia hoc solùm intelligitur de præsentibus. Item, quando quis aliquid sibi reservat, licèt absolutè det cætera omnia, ob eandem rationem. Tertio valet etiam donatio omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, si fiat causâ mortis, ut sæpè faciunt conjuges, dum paciscuntur, quòd superstes habebit omnia, si nulla proles sequatur; quia neque hæc donatio adimit potestatem testandi: si enim hac donatione non obstante conjux instituat alium hæredem, poterit hic conjugi superstiti detrahere, sibique retinere quartam partem bonorum donatorum, quam Jurisconsulti Falcidiam appellant. Vide Wiggers *tract.5.cap.2. dub.9.*

17. Resp. secundò, etiam invalidam esse donationem excedentem summam quingentorum solidorum, ita ut non teneat quoad excessum dictę summæ,

mæ. Ita expressè statuitur *L. penult. codice de donatione*, circa finem: excipe tamen casus suprà positos, quibus & adde citatos à Busenbaum: quorum primus est, si judici insinuata fuerit, tunc etiam valebit quoad dictum excessum. Secundus, si fiat in reparationem ædium incendio dirutarum. Tertius, si donatio sit remuneratoria, vel si fiat militibus à duce exercitus ex bonis propriis mobilibus, vel hostium spoliis. Adverte insuper ex eodem Busenb. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. post Julium Clarum, summam quingentorum solidorum hodie excurrere ad septingentos, vel octingentos aureos. Imo P. Urbanus *loc. suprà cit.* dicit, ipsos quingentos solidos facere, sive æquivalere septingentis aureis. Additque in his omnibus esse consulendos Provinciarum mores, si fortè in hac parte discrepent à jure communi.

18. Hîc insuper nota in edicto Principum Belgii, anno 1611. statutum esse, ut omnis donatio, contractus, vel ultima voluntas, disponens circa rem ultrà trecentos florenos valentem, vel summam illos excedentem, scripto fieri debeat, sub contrahentium signatura: quod statutum reperio apud Antonium Anselmo *in Comment. ad Edict. perpet. anni* 1611. *art.* 19. ubi dicit, id locum non habere in Hannonia ob contrariam consuetudinem ibi publicatam post receptionem edicti. Nec similiter Antverpiæ in contractibus, qui ad negotiationē seu mercaturam spectant, & qui in bursa, seu mercatorum conventu celebrantur, prout ostendit §. 21

Petes secundò, quandonam donatio inter vivos possit revocari?

19. Resp. eam, etiam traditione & acceptatione completam, posse revocari: primò, ob enormem donatarii ingratitudinem; ut si donanti inferat graves injurias, vel impias in eum manus conjiciat, aut non impleat conditiones appositas; vel si donantem, modò pressum inediâ, non alat, à quo ingentem summam accepit: quod Becan. in compendio Lessii, & nuperrimè Busenb. bene notandum monent pro filiis, quibus parentes donarunt omnia: quos tamen postea filii negligunt. Secundò etiam revocari potest donatio propter susceptionem prolis, ita disponente lege positiva, maximè ob præsumptam donantis intentionem: & quidem si donatio sit facta extraneo, revocari potest tota, si patri, avo aut proavo, vel Ecclesiæ, vel causis piis, revocari potest, quantum necessarium est, ut proles susceptæ non careant legitima. Imò, juxtà Lessium à Busenbaum citatum, expedit, ut tunc Prælatus etiam restituat totum, quod Ecclesiæ vel monasterio datum est: limita tamen, modò monasterium habeat unde commodè restituat. Hæc interim vera sunt, licèt donans jurasset, se non revocaturum donationem; ut docet P. Franc. *disp.* 6. *cit. num.* 25. quia & hoc juramentum includit dictam conditionem, nisi fortè quis expressè illam exclusisset; quo casu non posset revocare suam donationem nata prole, bene tamen adhuc ipsa proles patre mortuo: quæ omnia aliqui extendunt etiam ad prolem illegitimam, aliis communiùs negantibus cum Francisco N. *loc. cit. num.* 36. qui & *num.* 39. benè negat, si pro-

si proles moriatur, ob cujus nativitatem pater revocavit donationem, hanc reviviscere: quia donatio semel exstincta, sine reali titulo non reviviscit. Tertiò revocari etiam potest donatio, si sit inofficiosa, de qua parum ante.

DUBIUM TERTIUM.

De ultima voluntate, & testamento.

20. Ultima voluntas est gratuita dispositio eorum, quæ quis post suam mortem fieri vult. Dividitur in Testamentum, Codicillum, Legatum, Fideicommissum, & Donationem causâ mortis.

21. Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult cum directa institutione hæredis. Ita habetur *lib. 1. ff. de Testam.* Codicillus verò est ultimæ voluntatis dispositio, qua circa factum testamentum aliquid ordinatur, additione, mutatione, &c. Legatum & Donatio causâ mortis, est dispositio ejusdem ultimæ voluntatis, per quam hæres gravatur ad rem legatam, vel ita donatam præstandam legatario aut donatario. Fideicommissum denique in hoc à Testamento differt, quòd per illud non directè, sed tantùm indirectè quodammodo quis hæres instituatur: per Fideicommissum enim testator committit fidei hæredis sui, ut deferat hæreditatem, vel in totum, vel in partem, alteri substituto post aliquod tempus elapsum, vel post conditionem aliquam impletam. Quamvis autem materia de testamentis maximè ad jurisperitos pertineat, pauca tamen, etiam Confessariis necessaria hîc subjiciam. Ante omnia igitur

22. Adverte, plures requiri solemnitates à jure civili communi ad testamentum clausum: primò enim debet scriptura confici. Secundò, requiruntur septem testes masculi, puberes, & ad id rogati, quorum nullus institui potest hæres: hi tamen ad codicillum sufficiunt quinque: inter quos etiam possunt esse mulieres; nec debent esse rogati. Ad hoc autem ut testes censeantur esse rogati à testatore, vel alio illius voce, satìs est, quòd nomen suum subscripserint sciente & tollerante testatore, vel hoc sciente & tollerante permiserint sua nomina subscribi à notario. *Arg. l. qui patitur, ff. mandati.* Et *l. cùm ostendimus, §. fin. ff. de fidejussor. tutor.* Insuper ad testamentum requiritur notarius, vel octavus testis ejus loco, qui cum aliis septem subscribat, & quasdam alias solemnitates observet, ut habetur *l. hac consultissima, codice de testamentis.* Requiritur item, ut testator coram simul existentibus testibus dicat, illud suum esse testamentum, & statim coram iisdem illud subscribat: quòd si non possit, octavum testem adhibeat, qui ejus loco illud subscribat. Denique requiritur etiam, ut scribatur hæredis nomen. Ita Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 7. num. 7.* dicens & aliud addi posse, ut scil. apponatur dies, mensis, & annus; quia tale testamentum censetur scriptura publica, de cujus ratione id est.

23. Ad testamentum nuncupativum seu

ſeu apertum, duo requiruntur. Primum, ut ſeptem teſtes adſint, mares, puberes, &c. Secundum, ut illi audiant teſtatoris voluntatem ſcriptam aut voce prolatam. Si verò ſcribatur, tutiùs erit teſtatorem ſubſcribere ſi poſſit, aut impotentiam per tabellionem declarari, nam lex *Pragmatica* id fieri præcipit in omni ſcriptura publica P. Franc. *num.*8.

24. Si quæ deſint ex conditionibus poſitis, teſtamentum in jure civili eſt invalidum; certis tamen caſibus exceptis, in quibus ex privilegio teſtamentum eſt validum etiam in jure civili: imprimis enim ferè ab omnibus jam poſitis eximitur teſtamentum militare, nam ad hoc duo teſtes ſufficiunt, etiam non rogati, ſi pugnandi tempus immineat, licèt ſcriptum non ſit: ſi verò ſcriptum ſit, ſufficit quòd conſtet de ultima voluntate per legitimam ſcripturæ recognitionem. Vide P. Franc. *num.*9. qui hæc extendit etiam ad teſtamentum peſtiferi, vel etiam ſani ad domum peſtiferam adſtricti. *num.*13. deinde approbatur teſtamentum partis inter liberos cum duobus teſtibus; niſi magna & notabilis inæqualitas in inſtitutione liberorum commiſſa foret; tunc enim teſtamentum cenſeretur ordinarium & non privilegiatum: pro quo vide Anſelmum *in art.*14. §.27. Inſuper admittitur teſtamentum ruri degentium factùm in præſentia quinque teſtium, licèt non ſubſcribant. Deniquè etiam à ſolemnitate teſtium liberatur teſtamentum factum in præſentia Principis: quæ omnia diverſis legibus ſancita ſunt, quas vide apud Wigg. *tract.*5.*cap.*5.*dub.*3.*num.*10. Hæc de foro civili: quia tamen maximè de foro conſcientiæ competit ſcire Confeſſariis.

25. Dico cum Urbano *tr.*3.*tit.*16.*c.*2. abſolutè valere in foro conſcientiæ teſtamenta facta ſinè ſolemnitatibus juris civilis aut canonici. Prob. quia de jure naturæ ſunt valida, ſi adſit poteſtas in diſponente & capacitas in eo, qui recipit; neque de jure civili requiruntur ſeptem teſtes, & de jure canonico duo, ità ut abſque iis oriatur impedimentum ne valeat diſpoſitio; de illo enim impedimento nuſquam jura loquuntur. Solùm igitur jura exigunt illas ſolemnitates, ut probentur in foro externo, ab illoque ſuſtineantur; quarum proinde defectu teſtamenta relinquuntur propriæ naturæ, quæ eſt ut omnis libera diſpoſitio valeat in foro conſcientiæ, ſi ortum habeat à libera poteſtate. Ita Urban. poſt Adrianum, Angelum, Tabienam, Sylveſt. Reginal. Malder. & multos alios recentiores citatos à Wigg. ſuprà *num.* 15. quorum ſententiam & ipſe vocat probabilem, maximè ob duas leges, ex quibus ſuam ſententiam firmat Malder? Attamen iis omnibus non obſtantibus ſuſtinet idem Wiggers etiam ſententiam oppoſitam eſſe probabilem, quam apud ipſum ſuſtinent Covarr. Gomez. Suar. Rodrig. Bonac. & alii: ratio eorum eſt, quia jura declarant teſtamentum debitis ſolemnitatibus deſtitutum haberi pro infecto, pro irrito, pro nullo, ut patet *ex L. ſi quæramus ff. qui teſtamenta*; *L. ſi unus, codice de teſtamentis, & L. hac conſultiſſima.* Verùm re-

ſponderi poſſet, leges illas tantùm denegare actionem, quando teſtamentum non eſt debitè ſolemniſatum, tanquam non ſit ſatis per illud probatum, talem fuiſſe ultimam voluntatem defuncti. Quare

26. Conclude, illos, quibus aliquid teſtamento minùs ſolemni eſt relictum, poſſe illud retinere abſque ſcrupulo, vel occultè ſibi ſatisfacere, ſi deſit ſcandalum. Imò juxtà Leſſ. Lugo, Beca. & Buſenb. ſi hæres ab inteſtato fateatur mentem teſtatoris fuiſſe, ut hæreditatem nomine fideicommiſſi alteri traderet, vel legatum aliquod ſolveret, aut ſi oblato juramento jurare noluerit oppoſitum, cogendus eſt, etiam in foro externo hæreditatem tradere, vel legatum ſolvere: poterit tamen detrahere quartam partem in caſu fideicommiſſi, quam vocant trebellianam. Verùm his etiam non obſtantibus, non auſim negare, poſſe probabiliter Confeſſarium abſolvere hæredem ab inteſtato, qui teſtamento minùs ſolemni ſatisfacere non vellet conformando ſe oppoſitæ ſententiæ, quam nullus poteſt dicere eſſe improbabilem. Vide Franciſc. Bonæ Spei *loc. ſæpè cit. num.* 24.

27. Adde interim mihi certum eſſe, teſtamentum ad pias cauſas, etiam in foro externo eſſe validum, modò adſint duo teſtes requiſiti à jure canonico. Patet *ex cap. relatum* 1. *de teſtam.* ubi id declarat Alexander III. qui ut minùs in hoc potuit legibus civilibus derogare, quatenus ſcil. impediunt ſtudium & curſum bonorum operum. Imò ne quidem duos teſtes aliqui putant neceſſarios, ſi adhibita ſint, quæ jure naturali ſufficiunt ad dominii tranſlationem faciendam per ultimam voluntatem, eò quòd jus civile non valeat reſiſtere teſtamento pro cauſis piis facto, & jus canonicum ſolùm requirat duos teſtes, ut in foro externo probetur quantum ſatis eſt: prout *ex cap. relatum* citato volunt poſſe colligi: unde P. Gobat *in praxi Clement. Iudic. Decade* 6. *num.* 311. docet, Judicem, non tantùm in foro eccleſiaſtico, ſed etiam civili, teneri de diſpoſitionibus ad pias cauſas factis judicare ſecundùm ſacros canones, & non ſecundùm leges, aut ſtatuta ſæcularium Magiſtratuum; pro ſe citans Tiraquellum *l. c. privil.* 163. & 164. innumeros alios referentem. Vide etiam P. Franc. Bonæ Spei *diſp.* 7. *n.* 5. & 19. ubi hæc habet: *Si teſtator coram teſtibus dixerit, ſe quoad pias cauſas Confeſſario aut Parocho ſuam mentem aperuiſſe, Confeſſarius aut Parochus audiri debet, ejuſque declarationi ſtandum, ſi prudenter præſumatur verùm dicere. Ita Covarr. Navar. licèt in teſtamento ad profanas cauſas irrita ſit inſtitutio hæredis ad arbitrium, vel liberam voluntatem tertii.* Vide eundem etiam *num.* 23. & Antonium Anſelmo *in art.* 14. *Edicti perpetui* §. 61. ubi ſic loquitur: *Teſtamenta ad pias cauſas, Epiſcopi debent cognoſcere, & exequi juxta ſacrorum Canonum ſtatuta, non obſtantibus, conſuetudine immemoriali, privilegio, vel ſtatuto Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 8. *Quò oculos deflectendo, dicendum eſt, ejuſmodi relicta non requirere ſolemnitates hujus Edicti.* Ita ille, reſpondens ad ea, quæ objici poſſent in contrarium: cujus authoritas in his materiis plurimùm æſtimanda eſt, quia ferè omnium à ſe dicto-

rum

rum adfert declarationes Principum.

Quia autem hîc mentionem facimus testamenti pii; Nota legatum Ecclesiæ deberi Ecclesiæ loci, in quo testator habitavit ex *Novel.*131. *cap.*9. *Si quis in nomine.* Quod si condito testamento mutaverit domicilium, plures volunt deberi Ecclesiæ loci, in quo habitavit tempore testamenti: plures econtra Ecclesiæ loci, in quo habitavit tempore mortis. Conformiter loquere de legato pauperibus relicto juxta ea, quæ habentur *l. si quis* 49. §. *ubi autem c. de Episc. & cleric.* quia verò *Novel.*131. *c.*9. habetur, legatum Ecclesiæ certi sancti, dum nescitur cui, deberi pauperiori ex pluribus; si electio pauperum nulli sit commissa, debet distribui in pauperiores. Vide circa hæc Dianam *part.*10. *tract.*15. *resol.*18. Adde, licet, dum distributio commissa est v.g. executori testamenti, non debeat seligere pauperiores, non posse tamen eum dare totum uni, quia locutio pluralis non observaretur. Vide eundem Dian. *eâd. part.*10. *tract.*11. *resol.*59. Hæc extende etiam ad legatum determinatæ personæ pauperi, dum hæc non invenitur; quod distribui debet pauperibus civitatis, cum præsumatur esse relictum pro salute animæ: idque est conforme *Novel.*131. *c.*9. Dubitabis fortè, an legatum pauperibus, possit applicari Ecclesiæ pauperi. Affirmant varii, quorum doctrinam ut probabilem admittit Diana *part.* 8. *tract.*5. *resol.*58. Negant tamen Navar. Sylvester, Angelus, aliique: & meritò, quia videtur mens testatoris clara esse, ut detur personis, vel maximè, cum in parochiis curatores fabricæ, & curatores pauperum soleant esse diversi; prout bene observavit P. Scilder *tract.* 4. *num.*312. qui *num.*311. asserit hîc nomine pauperum venire Religiosos pro sua necessitate mendicantes, ita ut executor, licèt sit ipse Religiosus, illis supradicta legata distribuere possit. His subjunge: dum in testamento jussa sunt aliqua sacra fieri in Ecclesia certa, hâc dirutâ, vel ab hæreticis interceptâ, sacra alibi fieri debere, scil. in ea Ecclesia, in qua fieri deberent, si, dum jussa essent fieri in Ecclesia certa, hæc ignoraretur: quod colliges ex supra positis. Insuper etiam pro testamento profano

28. Adverte ex Gudelino *l.*2. *de Iure noviss. c.*5. post Viglium Præsidem, moribus nostris Belgicis, & omnium ferè populorum hodie procul à jure civili Romano recessum esse, ita ut fere parochi, notariive, & duorum triumve testimoniis sufficiat constare de ultima voluntate testatoris, ut etiam in foro externo det actionem, satis conformiter ad jus canonicum: unde *nec hæredis institutio moribus necessaria est ut sit testamentum, idcirco testamenta vix differunt à codicillis.* Ita ille. Unde mirum est P. Marchant. Nostratem *casu ult. suarum resol.* respondisse, testamentum, ob defectum institutionis hæredis, quam formam essentialem vocat, non obligare in conscientia; & noluisse credere Sanchez à se citato, docenti jure novissimo testamentum valere absque hæredis institutione. Miror etiam P. Scilder hac in parte errasse, dum *tract.*4. *num.*217. absolutè docuit, directam institutionem hæredis esse fun-

damentum testamenti. Nec parum per hoc confirmor in illa opinione, quam *tract.* 1. *disp.*2. *num.* 13. contra hunc authorem defendi ; videl. aliquem posse sequi opinionem probabilem aliorum contra propriam ; cum videam viros profundè doctos sequendo opinionem propriam decipi in re modò tam clara, ut quidam Jurisconsultus magnæ famæ nobis retulerit, rem hanc non verti amplius in dubium.

Debet tamen adhuc in his Provinciis inferioribus juxta perpetuum Edictum Archiducum Alberti & Isabellæ Principum Belgii de anno 1611. *art.*12. constare per subscriptionem testatoris, & duorum testium ad hoc vocatorum, si scribere noverint, de quo inquiret Notarius, Pastor aut Vice-pastor : quòd si non noverint scribere, debet illius fieri mentio, ut in foro civili subsistat testamentum. Cæterùm in his omnibus exactè sequendæ sunt leges & statuta provincialia , si quæ alia exstent : debent enim testamenta fieri juxta leges loci, in quo conduntur. Verisimilius tamen putat Franc. B.Spei *num.*18. Testamentum de re subjecta loco extraneo, sive extra jurisdictionem istiusmodi legislatoris, debere habere solemnitates in loco isto requisitas ; quia ibi debet valere testamentum, ubi debet effectum habere, & juxta valorem suum operari ; alioqui quis coget ad servandum testamentum ? Ita ille. Contrarium tamen dicit communi DD. calculo receptum Antonius Anselmo scribens super *art.*14. *suprà citati Edicti* §.89. citatque præclaros Authores , qui tradunt , suam sententiam in supremis Tribunalibus esse receptam, quam & ostendit Consilium Privatum confirmasse *ultima Iunii* 1634. declaratione, quam ibi ad longum adfert. Verùm quia hæc declaratio non cogit ut alibi servetur simile testamentum, ubi Judices à dicto Consilio non dependent, ut bene notavit P. Franciscus, consulo, ut serventur etiam solemnitates loci, in quo bona degunt, dum id fieri potest.

29. Petit Diana *p.*11. *tract.*2. *resol.*31. an dum Confessarius vel alius omni exceptione major affirmat hæredi, testatorem voluisse relinquere Titio legatum, hæres teneatur hoc credere & legatum solvere ? & negativè cum Fagundez respondet contra tres alios, eò quòd unus testis non destruat bonam fidem, sed solùm obliget ad faciendam diligentem inquisitionem de veritate, & quamdiu veritas non reperitur, potest res tutò retineri. Idem inquirit *tract.*4. *resol.*19. an si testator v.g. plures habens equos Titio legaverit equum, quis eum eligere debeat ? Post adducta & soluta argumenta in oppositum, tribuit electionem Titio, demonstrans tamen ex variis legibus eum, nec posse optimum, nec teneri vilissimum eligere , sed mediocrem. Cæterum in testamento dubio , seu obscuro, standum est interpretationi testatoris , quamvis sinè solemnitate & post confectum testamentum eam dederit. *Nihil enim nunc dat , sed datum significat* , ut habetur *l. hæredes* 21. *ff. qui testamenta.* Si verò testator non dederit interpretationem , nec hanc uni alteri commiserit ,

sequenda

sequenda est interpretatio judicis, aut arbitri electi.

In dubio, quisnam ex pluribus sit legatarius legati profani, nulli legatum deberi, nisi electio legatarii sit hæredi relicta, docent Bartolus, Menochius & alii, quos citat & sequitur P. Scilder *tract.* 4. *num.* 290. adferens pro se varias leges: quibus non obstantibus, Molina, Diana, & Lugo ab eodem citati volunt tunc in foro interno legatũ debere dividi, prout certò debetur legatum ad piam causam, licet personis incertis sit relictum. Est clarum ex *l.* 24. *c. de Episc.* ubi expresse dicitur; *Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum firmúmque consistat.* Vide etiam *l. nulli.* 28. & *l. si quis ad declinandam.* 49. *c. eodem.*

Petes primò, quinam possint testari, & qui hæredes institui?

30. Resp. primò, eos omnes posse testari, quibus nec jure naturali nec positivo est inhibitum: jure autem naturæ carent potestate testandi fatui, nisi habeant lucida intervalla, infantes ac alii quicumque usu rationis destituti. Jure verò positivo testari prohibentur impuberes, & filiifamilias, qui etiam puberes (id est post annum 14. si masculi, & fœminæ post annum 12.) testari non possunt nisi de bonis castrensibus. Deinde etiam qui surdi & muti sunt à nativitate. De testamento cæci, vide plura apud Dian. *par.* 11. *tr.* 7. *resol.* 41. Prohibentur item testari prodigi, quibus interdicta est bonorum administratio, mancipia, Religiosi (pro quibus vide Lezan. *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 19. & *tom.* 4. *verbo Testamentum:*) Clerici de bonis sui beneficii, circa quæ non possunt testari licitè, nisi pro causis piis: damnati ad mortem, vel perpetuum exilium, aut carcerem similiter perpetuum: usurarii denique publici. Ita ex jure communi omnes DD. communiter. Quia autem nullo expresso jure id inhibitum est excommunicatis, puto contrà Hunnium hos posse validè testari. Franc. B. Spei *disp.* 7. *num.* 35. Dian. *p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 20. & alii plurimi, quos citat Maulius *tract. de ult. volunt. l.* 1. *tit.* 2. *num.* 20. excipe tamen excommunicatum pro hæresi, pro usuris, aut propter injuriam factam Cardinali, quibus per particulares constitutiones inhibitum est testari.

31. Adde, ad testamentum condendum inhabiles, non posse etiam esse testes in testamento alterius, sicut nec possunt esse testes in testamento filiifamilias pater, & is qui est in patria potestate, nec hæres, nec is qui in hæredis est potestate: testimonium tamen Religiosi, sinè venia sui Prælati, testamentum non irritat, etiam pro Ecclesia sua, etsi consultò, uti & Parochus, unum aut duos alios adhibeat. Ita Franc. B. Spei *suprà num.* 19.

32. Resp. secundò, hæredes institui nequeunt; primò, omnes illi, qui ob gravia delicta privati sunt activa potestate testandi; quamvis tamen juxta plures hanc pœnam non teneantur subire, nisi post sententiam judicis declaratoriam: Secundò Civitates hostiles: Tertiò Minoritæ & Capucini, neque in particulari, neque in communi; volunt tamen Malder. & Wigg.

posse in eorum favorem relinqui hæreditatem, ita ut hæc per executores testamenti vendatur, ipsisque pretium detur. Cæteri interim Religiosi possunt hæredes institui in communi; ac dum quis eorum hæres instituitur in particulari, ejus nomine succedit Monasterium sive Communitas. Quid, si illis legentur bona immobilia, quorum sunt incapaces, juxtà Edictum Imperatorum? Vendi debere, & pretium illis applicari, probat N. Franciscus *num.* 52. Vide etiam P. Scilder *tract.* 4. *num.* 277. qui testatur, cum communi sic docere Menochium, & Mantic. Idem Author *num.* 284. *& seq.* probat, testatorem habentem jus aliquod in rem alienam, tantùm præsumi legare jus illud: sed si scienter legaverit rem alienam, in quam jus non habet, præsumi eum voluisse, ut hæres illam procuret; aut si dominus eam pretio rationabili vendere nolit, det legatario illius æstimationem. Nisi sit res, quæ alienari non potest sinè extraordinaria licentia Principis aut Ecclesiæ. Ratio principalis est, quia testator præsumitur aliquid voluisse validè legare. Cæterum dum testator rem à se legatam posteà alienat, non hoc ipso censetur illud adimere, nisi probetur, adfuisse animum adimendi. §. 13. *l. de legat. si rem suam.* Ille autem animus non censetur adfuisse, dum id fecit ex necessitate. *l. Scribit* 34. §. *Item scribit ff. de auro & argento.* & *l. fideicommissa.* 11. §. 12. *ff. de legat.* 3. *si rem suam.* ubi id expresè declaratur. Quare dum testator legavit creditum, & debitor ante illius mortem solutionem ultrò obtulit, quàm proinde recusare non potuit, debet dari valor crediti. Ille item animus non censetur adfuisse, dum in locum rei sponte alienæ aliquid aliud est substitutum, aut pecunia ex alienato confecta est reservata in deposito. quod patet ex *l. filia* 28. §. *Attia ff. de condit. & dem.* Item ex *l. Pater* 23. *ff. de adim. leg.* Hinc patet, dum nuper quædam vidua Bruxellis legasset variis ordinibus certos reditus, & inter hos aliqui ante illius mortem essent refusi, summas capitales justè loco redituũ refusorum fuisse solutas, eò quòd ipsa ex necessitate illas refusiones passa esset. Et verè stupui intelligere ab hæredibus, aliquos Jurisconsultos resolvisse, hæredes quoad reditus refusos ad nihil teneri. Et eò magis, quòd in instrumento haberetur *relinquo capitales nummos talis reditus*, quos constabat in domo testatricis post mortem esse repertos. Imò & maximè, cùm apud nummos inventa esset scedula manu testatricis scripta, in qua habebatur, *in hoc sacco sunt tot*, &c. *pro istis ordinibus.* Stupui, inquam, audire in re pia dari tam impia consilia.

An illegitimus possit hæres institui? Non facilè resolvitur: pro quo adverte illegitimum alium esse spurium, alium filium naturalem; hic dicitur qui natus est parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis nullum intercessit impedimentum dirimens; è contrà verò ille dicitur spurius, inter cujus parentes & conceptionis & nativitatis tempore est tale impedimentum: ex quo patet communem plebem abuti illo nomine *spurius*, dum omnem illegitimum vocat spurium. Hoc notato

33. Resp.

33. Resp. tertiò spurius non legitimatus, non solùm non potest institui hæres à parente per testamentum; sed nec quidquam potest ab eo accipere causâ mortis; neque etiam per contractum inter vivos, prout *ex authentica licet Codice de naturalibus* colligunt Julius Clarus, Covarr. & alii. Imò nec potest hæres institui indirectè: quare si parens alterum hæredem instituat, qui ad instantiam parentis promittat se hæreditatem restituturum spurio, non tenetur hic stare promissis, quia promissio nulla est, utpotè contrà legem; imò si de ea promissione constaret, esset talis hæreditas confiscata *ex leg. penult. ff. de jure fisci,* quamvis tamen alter eam fisco non teneatur tradere ante judicis sententiam, quia est lex pœnalis. Atque hæc communiter omnes etiam extendunt ad matrem, licet nulla alia proles supersit; illegitimus enim, qui non potest patri succedere, nec potest matri, nisi hoc excipiatur à jure, quod hîc non fit. Debentur intereà spurio alimenta, si aliundè se sustentare non valeat, cum jure naturæ teneatur parens alere suam prolem; quæ obligatio transit ad hæredes patris. Ita DD. communiter teste Covarruviâ.

34. Resp. quartò filius naturalis potest hæres institui tā à patre quàm matre, etiā universalis sive ex asse, ut vocant, si non habeant alios filios legitimos, nec supersint consanguinei ascendentes, id est, pater, avus, avia, *&c.* Ita statuitur *dictâ authenticâ, licet.* Si verò supersint aliqui ex ascendentibus, his jure Cæsareo debetur legitima, quæ est tertia pars bonorum *ex novell.* 118. *de hæred. ab intest.* Verùm hoc jus commune in multis Provinciis non observatur, ut quidam notant. Si autem habeant alias proles legitimas, nihil potest filio naturali relinqui ultrà duodecimam partem bonorum. Quòd si nulli supersint ascendentes, nec adsint filii legitimi & pater moriatur nullo condito testamento, filius naturalis succedit in sexta parte bonorum *ex authentica cit.* ac si mater in simili casu è vita decedat, filius naturalis succedit ex asse: si verò mater habuerit filios legitimos, adhuc succedit ex æquo cum illis, *ex leg. si qua illustris*: sed neque hæc ubiq; servantur.

Petes secundò: an parentes possint plus uni filio legitimo relinquere quàm aliis?

35. Resp. affirmativè, si per hoc alii non priventur portione legitimâ. Ita Megala, Sa, Bonac. & alii apud Dian. *p. 1. tract. 8. resol.* 83. Ratio est, quia potest quis de suis propriis bonis uni plus relinquere quàm alteri absolutè loquendo: debet tamen semper adesse justa causa, ut videl. ob merita aut obsequia majora; si alii habeant bona propria, vel sint provecti in arte aut studiis, vel commodius aliundè possint bona procurare: aliàs peccabunt venialiter si id fecerint ex amore inordinato; imò & mortaliter si ex odio. Excipe ab hac resolutione, nisi in certis locis id sit inhibitum; uti est Bruxellis, ubi non licet chariores filios creare, ut vocant.

Petes tertiò, an quis possit per testamentum instituere hæredem extraneum relinquendo fratrem vel consobrinum?

36. Resp.

36. Resp. quòd sic cum Sylvest. Homob. Bonac. Sa & aliis apud eundem Dian. *ibid. resol.* 85. ubi post ipsos absolutè dicit, posse testatorem, quemlibet extraneum instituere nullâ factâ mentione consanguineorum collateralium, dummodò desit scandalum, & obligatio qua teneatur aliorum necessitati succurrere. Prob. quia nullum jus naturale nec positivum Divinum vel humanum ad oppositum obligat; nisi fortè particulare alicujus Provinciæ: prout in Flandria statuitur, ne taliter disponatur, nisi de tertia parte bonorum. Sed quid si maritus v. g. uxorem in mortis articulo constitutam, importunis, & molestis precibus diu fatigando obtineat, ut per testamentum ab ipsa hæres instituatur, præteritis fratribus? Illum non posse bonâ conscientiâ adire hæreditatem, docent Sanchez, Lessius, Palao & alii apud Burghaber *Centur.* 3. *casu* 52. Verùm ipse cum Medina, Pontio & aliis non omninò immeritò contrarium sustinet: quia metus inde ortus, utpotè levis, est in potestate uxoris, eúmque abjicere potest; adeòque liberè agit, dum eum abjicere non vult.

37. Nota, hæredem, post acceptatam hæreditatem, teneri omnibus obligationibus & debitis defuncti satisfacere, si hæreditas sit insufficiens, saltèm post novem menses ab adita, & non repudiata hæreditate; nisi intra tres menses à die scientiæ, usus sit beneficio inventarii; quo casu non tenetur ultra hæreditatis vires, potéstque (deductis expensis funeris, ac ære alieno soluto) testantis quartam partem (quæ *falcidia* dicitur, eo quòd beneficio legis *falcidiæ* sit introducta) obtinere, eámque, si opus fuerit, ex legatis detrahere. Inventarium autem coràm notario fieri debet, citatis creditoribus & legatariis. Ita Franc. Bonæ Spei *de Iure & Iust. disp.* 7. *num.* 81. ubi dicit, ista probari praxi in Belgio receptâ, juxtà quam cognatus remotior, qui hæreditatem simpliciter adire paratus est, propinquiori præfertur, qui illam solo *inventarii* beneficio adire vult. Deinde, si hæreditas dividatur, & unus sit mobilium, alter immobilium hæres, defuncti in immobilium hæredem transeunt plurimis locis. Ita ille *loc. cit.*

Petes quartò, an testamentum semper à testatore adhuc vivente sit revocabile?

38. Resp. affirmativè, quia juxtà Apostolum *ad Hebr.* 9. testamentum ex natura sua solùm confirmatur morte testatoris: si tamen quis jurasset se non revocaturum, peccaret mortaliter revocando; cum enim absque peccato possit servare suum juramentum, omninò ad id obligatur, ut omnes Theologi fatentur, paucis exceptis, quos citat Burghaber *Cent.* 2. *casu* 51. idque habetur *Capit. quamvis pactum de pactis in* 6. Si verò quis fraude aut metu ad prædictum juramentum esset inductus, vel legitima causa adesset testamentum mutandi, posset petere dispensationem super juramento, ac eâ obtentâ testamentum revocare: & si absque dispensatione illud revocaret, quamvis mortaliter peccaret, ut dictum est, revocatio tamen foret valida, ut do-

docent Julius Clarus, Bonac. & Malder. quos citat & sequitur Wiggers: item N. Franciscus *ubi suprà, num. 84. & seq.*

39. Porro testamentum revocari potest variis modis: primò frangendo scripturam, vel sigillum de industria. Secundò si aliud testamentum validum condatur, & in priori non specificetur, nullam ejus revocationem valituram; aliàs enim non revocaretur, nisi in secundo adderetur clausula, quâ sufficienter innuatur, se velle efficaciter priùs testamentum irritare; ut si in secundo apponat, se velle revocare priùs, vel hoc secundum observari non obstante quâcunque clausulâ in priori adhibitâ; tunc enim priùs, qualecumque fuerit, adhuc revocabitur, quia nullus potest suam voluntatem tam firmam facere, quin eam possit revocare, prout habetur *leg. si quis in principio, ff. de legatis 3.*

40. Adde ex P. Francisco *num. 91. Iure civili esse statutum, ut testamentum legitimè conditum, non solâ voluntate, etiam voce, coram pluribus testibus expressâ, infirmetur; sed aliâ novâ & legitimâ hæredis institutione dumtaxat, ut colligitur* ex l. hac consultissima §. Si quis autem. *Deinde quando in priori testamento pia causa hæres instituta est, ad revocationem requiritur solemne testamentum. Addendum tamen, quòd si dixerit, se nolle valere legata coram testibus, ampliùs legata non valere, [illegible]* Institutum de adempt. legatorum. Ita Franciscus.

Petes denique, an hæres, sive ab intestato, sive ex testamento, teneatur statim à morte testatoris solvere legata, si quæ sint?

41. Resp. eum ad hoc obligari quamprimùm potuerit. Ita Villalob. & Valer. quos citat & sequitur Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 59.* qui tamen addit, aliquem respondere posse, ipsum ad hoc habere annum integrum *ex authentica, hoc ampliùs, Cod. de fideicom.* Verùm id minimè puto locum habere in foro conscientiæ: judico igitur cum Urbano N. graviter peccare hæredes, qui voluntariè nimis diu differunt executionem testamentorum, legatorum, &c. quia non solùm inferunt injuriam iis, quibus debentur legata, sed & ipsi defuncto, quem privant auxiliis spiritualibus, quæ ipsi obvenirent per preces, suffragia, Missas, & alia, quibus legatarii solent obligari: quare Confessarii rigidè moneant similes, nec absolvant (inquit Urbanus) nisi seriò promittant, se quamprimùm iis satisfacturos. Hæc de ultimis voluntatibus.

Appendix de sepultura sacra.

42. NOmine sepulturæ sacræ intelliguntur facta in Ecclesia, v[illegible] cœmeterio. Ubi adverte, Ecclesiam Mendicantium ex Privilegio Papæ esse sepulturæ locum: quod & ipsa praxis docet. Imò Tambur. apud N. Franciscum *loc. infrà citand.* refert varias S. Congregationis Card. declaratio-

nes post Concil. Trid. super id, quod habet *sess.* 25. *de Reform.* *c.* 13. factas, quæ censuerunt monasteria, quibus quadraginta annis ante Trid. concessum est, non solvere quartam partem funeralium, eodem privilegio post Trid. frui. Quidquid pacta inita inter Religiosos & Pastores, vel Capitula de non sepeliendis sæcularibus; vel non nisi sub certa portione funerali Ecclesiæ Parochiali pendenda, subsistant.

43. Prohibitum est *cap.* 1. *de sepult. in* 6. Clericis & Religiosis, ne aliquem inducant ad jurandum aut vovendum, se electurum sepulturam in eorum Ecclesia, aut electam non mutaturum: Primò sub pœnis excommunicationis ipso jure incurrendæ, & Papæ reservatæ per *Clement. cupientes de pœnis*, in fine. Secundò sub pœna irritæ electionis, & translationis corporis defuncti ad Ecclesiam, in qua aliàs sepeliendum erat. Tertiò sub pœna restitutionis corporis, & omnium, quæ ratione sepulturæ accepta sunt, juxta *cap. cùm liberum de sepult. in* 4. Si verò restitutionem dictam intra decem dies facere recusent, eorum Ecclesiæ & cœmeteria tamdiu ecclesiastico interdicto subjacent, donec adimpleatur. Semper tamen licitum est simpliciter hortari, suadere, & consulere, ut quis in propria Ecclesia sepulturam eligat.

44. Omnes utriusque sexus puberes, rationis compotes, sibi sepulturam eligere possint, cap. 1. *de sepult.* & cap. *licèt, eod. tit. in* 6. Imò & juxta eadem jura, filiusfamilias, si pubes sit, sine patris consensu. Impuberibus autem à patre, aut etiam, patris defectu, à matre sepulturæ deliguntur, si consuetudo permittat; alioqui cum majoribus sepeliri debent, aut in Ecclesia parochiali: sicut & alii decedentes, non delecta sepultura, sepeliendi sunt in majorum suorum sepulchro, si habeant, juxta *c.* 1. *de sepult. in* 6. Uxor verò apud maritũ sepeliri debet: ac si duos habuerit, apud secundum: quòd si ante maritum moriatur, & hic sepulchrum paratum non habeat, in sepulchro majorum omninò sepelienda videtur. Si autem uxor sepulchrum sibi prælegerit, & postmodùm maritus sine sepulchri electione moriatur, in illo sepeliendus est, si in uxoris electionem probetur consensisse; quia de marito scriptum est: *Relinquet patrem, & adhærebit uxori suæ*; quòd si non consenserit, in sepulchro majorum sepeliendus est.

45. Omnes fideles baptizati sepultura sacra gaudent, nisi ob rationes per ecclesiasticam legem aut consuetudinem prohibeantur: prohibentur autem excommunicati, & interdicti, impœnitentes, hæretici, infantes decedentes ante baptismum extra ventrem matris (qui tamen moriuntur tincti lavacro dubio, vel aliqualiter probabili, sepeliendi sunt in loco sacro:) Pagani & Judæi, qui seipsos occidunt, qui integro anno confessionem, & in Paschate communionem notoriè intermiserunt culpabiliter, usurarii manifesti, Religiosi manifestè proprietarii, qui hastiludio, & in duello occiduntur; secùs, si uno aut altero die post duellum moriantur. An verò in plena & culpabili ebrietate mortui, sint sacra

sepul-

ſepultura privandi: obſervanda eſt cujuſque Diœceſis conſuetudo, quæ alicubi negat, alicubi concedit. Ego cum P. Gobat *in Alphab. commun. caſu* 13. *num.* 199. ob graves agnatorum offenſiones cenſeo, in dubio de conſuetudine eſſe ſequenda mitiora, quia non invenitur jus expreſſum. Ob eandem cauſam, & ad conſervandam famam defuncti vult idem Gobat *in praxi Clement. judic. decade* 6. *num.* 324. poſſe etiam ſacram ſepulturam permitti reperto mortuo vel in laqueo, vel in puteo, niſi obſtet conſuetudo loci, vel poſitivè conſtet, illum ſibi non ex mentis alienatione attuliſſe mortem, pro ſe citans Barboſam & alios: quinimo id etiam extendit ad hæreticum capitaneum, &c. ſi aliter non poſſit redimi gravis vexatio: quia juxta Lugonem ab ipſo citatum, Canones de hæreticis loquentes, in hac materia intelligendi ſunt (inquit) de ſolis vitandis. Quod obſervandum eſt pro Conventu & Eccleſia noſtra Boxmerana: quia ſi ibi recuſaremus ſepulturam hæreticis, etiam hi recuſarent ſepulturam Catholicis in Eccleſiis vicinis ſibi ſubjectis.

DVBIVM QVARTVM.

De ludis & ſponſionibus.

46. DIco primò, ludus eſt contractus, quo plures inter ſe paciſcuntur, quòd aliquid victori cedet. Eſt licitus jure naturæ, non minùs, quàm ſuum alteri dare gratìs: debent interim adeſſe certæ circumſtantiæ; prima, ut ludentes poſſint liberè diſponere de re, pro qua ludunt: hinc, juxta Layman. Buſenb. & alios communiter, qui lucratur magnam ſummam à Religioſo aut filiofamilias, tenetur eam reſtituere. Secunda, ut unus alterum vi vel fraude ad ludendum non inducat: quare, juxta Cajetanum, Covarruv. & alios itidem communiter, tenetur ad reſtitutionem, qui minis, convitiis, vel fingendo ſe imperitum, alterum longè imperitiorem ſe ad ludum pertraxit, à quo & lucratus eſt, quia cenſetur ei injuriam intuliſſe: quidquid Molina & Bonac. apud Buſenb. *l.3. tract.5. c.3. dub.12. num.6.* adhuc eum excuſent, qui minis vel convitiis alterum induxit, quia tunc hic adhuc voluntariè ludit. Tertia, inſuper circumſtantia requiſita eſt, ut non miſceantur fraudes in ludo: unde ſi quis notet chartas, ſi collocet ſpeculum à dorſo alterius, ſi utatur falſis aleis, &c. ad reſtitutionem obligatur, non ſolùm eorum, quæ lucratus eſt per tales fraudes, ſed & aliorum, quæ alter certò erat lucraturus, ſi fraudes defuiſſent; his namque omnibus privavit alterum per injuſtam actionem. Si verò eventus ludi in abſentia fraudum manſiſſet dubius, ſolùm debet reſtituere quod eſt lucratus. Quòd

si autem adhibitæ fraudes soleant ex consuetudine communiter adhiberi à sic ludentibus, ad nihil tenebitur, qui lucratus est, quia ludentes censentur implicitè consentire in similes fraudes sufficienter sibi notas, quales sunt v. g. aspicere chartas ab altero non bene custoditas: non monere socium dum errat: inducere alium ad augendum pretium, dum est certò perditurus: fingere metum, &c. Ita DD. satis communiter, quorum aliqui has fraudes sub nomine astutiarum comprehendunt. His igitur conditionibus positis, ludus à peccato excusatur, saltem mortali. Quòd enim aliqui, inter quos sunt Vega, & Sylvest. doceant, esse mortale contra decimum præceptum, si notabile lucrum intendatur, nullatenus probabile judico, quia ludentes alienum non concupiscunt, nisi sub justo titulo & conditione; prout justè quis alienum concupiscit pro tali justo pretio. Non nego tamen eum à pluribus damnari culpæ venialis, qui præcisè vel magis principaliter ludit ex intentione lucrandi; vel quia per hoc invertitur finis ludi, qui est recreatio, & animi relaxatio; vel quia est aliqualis avaritia. Vide Franciscum B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 15. *num.* 5.

Petes primò, an quando unus est ita peritior altero, ut moraliter certò sit lucraturus, possit lucrum retinere?

47. Negativè respondent Lessius, Molina, Bonac. & alii communiùs, quia talis censetur alterum implicitè defraudasse; & videtur contractus ludi ex natura sua exigere, ut perdendi periculum sit aliquousque æquale in ludentibus. His tamen non obstantibus, adhuc oppositum defendunt Navarr. Decius, Covarruv. & alii pauci apud Wiggers; quorum ratio est, quòd nullus teneatur ex justitia suam peritiam declarare, sed imperitior debet suæ temeritati adscribere, quòd se periculo perdendi exposuerit, non examinando alterius peritiam. Verùm, quamvis non audeam has sententias improbabiles nominare, quarum primam omnino certam vocat Sanchez; malo ego media via incedere, dicendo cum Wiggers: si peritior provocans vel provocatus alterius ignoret imperitiam, poterit sibi lucrum servare, quia ludendo verè se fortunæ & periculo exposuit: si verò quis ante inchoationem ludi cognoscat tantùm excessum suæ peritiæ, ut moraliter certò se lucraturum videat, non poterit lucrum retinere, nisi fortè & ipse imperitior noverit dictum excessum, quia tunc volenti ac scienti non fit injuria. Sic ergo moderandæ sunt duæ illæ sententiæ.

Petes secundò, an lucrum, ludo prohibito acquisitum, restitui debeat?

48. Respondeo quòd non, si lucrans intenderit solvere, casu quo amisisset: secùs dic, si intenderit vel non solvere, vel solutum repetere: tunc enim alterum decipiendo reddidit contractum iniquum, cùm onus sit omnino inæquale in utroque. Si verò quis lucratus esset ludo licito, cùm tamen statuisset non solvere, licèt perdidisset, posset adhuc lucrum retinere, eò

eò quòd alter eum ad solutionem potuisset cogere. Cæterùm, quamvis quis luserit ludo prohibito voluntate solvendi, poterit ludo absoluto voluntatem mutare, & non solvere, vel solutum repetere per jus; quia uterque hoc jus retinet æqualiter à jure communi: excipe tamen, nisi anteà juraverint, se soluturos, nec solutum revocaturos: quidquid enim adhuc Rebellius apud P. Franciscum *suprà n.12.* velit, dictum juramentum esse nullum, cùm sit contra legem in bonum Reip. latam, securiùs juramenti absolutionem petendam Franciscus docet.

49. Pro quibus adverte, legibus civilibus interdictos fuisse quosdam ludos, qui magis fortunâ quàm arte regebantur, ut sunt ludi alearũ, taxillorum, & juxta quosdam etiam chartarum pictarum; ast istæ leges sunt per contrarias consuetudines abrogatæ, adeoque non ampliùs obligant, saltem sub mortali, quamvis ludatur pro magna summa. Ita DD. satis communiter. Adhuc tamen vigere leges canonicas vetantes Clericis prædictos ludos, iidem DD. tradunt, ita ut velint eos mortaliter delinquere, si dictis ludis vacent, id est, sæpiùs & diu illis indulgeant: secùs si cessante scandalo & reliquis incommodis rarò, idque causâ honestæ recreationis ludant, quos etiam à veniali plures excusant cum Lessio. Imò plures apud citatum Franc. *n.13.* volunt, & has leges esse usu contrario abrogatas, vel saltem non irritare contractus. Vide Lezan. verbo *ludus quoad regulares, n.3. 5. & seq.* Per Clericos autem hîc intelligit eos, qui sunt in sacris, vel beneficiati, gestantes habitum clericalem; pro aliis enim dictas leges vel non fuisse unquam receptas, vel consuetudine esse abrogatas, docent Less. Cajet. & alii. Si tamen in locis particularibus per leges particulares dicti ludi adhuc modò inhibeantur etiam laicis, ab iis est abstinendum: sicuti id ubique omnibus est suadendum: imò propter peccata iræ, rixarum, perjuriorum, blasphemiarum, &c. communiter & ordinariò à ludentibus committi solita, docet Diana *p.2. tr.1. res.65.* esse mortale, suam domum exponere ad ludendum; mortaliterque peccare Principem vel Magistratum id permittentem: pro quo innumeros pro se citat contra Vincentium Justinianum, cujus sententiam dicit falsam.

Petes tertiò, an qui nihil potest amittere, possit lucrum retinere?

50. Resp. negativè, si nimirum nihil habeat quod amittat, sed tantùm simulet se habere, vel si id, quod habet, sit alterius, vel saltem alienare non possit. Ita DD. communiter. Ratio est, quia non servatur æqualitas, talisque alterum apertè decipit: hinc filiusfamilias, qui rem, pro qua ludit, non potest alienare, nec potest lucrum retinere; & si tantùm modicum possit amittere, non poterit retinere summam magnam, quam lucratur, prout docent Sotus, Aragon, & alii apud Dian. *p.1. tr.8. res.67.* quia nec tunc æqua fuit ludentium opinio. Contrarium tamen quoad hoc ultimum post Lopez, Sanchez, & alios dicit Diana esse probabile, volens sufficientem æqualitatem in ludo servari, quando uterque collusor potest alienare id, pro quo hîc &

nunc ludit: quare puto omnino tutè dictum filiumfamilias retinere summam valde magnam, maximè si alteri notum erat, eum esse filiumfamilias: & Bannez 2,2.*q*.32.*art*.7.*concl*.3.absolutè sustinet, filiumfamilias, vel pupillum habentem tantùm viginti aureos, posse lucrari & retinere centum, imo mille ducatos.

Petes quartò, an perdens possit lucrantem cogere, ut in ludo persistat?

51. Resp. negativè cum Maldero, Fernandez, & aliis: quia per coactionem illam infert alteri injuriam, auferendo ei libertatem, ad quam habet strictum jus: quare obligatur ad restitutionem omnium, quæ post dictam coactionem lucratur, saltem probabiliùs, quidquid contradicant Adrianus, Garsia, & Molina, quorum sententiam ut probabilem admittit Dian.*p*.2.*tract*.3.*res*.27. post Lessium: quia talis contractus ludi fuit validus & justus, cùm, si ille, qui coactè lusit, vicisset, non teneretur ad restitutionem; ac licèt is, qui sic alterum coëgit, sit dignus per sententiam Judicis privari lucro, non tamen est ipso facto privatus: nec coactio dicta est propria causa damni, quia coactus tam poterat adhuc postea lucrari quàm ante. Ita Diana. Verùm quidquid sit de probabilitate hujus aut veritate nostræ sententiæ: medium inter utramque tenent Tolet. *l*.5.*c*.27.*n*.7.& Megala 2.2.*l*.2.*c*.19.*q*.3.*n*.16. volentes, prædictum obligari ad restitutionem ejus, quod lucratur ultra id, quod anteà amiserat, non verò illius, quod simpliciter recuperat. Hæc de ludo, de sponsione autem

52. Dico secundò, sponsio seu certatio est contractus, quo plures de veritate vel rei eventu certant ad dandum aliquid veritatis assertori. Est licita non minùs quàm ludus, si suprapositæ conditiones adsint. Reliqua dicta de ludo applica sponsioni. Solùm

Adde ex P. Francisco B. Spei *de Iure & Iust.disp*.15.*num*.38. eum, qui certus est de rei veritate, non posse certando lucrari, nam natura istius certaminis videtur importare quamdam dubietatem: si tamen quis certasset, putans se esse certum, & postea deprehenderet se fuisse incertum, quamvis peccet mortaliter sic certando, dum materia est gravis, posset tamen retinere lucrum; quia tum verè res secundùm se fuit dubia. Item si postquam asseruisti te esse certum, alter pertinaciter adhuc te vexet ut certes, poteris certare & lucrum facere, ut post Medinam, Lopez, Sanchez & alios docet Diana *p*.4.*tr*.4.*res*.186. Ratio est, quia tunc nulla committitur fraus, sed totum alterius temeritati debet imputari, cui *scienti & volenti non fit injuria*. Verùm etiam probabiliter contrarium hujus ultimi docet citatus Franc. *n*.39. ob absentem æqualitatem, quæ sponsionem debet justificare, & quia ibi potius intercedit negata fides, quàm temeritas, ac sic deficit consensus in sponsionem: nec potest dictus certans dici sciens, cùm scientia negatæ fidei subesse non censeatur, dum negationis subesse fundamentum hîc & nunc invincibiliter creditur. Ita ille.

Solet hîc quæri, an licitum sit spondere vel ludere pro precibus, aut aliis bonis spiritualibus? ad quod

53. Resp.

53. Resp. quòd sic, si ludus sit honestus. Ita Lezana verbo *ludus quoad Regulares, num.* 13. contra Lopez, Vegam, & Peyrinum. Ratio est, quia in eo nulla committitur irreverentia erga res sacras, cùm potiùs sit signum devotionis & pietatis erga illas; si verò committatur irreverentia quædam, eò quòd preces dicantur sine devotione aut reverentia, malitiâ orantium fit. Insuper addit idem Lezana, posse aliquem ludere ludo aliàs licito hoc pacto, ut si vincat, teneatur alter dicere Rosarium vel Missam pro ipso, si verò vincatur, teneatur ipse alteri dare decem asses, vel gallinam v. g. Neque enim in hoc est ulla irreverentia propter dicta, nec spes simoniæ, cùm non interveniat ratio pretii, prout ad simoniam requiritur. Ita etiam Rodriguez & Portel; quidquid contrarium cum aliis sustineat Lugo propter periculum simoniæ: ast sine fundamento, ut probat N. Franciscus B. Spei *hic n.* 33. nam sicut licitum est, pro labore, quem habeo in Sacro dicendo, vel aliunde, inire contractum de recipiendo decem asses, ita & possum pro eodem ludere, dum alter apponit decem asses.

DVBIVM QVINTVM.

De emptione, venditione, & negotiatione.

54. Emptio communiter definiri solet, pactio pretii pro merce; sive ut alii, contractus, in quo solvitur pretium pro merce. Venditio econtra est pactio mercis pro pretio. Emptionis ac venditionis justitia in eo sita est, ut pretium sit justum, sive adæquet valorem mercis; & ut is, qui vendit, possit rem venditam alienare, & qui emit, possit similiter alienare pretium, quod dat; ac insuper, ut non vendatur res vitiosa ei, qui vult absolutè sanam & integram. Adverte autem, mercem hîc vocari quamcumque rem vendibilem, sive mobilem sive immobilem, item actiones & jura, quæ pecuniis æstimari solent: pretium verò esse pecuniam, quæ adinventa est, ut sit rerum omnium mensura.

55. Emptio & venditio in ratione contractus fiunt per nudam conventionem partium super merce & pretio: per eas tamen non transfertur dominium, nec acquiritur jus in re ante traditionem, ut suprà insinuatum est: quia autem multa occurrunt dicenda circa hanc materiam, præsens dubium in diversos §§. secabimus.

***

§. I. De

§. I.

De pretiis rerum.

56. PRetium justum dicitur, quod merci commensuratur: aliud est legitimum, quod taxatur publica authoritate, & hoc consistit in indivisibili: aliud vulgare, quod communi hominum æstimatione introducitur, quod & habet suam latitudinem: aliud enim est infimum sive pium, ut v. g. novemdecim; aliud medium seu moderatum, ut v. g. viginti: aliud summum sive rigorosum, ut v. g. viginti unum, quæ omnia sunt pretia justa, ita ut cuilibet licitum sit intra eorum latitudinem vendere & emere. Ratio, cur primum pretium consistat in indivisibili, & non secundum, est, quia legitimum taxatur ab uno, vel saltem à multis in unum convenientibus; vulgare verò introducitur judicio plurimorum non ita convenientium; ex quo fit, ut quod aliqui æstimant, centum, alii æstimant nonaginta quinque, alii centum & quinque, & sic proportionaliter de cæteris, ut excessus non sit nisi quinque, aut ad summum sex in centum pretii medii seu moderati, alioqui esset in extremis exorbitantia: ad quod paucos attendere notat Franc. B. Spei *de Iure & Iustit. disp.* 10. *n.* 5.

57. Dum pretium legitimum excedit pretium vulgare, non licitè exigitur legitimum, quia taxatio pretii communiter fit in gratiam emptorum: si tamen in casu speciali similis taxatio facta esset in gratiam venditoris, uti fieri solet in venditione censuum perpetuorum aut vitaliriorum, & aliorum jurium, quæ non solent vendi, nisi à pressis inopiâ & necessitate, tunc licitum erit exigere pretium legitimum majus vulgari; imo peccaret, qui similia tunc emeret infra taxatum pretium. Quando verò vulgare est majus legitimo, huic standum est, cùm hoc à Superiore taxetur, ne à vendentibus committatur excessus: excipe tamen nisi taxatio cedat in notabile gravamen venditorum, ut si v. g. taxatio facta abundantiæ tempore continuaretur tempore sterilitatis. Unde variis temporibus, juxta N. Franciscum, possunt pistores excusari, qui panes taxâ minores efficiunt, aut supra taxam vendunt: attende tamen, non ad casum pistorem hunc in particulari tangentem, sed & alios communiter.

58. Cæterùm, pretium vulgare justè potest augeri vel minui ob varias loci aut temporis circumstantias juxta copiam & inopiam rerum venalium, vendentium, vel ementium: item juxta modum venditionis; viliùs enim solet res vendi sub hasta, quàm aliter; de quibus omnibus pauca in sequentibus.

Petes, an res carentes pretio, possint vendi quocumque pretio?

59. Resp. rationabiliùs cum Francisco

cisco N. *num. 6.* ejusmodi res (quales sunt gemmæ raræ, picturæ antiquæ, egregii canes, & similia) debere vendi juxta æstimationem eorum, qui illarum notitiam habent, quique res similes solent tractare, inspectis omnibus, quæ conducunt ad earum valorem. Ita etiam Cajet. Rebell. Malder. & alii. Ratio est, quia omnibus pensatis, videl. raritate, antiquitate, artificio, pulchritudine, &c. adhuc habent valorem finitum, cujus limitatio non videtur posse meliùs committi, quàm æstimationi prudentum, qui solent similes res tractare. Per hoc tamen sententiam contrariam Soti, Ledesmæ, Valentiæ, Toleti & aliorum non judico improbabilem: quia cùm tales res non habeant absolutè determinatum pretium ex Superioris authoritate, aut ex communi æstimatione hominum, non irrationabiliter dicitur, determinationem relinqui voluntati ementium & vendentium: atque hinc solet pretium dictarum rerum vocari *arbitrarium*, opponique posset pretio legitimo & vulgari, velut tertium membrum divisionis pretii in genere.

§. II.

De causis immutantibus pretium.

60. SUppono, emptionem ac venditionem esse validam, neque in jure civili concedi actionem ad eam rescindendam, licèt quis sit deceptus in pretio rei, quam emit aut vendidit, nisi eam emerit supra dimidium justi pretii, vel infra dimidium vendiderit: ita enim habetur *leg. 2. Cod. de rescind. vend.* & *leg. 8. ibid.* Unde si res sit præcisè vendita pretio dimidio infra justum, vel empta præcisè pretio dimidio supra justum, contractus manet validus: patitur autem jus, tam civile, quàm canonicum, talem deceptelam, ad evadendas plurimas difficultates ac lites. Ita DD. communiter. Subaudi tamen cum Panorm. Covarruv. & aliis, ex diversis aliis legibus citatis à Wiggers, nisi dicta deceptio facta esset per dolum activum propriè dictum, in quo mendacium vel falsitas misceatur; tunc namque datur actio in foro externo quamvis excessus pretii non sit infra vel ultra dimidium. An verò omnis excessus, extra latitudinem justi pretii, sit in conscientia restituendus? Negant Gerson, & Durandus apud N. Franciscum *de Iure & Iust. tia disp. 10. num. 12.* quia *scienti & volenti non fit injuria.* Sed meritò idem Franciscus cum cæteris affirmat: quia conscientia dictat servandam æqualitatem inter rem & pretium: axioma verò allatum intelligi debet: *Scienti & volenti donare excessum non fit injuria*; non autem, *scienti & volenti emere ultra, &c. non fit injuria:* aliàs enim idem extendi posset ad mutuum usurarium, quod consequenter volente & consentiente mutuatario redderetur licitum. In-

terea dictus P. Franciscus *loc. cit. num.* 20. insinuat, emptorem, qui nulla necessitate compulsus, pretio supra summum emit (& idem est de venditore pretio infra infimum vendente) censeri scienter & volenter excessum donare: quia sicut censetur is moraliter rem suam derelinquere, qui, ut servet, non adhibet diligentiam; ita donare censetur in casu posito is, qui non quærit viliùs emere, ubi facillimè potest.

61. Dico primò, potest res vendi pluris quàm secundùm se valeat, ob damnum emergens, vel lucrum cessans. Prob. quia hoc utrumque est pretio æstimabile; ergo uno ex iis juncto rei, auget ejus pretium. Ita omnes cum D. Thoma; quod & docent Navarr. Bonac. & alii in casu, quo venditor multùm est affectus rei, quam vendit in gratiam emptoris, quia & hoc est pretio æstimabile: dum verò econtra emptor valde afficitur rei venali, vel hæc est ipsi valde utilis aut necessaria, non ideo poterit res pluris vendi; nam sic venderetur quod alienum est: si tamen ipse emptor spontè velit quid supererogare, poterit id venditor retinere: imò id spectare ad honestatem, dum quis ex aliena re plurimùm juvatur, tradit D. Thomas. Ex his colligitur, quàm perversè agant, qui fingunt se nolle vendere domum vicinam non tantùm utilem, sed necessariam monasterio, ut enormem excessum pretii extorqueant. Atque similes à Magistratu cogi posse, ut illam Religiosis vendant justo pretio, docet exprefsè Burghaber *Centur. 1. casu* 95. idque tum ratione favoris Religionis, tum causâ boni communis; & cùm dixisset, sic sentire Rebellum, & teste Layman cæteros DD. communiter, *legem invitum, Cod. de contrah. emptione*, ait intelligendum esse, dum deest legitima causa, quod hîc non fit: rectè enim casum intelligit de Religiosis bene de civitate meritis. Interea potest res pluris vendi ob multitudinem emptorum, vel mercium raritatem: sicut & minoris emi ob multitudinem mercium, & emptorum paucitatem, ob inopiam pecuniæ, & ob vendendi modum. Ubi

62. Adverte, sub hasta licitè juxta Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 12. post Salonium, Lopez, Cordubam, Filliuc. & alios, rem emi posse pretio dimidio: additque alios absolutè docere pretium justum in subhastatione & adauctione esse, quod ultimò offertur. Ita Wigg. citans Cajet. Malder. & alios plures: probat, quia potestas publica censetur illud pro justo pretio illius fori extraordinarii, & quasi fortuiti æstimare, quod in publico concursu emptorum, tamquam quodam examine, probatum fuerit: attamen abesse debent fraus & dolus: quapropter non videtur venditor posse inducere emptores fictos, ut si augeatur pretium, neque emptor per vim aut dolum avocare vel impedire alios ab emendo: & si per hæc media res multò plus vendatur quàm valeat, vel multò minùs ematur, reliquum pretii, vel à venditore reddi, vel ab emptore augeri debebit. Vide Franc. B. Spei *disp.* 10. *n.* 8. qui & *n.* 9. notat, cariùs vendi posse minutim, quàm in magna quantitate: quia labores majores, periculum in longiori conservatione, &c. quæ in isto vendendi

dendi modo occurrunt, in hoc cessant.

63. Ob modum vendendi, inquit idem Diana, potest res minoris emi ab illo, qui necessitate compellitur ad vendendum: nam necessitas facit, ut venditor offerat merces ultroneas, quæ vilescunt, non solùm pro tertia parte, sed etiam pro medietate: deinde in tali casu censentur adesse pauci emptores, quod & minuit pretium, ergo &c. Verùm ut minus judicarem, eum peccare graviter contra charitatem, qui præcisè, ob notam vendentis necessitatem emit rem aliquam pretio dimidio; impium enim est ut minùs, (si non injustum) necessitatem pauperis venditoris in tantam sui utilitatem vertere.

64. Dixi, *qui præcisè ob notam, &c.* quia si emptor dicta re non indigeret, nec facilè eam posset vendere, licitè eandem sic emeret ob lucrum cessans vel alium justum titulum. Interim si sententia Dianæ, & aliorum, quos citat, generaliter sumpta, esset probabilis, inferri posset contra dicta suprà, & omnes DD. communiter, posse rem pluris vendi ob necessitatem, utilitatem, &c. emptoris, idque ob modum emendi; si enim priùs dici possit, quia in eo casu censentur adesse pauci emptores, & necessitas vendentis facit merces esse ultroneas; in casu nostro econtra censentur adesse pauci venditores, & necessitas ementis facit merces esse exquisitas & appetitas, quod auget earum pretium. Bone Deus, si hoc semel admittatur, væ pauperibus aliquid emere vel vendere volentibus! Quare igitur axioma receptum, *merces ultroneæ vilescunt*, intelligendum puto de mercibus ultroneis ob multitudinem earum, vel quia offeruntur tempore vel loco, ubi & quando minus vendi solent, vel illis, quibus minus utiles sunt; non verò de mercibus, quæ offeruntur præcisè ob necessitatem vendentium: nisi velis etiam tunc vilescere, ita ut emi possint parum minus quàm aliter emerentur, in quod videtur vendens tunc sponte consentire, eò quòd alter ipsi faciat gratiam emendo; prout solet accidere in fine nundinarum, quando communiter venditores spontè offerunt suas merces pro pretio minori, quàm secundùm se æstimentur.

65. Dices, ex dictis damnandos esse injustitiæ vel saltem peccati gravis contra charitatem ferè omnes, qui emunt & vendunt antiquas vestes, supellectilem, vel militum spolia. Resp. eos & similes communiter excusari ob lucrum cessans, eò quòd diu valde dictas vestes & similia conservare debeant, etiam cum periculo corruptionis: quoad milites verò, censentur hi spontè consentire in diminutionem pretii suorum spoliorum, quod vel ex eo videtur constare, quòd pœnam aut laborem nolint subire, ut aliis præsentent venalia, fortè quia facilè & sine pretio obtinuerunt, ideo etiam parvo pretio contenti sunt: vel potiùs dic, si militum spolia sint res usui communi necessariæ, non posse ea emi dimidio pretio, nisi fortè in magna copia ad eundem locum venalia adferantur, vel sub hasta vendantur: posset tamen quis non sine omni fundamento dicere, adhuc minui valorem dictorum

rum spoliorum, eò quòd multi non appetant ea emere propter suspicionem apparentis injustitiæ commissæ in eorum comparatione, adeoque propter paucitatem emptorum imminui eorum pretium.

66. Dico secundò, merces possunt vendi cariùs ob dilatam solutionem, si adsit periculum sortis, lucri cessantis, vel damni emergentis: quæ explicabuntur in materia mutui & usuræ. Posse etiam id fieri præcisè ob dilatam solutionem, docet Sa: quod & probabile esse tradunt Lessius & Lugo, imo & Franciscus N. *numero* 10. ubi sic ait, dum creditâ pecuniâ venditur, homines communiter censent & consentiunt esse cariùs emendum, quàm paratâ. Probant, quia juxta communem hominum æstimationem tunc augetur pretium. Verùm, meo judicio, communis ista æstimatio fundatur in eo, quòd communiter homines supponant, in simili venditione semper subesse aliquem in dictis titulis: nec immeritò, quia si mercator statim pecunias suas reciperet, eas vel in alias mercaturas exponeret, unde lucrum ei cessat; vel eas redderet iis, à quibus illas acceperat ad interesse, unde damnum emergit; vel justè timet de amittendo pretio, prout indies contingit, unde incurrit periculum sortis; vel saltem timet difficultates & expensas, quibus cogetur suum pretium obtinere: quare igitur existimo mercatori licitum esse semper plùs exigere, quando vendit dilatâ solutione ob dictos titulos. Conformiter ad hæc dic, res posse viliùs emi solutione anticipatâ. Interea semper certum maneat ex sententia P. Francisci, ob dilatam solutionem præcisè nihil suprà, ob anticipatam præcisè nihil infra justi pretii latitudinem ex justitia dari, vel recipi posse; quia si ob dilatam solutionem præcisè, sive ob carentiam pecuniæ aliquid ultra justum pretium peti posset, posset & in mutuo ob similem carentiam præcisè aliquid ultra sortem peti, saltem dum mutuans se obligat ad non repetendam sortem, nisi post certum tempus, quod nos infrà *numero* 90. ostendemus omnino esse falsum, quodque nuperrimè damnatum est ab Alexandro VII. in hac propositione damnata: ***Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.***

Petes hîc fortè, an circa merces creditò venditas, liber mercatoris faciat fidem? Respondeo, eum, si accuratè sit scriptus, fidem facere contra scribentem: non autem pro ipso scribente, saltem ex jure communi, aut consuetudine generali mercatorum: nam *art.* 139. *consuet. Bruxell.* decernitur, illi stari debere in iis, quæ mercator debet; non verò in iis, quæ ipsi debentur. Item Antverpiæ, juxta ea, quæ adfert Anselmo *ad Edict. perpet. arti*[illegible] liber mercatorius non probat plenè, etiam accedente juramento, si pars adversa neget contractum. Quidquid Gail *lib.* 2. *observat.* 21. doceat, conclusum esse ex communi Doctorum doctrina, librum mercatorium in rebus mercatoriis probare semiplenè, sic ut juramentum accedens defectum suppleat,

pleat, si sequentia adsint: nimirum, si causa debiti sit expressa: si liber contineat data & accepta: si scriptus sit propria manu mercatoris, & sit hic bonæ famæ, veritatemque scribere soleat.

§. III.

De emptione chirographi.

67. Dico certum esse, chirographum, sive quodcumque alteri debitum, posse minoris emi, si solutio sit futura ambigua vel difficilis, si per hoc ementi cesset lucrum, vel emergat damnum, juxta statim dicta, idque attenta quantitate periculi, difficultatis, &c. Nec refert, quòd emens propriâ industriâ, aut per suos amicos, facilè sit obtenturus solutionem, modò debitum in se sit verè ambiguum, aut solutio valde difficilis, quia adhuc tunc datur justum pretium juxta communem hominum æstimationem, neque enim pretium justum est, quanti res valet emptori, sed quanti valet in se, consideratis quæ sæpè dicta sunt: quòd si tamen nihil istorum verè subsit, non licebit pretium imminuere sine usura palliata, prout docent D. Antonin. Sylvest. Medina, Less. Malder. & alii apud Wigg. *tract. 5. cap. 5. dub. 9.* Diana tamen *p. 1. tract. 8. resol. 49.* citans D. Thom. Malder. & Philiar. dicit, etiam contrarium esse probabile, quia pecunia præsens plùs æstimatur, quàm futura, sicut chirographa seu jura minùs æstimantur, quàm præsens pecunia: minùs enim est habere actionem ad rem, quàm habere rem ipsam, *leg. minùs, ff. de reg. juris.* Accedit, quòd ejusmodi contractus non sit mutuum, sed emptio & venditio, nam jus ad rem potest emi, sicut emitur jus transeundi per aliquem agrum. Ita Diana secutus Cajetan. Navar. Sa, Bellarm. & alios. Verùm ad rationes Dianæ dici potest, pecuniam præsentem magis æstimari, quàm futuram, minùs esse habere actionem ad rem tantùm, quàm rem ipsam, &c. quia vix potest contingere, quin semper subsit aliquid præter nudam absentiam pecuniæ, ut supradicta consideranti patebit: & quamvis forsan posset imaginari aliquis casus rarus, in quo ea omnia absint, ad eum tamen aut similes non advertit communis hominum æstimatio, sed respicit, sicut & citata regula, ad id, quod communiter, & ferè in omnibus accidit. Revera, si cuipiam prorsùs certò constare posset de recipiendis post annum mille florenis Petro debitis, idque sine ullo suo labore aut difficultate, non video, cur plus æstimare posset mille alios florenos, quos decrevit ad annum servare intactos, & de quibus certum est, quòd toto illo tempore iis non indigebit, quàm jus ad prædictos post annum accipiendos. Interim ex dictis

68. Collige librantias militares, & debita similia, sæpè posse justè emi pretio dimidio, imo & quandoque adhuc

infrà, prout periculum non obtinendæ solutionis, difficultatis, &c. fuerit majus.

Petes, an qui occultè cognoscit suum debitorem non esse solvendo, possit debitum vendere pretio currenti, seu quanti in se valebat?

69. Resp. negativè, quia tale debitum jam est moraliter intrinsecè malum ac vitiosum; sicut igitur non est licitum vendere ordinario pretio rem apparenter quidem bonam ac integram, sed intùs mortuam aut putridam, sic nec dictum debitum.

70. Dices juxta DD. communiter apud Wigg. licitum mihi est hodie vendere merces meas pretio currenti, quamvis sciam earum pretium cras esse minuendum; ergo & licitum est mihi vendere dictum debitum.

71. Resp. neg. conseq. Ratio est, quia cùm merces tuæ sint sanæ & integræ, ac hodie juxta communem æstimationem (à qua sumitur valor & pretium vulgare) vel secundùm Superioris taxationem, adhuc tanti valeant, non est unde agas injustè; privata enim tua scientia non immutat æstimationem rei communem: cùm verò, ut dictum est, debitum illud sit in se malum, non est paritas. Imò Turrianus, Corduba, & Covarruv. volunt etiam illos, qui sunt de Magistratu vel consilio Principis, posse hodie res suas vendere statuto pretio, licèt sciant à se vel Principe cras taxationem minuendam, si liberè & absque fraude res suas exponant venditioni: quia & vendunt pretio currenti, & ipsi ratione officii non obligantur ad non vendendum, vel taxationem futuram promulgandam. Ita illi apud Dian. *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 42. quorum sententiam & ipse judicat probabilem, quamvis plures stent in contrarium, & N. Franciscus *de Iure & Iust. disp.* 10. *n.* 58. dicat, se id excusare non posse à fraude, & damno emergente ex rei quodammodo corruptione brevi futura. Interea supradicti nullatenus possunt prædictam taxationem differre eo solùm fine, ut ipsi priùs omnes suas merces vendant: quia hoc esset abuti suo munere in damnum aliorum. Adde cum Wigg. videri contra charitatem peccare eum, qui in casu prædicto alicui ingentem copiam talium mercium venderet, ex quo alter grave valde damnum pateretur cum detrimento status, aut familiæ.

§. IV.

De diversis difficultatibus huc spectantibus.

72. PEtes primò, an emptioni vel venditioni licitè apponatur pactum redimendi vel retrovendendi? Resp. quòd sic, modò juxta oneris gravitatem, quam contrahentes subeunt, augeatur vel minuatur pretium, tunc enim in eo nulla reperitur inæqualitas. Quantum autem pretium augeri aut minui debeat, prudens determinabit, juxta quod judicaverit pretium

pretium augendum vel minuendum fore tempore redemptionis aut revenditionis. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 10. *n.* 21. *& seq.*

Petes secundò, quid de vendente aliquam rem sub conditione recipiendi pretii, dum emens iniverit matrimonium?

73. Resp. talem ordinariè posse exigere pretium majus, quàm juxta communem æstimationem res in se valeat; adest enim communiter aliquis ex suprà positis titulis, & maximè periculum amittendi pretii, cùm conditio apposita pendeat à libera ementis voluntate, quâ non positâ pretio carebit: quare si absit scandalum, & pretium solùm augeatur conformiter ad gravitatem dicti periculi, aut alterius justi tituli, non video, cur talis venditio damnetur: & miror hæc Dianæ verba, quæ habet *loc. cit. res.* 38. circa finem, ubi ait: *Non reticeam tamen supradictas venditiones sæpiùs esse illicitas, quia augmentum pretii non est periculo proportionatum*; an fortè Diana hîc non tenet, ob dilatam solutionem præcisè rem posse cariùs vendi? interea, juxta nostram & veram sententiam, verum est quod dicit.

Petes tertiò, an liceat rem vendere creditò pretio currenti tempore solutionis?

74. Respondent DD. communiter negativè, si vendens non erat eam tamdiu reservaturus; attamen puto eos supponere, moraliter esse certum vel multò probabiliùs, quòd dicta res sit cariùs valitura tempore solutionis; aliàs enim, si æquè ambiguum esset, an tunc sit plùs, an verò minùs valitura, non video injustitiam similis contractus, cùm inter contrahentes servetur perfecta æqualitas: quare ad quæstionem positam Cajet. absolutè respondet affirmativè cum pluribus recentioribus è schola D. Thomæ, fortè quia ipsi supponunt contrarium.

Petes quartò, an vendens teneatur emptori aperire vitium rei venalis?

75. Resp. affirmativè; &, si id non fecerit, tenebitur ad omne damnum, quod alter inde patitur, quia est injusta causa illius; si verò nullum inde timeatur damnum, poterit res, aliqualiter vitiosa, vendi, non indicando vitium, si minuatur pretium conformiter ad vitium: nisi forsan emens expresse inquirat de vitio, & absolutè vellet rem non vitiosam emere. Adde, vitium manifestum indicari non debere, cùm facilè possit adverti: quamvis tamen in casu speciali id fieri deberet, si emens illud non adverteret: sicut in omni casu semper determinari debet pretium juxta æstimationem vitii: unde qui argento miscent stannum, aquam vino, &c. debent in tantum pretium diminuere, quidquid Dian. *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 51. dicat, id locum non habere probabiliter, dum quis vinum generosum miscet aqua, ex quo nullatenùs efficitur deterius, quàm quod passim venditur ab aliis: idem extendens ad triticum, & Less. *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 11. *num.* 28. sic loquitur: *Cur quis rem suam non poterit ad eum statum reducere, in quo sunt res aliorum, & tunc eam vendere eodem pretio, quo illi?* Verùm puto ego, nullatenùs aperiendum esse hoc ostium sæcularibus, qui facilè judicarent, per similem mixtionem res

sua-

ſuas non reddi viliores, quàm ſint illæ, quæ paſſim ab aliis venduntur. Adde ex Franciſco N. *diſp.*10. *ſæpè cit. n.*48. in quibuſcumque mercibus minuere menſuram ad juſtum pretium obtinendum, niſi manifeſtè conſtet de injuſtitia pretii taxati (quod non facilè præſumendum,) eſſe multis fraudibus obnoxium, ac proinde non facilè à Confeſſariis diſſimulandum. Injuſtum item eſt, unam rem pro alia vendere, (niſi ſit æquè utilis ad intentum uſum) uti apud Pharmacopolas ſæpè contingit, qui dum non habent medicinas, quæ petuntur, dant unum *quid pro quo.*

Petes quintò, an qui habet curam aliquid vendendi determinato pretio, poſſit retinere ſibi, ſi quid ultra obtineat?

76. Reſp. probabiliter affirmativè, ſi nec ſit famulus, nec obtineat mercedem pro ſuo labore: quia ex propria induſtria, quæ eſt pecuniâ æſtimabilis, illud plus accipit. Ita Angelus, & Buſenb. Dixi, *ſi nec ſit famulus,* &c. quia aliàs illum exceſſum ſimul cum taxato pretio debet tradere domino rei, niſi hic conſenſerit. Ita Wigg. & alii. Ratio eſt, quia illi pretium ſuæ induſtriæ aliunde accipiunt: nec refert, quòd dominus pretium taxarit, quia hoc fecit, ne infra illud deſcendatur, non verò, ne aſcendatur ſupra. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iuſt. diſp.*10. *n.*15. ubi monet, ſartores v. g. quibus alter emendum pannum committit, aliquid de pretio retinere non poſſe ſub prætextu, quòd ab aliis mercatoribus cariùs emere poſſent, quia ad moralem diligentiam tenentur, ut ſcil. quoad fieri poſſit, viliùs emant. Sed quid, ſi venditor aliquid faciat in ſartorum gratiam, ut ſæpiùs ad ipſum redeant; aut ſartores exceſſum retineant ratione perditi temporis in emptione, ac ſic lucri ceſſantis? Reſp. cum eodem Franciſco, hæc eſſe plena periculis, & ſartorum furta palliata: ac aliunde videtur ſartori in his ſatisfieri per hoc, quòd detur ei veſtis conficienda, & pro manufactura debitum ſtipendium. Limito etiam ego reſponſum noſtrum, niſi multùm ultra determinatum pretium obtineatur, eò quòd dominus rei venditæ pretium ignoraverit: quia tunc quod ſupereſt, non eſt verè fructus induſtriæ vendentis, ſed rei venditæ.

Petes denique, cui res empta pereat?

77. Reſp. ſi pereat poſt traditionem, perit emptori, quia eſt ejus dominus; res autem domino perit: item ſi pereat ante traditionem, & ſit res determinata, perit eidem, prout ejus fructus ei accreſcit, niſi fortè pereat culpa venditoris, vel aliter expreſsè conventum fuerit. Si verò fuerit res indeterminata, ut v. g. decem capita ex grege, decem ſacci tritici ex granario, &c. perit venditori, quia ſimilia ſolùm emuntur ſub conditione quòd tradentur. Dixi, prout fructus rei venditæ emptori accreſcunt ante traditionem, quod intellige, ſi emptor pretium ſolverit, quia plures ex variis leg. aliàs contrarium docent; æquum non eſt (inquiunt) ut emptor fructus rei venditæ percipiat, & venditor non poſſit frui pretio ſibi debito, ex quo poſſet ex induſtria ſimiliter fructus percipere.

§.V. De

§. V.

De Monopoliis, & negotiatione.

78. MOnopolium committitur, dum unus solus, aut pauci simul procurant, ut emptio vel venditio ad se solos divolvatur, vel pactum ineunt de non emendis vel vendendis mercibus, nisi pretio à se statuto; quod fieri potest quatuor modis: primò, authoritate Principis concedentis, ut unicus vendat tales merces, & hoc monopolium est licitum, si non contineat fraudem ex parte concedentis aut accipientis beneficium. Ita omnes: prudens tamen Princeps in simili casu taxabit pretium, ne per hoc nimiùm gravetur communitas.

79. Secundò fit Monopolium, dum aliqui conveniunt de non vendendis mercibus, nisi pretio rigoroso: & hi ut minùs graviter delinquunt contra charitatem, quia magnas proximis inferunt angustias: imo eos etiam contra justitiam peccare, docent Rebell. Navarr. Turrian. & Franc. B. Spei hîc *disp.* 10. *num.* 32. quod certum puto quoad eum, qui per vim & dolum est causa talis monopolii. Conformiter ad hæc loquere de emptoribus convenientibus, ne merces emant aliter, quàm pretio pio.

80. Tertiò accidit monopolium, quando tempore messis, vel aliàs, unus aut pauci emunt omnia grana, vel alias merces vili pretio, ut eas postea revendant cariori, quàm venderentur cessante monopolio. Hos peccare contra justitiam docet Diana *p. 1. tr. 8. resol.* 27. post Rebellium, qui tamen cum aliis oppositum etiam judicant probabile; quia tales, ut supponitur, nec peccarunt contra justitiam quando emerunt, nec retinendo aut abscondendo merces suas, cùm non teneantur ex justitia modò eas vendere. Attamen si per monopolium prædictum taliter ementes conveniant, de non vendendo futuro tempore, nisi cariori pretio à se inducto, secundùm dictum P. Franciscum absolutè contra justitiam peccabunt.

81. Denique committitur monopolium, dum aliquis vel aliqui impediunt, ne merces inducantur ab aliis, ut sic ipsi suas vendant cariùs: & hi etiam peccant contra charitatem, cùm communitas inde notabiliter gravetur: quod si fecerint per vim aut fraudem, peccabunt etiam contra justitiam; habet enim communitas jus, ne alii per vim aut fraudem impediant diminutionem pretii in mercibus; & quamvis non habeat jus ad merces, quæ absunt, habet tamen jus, ne vi aut fraude impediantur ad se adferri. Idem P. Franciscus *n.* 40. cum quo, adde, ad dicta monopolia revocari multorum artificum conspirationem, ut opus, ab uno inceptum, ab altero non perficiatur: item ut alios suam artem non doceant, nisi pro tanto pretio.

82. Negotiatio propriè est, dum quis

rem aliquam sibi comparat animo lucrandi, eandem immutatam vendendo vel permutando. Est ex natura sua licita: quia lucrum, ad quod proximè dirigitur, est prorsus indifferens; ac, si referatur ad honestam familiæ suæ sustentationem, & ad simul prospiciendum necessitatibus communitatis, negotiatio erit honesta & laudabilis, quæ inferuntur ex doctrina D. Thomæ *q.* 77. *a.* 4. Interim tamen certum manet, negotiationem esse obnoxiam periculis multorum peccatorum; solent namque sæpiùs committi fraudes, mendacia, perjuria, & aliæ injustitiæ à negotiantibus: multùm etiam negotiatio occupat ingenium, & ad terrena inclinat; quare inhibetur Religiosis ac Clericis majoribus per plures Canones, & ipsum Trident. *sess.*22. *cap.*2. *Nemo* enim *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. An verò hæc inhibitio obliget sub mortali? Non conveniunt DD. sub veniali solùm obligare, si absit contemptus, docuerunt Cajet. & Palatios, quod & probabile judicat Rodrig. quidquid cæteri communiter velint obligare sub mortali apud Dian. *p.*1. *tr.*8. *resol.*72. quod tamen non intellige, si solùm unus aut alter negotiationis actus exerceatur à Clerico; quia hic necdum verè dici potest negotiator, aut exercere negotiationem, ad quod videtur requiri, ut quis assiduè, vel ex professo negotiationi insistat. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.*10. *num.* 4.

83. Insuper DD. etiam controvertunt, an licitum sit Clericis negotiari per alios: in quo mihi sententia affirmativa videtur probabilior cum Wig. *tract.*5. *c.*5. *dub.*2. Ratio est, quia id facere per alios non est interdictum, cessantque in eo omnia motiva prohibitionis. Cæterùm nullatenùs peccant Clerici aut Religiosi ementes pecora, ut ea, suis pascuis impinguata, revendant, vel qui gregem alunt, ut lac, lanam, fœtus, &c. vendant; item, qui emunt agrum fructibus maturis, quos postea revendunt: quia hi omnes solùm vendunt fructum prædii, agri, vel gregis sui, quod non est propriè negotiari: est verò adhuc illicitum Clericis ac Religiosis conducere agros aut prædia aliena, ut vendant eorum fructus, quia hoc ipsis est specialiter inhibitum *causâ* 21. *quæst.*3. *can.*1. & 3. pro quibus omnibus vide Dian. *p.*11. *tr.* 3. *res.*10. bene illa discutientem: & *tr.* 6. *res.* 40. ubi inter cætera inquirit, an Religiosus, qui suis sumptibus seu monasterii imprimit libros à se compositos, eaque exemplaria in diversas regiones vendit, dicatur negotiator, & consequenter teneatur solvere gabellas? & postquam adduxit utrimque authores, respondet, id non esse consulendum quidem, se tamen id non posse damnare.

* * *

DVBIVM SEXTVM.

De mutuo, & usura.

§. I.

Quid sint?

DE hac materia tractat subtilis Bacho *in 4. dist. 22. q. 3. a. 1. 2. 3. & seq.* quem videre poteris. Interim

84. Dico primò, mutuum est contractus, in quo transfertur dominium per rei traditionem cum obligatione eam reddendi in specie vel valore. Ita omnes communiter. Per hoc, quòd transferatur dominium, differt à locato, commodato, & deposito; per hoc verò, quòd inducatur obligatio restituendi, differt à donatione, emptione, & venditione. Adverte autem rem, quæ sit materia mutui, debere constare numero, pondere, aut mensurâ, ut constat *ex Instit. tit. quibus modis,* §. 1. Tales igitur res sunt vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, &c. Ratio verò restrictionis hujus materiæ reddi potest, quia in aliis rebus vix reddi potest res in eadem specie, quæ sit ejusdem valoris cum illa, quæ mutuò datur. Insuper Wigg. post Gomez, Sylvest. & alios passim, ut ait, requirit ad materiam mutui, ut sit res usu consumptibilis: cui tamen in hoc contradicit Molina cum quibusdam aliis: sed quidquid de hoc sit, certum manet, res quæ usu non consumuntur, communiter solere vendi, locari, commodari, &c.

85. Dico secundò, usura est contractus mutui, in quo ex stricta obligatione redditur aliquid pretio æstimabile ultra sortem, præcisè vi mutui. Alia est explicita sive realis, in qua dicta obligatio explicitè vel implicitè in pactum deducitur: alia implicita sive mentalis, dum quis eâ mente aliquid mutuò dat, ut aliquid ultra sortem ex justitia reddendum exspectet vi mutui. Usura realis, in qua implicitè hoc in pactum deducitur, vocatur usura palliata, ut dum contrahentes prætendunt alium contractum, v. g. emptionis, locationis, &c. ubi tamen aliquid verè usurarium intercedit.

86. De fide est, usuram esse illicitam: id enim est definitum in variis Conciliis, patetque ex *Lucæ 6. Date mutuum, nihil inde sperantes,* & aliis Scripturæ locis, quæ vide apud Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp. 9. num.* 18. qui & *num.* 19. explicat alia loca, quæ adducuntur in contrarium.

87. Nota, usuram etiam quandoque sumi pro ipso quæstu usurario, & ut sic est lucrum ex mutuo immediatè

proveniens, id est, pecunia aut res pecuniâ æstimabilis, quæ ultra sortem recipitur præcisè vi mutuationis: quod lucrum omninò est iniquum, quia provenit ex re jam non sua, res namque mutuata transiit in dominium mutuatarii: deinde accipitur ex re omninò sterili & infructuosa, utpote quæ usu ipso consumitur: quamvis enim pecunia per usum non corrumpatur, adhuc tamen consumitur & desinit esse apud ipsum utentem. Ob has rationes Bacho ubi supra, & alii communiter post S. Chrysost. docent, usuram jure naturali esse illicitam; & reverà juri naturæ repugnat, obligare aliquem, ut reddat pro eodem ultra id, quod ei per omnia est æquivalens; quidquid tamen teste Guidone Carmelita apud Lothum, Græci schismatici dixerint, usuram esse licitam.

88. Nec refert primò, quòd jus civile usuras permittat, & concedat etiam actionem ad usuras exigendas, quando de illis ante fuit conventum; quia ex primo solùm habes, moderatas usuras in foro civili non puniri, ut vitentur majora incommoda, prout in aliquibus locis non puniuntur, qui ex suis domibus faciunt lupanaria: quoad secundum verò, jus illud civile abrogatum est per jus canonicum, nam *Clement. unicâ de usuris*, excommunicantur judices cogentes ad solutionem usurarum.

89. Nec refert secundò, quòd nemo teneatur ex justitia ad præstandum mutuum; quia adhuc qui illud præstare voluerit, tenetur præstare gratis ob dictas rationes. Dixi, *ex justitia*, quia adhuc virtus charitatis præcipit, egenti assistere, dum quis non patitur similem indigentiam: quamvis Urbanus N. *tr.3. tit.13. c.1. fol.623.* doceat, seclusa gravi necessitate, esse purum consilium & non præceptum: cujus interim consilii exercitio annexum est hoc præceptum: *Date mutuum, nihil inde sperantes*; sicut consilio de eliciendis votis annexum est præceptum de iis jam elicitis adimplendis, juxta illud: *Vovete & reddite.*

§. II.

An ob carentiam pecuniæ, liceat in mutuo aliquid contra sortem accipere?

90. DIco, mihi omninò certum est, non posse quidquam ex justitia exigi præcisè ob carentiam pecuniæ, aut solutionis dilationem, quin committatur usura. Ratio est, quia carentia pecuniæ ad tempus est de essentia mutui; qui enim dat mutuum, alienat rem suam à se, eamque tradit alteri, adeoq; necessariò eâ caret: sicut ergo pro mutuo nil potest exigi, sic nec pro carẽtia pecuniæ. Ita omnes comuniter. Hinc si quis his formulis alteri mutuet: *Do tibi sexcentos florenos mutuos, restituendos quamprimum indiguero*: vel do eos

eos tibi ad annum, reddendos tamen ante si fortè indiguero; nihil prorsus pro carētia pecuniæ recipere poterit. Est de fide quoad formulam priorem, ac fidei proximum quoad posteriorem; ita ut Molina *disp.* 308. oppositam vocet in fide periculosam, eamque absolutè hæreticam videri, tradit Caramuel *Theol. moral. lib. 2. de lege morali disp.* 14. *n.* 764. quod & probat hoc modo; qui diceret ex vi prioris formulæ aliquid ultra sortem posse sine usura accipi, negaret omninò usuras, ac per consequens hæreticus esset; atqui prima illa formula benignior est mutuatario quàm secunda, & secunda benignior est mutuanti quàm prima; ergo &c. Verùm adhuc his non obstantibus sententia opposita ascribitur Medinę, quidquid Caramuel dicat, se non facilè crediturum, Medinam, virum aliàs doctum, id intendisse; & Wiggers de eo etiam dubitat. Ast quàm sunt hæc diversa ab iis, quæ proponit idem Caramuel *in Theol. fund. par.* 1. *fol.* 131. ubi inquirit, *an pecunia præsens plus valeat quàm futura*? de quo licèt aliqua dixerimus *suprà dub.* 5. *num.* 66. refutanda tamen duxi pro meo modulo quæ adfert, quia difficultatem movent in materia usuræ: igitur *loc. cit.* hoc modo discurrit;

91. *Respondet Dia.* p. 1. tr. 8. ref. 49. *partem benignam & affirmativam sibi videri probabilem, nam & probabilis etiam visa est Azorio, Mald. & Philiarcho; quam sententiam etiam sequuntur Cajet. Armilla, Sa, Navarr. Faber; tandem publicè Lovanii docuit Bellarm. eandem habet Petrus de Ledesma*; hæc & alia Caramuel, quibus subdit: *Hanc doctrinam* (videl. pecuniam præsentem plùs valere quàm absentem) *nonnulli Authores detestantur, & tenent hâc viâ aperiri latissimum ostium usuris & statuendam esse omninò opinionem contrariam, pro qua citantur plures Authores, quorum sententiam putat Diana probabiliorem: at horum omnium rationes unicâ, eâque fortissimâ, facilè enervo: si tanti valet numerata pecunia quàm numeranda & è contra, cùm hæc sit veritas practica & ab experientia pendens, tantùm emere in foro potero numerandâ pecuniâ, quantum numeratâ: at evidentissimum est, hoc esse falsum; ergo evidentissimum est, numeratam pecuniam esse meliorem & majoris valoris. Si adhuc negas, vis te & omnes esse cæcos, & erras defectu solius experientiæ. Vade obsecro ad nundinas cum tua pecunia futura, & videbis an eodem pretio sis habiturus singula, quo habent, qui præsentem exponunt*? Hæc & alia Caramuel, quæ adeo sunt evidentia, ut facilè possint verbo omnia infringi. Ante omnia

92. Peto, quomodo Caramuel admittat in emptione & venditione pecuniam præsentem plùs valere quàm absentem potiùs, quàm in mutuo? & si hoc hîc quoque admittat, quomodo id quod suprà retulimus sit contra fidem? dicam enim in emptione, *solvam tibi pretium tuæ mercis post annum, antè tamen si fortè indigueris*: nunquid adhuc alter poterit eam vendere plùs quàm pretio currenti? Ita, quia pecunia præsens plùs valet quàm ista futura: quare ergo Caramuel à pari non philosophatur in mutuo? Interea

93. Miror summopere pro hujus difficultatis enodatione, aut potiùs intricatione, me à Caramuele ad nundinas mitti: ac per hoc (multùm abest ut Caramuel omnes aliorum rationes

enervet) Caramuel manifestè tollit difficultatem proponi solitam: quæritur enim, an pecunia præsens præcisè plùs valeat quàm futura secluso omni lucro cessante, damno emergente, & periculo sortis, omniique alio justo titulo semoto? & pro hujus difficultatis experientia Caramuel ad nundinas mittit, ubi omnes illi tituli ordinariè subsunt, ut manifestâ experientiâ constat: nam si quis in nundinis petat aliquid emere pecuniâ numerandâ, statim inquiretur, *An sit dives, an non difficulter solvat, &c.* venditores enim plerumque sunt extranei: deindè unusquisque respondebit, se egere pecuniâ numeratâ, eò quòd merces alias cum ea emere decernat &c. qui hæc negat, vult se & omnes esse cæcos. Quare non ad nundinas, nec ad forum volo mitti à Caramuele, ut experiar, an pecunia numerata plùs valeat quàm numeranda. Deberet Caramuel me mittere ad notos divites habentes pecunias otiosas in magna copia, ac deberet supponere me esse divitem, ita ut ex parte mea nullum sit periculum sortis, meque esse bonum solutorem &c. sic enim difficultatem clarè, prout debet, proposuisset.

94. Dicet fortè Caramuel, vade tu dives ad mercatorem divitem habentem pecunias otiosas multas, adhuc debebis pluris rem emere pecuniâ numerandâ quàm numeratâ. Hæc quia experientia docet, plùs premunt quàm experientia nundinarum: nihil tamen convincunt ad intentum: nam

95. Respondeo, hæc quidem communiter contingere: minimè tamen ea fiunt, quia pecunia numerata secundùm se plùs valet quàm numeranda: si enim, ut suprà *dub.* 5. §. 3. dictum est, cuipiam omninò certò constaret de recipiendis mille florenis post certum tempus absque ulla difficultate aut labore, non video cur plùs æstimare possit alios mille, quos jam habet, quosque certò ad idem tempus reservabit in arca, quàm jus ad priores mille sic certò recipiendos: nec video in quo tale mutuum multùm differat à deposito, nisi quòd adhuc majus commodum adferat mutuanti; cùm enim per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, hic obligatur ad restitutionem, quomodocumque dicta summa apud ipsum perierit, quod commodũ non obtinet deponens. Quòd igitur communiter plùs ab omnibus æstimetur pecunia numerata quàm numeranda, est, quia ordinariè adsunt dicti tituli, vel saltem unus illorum: nam ut verbis ipsiusmet Caramuelis utar, quę habet ejusdem libri *fundam.* 60. *fol.* 622. *Puto exulcerato hoc tempore in Europa vix posse dari purum mutuum, nemo enim præstare potest securitatem: æstuat bellis Hibernia, Scotia, Anglia, æstuat Belgium, Hispania, Italia: ardet Germania, Polonia, Dania, Suecia, item Græcia: & nulla est in tota Regione Provincia, in qua multi non iverunt cubitum divites, qui manè surrexerunt pauperes. Obsidentur urbes, intercipiuntur etiam, & accidunt casus inopinati* &c. *Si similia quotidie accidunt, quis ita erit delirus, ut rerum terrenarum securitatem exspectet belli tempore? Nemo enim creditor erit in civitate* &c. Hæc Caramuel: & ipse adhuc me ad nundinas mittit ut experiar pecuniam numeratã secluso omni justo titulo plùs valere numerandâ

randâ. An fortè agit de nundinis quæ celebrantur extra mundum?

96. Dices, adhuc teneor plùs emere merces pecuniâ numerandâ, quamvis fidejussorem adhibeam. Respondeo inprimis, si debeas ideò emere pretio rigoroso, quod alii emunt pretio pio, nulla tibi fit injuria: deinde si adhuc subsit periculum sortis, aut saltem difficultatis subeundæ, ut obtineas pretium, etiam à fidejussore, adhuc potest plùs exigi conformiter ad periculum: idem dic si vendens ex carentia pecuniæ patiatur damnum, vel lucrum ei cesset. Igitur iterum

97. Dico contra Caram. qui sub hac formula mutuaret, *do tibi sexcentos florenos mutuos ad annum, nec antè restituendos*; nihil prorsus pro carentia pecuniæ accipere posset nisi adsit alius titulus, quia aliàs usuram committeret, ut hac ratione bene probat Franciscus Bonæ Spei *sua Noctua dub.* 23. Obligatio non repetendi mutuum ad longum tempus se habet ad obligationem non repetendi mutuum ad breve tempus (quam saltem mutuum ut mutuum essentialiter importat) sicut se habet mutuum in materia magna ad mutuum in materia parva; atqui obligatio non repetendi magnam materiam supra parvam præcisè, non est supra mutuum pretio æstimabilis: ergo nec obligatio non repetendi ad longum tempus &c. Vide etiam Dianam *part.* 11. *tractat.* 1. *resol.* 25. ubi testatur librum Philippi de la Cruz, qui *tractatu de interesse fol.* 7. docebat contrariam sententiam, prohibitum esse à supremo Concilio Sacræ Inquisitionis, additque Lothum malè in hoc ipsum Caramuelem fuisse secutum. Vide & prædictum Franc. B. Spei *in sua Theol. de Iure & Iust. disp.* 9. *num.* 68. & *sequ.* ubi de novo impugnat Caramuelem. Adde de novo anno 1666. die 18. Martii à Sanctissimo Domino Alexandro VII. sequentem propositionem damnatam esse. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Sed quomodo hoc non est licitum, si pecunia præsens plùs valeat quàm futura? Viderint qui hoc docent.

Viderit etiam Burghaber, quàm irrationabiliter *Centur.* 1. *casu* 45. doceat, probabiliter non esse usurarium, hodie satisfacere dando nongentos florenos pro debito mille florenorum post annum solvendorum, licèt debiti hujus nulla sit difficultas, nec aliud damnum, lucrum cessans, &c. eò quòd jus distans communi hominum æstimatione minoris valeat, quàm pecuniæ præsentes, & hoc jus vendatur instar mercis. Certè si jus distans in tantum minoris valeat quàm pecuniæ præsentes, *Licitum est mutuanti aliquid* (quin dicam nummum decimum) *ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, sive ad annum: quæ est propositio in terminis damnata. Vide dicta *suprà n.* 66.

98. Cæterùm *in resol. suprapositâ* dixi primò, *absque usura nihil ob carentiam pecuniæ posse exigi ex justitia*; quia si mutuatarius aliquid voluerit gratìs rependere, id à mutuante licitè acceptabitur; gratia enim gratiam meretur: verùm, ut bene notat Caramuel, nón est appellanda gratia, quæ debitum imbibit, ut si mutuans dixerit, *dabo tibi centum libras mutuas, modò mihi*

post

post annum des gratis centum viginti: quia talis gratia in strictam obligationem vertitur. Quòd si tamen quis mutuans magnam pecuniarum summam, excitet mutuatarium ad beneficium mutui remunerandum, & sic mutuatarius excitatus det aliqua dona, controvertitur inter DD. an ista dona ultra sortem accipiendo, usura committatur? Affirmativam sententiam docuêre Richardus, Sotus, Angles, & alii; quia dicta mutuantis insinuatio videtur quoddam implicitum pactum, nec alter dans tempore mutuationis ob talem insinuationem videtur dare liberaliter & merè gratìs sive ex gratia, sed rubore vel necessitate compulsus. Negativam tamen his non obstantibus tenent Cajet. Molina, Bonac. Salon. & alii, hancq; se semper secutum esse ac consuluisse dicit Diana *p.1. tr.8. res.62.* & probat, quia actus interior & exterior ejusdem sunt bonitatis & malitię; sed actus interior, qui est sperare per mutuum non solùm amicitiam, sed & effectus amicitiæ, non quidem ex debito, sed ex gratitudine, est actus licitus & honestus: ergo & actus exterior, quo aliquis ejusmodi effectus exigit ex sola gratitudine, non est inhonestus aut illicitus, nec consequenter usurarius: deinde, inquit, objectum formale usuræ est lucrum ex vi mutui cum pacto & debito civili, quale lucrum non expetit dictus mutuans. Ita ille.

99. Verùm puto hujus difficultatis solutionem sumendam esse ex ipsa mutuantis intentione, an scil. ipse revera non intendat alterum ex justitia obligare ad rependendum aliquid ultra sortem; quod facit meo judicio, si nullatenuùs intendat aliàs mutuare. Vide de novo Dianam *p.11. tr. 7. res.23.* ubi postquam è contra dixisset, nolentem mutuare vinum, nisi alius mutuet triticum pro præsenti, modò id faciat, non ut quærat mutuationem alterius pro præmio, sed sit ipsi tantùm conditio sine qua non, non esse usurarium: adfert hæc verba Patris Hurtadi, *obligare mutuatarium ad id, ad quod aliàs non tenetur ex justitia, ex sola gratitudine ratione beneficii facti medio mutuo, vel ex sola fidelitate ratione nudæ promissionis, seu obligationis fidei, non dantis jus justitiæ, non est usurarium, quia tunc non exigitur aliquid ex justitia seu tamquam pretium mutui, in quo solo consistit ratio usuræ.* Ita Hurtadus, quibus Diana subdit: *itaque ex his Authoribus* (adfert enim ibidem varia ex variis) *pactum rigorosum, quod includit obligationem justitiæ constituit simoniam & usuram, secus autem pactum latè sumptum seu ex gratitudine vel ex pura fidelitate, quia in tali casu remanet in potestate mutuatarii id facere vel non facere: & ideo usura vel simonia adesse non potest.* Hæc Diana; quibus omnibus in fine adjungit, & bene: *verùm aliqua superiùs dicta de mente supradictorũ Authorum dicta esse volo, & ideo non puto in praxi deducenda nisi cum consilio docti & prudentis Confessarii, qui maturè ratione personarum & circumstantiarum omnia perpendere & considerare debet; aliquando enim quibusdam sententiis utendum est tanquam elleboro; & ego solitus sum dicere, in rebus moralibus non solũ scientiã, sed etiam prudentiã necessariã esse.*

100. Dixi secundò, *præcisè ob carentiã pecuniæ, aut dilationem solutionis*; quia ob alium justum titulum potest in mutuo aliquid ex justitia debitum exigi ultra sortem sine usura, ut omnes fatentur. Pro justis autem titulis sit·

§. III.

§. III.

De lucro cessante, damno emergente, & periculo sortis.

101. Ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis licitum est aliquid ultra sortem, etiam ex justitia debitum, exigere; quia tunc nihil accipitur vi mutui; nec unus tenetur pro alio gratis se exponere periculo alicujus damni, aut facere expensas: ne tamen per hæc usura pallietur.

102. Nota primò, mutuum debere esse veram causam lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi sortis. Secundò, non posse in pactum deduci totum lucrum cessans; quia cum hoc adhuc sit incertum ob multiplex periculum, quo posset impediri, non tantùm valet in spe quàm in re: deinde detrahi etiam debent labores & expensæ, quæ fierent in negotiatione, vel alia re, quâ lucrum acquireretur, ut quoad labores contra varios sustinet N. Franciscus hîc *disp. 9. num. 56.* quia illis laboribus parcere est pretio æstimabile, inquit, *in parcere volente*: quod ultimum prudenter addit; quia plures mallent illos labores pati, quàm diminutionem lucri: & aliàs vix quidquam ratione lucri cessantis accipi posset.

103. Nota tertiò, dum aliquid accipitur ob periculum sortis, non plus posse accipi quàm vellet ipsemet dare, ut simile periculum sibi imminens redimeret. His verò servatis, puto omninò esse licitum, se offerre ad mutuandum sub conditione recipiendi lucrum cessans, &c. quia hæc oblatio non tollit æqualitatem inter contrahentes: nec peccat quis volendo sic potiùs mutuare, quàm negotiari. Ex his

104. Colliges primò, in hac mutuandi formula, *Concedo tibi sexcentos florenos pro anno integro, non repetendos ante finem anni quamvis illis gravissime indigeam,* aliquid posse exigi ultrà sortem, si mutuans sit moraliter certus, quòd ante finē anni iis indigebit, vel si de eo probabiliter dubitet: quia talis se exponit periculo carendi pecuniâ eo tempore, quo eâ indigebit, ex quo cogetur quærere aliam ad interesse: si tamen mutuans certò sciret, se totius anni spatio non esse usurum illis sexcentis florenis, nihil posset exigere ultrà sortem præcisè ob prædictam mutuandi formulam, cùm nullum incommodum, aut damni periculum per eam incurrat magis, quàm si mutuaret unâ ex duabus formulis §. superiori relatis.

105. Colliges secundò, adhuc in hac tertia formula, sicut & duabus aliis, mutuantem posse aliquid ultra sortem exigere, si adsit periculum amittendi capitale, vel si meritò timeantur molestiæ in eo recuperando: quia id non exigitur vi mutui, sed ob justum titulum periculi sortis, aut dictarum molestiarum; censetur enim tunc mutuans concomitanter vendere suam securitatem aut quietem, quæ sunt res pecuniâ æstimabiles. Ita omnes

communiter apud Caramuelem *in Theol. mor. lib. 2. de lege mor. disp.* 14. *num.* 769. qui *num. praced.* docet, in omni mutuo summam sortis securitatem exigi: undè si mutuatarius sit lapsæ fidei, vel debebit omni exceptione majorem fidejussorem dare, vel recompensare periculum sortis. Imò cùm certum sit, debere priùs excuti debitorem, quàm ad fidejussorem veniatur, & vix unum fidejussorem solvisse ante Judicis sententiam, imprudens esses, qui pecuniam, quam pacificè & quietè possides, velles ad lites & difficultates reducere. Ita Caramuel. Quibus si addas à paritate rationis, ad mutuum etiam requiri summam securitatem, quòd mutuanti per hoc non cessabit aliquod lucrum, nec emerget ullum damnum; videbitur ferè in omni casu mutui posse aliquid ultra sortem exigi absque usura: quia vix unquam ab omni parte dicta securitas est tanta, quin adhuc adsit dubium aut probabilitas aliqualis periculi aut molestiæ, saltèm ubi præfigitur certum tempus pecuniæ mutuatæ non repetendæ.

Dices, dictum periculum sortis est de essentia mutui, sicut carentia pecuniæ ad tempus: ergò nec ratione dicti periculi præcisè potest aliquid exigi.

106. Resp. neg. antec. quamvis enim ferè semper adsit, hoc per accidens fit, ac simpliciter loquendo potest omninò à mutuo abesse, ut consideranti patebit. Cæterum in omni casu bene attende ad nostrum primum notabile; mutuum videlicet debere esse veram causam lucri cessantis: undè qui mutuat pecunias, quæ aliàs toto tempore mutuationis manerent otiosæ, non posset ex hac parte aliquid ultra sortem accipere. Imò N. Franciscus hic *num.* 54. monet, dare mutuum ex pecuniis negotiationi destinatis, aut probabiliter destinandis ut lucrum cessans quis reportet, cùm tamen alias otiosas habeat, ex quibus facilè mutuare potest, esse valdè periculosum, nec plùs quàm fictum & palliatum lucrum cessans. Ita ille: ad cujus monitionem bene attende. Sed quid si detur mutuum ex pecuniis destinatis lusui, sponsioni, aut simili negotiationi, pro damno æquè ac lucro, ancipiti? Non plùs, compensatâ recreatione indè sumendâ, ultra sortem exigi potest, quàm prudens aliquis spem istiusmodi lucri emere vellet, alteri ad hoc datis & expositis pecuniis. Ita idem P. Franciscus.

§. IV.

In quibus soleat maximè usura committi.

107. Dico, usura communiter solet committi, accipiendo certam summam pecuniæ ultra illam, quæ fuerat mutuò data: sæpiùs tamen etiam committitur, obligando mutuatarium ex pacto seu justitia, ut passim emat vel vendat res suas mutuanti, ut colat agrum mutuantis, frequentet ejus molendinum, &c In quibus juxtà communem omnium usura committitur, quamvis hæc omnia fiant pretio currenti, eò quòd adhuc

adhuc maneant onerosa, cum mutuatarium privent libertate ad similia facienda vel omittenda; quodcumque autem est onerosum, pretio æstimatur, adeòque sine usura præcisè vi mutui non potest ex justitia exigi.

108. Secundò etiam solet committi usura mutuando Principi, Regi, Magistratui, *&c.* sub conditione, quòd mutuans liberabitur à solvendis Gabellis, quòd sibi vel suis conferetur beneficium temporale, *&c.* Secús tamen dic si adsit sola intentio eos per hoc flectendi, ut pro gratitudine sibi facta aliam gratitudinem rependant, mutuanti, vel prolibus ipsius liberè conferendo aliquod beneficium: vel si illis detur mutuum præcisè ad captandam eorum amicitiam: quia amicitia non æstimatur pretio, ut docet Lugo cum aliis; neque ad amicitiam datur actio civilis, nec transfertur ad humana commercia, cùm sit fori interni, ut P. Urbanus.

109. Insuper usurarium est, vendere merces suas creditò pretio rigoroso cum pacto easdem statim redimendi pecuniâ paratâ pretio pio: quia suas merces vendere creditò est mutuum virtuale, cui apponitur conditio onerosa, quæ ex pacto vel justitia exigitur vi dicti mutui, undè & virtualis usura committitur: quòd si tamen mercator aliquis non vellet alteri mutuare, sed offerret ei suas merces venales creditò pretio summo, ut eas revendat pecuniâ numeratâ cui placuerit, & posteà ipse emens offerat eas vendenti pretio pio vel moderato, non erit usura easdem sic emere: quia hîc nihil exigitur vi mutui virtualis, neque emens ullum patitur onus, cùm tam in emptione, quàm in redemptione servetur pretium justum: nec est undè dicto mercatori minùs liceat merces à se venditas emere pretio pio quàm alteri tertio: cavendum interim est scandalum & palliatio usuræ. Ita Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 10. *num.* 11. citans alios.

110. Non est usurarium dare mutuo mille florenos ad annum, sub conditione eos reddendi cum adhuc mille aliis, qui justè debentur; vel sub conditione quòd mutuatarius deponat animum mutuantem injustè damnificandi: quia cùm ista aliundè debeantur, non imponitur nova obligatio vi mutui, sed solùm alter magis urgetur ad id, in quo mutuans jus habet. Ita P. Urbanus cum aliis communiter.

Petes primò, an mutuatario licitè imponatur pœna conventionalis, si tempore statuto, v.g. post annum, non reddiderit mutuum?

111. Resp. affirmativè; quia in eo nihil exigitur vi mutui, sed solùm statuitur pœna, ne mutuatarius sit in mora culpabili, per quam mutuans privetur re suâ ultra tempus; quare licèt nulla pœna statuatur, debet semper mutuum reddi tempore præfixo: aliàs erunt resarcienda omnia damna, nam cuique debet sua mora esse nociva: in hoc tamen possunt aliqui excusari, pro quo vide P. Urban. *tract.* 3. *tit.* 13. *cap.* 1. Adde, etiam à pœna conventionali universim excusari omnes, si adsit impotentia physica vel moralis mutuatarii; quia nemo absque culpa pœnam subire debet; nisi fortè inde

mutuans sit passus damnũ. Vide eundẽ *ibid. cap.* 3. & adverte, dictam pœnam conventionalem debere semper esse moderatam, quia valde inhumanum foret gravi mulctâ modicam punire dilationem. Insuper non potest talis terminus constitui inter quem noscitur mutuatarius futurus impotens ad solvendum, ut satis clarum est.

Petes secundò, an in mutuo annuali sine usura exigi possint quinque in centum absque alio justo titulo?

112. Respondent varii id licere, eò quòd sustineant pecuniam paratam plus valere quàm solvendam, sed malè, ut patet ex dictis suprà *num.* 97. Alii volunt licitum esse celebrare tres contractus, dum mutuatarius est mercator: unum societatis, in quo mutuans dat pecunias, & mutuatarius adhibet industriam, ex quo meritò quilibet sperat lucrum duodecim in centum: secundùm assecurationis sortis, pro qua mutuãs cedet mutuatario tria ex illis duodecim, quæ probabilius lucraturus erat: ac tertium quoque contractum inire, quo reliquum lucrum, adhuc aliquo modo incertum assecuretur, detrahendo ex novem, quæ remanent, tria vel quatuor, quo casu adhuc supersunt quinque vel sex, quæ ipsi volunt sine injustitia recipi posse, cùm in omnibus dicant servatam esse perfectam æqualitatem, omnia onera mercatori imposita justo pretio compensando. Ita quàmplurimi apud Dianam *par.* 1. *trac.* 8. *res.* 30. & Caramuelem *theol. mor. lib.* 2. *disp.* 14. *num.* 804. quos & ipsi sequuntur. Ast meritò contradicunt Azorius, Fillıucius & aliqui alii; ac rectè N. Franciscus asserit, illum esse modum subtiliter palliandi usuras; prout declarat *disp.* 9. *n.* 39. *& seq.* Supponit tamen illos tres contractus celebrari ex pecuniis alioqui mansuris otiosis: qualiter ipso *num.* 54. testante non censentur pecuniæ otiosæ, quæ pro casu fortuito incendii, naufragii, filiarum dotis, obtinendi officii, conservandæ familiæ, *&c.* servantur, quia debita providentia est pretio æstimabilis. De novo iterum improbat modum illum ex pecunia otiosa tres dictos contractus celebrandi *disp.* 12. *n.* 50. contra alios cõmunissimè illos approbantes. Unde nullatenus puto esse licitũ in mutuo annuali exigere quinque in centũ simpliciter loquendo. Quod addo, quia satis sæpe, & fere ordinariè subest aliquis justus titulus illam exigentiam justificans, saltem hisce temporibus, ut supra dicta attendenti patebit.

Petes tertiò, an dum quis ex mutuo bonâ fide accepit aliquid vi mutui, quod potuisset recipere ex alio contractu justo, quem celebrasset si cognovisset, possit illud retinere?

113. Respondent varii quòd sic; quia æquum & justum est ut mutuatarius sit contentus totum fieri juxtà capacitatem justi contractus. Nec refert quòd mutuans ex ignorantia non habeat voluntatem expressam istum contractum celebrandi; quia id adhuc vult implicite, in quantum censetur virtualiter velle id, quod sibi est melius quàm ejus oppositum. Ita Sa *verbo usura n.* 8. & alii multi quos tacitis nominibus citat. Less. *de Just. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 12. *n.* 102. qui id etiam admittit si dictus mutuans expresserit se velle contrahere meliori modo quo potest: quod

quod & satis esse, si id mente intendat, licèt exteriùs non exprimat, sustinet N. Urban. *tr. 3. tit. 13. cap. 3.* ubi sic ait, *quia non sunt omnes capaces tantæ contractuum diversitatis, ut aliquod justum lucrum reportent, nec viros doctos ad manum semper habent, ut eorum ductu dirigantur in contrahendo, sufficiet omninò pro securitate conscientiæ, si modò generaliter intendant illud lucrum moderatum, quo privari nolunt suam pecuniam alteri conferendo, recipercre meliori modo & titulo justo, quamvis ei ignoto, quo fieri potest, posito quòd credant de facto aliquem esse quem ignorant.* Ita ille, subjiciens, id à multo tempore docere celeberrimos, & piissimos DD. Interea semper certum & indubitatum remanet, nihil prorsus ultra sortem peti aut retineri posse præcisè vi mutui, vel carentiæ pecuniæ: quia hinc omninò usuræ palliarentur; imò, contrà fidem, dici deberent licitæ, ut benè observat P. Franc. B. Spei *disp. 9. num. 61.*

§. V.

De variis in hac materia multùm observandis.

ANte omnia occurrit difficultas non parva, an in mutuatione attendenda sit quantitas physica materiæ, an verò valor moralis? Primum docent Navar. Sa, Sotus, Azor. & alii: secundum verò Covarr. Molina, Schot. Less. & alii: Busenbaum autem *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 6.* distinguit, ita ut velit in mutuo pecuniario attendendum esse ad pretium & valorem qui fuerit tempore mutuatiónis; in mutuo verò aliarum rerum non item: quia inquit in pecunia non speratur ordinariè nisi valor sive pretium; in aliis autem speratur ipsa materia nisi aliter fuerit conventum. Verùm omissâ sententiarum varietate.

115. Dico primò, mutuanti licitum est inire pactum de servanda quantitate vel valore rei mutuatæ, sive hæc fuerit pecunia, sive frumentum, oleum, &c. si dubium sit an valor seu pretium rei mutuatæ tempore restitutionis sit minuendum vel augendum; quia sic servatur perfecta æqualitas inter partes: undè hæc conventio tollit omnem hac in parte difficultatem, ut per se patet.

116. Dico secundò, si nulla facta sit specialis conventio in mutuatione, standum est communi modo loquendi & sentiendi, juxtà quem in moneta primariò intenditur valor moralis, in aliis rebus physica entitas. Ita Caram. undè qui mutuo accepit centum modios tritici, tenetur ad centum modios tritici ejusdem bonitatis moralis, sive pretium fuerit auctum sive imminutum. Ita resolvitur *leg. vinum ff. de rebus creditis.* Qui verò accepit mutuo centum florenos, tenetur ad centum florenos, sive pretium & valor pecuniæ creverit sive non, si nulla facta sit specialis conventio. Hæc puto omnium probabilissima; quidquid non improbabile judicem quod habet P. Urbanus ubi supra; nimirum si decem modii frumenti, quos tibi mutuo do tempore hiemali, non possunt post messem ad æqualitatem compensari nisi cum viginti aliis, possum tot accipere; si verò eosdem tibi mutuo tempore

pore messis do recipiendos in hieme, contrarium fieri oportebit: similiter si dedi tibi mutuo decem nummos aureos, quos alioqui servassem in arca, & interim dum reddes, eorum valor creverit, debes in specie mihi reddere. Ita ille. Ratio prioris fortè reddi posset; quia cùm moraliter certò pretium frumenti sit immutandum in favorem unius contrahentis tantùm, censetur alter virtualiter intendere à principio, ut restituatur frumentum juxtà pretium ejus, & non secundùm quantitatem, & in hoc videtur alter debere consentire, cùm aliàs contractus esset iniquus ob inæqualitatem oneris contrahentium. Ratio autem secundi etiam fortè reddi potest; quia mutuatarius tenetur mutuantem indemnem servare à damno emergente. Interea tu sta nostræ probabiliori opinioni.

Secundum quod hîc occurrit resolvendum, est, an omne quod animo usurario accipitur, subjaceat restitutioni? Ad quod

117. Resp. restituendum esse quod animo usurario ultra sortem accipitur tanquam debitum præcisè vi mutui, si idipsum mutuatarius eodem animo dederit. Est certum, quia hoc omninò datur involuntariè nec ullo justo titulo retinetur: si tamen hoc mutuatarius det gratis ex amicitia aut gratitudine, non debebit sic acceptum per se restitui, bene tamen per accidens ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu mutuans nesciverit alterum dedisse gratis. Ita plurimi, quos sequitur Wiggers contra quosdam: ratio est; quia talis mutuans non habet verè alienum in re, cùm alter liberè in ipsum transtulerit dominium, quod & hic implicitè acceptasse censetur, vel saltem potest postea acceptare dum sciverit. Econtra si mutuans aliquid bonâ fide acceperit ultra sortem tanquam liberè donatum, ac postea deprehendat mutuatarium illud dedisse tanquam ex justitia debitum ratione mutui, tenebitur illud restituere si adhuc exstet, vel inde factus sit ditior. Cæterùm quamvis dum res usurariæ usu consumptibiles similibus aliis mutuantis rebus permixtæ sunt, dominium earum juxta quosdam translatum censeatur ad mutuantem, adeoque mutuans illas validè alienare possit, manet adhuc tamen jus ad rem permixtam in mutuatario contra taliter mutuantem.

Hîc quæri potest tertiò, an mutuatarius teneatur usurario usuras solvere? Ad quod

118. Resp. negativè: quia eas nec ipsi debet, nec justè potest alter eas exigere; nam *Regulâ juris* 49. dicitur: *Dolo facit qui petit quod restituere oportet eundem*; usuras autem debere ab usurario restitui, indubitatum est. Sed quid, si quis juraverit se usuras soluturum? Tunc ratione juramenti, juxta DD. communiter, tenebitur; quia tale juramentum adimpleri potest absque peccato. Attamen subtiliter hîc Caramuel distinguit juramentum à juramento, dicens; qui contraheret his verbis: *Ego recipio* 1000. *aureos, & post annum solvam hos* 1000. *& gratis donabo* 500. posset urgeri juramento: secus qui hoc modo, *Recipio* 1000. *aureos, & post annum solvam* 1500. quia in hoc per politicam verborum significatio-

nem

nem subintelligitur, si debuero; solvuntur enim quæ debentur, quæ verò non debentur, nec solvuntur, sed dantur. Ita ille *Theol.fundam.p.1.fund.*38. *fol.* 291. pro se in simili citans Sanch. Dian. & Ausonium.

119. Quartum superaddo, an sit licitum petere mutuum sub usuris? Id esse licitum si petatur ab eo, qui id præstare paratus est, & ad sit aliqua necessitas, docent D. Thom. *q.*78. *art.*4. & alii communiter: quia nec talis cooperatur alterius peccato, sed illud nudè permittit ad bonum suum; nec alium ad peccandum inducit, sed ad mutuandum tantùm, quod alter potest facere absque peccato si voluerit. Interea sine omni rationabili causa exigere mutuum ab eo, qui noscitur non daturus absque usura, illicitum est, eò quòd tunc petens videatur quodammodò implicitè consentire peccato alterius in quantum non præcavet illud dum potest absque suo incommodo: est autem hac in parte causa rationabilis juxta Wigg. & plures alios, necessitas, non solùm extrema aut gravis, sed & levis sive communis, eaque propria vel aliena; item dum id fit ad exercendam mercaturam; necnon ad convivia, ornamenta & similia, juxta cujusque status exigentiam erigenda, ut volunt Faustus, Sanchez, & alii apud Dian. *p.*1.*tract.*8.*resol.*31. qui cum aliquibus docet solùm venialiter peccare eum, qui prædictum mutuum petit ad vana & inutilia, ut ad ludos otiosos ac similia. Sed quidquid de hoc sit, certum est, esse mortale, aliquem non paratum ad contractum usurarium inducere, ut docent omnes, nisi parvitas materiæ excuset: unde malè faciunt petentes mutuum his verbis: *Da mihi mutuum ad usuras*; nisi id fortè fiat apud eos, qui certò noscuntur non aliter mutuum daturi; hoc enim est solùm ex ignorantia uti incongruo modo loquendi, cùm nihil aliud velint quàm indicare se paratos esse ad solvendum usuras, quas alter solet exigere; neque eum per hoc plùs alliciunt ad mutuandum cum usura, quàm si simpliciter peterent mutuum; quia alter ob communem suam praxim utrumque eodem modo intelligit. Pro horum complemento

120. Adverte varias esse usurariorum pœnas. Primò enim usurarii manifesti, id est qui facto vel jure notoriè tales sunt, incurrunt infamiam juris, ob quam privantur potestate testandi; &, si per testamentum iis hæreditas sit relicta, potest illis auferri à fratre testatoris: si verò sint Clerici, fiunt irregulares. Atque hanc infamiam incurri ab usurariis jure civili permissis, docent Molina, Covarruv. & alii, quia & hi exercent usuras illicitas.

121. Secundò admitti non debent ad Sacramentum pœnitentiæ nisi satisfecerint, vel sufficienté cautionem dederint per pignus vel fidejussorem idoneum, idque vel creditoribus, si adfuerint, vel Ordinario loci, vel Parocho coram testibus: quod si præstare nequiverint, secundùm Bonacin. Navarr. & alios sufficiet jurare se id non posse, seque facturos quidquid poterunt: si verò ob imminens mortis periculum hæc observari non potuerint, factâ promissione pro viribus restitu-

ſtituendi, ſtatim erunt abſolvendi: debet adhuc tamen Confeſſarius petere facultatem juxta Authores citatos monendi Epiſcopum de promiſſione facta, ut ſi convaluerint, cogantur reſtituere; ſi verò moriantur, cogantur hæredes.

122. Tertiò privantur ſepulturâ Eccleſiaſticâ. Quartò repellendi ſunt à communione altaris. Quintò illicitum eſt illis locari domos, & qui uſurario extraneo domum locat, excommunicatur: quæ omnia diverſis legibus continentur. Cæterùm quamvis uſurariis privatis nullæ pœnæ infligantur jure humano, quod tantùm fert judicium de iis, quæ patent, non debent tamen eos Confeſſarii abſolvere, poſtquam ſemel aut bis ad ſummum polliciti ſe uſurarum exercitium deſerturos & reſtituturos, non adimpleverint. Ita monet N. Urbanus.

123. Adde non ſolùm ad reſtitutionem teneri ipſos uſurarios, ſed & omnes, qui ipſis in hoc munere efficaciter cooperantur, quales ſunt conſulentes, participantes; qui etiam pro ſua parte tenentur, quamvis titulo oneroſo id acceperint, niſi fortè aliunde uſurarius ſit potens omnibus uſuris ſatisfacere: tenentur etiam amici eo fine ſuas pecunias uſurario commodantes, ut ex his fœneretur, quamvis ipſi de tali lucro nihil percipiant: nec non etiam famuli uſurariorum, qui cogunt mutuatarios ad ſolvendum: excuſat tamen P. Urbanus illos famulos, qui ſolùm juvant in numerandis pecuniis vel iis deferendis; & amicos, qui ſolummodò monent indigentes in tali loco dari pecunias cum fœnore: item & Notarios conficientes uſurarias obligationes; quia hi omnes non ſunt cauſa efficax lucri uſurarii, quamvis tamen tales Notarii committant grave peccatum ſacrilegii contra religionem juramenti à ſe præſtiti. Vide Franciſcum B. Spei *de Iure & Iuſt. diſp.* 9. *num.* 111. ubi inter alia hæc habet: *Nemo poteſt à mutuante uſurario uſurarum quidpiam accipere: ſecus ea, quorum dominium habet; nam hæc uſurarum bona eſſe hypothecata uſque ad reſtitutionem, nullo jure conſtat; & alioqui, cum hac obligatione reali ad quemcumque poſſeſſorem tranſirent; unde ex mille ſuſpicionibus, repetitionibus & litigiis omnia commercia cum uſurariis inita eſſent in continua commotione, non ſine magna Reip. perturbatione; licet alienari non poßint, caſu quo ad debitam reſtitutionem faciendam neceſſaria ſint* cap. cum tu, de uſuris.

§. VI.

De Monte pietatis.

124. Nomine montis pietatis intelligitur quidam acervus pecuniæ relictæ à piis hominibus, ut detur mutuo indigentibus cum obligatione reddendi ſortem tempore præfixo ſub quibuſdam conditionibus. Tales montes multi ſunt in Italia, ubi ſinè fœnore pauperibus gratis, vel quaſi gratis, ſubminiſtratur mutuum: in quo certum eſt nullam uſuræ ſpeciem committi. Aſt difficultas non parva fuit, montes Belgii à Sereniſſimis Principibus Alberto & Iſabella inſtitutos ab uſura defendere, con-

contra non paucos, qui eos impios potiùs dicendos volebant quàm pios, eò quòd in his multum nimis ultra sortem reciperetur, idque ratione mutui, ut ipsi prætendebant. Verùm id fit in conservationem montium ac sustentationem ministrorum; quod justè fieri potest, cum gerentes negotium aliorum (prout dicti montes gerunt negotia indigentium) possint exigere quidquid requiritur ad suam indemnitatem: quoad ministros verò, digni sunt operarii mercede suâ. Interim negari nequit, quin varii montes in Italia & alibi sint magis pii quàm montes Belgii, in quibus decem, duodecim, imò & quindecim exiguntur in centum: quo non obstante possunt adhuc pii vocari, in quantum auferunt usuras enormes, in quibus pauperes cogebantur dare triginta, imo quadraginta in centum.

125. Adverte tamen, nullo modo licitum esse alicui privato, dare mutuum, sub onere recipiendi ultra sortem, prout montes dicti recipiunt: tum quia in privata persona non subsunt illi justi tituli; tum etiam, quia non agit rem pauperum ex publica authoritate. Unde patet, me justè ad restitutionem obligasse certam fœminam, quæ putabat, se opus pietatis exercuisse, dum pignora, quæ ipsi ab aliis ad montem ferenda tradebantur, domi suæ reservabat, de sua pecunia elargiendo, sub pensione parum minori, quàm communiter in monte solveretur. Plures difficultates tangentes pietatem, ac justitiam horum montium, vide solutas à Franc. B. Spei, *de Iure & Iust. disp. 9. num. 119. ac seq.* item à Lotho *tr. 9. quæst. 2.* quorum ultimus *quæst. 1.* docet, etiam lombardos Belgii esse ab usura immunes, si hæ quatuor conditiones serventur: prima, ut mutuatarii dent pignus idoneũ pro assecuratione pecuniæ mutuo acceptæ: secunda, ut ad certum tempus, v.g. ad annum, iis permittatur mutuum: tertia, ut singulis mensibus vel septimanis aliquid minutum solvant, ut medium assem per hebdomadam pro libra Flandrica, prout olim Principum authoritate constitutum fuit; quod tamen hodie est imminutum ad unum liardum cum dimidio: quarta denique conditio est, ut, si mutuatarii anno finito & aliquot hebdomadis non solverint, eorum pignora publicè divendantur, & hoc non aliter, quàm præsente aliquo determinando à Magistratu: & quod ex pretio, detractâ sorte & menstruis detrimentis, superfuerit, pignorum dominis restituatur, illisque deficientibus, impendatur in usus pauperum ex ordinatione Principum. Atque hæc omnia dicit Lothus patere ex litteris Caroli V. Philippi II. Regum Hispaniæ, Alberti Austriaci Belgarum Principis, & Philippi IV. datis Bruxellæ 17. Februarii anno 1625.

126. Probat insuper fundamentaliter, ut loquitur, his positis conditionibus lombardos esse licitos; quia si tales mutuatores essent usurarii, ex eo maximè essent, quia accipiunt aliquid ultra sortem à mutuatariis v.g. quindecim in centum; sed propter hoc non possunt dici usurarii: ergo. Prob. minor, quia, ut lucrum ultra sortem sit usurarium, debet provenire vi mutuationis præcisè, atqui dicti mutuatores

ex multis justis causis exigunt aliquid ultra sortem: ut primò, ratione lucri cessantis; possent enim suis pecuniis mercaturam exercere, vel domos aut agros fructiferos emere, aut eas in censûs dare. Secundò ratione obligationis, quam contrahunt ad præstandum mutuum cuivis indigenti pro ratione oblati pignoris: quæ obligatio non exiguo pretio æstimabilis est, ut docent Scotus, Sotus, & Navarrus apud dictum Lothum. Tertiò ratione istius obligationis sæpè emergit damnum mutuatori, dum videlicet cum gravi interesse & periculo debet pecunias quærere, eò quòd uno tempore plura pignora ferantur quàm alio, & ipse non habeat sufficientem summam paratæ pecuniæ; æquissimum autem est, ut se indemnem servet ab illis damnis: deinde, etiam ab opposito, pauca sæpè pignora adferuntur, & sic magnam summam pecuniæ longo tempore debet servare infructuosam, quod etiam à mutuatariis compensari debet. Insuper possunt præfati mutuatores aliquid ultra sortem accipere ratione expensarum, quas faciunt ratione mutuationis, ut v.g. in aptanda domo ad asservanda pignora, pro sustentatione & stipendio ministrorum, qui pignoribus recipiendis, æstimandis, restituendis, conservandis incumbunt, pecuniis numerandis præsunt, ac denique pro Præfecti seu mutuantis honesta sustentatione, & aliis rebus necessariis. Quintò etiam possunt aliquid accipere pro industria & labore, quem suscipiunt in mutuando, qui magnus est, & satis difficilis. His adde pericula obvia, quæ tum ex incuria & infidelitate ministrorum, tum ex fraude mutuatariorum, qui adulterinis pignoribus, etiam sagacissimos fallere possunt, interveniunt, ut sæpè compertum est: præter hæc sunt & alia pericula fortuita v.g. à publica seditione, & incendio, à quo tota mutuantis fortuna pendet. Insuper junge periculum contagionis, quam subinde pignora, ut indumenta & vestes, allata ex locis peste infectis important, quæque summum damnum creat mutuanti cum à suo exercitio ad tempus cessare cogatur, & pignora ita opinione hominum infecta vilissimo pretio alienare compellatur, atque ita fiat, ut non modò lucrum aliquod, tot titulis sibi debitum, non percipiat, sed nec sortem integram recuperare possit. His ergo & aliis allegatis, ad confirmationem omnium adfert Lothus aliquod Breve, quo Sixtus Quintus permisit Duci Sabaudiæ, ut mutuatores publici in suis terris etiam quotannis supra centum percipere possent octodecim: quare justificat idem author Lombardos Belgii, si suprapositæ conditiones serventur, & non ultra quindecim in centum exigantur; concludens lombardos & montes pietatis Belgii non magis inter se differre, quam duo individua ejusdem speciei diversis nominibus insignita. Hæc dicti Lothi decisio tangens montes & lombardos Belgii à quinque præstantibus DD. est approbata, quorum testimonia apud ipsum *loc. cit.* reperies.

127. Nec refert, quòd passim mutuatores in lombardis ditescant: quia possunt ditescere sinè usura; primò ratione

ratione lucri cessantis. Secundò detrahendo & reservando sibi aliquid ex justo stipendio pro merito propter officium publicum & obligationem passim omnibus mutuandi, cum multis molestiis & laboribus. Certè (inquit Lothus) videmus Præfectos montium ex illo capite intra paucos annos ditescere, quia habent lautum stipendium, nec totum consumunt pro honesta sua sustentatione: quanto potiori jure id concedi debet mutuatoribus publicis, qui non tanquam famuli, sed tanquam domini pecuniarum, quas exponunt, officium istud in bonum Reipub. administrant. Ita ille: addens insuper, etiam dictos lombardarios posse licitè ditescere, magis quàm montes pietatis, eò quòd in his montibus sint plures ministri egregii, qui magna recipiunt stipendia; in lombardis verò pauci, iique pauperes, qui tamen cùm æqualem navent operam, & æquale præstent obsequium sicut illi plures, æquale quoque stipendium recipere possunt, & ideo faciliùs possunt ditescere, cum pauca consumant, & multa acquirant.

128. Verùm his omnibus minimè obstantibus, non ego sententiæ Lothi, sed contrariæ P. Francisci B.Spei subscribo. Primò, quia non constat, quòd mutuatores in lombardis pensionem non exigant supra communem æstimationem lucri cessantis & omnis compensationis ex justitia faciendæ; imò constat, quòd exigant: nam, fatente Lotho, accipiunt quindecim in centum; hujus autem excrescentis lucri non datur titulus alius quàm mutuum. Secundò lombardariis ab Ecclesia præceptum est in Belgio, ut accepta per mutuum restituant, quod satis evincit, ipsos vi mutui accepisse aliquam lucri excrescentiam. Tertiò omne lucrum excedens omnes expensas & necessariam compensationem, non est in lombardis tandem futurum in sublevamen pauperum, per diminutionem, vel certè cassationem pensionis, quæ hodie datur, aliquando futuram: quod fit in montibus pietatis. Propter hæc & alia, meritò asserit dictus P. Franciscus, Præfectos lombardorum, & usurarum in illis receptarum cooperatores efficaces, à publicis in sua Parochiali Ecclesia Religionis Catholicæ exercitiis rejiciendos esse, quamdiu talem à Rege erectionem non obtinuerint. Scio ego zelosum Pastorem in civitate Flandriæ, in publico summi Sacri offertorio retraxisse Patenam, cum similis lombardarius inter cæteros ad offertorium procederet, approbantibus variis DD. quos desuper antea consulerat. Dixi, *quamdiu talem erectionem à Rege non obtinuerint*: quia hæc erectio faceret, ut justo titulo lucrum acquirere & ditescere possent, in eoque plurimùm differrent à lombardis, ut P. Franciscus probat.

129. Non desunt etiam DD. qui justificent praxim bursæ Antverpiensis v. g. ubi passim in mutuo exigitur multum ultra sortem: primò ob lucrum cessans, damnum emergens, & periculum sortis, quæ omnia verè subsunt cum mutuantes & mutuatarii ordinariè sint mercatores. Deinde

praxis illa est introducta ad bonum publicum promovendum, ut nimirum mercatores habeant semper pecunias in promptu ad negotiandum, ob quod publicum bonum quisque lubens juri suo cedit. Deinde illam praxim justificat mutua inter mercatores commodorum & incommodorum communicatio ex tali mutuo; qui enim hodie est mutuans, cras mutuatarius erit. Quibus tamen non obstantibus Lessius asserit, illam praxim non parvam movere difficultatem in materia mutui; quod verum puto dum quis excedit notabiliter: & bene monet N. Franciscus habendam esse rationem copiæ vel inopiæ pecuniarum, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, omniumque lucrandi rationum, in quibus opus est pecuniâ præsenti; juxta quam pretium carentiæ pecuniæ negotiationi deputatæ, aliquando est septem, 8.9.10.11.12. supra quod, per Carolinam anno 1540. Bruxellæ editam vetatur aliquid exigi.

Petes quomodo possint justificari census supra prædictos montes fundari, cum nullam hypothecam habeant, sub qua respectivè pecunia detur?

130. Resp. illos esse fundatos supra ipsam Communitatem egentium mutuo, quæ Communitas simul cum bonis mobilibus montium sive pignoribus, & immobilibus, inter quæ numeratur ipsa domus, est sufficiens hypotheca. Nec refert, quòd quandoque pensio annua non solvatur, & sæpè imminuatur: quia sic & alii census fundati supra Civitates, flumina, &c. pro tempore, vel etiam quandoque pro semper deficiunt; quod, quia per accidens fit, non reddit illos census injustos.

DVBIVM SEPTIMVM.

De contractu societatis, & cambii.

131. DIco primò, contractus societatis est, in quo plures conferunt rem vel industriam in commune lucrum: debet autem in partitione lucri & sortis æqualitas esse Geometrica, ita ut omnium lucrum sit æquale, si æqualem summam vel industriam contulerint; inæquale verò, si contulerint inæqualem. Sed quid si unus totâ summam, v.g. duorum millium florenorum conferat, & alter operam, ac dum hic eam sedulò præstitit, finitô contractu societatis solam reperiant dictam summam præcisè, nullum verò lucrum? Inter utrumque debere sortem dividi, docent Lessius, Tannerus, Dicastillo, & Lugo apud Burghaber *centur. 2. casu 96.* quia qui posuit operam, tantum posuit, quantum qui contulit pecuniam. Verùm nullatenus judico ponentem operam admittendum esse in participationem dictæ summæ, nisi sic esset inter eos specialiter conventum. Probo, quia Xistus V. *in constitut. quæ incipit: detestabilis avaritia,* dicit, sortem finitâ societate tradendam esse illi, qui eam contulit, si extat: & meritò; quia si pereat, illi soli

li perit, adeoque par est, ut illius sit commodum, cujus est incommodi periculum. Nec refert, quòd sic unus totam suam operam perdat, & alius nihil de sua sorte: nam sicut sors stetit periculo solius conferentis, ita opera debuit stare periculo laborantis, ut servaretur æqualitas. Sic nobiscũ sentit Burghaber, & alii octo, quos citat.

An unus sociorum possit cum altero pacisci de assecurando capitali, & inire alium contractum venditionis reliqui lucri incerti pro certô? Eruitur ex dictis *dub.* 6. §. 4. *num.* 112. Solùm hîc nota, nunquam societatem post mortem contrahentis ad ejus hæredes transire, licèt de eo expressè conventum esset: ita enim habetur *l. adeo,* 59. & *l. verum.* 63. §. *in hæredem ff. pro socio.* Rationem dat Franc. B. Spei, quia in hoc contractu maximè attenditur industria personæ. Vide illum hîc *disp.* 12. *num.* 37.

132. Dico secundò, contractus cambii est negotiatoria permutatio pecuniæ cum pecunia. Cambium duplex est; aliud manuale sive minutum, quando diversæ pecuniarum species coram permutantur: aliud locale, quando eadem vel diversa species datur in uno loco, & accipitur in alio. Moderatum lucrũ licitum est in cambio manuali: primò, ratione lucri cessantis; posset enim campsor pecunias, quas paratas servat ad cambia, in census vel mercaturã exponere. Secundò, ratione onerum quæ subit in pecunia omnis generis acquirenda, in ea numeranda, *&c.* Tertiò, ratione periculorũ tum infidelitatis in servis, tum deceptionis per falsam monetam, tum etiam ne domus ipsius spolietur. Similiter etiam licitum est lucrum ex cambio locali, quando scil. campsor in Belgio v. g. pecunias accipit, quas Romæ, vel Parisiis refundit per suos factores vel alios: quia & hîc subsunt justi tituli; ut primò, virtualis pecuniæ translatio cum assecuratione: tantumdem enim facit, ac si alterius pecunias absque ullo periculo Romam vel Parisios transferret. Secundò etiam subit labores & onera, de quibus statim. Hæc omnia DD. communiter. Debet intèrim in omnibus semper servari æqualitas inter onera & lucrum, quod exigitur; cujus æqualitatis taxandæ non potest alia certior tradi regula, quàm vel statuta Principis, vel Magistratus, vel consuetudo à recta ratione nõ abhorrens, vel arbitrium prudentum.

133. Cæterùm ut facilè solvas communiter hîc objici solita; adverte pecuniam, quatenùs est quasi merx, & ad alios usus determinata, quàm ut sit pretium rerum, posse admittere majus & minus pretium: & adde nos cum aliis damnare lucrum, quod provenit ex cambio sicco, seu ficto, quod non differt à mutuo, ac consequenter ejus lucrum est usura palliata; prout v. g. contingit dum campsor dat campsario centum Bruxellis, ut ea restituat Romæ cum pretio ordinario, cùm tamen campsarius Romæ non habeat pecunias, nec cogitet ibi solvere: posset tamen adhuc ita siccè cambiens aliquid justè accipere ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis, si hæc verè subsint; minimè tamen ratione

virtualis translationis, de qua hîc maximè quæritur. Solent aliqui ad justitiam cambii requirere aliquas alias conditiones positas in Bulla Pii Quinti, quæ tamen vix ullibi modò obligant, sicut ipsa Bulla vix ullibi est usu recepta, quare eas omitto: pro illis tamen, sicut & pro aliis circa hanc materiam, Vide Francisc. B. Spei *de Iure & Iustit. disp. 12. num. 1. & sequent.*

DUBIUM OCTAVUM.

De Censibus.

134. Census est jus recipiendi annuam pensionem ex re vel persona aliena. Alius est reservativus, quando quis translato dominio directo & utili alicujus rei, sibi reservat jus pensionis annuæ: alius consignativus, dum quis super se vel bonis suis alteri consignat jus pensionis annuæ: atque hic, si fundatur super re, dicitur census realis; si verò super personâ, dicitur personalis; si super re & personâ simul, dicitur census mixtus.

135. Alius insuper census est pecuniarius, in quo pensio est pecunia; alius fructuarius, in quo pensio sunt fructus: iterum alius est certus, in quo exigitur pensio determinata, ut v. g. centum floreni, vel centum modii tritici; alius incertus, in quo exigitur juxta quantitatem fructuum vel proventuum, ut v. g. media, tertia, vel quarta pars eorum. Denique census alius est perpetuus, in quo ad semper annua pensio debetur, donec capitale reddatur; alius est temporalis, qui finitur cum tempore. Perpetuus subdividitur in redimibilem, cujus capitale reddi potest ad arbitrium censuarii; & irredimibilem, cujus capitale nunquam reddi potest. Temporalis item subdividitur in censum temporis certi, v. g. ad decem annos; & temporis incerti, ut v. g. ad vitam alicujus, qui census dicitur vitalitius. His positis

136. Dico primò, census reservativos esse licitos, certum est apud omnes; non est enim in quo injustè agat, qui alteri rem suam donat, parte ejusdem sibi reservatâ. Idipsum etiam mihi certum est quoad censum consignativum fructuarium; quia in eo emitur jus ad fructus, quod æquè est licitum, quàm emere ipsos fructus.

137. Dico secundò, licita etiam est emptio novi census pecuniarii. Ita omnes communiter contra Henricum & paucos alios apud Salas. Probatur, quia illum censum approbarunt summi Pontifices Urbanus V. & Pius V. Deinde obligatus ad censum fructuarium potest per alium contractum licitum hanc obligationem convertere in pensionem pecuniariam, ergò

ergò & hunc contractum solitariè inire. Nec refert, quòd per annuam pensionem in censu, spatio viginti, vel sedecim annorum, recipiatur totum capitale, & tamen adhuc restet totum solvendum; quia & hoc licitè fit in locatione domus. Neque est hîc periculum usuræ; nam non emitur pecunia, ut voluit Henricus; sed jus ad fructus, sive ad valorem fructuum rei, super quam census fundatur. Intercedit igitur semper verus contractus emptionis ac venditionis juris ad fructus rei vel personæ.

138. Ponit Franciscus B. Spei varias conditiones jure positivô ac Bullâ Pii V. ad censum validum & licitum requisitas. Prima est, ut instituatur super re naturâ suâ immobili, aut quæ pro immobili habetur. Secunda, ut creetur numeratâ pecuniâ in actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus. Tertia, ne in pactum deducatur anticipata census solutio: vel quòd censuarius existens in mora solvendi teneatur ad aliquam pœnam. Ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus jam debitis, non solutis; benè tamen ex solutis, de novo, sub forma ordinaria, numeratis. Ut censuario semper liberum sit, censum redimere reddito eodem pretio, ita tamen ut ad hoc cogi non possit; nisi denuntiatio desuper ante bimestrem facta sit; tunc enim potest intra annum invitus à censitore ad redimendum cogi. Hæc & alia P. Franciscus hîc *disp.* 11. *num.* 7. *& seq.* qui *num.* 34. dicit, ex natura rei censum realem esse licitum, cum pacto redimendi ex parte venditoris, quando censualistæ libuerit: quia pactum illud non minùs licitè hîc, quàm omnibus aliis rebus venditis adjicitur. Addit tamen (& benè) pactum hoc esse vitandum, ne per hoc pallietur usura: item debere tunc censum cariùs emi unâ quartâ parte. Hæc etiam *num.* 46. & 55. extendit ad censum personalem, & mixtum. Dixi, *& benè*: quia accedente recuperabilitate sortis ad libitũ, nullâ denuntiatione antea desuper factâ, non videtur titulus ad petendum aliquid annuum à sorte distinctum major esse in censu, quàm in mutuo.

Petes primò, an licitè ematur census minori pretio, quàm sint omnes pensiones speratæ?

139. Resp. affirmativè; quia quod pensiones sperentur superare sortem, fortuitum est in censu temporali; in censu verò perpetuo ipse fundus non tantum valet quam speratæ pensiones: deinde in emptione novi census, sive temporalis sive perpetui, nunquam datur tantum, quantum omnes speratæ pensiones continent, eò quòd semper adsint pericula, de quibus suprà. An autem licitè ematur census jam compositus minoris, quàm sit taxatum pretium? Controvertitur: affirmativè respondet Diana *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 36. si ad id quis rogetur: quia, inquit, merces ultroneæ vilescunt: & pro se citat Navar. Sylvest. ac Joannem de la Cruz: verùm ego contrarium puto sustinendum, quia aliàs etiam quis posset novum censum infra taxam emere dum ad id rogaretur; & è converso aliquis rogatus, ut censum sive novum sive antiquum

ven-

vendat posset accipere ultra taxam, quia merces exquisitæ carescunt: quomodo verò ista axiomata sint intelligenda, vide dicta *dub.* 5. §. 2. circa medium. Certè hæc mihi omninò videntur illicita; nisi fortè dicti census sint minus benè hypothecati, aut difficulter valdè obtineatur solutio annuæ pensionis eorum.

Petes secundò, quomodo agendum pro obtinenda pensione suo tempore, sive anno elapso, non solutâ?

140. Resp. cum P. Francisco *num.* 78. in censu personali vel mixto, censuarium, seu hæredem ejus, vel fidejussorem, aut bonorum possessorem coram Judice vocari debere, ubi bona aut domicilium habet; aut, si absens sit, executio facienda est per litteras requisitorias, exemplum obligationis continentes. Factâ verò executione, reus incarcerandus est, nisi per privilegium incarcerari non possit, aut sufficientia bona in cautionem dederit. In censu verò reali, censuarius incarcerandus non est; sed bona hypothecata in solutionem distrahenda sunt: quæ si solutioni non sufficiant, alia ejus arrestari non possunt; quia ratione istorum tantùm, censuarius ad pensionem solvendam astringitur. Ita ille. Adde quando bona hypothecata non sufficiunt ut omnibus censibus fiat satis, tunc qui habet primum censum primò recipit totum suum capitale cum omnibus decursibus, antequam is, qui secundùm censum habet quidquam etiam de suo capitali recipiat: quod idem dicendum de secundo censu respectu tertii, nisi aliud particulari jure statutum sit. Quod appono, quia juxta jus Lovaniense in illo casu habens primum censum, tantùm potest recipere ante alios suum capitale & decursum unius anni, & pro decursibus aliorum annorum exspectare debet, donec aliis censitoribus suo ordine quoad capitale & decursum unius anni similiter satisfactum sit, quæ sunt bene notanda.

Petes tertiò, quomodo fieri debeat taxatio justi pretii in censibus?

141. Resp. esse servandam proportionem in rebus fructiferis cum earum pretio, ut si v. g. ager emi deberet decem millibus, ex quo deductis expensis annuè recipiuntur quingenta, eodem pretio rectè emetur census quingentorum annuè. De cætero juxta P. Urbanum justus est ille contractus census, qui consuetudini loci accommodatur; juxta quam consuetudinem dicit in Gallia novam censuum constitutionem esse, ut accipiatur unum in octodecim: in Hispania verò emuntur census irredimibiles viginti octo, viginti novem, vel triginta pro uno annuè: redimibiles in aliquibus locis solùm emuntur decem, in aliis quatuordecim, in Belgio autem sedecim, vel etiam viginti pro uno, ubi census irredimibiles ex parte vendentis sunt prohibiti à Carolo V. Bruxellæ anno 1528. Imò eos passim prohiberi, asserit P. Scilder *tract.* 4. *num.* 192. post alios: si nimirum emantur à privatis: quia simpliciter loquendo, census relicti templo aut ejus ministris ad onera perpetua sustinenda, præsumuntur hoc ipso irredimibiles,

juxta

juxta consuetudinem Bruxellensem, *l. Annua*, §. *fin.* & *l. pen. ff. de ann. legat.* Quod & absolutè docet Anselmo *in Triboniano Belg. c.* 29. §. 10. de reditu fructuario Ecclesiæ relicto. Cæterùm Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 11. *num* 28. hanc resolutionem : *Census realis, tam pecuniarius, quàm fructuarius, tam perpetuus, quàm temporalis, etiam vitalitius, eo pretio emptus, quod lex aut consuetudo recepta taxat, justus est, ac licitus*, dicit esse quinquaginta Doctorum, & quinque Pontificum: eamque probat, ostendens in pluribus, quæ sunt pretio æstimabilia, censum à mutuo distingui. Idem *ibid. num* 70. ostendit, conditiones in Bulla Pii V. requisitas, & supra relatas, non obligare in Belgio, Hispania, & aliis Provinciis, pro quibus eum consule.

DVBIVM NONVM.

De fidejussione, pignore, & hypotheca.

142. Dico primò, fidejussio est contractus, quo quis suscipit obligationem alienam ad satisfaciendum pro altero, si defecerit: unde fidejussor non potest conveniri à creditore, nisi priùs, facta excussione principalis debitoris, constet hunc non esse solvendo. Ita habetur *authenticâ præsente cap. de fidejussoribus*. Potest fidejussor licitè accipere pretium fidejussionis proportionaliter ad periculum, quod subit : imò & aliquid exigere, quamvis verosimiliter nullum periculum timeatur; si tamen nullum absolutè periculum, molestia, vel labor timeantur, probabiliùs oppositum judico cum Franc. B. Spei: quia fidejussio non est ex se pretio æstimabilis; quidquid id doceant Azorius, Navarrus, Filliucius, & alii.

Petes, quinam possint fidejubere?

143. Resp. omnes, qui obligationem civilem contrahere possunt, exceptis mulieribus, & quibusdam aliis, qui ex dispositione juris positivi à fidejubendo removentur, quos vide apud Lessium. Quid si plures fuerint fidejussores? Resp. omnes teneri in solidum : ideo enim creditor plures requirit, ut unus suppleat alterius defectum: quòd si verò unicus totum solverit, habet actionem in alios, ut alii pro sua parte restituant; manente interim debitore principali obligato omnibus fidejussoribus satisfacere pro omni damno ipsis ejus culpâ adveniente.

144. Dico secundò, pignus est contractus, quo creditori traditur res mobilis, ut sit obligata pro debito. Hypotheca verò est, dum simili modo obligatur res immobilis : solent tamen sæpè pignus & hypotheca sumi pro ipsa re mobili vel immobili, quæ prædicto modo creditori traditur. Potest res oppignorata monito domino post biennium vendi à creditore, si debitor neglexerit solvere,

ut DD. communiter tradunt: quidquid tamen quidam apud Busenbaum ad id non statuant certum tempus, sed trinam monitionem: qui idem Busenb. docet, creditorem, qui ab aliquo pignus accepit, posse illud alteri oppignorare, pro non majori summa tamen quàm sibi debeatur. Nullus creditor potest uti pignore contra voluntatem domini, quia illud non ad usum, sed nudè ad securitatem traditur.

145. Cæterùm hypotheca duobus modis contrahitur; explicitè, per exteriorem partium conventionem; & implicitè, per juris positivi dispositionem: quod, quomodo, & quando contingat; vide apud Jurisperitos, & Lessium *cap.* 28. Pignori & hypothecæ affinis est contractus assecurationis, quo alienæ rei periculum in se suscipitur, vel gratis vel pretio: de eo in speciali nihil occurrit dicendum. Vide circa hæc omnia Franc. B. Spei *de Iure, & Iust. disp.* 14. per totam.

DVBIVM DECIMVM.

De locatione, & conductione.

146. DIco primò, locatio est contractus, in quo usus aut fructus rei pro pretio conceditur: vocatur emphyteusis, si res sit immobilis, & ejus dominium utile alteri concedatur sub onere certæ annuæ pensionis ultra decennium: si verò concedatur pro obsequio personali, dicitur feudum, pro quibus vide dicta suprà *disp.* 2.

147. Dico secundò, conductio est contractus, in quo usus aut fructus rei accipitur pro pretio. Unde contractui locationis semper correspondet contractus conductionis; quorum uterque dissolvitur, si res locata ante traditionem pereat: quòd si verò conductor impediatur ab omni usu vel fructu rei absque sua culpa, non tenetur solvere pensionem, nisi obstet pactum de opposito: quare debet locator remittere in casu sterilitatis, v. g. pro rata, quod est definitum à Gregorio IX. docetque P. Urbanus post alios communiter. Ad hanc tamen remissionem aliqui requirunt, ut quantitas fructuum non perceptorum excedat medietatem; alii, ut excedat tertiam partem, alii quartam tantùm; pro quo attendendum puto ad locorum consuetudines, & conferendos esse annos præcedentes ac sequentes juxta sterilitatem vel fertilitatem. Adde secundùm Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 13. *num.* 21. certum videri, sicut in casu sterilitatis casualis annua pensio minui debet, ita in casu fertilitatis similiter casualis, debere eandem augeri: quia non videtur aliàs servari æqualitas onerum & commodorum inter contrahentes: quare si pluribus annis ob cæli clementiam uberiores fructus ex fundo elocato proveniant, posse augeri pensionem existimo

quid-

quidquid tamen juxta omnes nihil remittendum sit propter damnum vel infortunium modicum, nec pensio sit augenda ob parum majorem fertilitatem.

Petes primò, an conducens domum teneatur ad restitutionem, si comburatur?

148. Resp. negativè, nisi locans ostendat, illam culpâ conducentis periisse; licèt enim incendium plerumque contingat culpâ inhabitantium, id tamen etiam fit sæpè culpâ famulorum, pro qua paterfamilias non manet obligatus, nisi in casu extraordinario, pro quo vide dicta suprà *disp.* 4. *num.* 26.

Petes secundò, an locator ante præfinitum tempus possit conductorem expellere; aut ècontra hic rem conductam spontè deserere?

149. Resp. quoad primum negativè, nisi in casibus sequentibus. Primò, si per biennium non solvat pensionem. Secundò si debeat res locata refici, & id fieri non possit conductore inhabitante. Tertiò si adveniat casus improvisus, ob quem ipse locans re locatâ necessariò indigeat. Quartò si conductor re conductâ notabiliter abutatur. Ita Franc. B. Spei *disp.* 13. *num.* 11.

150. Resp. etiam negativè quoad secundum, nisi eo non obstante paratus sit solvere pensionem. Potest interim eam alteri locare, vel totam, vel pro parte, nisi expressè in contractu id fuerit exceptum, vel talia inde supervenirent incommoda, quæ, si prævisa fuissent, omninò essent exclusa; ut v. g. si quis domum à se conductam vellet elocare meretricibus. Ita P. Urban. & Caramuel, qui monet proprietarios, ut in contractu locationis obstringant conductores, ne aliis rem conductam elocare aut concedere valeant.

Petes tertiò, an, qui pluribus locat operam suam in solidum, possit à singulis accipere quantum ab unico, si alii deessent?

151. Resp. quòd sic, si æquè omnium negotia promoveat, ac si unius tantùm negotium ageret: tunc enim nullus patitur præjudicium, adeoque non minùs valet dicta opera singulis, quàm si cuique soli in particulari applicaretur. Ita Less. dicens, id ad bonam fortunam vel industriam pertinere; ita etiam Diana docet, dum non obstat jus positivum, prout obstat in nuntio, cui à jure positivo est statutum pretium pro singulis litteris.

DVBIVM VNDECIMVM.

De deposito, commodato, & precario.

152. Dico primò, depositum est contractus gratuitus, in quo res aliqua alterius custodiæ traditur. Re depositâ uti non potest depositarius domino rationabiliter invito; quare tenetur ad restitutionem fructuum ex usu tali perceptorum, & ad compensationem damni, quod fortè

inde exurgit deponenti. Inſuper tenetur depoſitarius reddere depoſitum petente depoſitore, niſi peteret, ut ſibi vel alteri noceat; nam tunc ad tempus redditio differri poſſet. Si res depoſita ſit uſu conſumptibilis, ut pecunia, triticum, &c. docent varii poſſe depoſitarium eâ uti abſque expreſsa licentia deponentis, modò certum ſit, quòd in eadem bonitate poſſit reddere ubi & quando deponens exegerit. Ita plures apud Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.*68. idem dicent de re uſu non conſumptibili, ſi ex ejus uſu non deterioretur, nec aliud incommodum aut periculum adveniat deponenti; ut ſi quis ſcutellis, aut aliis rebus apud ſe depoſitis, utatur ad oſtentationem aut pompam præcisè; in hoc enim non cenſetur deponens rationabiliter invitus. Ex his aliqui deducunt theſaurarios Principum, & mercatorum famulos, ſive factores, expendentes dominorum pecuniam, vinum, triticum, &c. minimè peccare, ſi moraliter certi ſint, nullum inde damnum dominis, aut dominorum creditoribus obventurum. Verùm quia id, ob annexum communiter talis damni & abuſus periculum, jus civile prohibet per leges non purè pœnales, oppoſitum putat probabilius Franciſcus N. *de Iure & Iuſt. diſp.* 8. *numer.* 28.

153. De culpa autem depoſitarii, ob quam teneatur ad reſtitutionem, vide dicta alibi; & adde in dubio, an res culpâ gravi depoſitarii perierit, non teneri hunc in conſcientia ad reſtitutionem; quia eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ: quod extende ad ſequentia cum propoſitione, quando dubitatur de culpa, quæ certò commiſſa induceret in illis obligationem. Quidquid P. Scilder *tract.* 4. *num.* 147. *& ſeq.* diverſimodè reſolvat de culpa negativa & poſitiva.

Petes, an depoſitarius poſſit ſibi compenſare ex depoſito id, quod ſibi a deponente debetur?

154. Reſpondent varii, id in conſcientia non videri illicitum, dum aliunde non poteſt ſolutio obtineri. Ratio eſt, quia de jure naturæ & gentium eſt, ut quis poſſit ſibi ſatisfacere, dum aliunde non poteſt obtinere, quod ſibi certò debetur: verùm quia leges ſunt in contrarium, meritò plurimi tuentur oppoſitum: neque enim hæ leges ſunt purè pœnales, ſed obligantes in conſcientia, cùm prohibeant circa rem alienam fieri, quod naturali æquitati communiter diſſentaneum eſt.

155. Dico ſecundò, commodatum eſt gratuita conceſſio alicujus rei ad uſum pro certo tempore: ante quod non poteſt commodatum repeti, ſi inde proveniret damnum commodatario, niſi fortè idem vel majus damnum immineret commodanti ex carentia rei ſuæ: tunc enim probabilius puto ipſum poſſe rem commodatam repetere ob implicitam voluntatem, qua non cenſetur ſe gratis velle in tantùm obligare. Ita Navarr. Leſſ. Layman. & alii. Commodatarius tenetur primò, non uti commodato, niſi ad uſum, ad quem datum eſt: cenſetur autem datum ad uſus rei proprios, *l. Plenum,* §. *Equitiu, ff. de uſu & habit.* Sic equus v. g. ſolitus vehere,

ad

ad vecturam, solitus arare, ad aratrum præsumitur accomodatus; nisi aliter exprimatur. Secundò, finito tempore concesso, debet commodatum domino, etiam non exigenti, restituere, alioqui tenetur omne lucrum cessans & damnum emergens inde domino proveniens, resarcire. Tertiò, obligatur ad expensas ordinarias in re commodata conservanda. Vide Francisc. B. Spei hîc *disp.* 8. *n.* 5..

156. Dico tertiò, precarium est contractus, in quo gratis conceditur usus alicujus rei donec concedens repetierit: non potest tamen omninò in continenti repeti, quia hoc foret irrationabile, inquit N. Urbanus. Commodatum igitur à precario distinguitur, quòd in hoc nullum tempus determinetur; licèt etiam in illo sæpiùs tantùm implicitè hoc fiat, ut dum cuipiam conceditur liber ut perlegatur v. g. in quo virtualiter statuitur tempus ad hoc necessarium. Hæc breviter de contractibus: modò sit

DISPVTATIO X.

De Iudiciis.

DVBIVM I.

De Iudice.

1. LIcitum esse judicare seu jus dicere inter partes difficultatem seu controversiam habentes in materia justitiæ, omnes Catholici docent; quod immeritò negarunt waldenses apud Castro, quos sequuntur Anabaptistæ moderni, qui omnes in hunc errorem inducti sunt per malam intelligentiam diversorum locorum Scripturæ, in quibus dicitur, *Nolite judicare, ut non judicemini. Matth. 7. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Rom.* 14. &c. quæ loca intelligi debent de judiciis privatis hominum particularium, & non de judicio publico legitimâ authoritate facto, ut constat ex eadem Script. *Deut.* 16. 1. *ad Corinth.* 6. &c. Deinde ratio est manifesta, quia judicare est actus virtutis, si serventur, quæ ad justitiæ rationem pertinent: & cùm id in Repub. sit necessarium ad conveniens humani generis regimen, non est unde dicatur illicitum: quare de iis quæ tangunt Judicem,

2. Dico primò, in omni Judice requiritur jurisdictio, ita ut eâ absente sententia sit nulla, & judicans peccet mortaliter. Requiritur item scientia, quâ possit ritè fungi suo munere: quare si petens aut suscipiens officium Judicis dictâ scientiâ careat, graviter delinquit, quia Communitatem exponit

 peri-

periculo gravium damnorum: unde juxta D. Thom. 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. & plurês alios, non debet talis absolvi nisi firmiter statuat tali officio renuntiare; nemo enim retinere potest officium, quod decenter exercere non valet, maximè dum inde proximo imminet periculum. Insuper si Judex ex imperitia malè judicet, tenetur parti læsæ restituere integrum damnum; quòd si verò cognoscat se erraffe inculpabiliter, tenetur quidem errorem impedire quantum sinè gravi infamia potest, monendo v.g. secretò per se vel per alium, partem læsam, ut appellet ad Judicem altiorem: ad nullam tamen tenetur restitutionem. Deinde obligatur Judex omnium causas celeriter expedire, ita ut juxta Sylvest. Navarr. & alios teneatur ad damna & expensas, quæ parti læsæ ex iniqua dilatione proveniunt: quia est omnium injusta causa. Denique cùm res judicanda superat captum Judicis (prout ordinariè materia litis magni momenti superat captum Mayeri & Scabinorum in pagis) debet illam tradere Jurisconsultis indifferentibus, duobus vel tribus: quia, ut bene P. Scilder *tr.* 2. *n.* 79. circa finem. Sicut Resp. vult Judicem in quæstione facti sibi ignoti sequi testes duos vel tres; sic etiam censenda est, velle, ipsum sequi saltem authores duos in quæstione juris à se non intellecti. Quod ergò Bardi *disc.* 4. *cap.* 28. velit, ad hoc sufficere authoritatem unius, puto solum verum esse, quando Judex hujus rationem aliquomsque saltem penetrat & bonam judicat, de quo imperitus non debet facilè præsumere.

Cùm quidam villicus haberet litem cum suo vicino, & peteret rescriptum desuper, rogavit Advocatum, ut vellet latinum intermiscere, & hoc non qualecumque, sed quod Mayerus non posset vertere in idioma vulgare. Ego, inquiebat, etiam Scabinus fui, & cum omnia instrumenta poteramus intelligere, judicabamus causam inter nos, ne partes ulterioribus expensis gravarentur: si autem id fiat in mea lite, sum perditus, quia omnes moderni Scabini sunt à parte alterius. Advocatus igitur capiens mysterium, attulit citationes ex Bartolo & Baldo: *codice tali: ff. de &c.* ac cùm sic lis debuerit decidi à Jurisconsultis, villicus vicit litem. Volui hanc historiam adducere licèt studeam brevitati, ut meliùs avertantur errores intolerabiles: quamvis enim hic liber ad manus similium non perveniat, pastores movebuntur, ut cum occasione publicè vel privatim eos moneant.

Attendant etiam similes Judices, ut rem tradant judicandam arbitris in doctrina, verbositate, &c. æqualibus quantum fieri poterit: quia dum unus alteri defert, æquè est ac si res ab unico judicetur: præterquam quòd litigantes expensis omnino inutilibus graventur. Hinc damno praxim aliquorum, alioquin satis capacium, qui dum rem momenti consultandam, vel etiam judicandam suscipiunt, non assumunt nisi vel recenter Licentiatos, vel se multò stupidiores, ut sic indubiè propriis insistatur sententiis, & consiliis.

3. Dico secundò, Judex debet semper judicare juxta leges scriptas. Ita D. Thom.

Thom. *quæst. 60. art. 5.* Ratio est, quia ideo leges statuuntur, ut secundùm eas feratur judicium: hoc tamen maximè intellige de Judice non supremo: aliàs enim supremus potest in suis legibus dispensare juxta dicta *in tract. de leg.* Adde etiam Judicem inferiorem posse à lege scripta declinare judicando contra legis verba, sed secundùm legislatoris mentem, quam prudenter per epykeiam interpretatur; plùs enim oportet sequi legislatoris mentem quàm verborum corticem, ut omnes fatentur: in dubio autem de ipsius mente, consulendus erit Legislator si res patiatur moram: pro quibus vide dicta suprà de epykeia, & N. Franciscum B. Spei *de Iure & Iust. disp. 4. n. 8. & 9.* Adde, si lex scripta non exstet, juxta quam judicium formari possit, debere Judicem ferre sententiam secundùm consuetudinem & stylum in foro judiciali communiter receptum: nisi nova ratio firma, solida, & clara, quæ ab aliis non fuit considerata occurrat, destruens communis sententiæ fundamentum: est enim plus sequenda veritas, quàm aliorum authoritas. Dixi, *nisi nova ratio* &c. quia si hæc ab aliis fuerit examinata & rejecta, non potest eam pro solida habere. Insuper in dubio an causa sit fori ecclesiastici an laici, debet Judex laicus cedere decisionem Judici ecclesiastico, uti tredecim probati authores docent apud P. Scilder *tract. 5. n. 21.* & probatur ex *cap. si Iudex de sentent. excommun. in 6.* Quid si aliquis Clericus in concubinatu vivat cum filia sæculari? Causam utriusque spectare ad Judicem ecclesiasticum, docent plures apud Menochium *de arbitr. Iudicum quæst. l. 2. c. 371. n. 13.* quia una & individua causa est ab uno Judice judicanda *ex text. in L. nulli c. de Iudiciis.* è contra prædictam filiam posse trahi & spectare ad Judicem sæcularem, tradit post Julium Clarum, & alios, Burghaber *centur. 3. casu 86.* tum quia *in L. si quis uxori ff. de furtis in princ.* socius criminis non gaudet privilegio socii. Tum quia licet citatum delictum sit physicè unum, est tamen moraliter duplex, ratione cujus duplicitatis quilibet delinquens suo subditur Judici: & debet Lex suprà allata intelligi de causa quæ nullam, aut saltem non commodam patitur divisionem. Ita Burghaber.

Petes primò, quid faciet Judex dum quis nocens probatur, quem ipse innocentem novit: vel è contra dum quis probatur innocens, quem novit nocentem?

4. Resp. inprimis certum esse, dum quis juridicè probatur nocens, cujus innocentia per scientiam privatam est nota Judici, eum debere similem liberare omni meliori modo quo potest, ut v.g. differendo judicium, impediendo accusationes, sæpiùs examinando testes, ut inter eos possit contradictionem invenire. Ita ferè Bacho *in 2. dist. 40, q. unica art. 1.* subdens, vix fieri posse, si sit diligens Judex, quin aliqua via sibi occurrat, quâ sinè juris offensâ ipsum valeat liberare, vel uno ex allatis modis, vel Judicis functionem excusando, & assumendo personâ testis in favorem rei, eumque remittendo ad Judicem Superiorem &c. ad quæ dicit Franciscus N. eum ex lege charitatis obligari. Interea

5. Resp.

5. Resp. secundò, quidquid Less. Sa, Urban. & alii doceant, in causis criminalibus majoribus, in quibus agitur de occisione vel mutilatione, non posse Judicem in casu posito sibi notum innocentem condemnare: tamen sententiam oppositam omninò probabiliter sustinet N. Bacho *loc. cit. art.* 2. citans D. Thom. N. Gerardum de Bononia, & plures alios. Probat ipse suam sententiam variis argumentis; quorum unum aut alterum adduco. Primò igitur sic ait, Judex habet judicare juxta quod fungitur publicâ authoritate & non ut privata persona; sed in casu posito non novit alterum innocentem in processu judiciario; imò sic novit eum ut convictum & reum, ac ita quidem, ut sinè juris offensa probationes repelli non possint: quòd si in tali casu Judex possit liberare sic convictum ob privatam scientiam, ob malitiam Judicum, qui id pro libitu facerent, etiam in absentia dictæ scientiæ, bonum publicum plurimùm pateretur; quod tamen potestas publica plùs tenetur salvare quàm cujuslibet personæ singularis. Deinde *Deut.* 17. dicitur: *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur*, & sequitur immediatè, *nemo occidatur uno contra se dicente testimonium:* ex quo manifestum videtur, quòd accusatus in judicio, si sit convictus per tres testes, contra quos non possit excipi authoritate legis, licitè poterit occidi, testimonio unius solius sive Judicis, sive alterius non obstante in contrarium: unde & B. August. dicit *in qq. Levitici*, & ponitur 23. *quæst.* 5. *cum homo justè occiditur, lex eum occidit, non tu:* quasi dicat, cùm homo publicâ potestate secundùm ordinem juris occiditur, legis ordinatione occiditur, & non tuâ privatâ voluntate. Insuper juxta omnes Judex aliquem in rei veritate reum, in judicio tamen nec confessum nec convictum, tenetur absolvere; prout etiam patet ex Concilio Carthag. cujus ratio est, quia licèt crimen alterius fortè ipsemet viderit perpetrari; tamen ei ut Judici de eo non constat; ergo &c. ab opposito. Ex hoc antecedente patet responsio ad secundam partem petitionis. Plura vide apud Bachonem, & Franc. B. Spei *loc. cit. n.* 10. qui Bachonis sententiæ subscribit, solvens argumenta in contrarium.

6. Si dicas in hoc Judicem agere contra propriam conscientiam; respondeo eum non agere contra conscientiam rectam, quia debet sibi formare conscientiam juxta id, quod legitimè ostenditur in judicio, prout solùm sententiat eum ut reum secundùm allegata & probata, & non secundùm rei veritatem.

Ex dictis clarè deducitur, non posse Judicem monere Advocatum coram se litigantem, etsi advertat eum minùs bene causam sui clientis urgere, & omittere id, quô adductô certò vinceret: cùm enim in ferenda sententia inter partes sustineat personam publicam communitatis, publicâ & non privatâ scientiâ, maximè in favorem unius partis, uti debet, prout constat à fortiori ex dictis de reo, & ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Juxta ergo allegata & probata judicare tenetur, exhibendo se æqualem ad utramque partem. Accedit quòd aliàs valde civibus exo-

exosum foret, in omni publica sententia semper privatos affectus esse timendos: si enim Judex ab allegatis & probatis deflectere, & ex privata notitia partibus favere, & suggerere varia ad causæ elucidationem possit, meritò timebuntur illi affectus. Sic nobiscum docent varii quos citat & sequitur Burghaber *Centur.* 2. *casu* 94. contra Dicastillo, Pelliccionium & aliquos alios volentes, Judicem ad hoc teneri, quidquid Diana horum sententiam censeat probabilissimam.

Petes secundò, quid facere possit ac debeat Judex in causa utrimque probabili?

7. Posse tunc eum pro alterutro ferre sententiam prout placuerit, docent apud Sanchez *tom.* 1. *summa lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 45. Sotus, Medina, Salonius, & alii, quos & ipse sequitur; quibus addo Caramuelem *Theol. moral. lib.* 3. *disp.* 3. *q.* 16. Atque iidem ferè omnes id verum esse sustinent, licèt pro uno staret opinio probabilior. Eorum ratio est, quia judicans juxta opinionem verè probabilem nec potest dici imprudens aut injustus, cùm pro se habeat rationes alicujus momenti; & cùm omnimodam certitudinem habere nequeat, sufficit quòd operetur cum certitudine probabili. Verùm his non obstantibus consequenter ad dicta *tr.* 1. *suprà* omninò tenenda est sententia opposita, quam etiam defendit Burghaber *Centur.* 1. *casu* 79. & *Centur.* 3. *casu* 46. Probatur, quia in causa utrimque probabili totam rem uni parti adjudicare, est admittere manifestam acceptionem personarum, ac quasi pro placito de alterius re disponere: & revera non puto posse dari casum in quo à Judice committatur acceptio personæ extra hos casus, cum in omnibus aliis adsit acceptio causæ, ut examinanti constabit: nisi fortè dicatur, in eo casu esse acceptionem pecuniæ; quia illi sententiæ insistendo, quando sunt duæ opiniones æquè probabiles oppositæ, potiùs apud Judicem agendum esset pecuniis quàm rationibus. Cùm tamen meritò ab Alexandro VII. inter cæteras, sequens propositio universalis damnata sit. *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Quare non benè propositionem illam limitatè Mendo *in Statera benignarum opinionum dissertat.* 6. *quæst.* 7. *numero* 51. damnat, extendendo ad solum Judicem, qui à Republica, aut Principe stipendium recipit.

Deinde talis Judex non decîdit causam secundùm merita causæ, unde committit injustitiam, quam non evadet nisi dividat rem de qua disputatur, vel mittat sortem si non sit divisibilis. Ad rationes verò primæ sententiæ, diximus suprà, eas tantùm locum habere quando neutrum cedit in damnum tertii, vel quando alterutri favet possessio: unde si una pars sit rea & altera actor, favendum est reo. Vasquez temperat nostram sententiam dicendo, Judicem scientem litem à se judicandam fore appellandam ad Judicem altiorem, in cujus tribunali aliqua sententia est commu-

niter recepta, posse tunc ipsum secundùm hanc sententiam judicare, etiamsi sit minùs probabilis, quia aliàs posset timere, vel depositionem ab officio, vel infamationem &c. Ita Vasquez. Econtrà autem Cornejo, qui primam sententiam sustinet, vult eam ab omnibus debere coarctari, ut locum non habeat dum una opinio est benignior & magis pia; quia, ut habetur in *L. semper ff. de reg. juris*, in dubiis semper benigniora præferenda sunt: censentur verò in jure magis piæ opiniones illæ, quæ favent orphanis, pupillis, viduis, peregrinis, aliis miserabilibus personis, juramento, doti, matrimonio, testamento, libertati, religioni, aut Ecclesiæ: etiam quæ favent homini privato contra fiscum: item magis pia censenda est opinio, quę solvit quàm quæ ligat conscientiam *juxta reg. juris, odia restringi, favores convenit ampliari*: & quamvis hoc, quod dicitur de sequenda opinione minùs rigorosa potissimùm servari debeat à Judicibus & Confessariis in ordine ad alios, quorum causam judicant, tamen etiam potest servari ab unoquoque in ordine ad negotia propriæ conscientiæ cum debita moderatione & prudentia. Hæc omnia Cornejo.

Petes tertiò, quid liceat Judici aut Superiori quoad inquisitionem?

8. Resp. ipsum posse instituere inquisitionem generalem de vitiis subditorum nullâ præmissâ infamiâ: nam talis inquisitio est prorsus necessaria ad cavenda delicta, & quamvis aliquorum vitia per eam detegantur, per accidens est. Vide Franciscum B. Spei *disputat. 4. citat. numero 29.* ubi hæc habet, *Si tamen Iudex sit Prælatus Religiosus, casu quo occulta quædam in tali generali inquisitione revelentur, ea sibi ut patri revelata credere debet.* Adde quòd debeat infamia præcedere, ut Judex inquirat circà personam determinatam; aliàs injustè similem diffamat, qui adhuc habet jus ad famam: neque ad hanc infamiam sufficit, quòd duo testes jurent se vidisse committi crimen, quia hoc stante adhuc potest crimen esse occultum: requiritur igitur, ut rumor sit sparsus per majorem, vel mediam partem Communitatis, videlicet Civitatis, Monasterii, Viciniæ, vel saltem secundùm P. Franciscum *numero 30.* ut duo viri probi judicialiter testentur, talem esse rumorem. An subditus generaliter de omnibus, vel particulariter de uno in particulari interrogatus circà aliquod crimen occultum, possit aut debeat criminosum occultum prodere? Erues ex dictis *tractat. 2. disputat. 6. numero 14.*

9. Adde ex P. Urbano, adhuc Judicem posse in delinquentem inquirere, quamvis non præcesserit infamia, sicut & punire ac condemnare notum reum per scientiam privatam, primò dum videtur expedire ut crimen puniatur, non ut divulgetur ob infamiam conjunctam; ut si quis tentasset Reginæ vim inferre & solus Rex id nosceret; si qui conspirassent in caput Principis & non expediat resciri personas. Secundò si non agatur de puniendo delicto, sed solùm de avertendo malo Reipub. Tertiò quando malefactor capitur in flagranti deli-

delicto, prout ſæpè ſuſpenduntur latrones ſilveſtres. Quartò ſi ſit periculum rebellionis; ut dum reus eſt potens: debet adhuc tamen ejus cauſa ſecretò diſcuti & evidens eſſe. Ratio eſt quia in his omnibus rationabiliter præſumitur populus & Reſpub. conſentire, ut Judex ex ſcientia privata aliquem condemnet, vel ante infamiam inquiſitionem inſtituat, etiam circà perſonas determinatas. Illicitum interim eſt, infamatum, aut convictum de uno crimine, juridicè interrogare de alio cum priori non conjuncto: quia talis reus adhuc habet jus ad famam oppoſitam aliis criminibus occultis, prout communiter DD. tradunt, addentes etiam Judici illicitum eſſe interrogare reum de ſociis omninò occultis, niſi in caſibus poſitis. Pro inquiſitione Regularium vide N. Lezanam *tom.* 1. *cap.* 27.

Petes quartò, quid Judici obſervandum quoad torturam?

10. Reſp. ad hoc ut quis in tortura poni poſſit, requiruntur indicia talia alicujus gravis criminis, ut reddant rem plùs quàm probabilem, eamque faciant ſemiplenè probatam: talia autem juxta DD. communiter ſunt, unus teſtis omni exceptione major: aſſertio trium vel etiam duorum criminis ſociorum; excipit tamen in hoc Buſenb. crimen veneficii: ipſius rei confeſſio extra judicium: fama publica orta à perſonis honeſtis: in quo tamen inſuper requiritur aliud indicium, quia ſola fama non probat; tale verò indicium eſt veſtigium delicti in armis aut veſtibus; teſtis minùs idoneus; fuga ſecuta ſtatim poſt patratum crimen, &c. pro quibus vide P. Urbanum *tractat.* 1. *capit.* 9. Interea adhuc ſemper tenetur Judex omnia alia media mitiora adhibere ad veritatem detegendam. Cæterùm dum quis crimen in tortura eſt faſſus, & id ratihabet, uſque ad ſequentem diem, cenſetur crimen plenè probatum, ad quam plenam probationem obtinendam tortura eſt inſtituta: quare ſi aliundè crimen plenè probatum ſit, non poteſt Judex reum torturæ ſubjicere, ut DD. ſatis communiter docent, niſi in aliquo loco particulari requiratur ad condemnationem, ut is, qui condemnatur, proprio ore confiteatur, prout teſtatur Bacho in aliquibus locis nullum aliter ad mortem condemnari.

11. Adde, licèt gravius torqueri poſſint illi, contra quos graviora ſunt indicia, & qui de gravioribus criminibus ſunt accuſati, debent tamen adhuc ſemper moraliter poſſe tormenta ſuſtinere inſpectis qualitatibus eorum: aliàs enim confeſſio eſſet involuntaria, adeoque nulla, etiamſi fortè in confeſſione perſiſtat extra torturam metu novæ torturæ. Neque licitum eſt, aliquem ſecundò torquere, niſi adveniant nova indicia, prout docent Leſſius & Buſenb. vel niſi priora indicia fuerint graviſſima, ut tradit Urbanus.

Petes ultimò, an ſit licitum Judici acceptare munera?

12. Reſp. affirmativè, ſi ſpontaneè offerantur, & deſit omne pericu-

 lum

lum perversionis, & scandali: ut si post latam sententiam dentur in signum gratitudinis. Si tamen Judex (& idem est de aliis ministris justitiæ) habeat justum stipendium taxatum lege aut consuetudine, non potest plus exigere, quin idem teneatur restituere, & committat peccatum concussionis, ut vocant. Ratio est, quia sicut frumentum v. g. non potest vendi ultra pretium taxatum, ita nec laboris exhibitio. Secus interim dic, dum quis à Judice aut alio publico justitiæ ministro aliquid petit pretio æstimabile ultra id, quod in sui muneris justa exhibitione facere tenetur; ut quod plùs studeat, adeat aliquem, quem adire non tenetur, & similia: poterit enim pro istis exigere moderatum pretium. Hæc de Judice, qui plura eaque exquisita videre voluerit circa acceptationem munerũ, videat P. Urbanum sæpiùs citatum *cap. 16. circa medium*; & P. Franciscum etiam sæpè citatum *num. 53. & 54.* ubi inter cætera dicit, solùm Judici interdictam esse acceptationem munerum magni valoris, non verò esculenta & poculenta, quæ infra dies proximos prodiguntur. Non posse autem eum accipere pecunias, ut in causa utrimque æquè probabili uni totam rem adjudicet, diximus *num. 7. circa medium.*

DVBIVM SECVNDVM.

De Accusatore.

13. ACcusatio à denuntiatione distinguitur; primò quòd accusator non possit esse testis in causa, in qua est accusator, benè si solùm sit denuntiator. Secundò quòd accusator teneatur ad probam & non denuntiator: ideo juxta Lezanam *tom. 1. cap. 27. num. 23. & 24.* accusatio debet fieri in scriptis, ut constet quid probandum sit: imò accusans alterum in causa ecclesiastica, debet se obligare ad pœnam talionis si in probatione defecerit: ita habetur *cap. Qualiter & quando de accus.* quamvis in causa sæculari contrarium sit consuetudine introductum, eò quòd passim omnes propterea ab accusationibus retraherentur, ut tradit Urbanus suprà *cap. 12.* & Lezana; qui addit, ut accusator censeatur delictum probasse, sufficere, quòd illud probarit semiplenè, sive per famam vel unum integrum testem, vel per alia indicia æquipollentia. An verò & quando quis teneatur alterum accusare; colligere poteris ex dictis *in tractat. de Charitat.* ubi egimus de denuntiationibus Evangelicis: & *ex appendic. ad tractat. de Legibus.* quibus conformiter loquere de accusatione. Breviter tamen

14. Nota, accusationem non videri esse in usu apud Regulares reformatos; tum quia vix sinè peccato exerceri potest, ut docet Glossa *in cap. Si quis Episcopus*; tum quia accusatio vindictam

dictam quærit, plùs quàm emendationem. Ita Thomas à Jesu *de Visit. Regul. tr.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. & Lezana *suprà num.* 22. ubi de omnibus Regularibus loquens in generali, expressè dicit, accusationem paci ac tranquillitati Religionis non expedire: quo tamen non obstante, Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 4. *n.* 25. monet, ut prudens Prælatus non acceptet simplicem denuntiationem contra eminentes viros, & probatos multis annis Religiosos; à quocumque fiat; sed solam accusationem sub pœna talionis; quod & nos alibi insinuavimus, ne malignantes inde captent occasionem veræ observantiæ zelatores opprimendi. Insuper summus Pontifex *in cap. Qualiter & quando* ait, non facilè admitti accusationem Prælatorum: quare Peyrinis *tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 18. docet, adversus Prælatos non esse admittendos testes, nisi sint omni exceptione majores: horum ratio redditur à Pontifice supra, quia Prælati sunt quasi signum positum ad sagittam, ac multorum odia incurrunt: &, ut bene notat Panorm. quantò Prælatus est justior, tantò minùs omnibus placere potest, cùm debeat diligenter suum officium exequi sine personarum acceptione. Vide de his latiùs Thom. à Jesu, & Lezan. *ubi suprà*; ex quo solùm hîc nota, Prælatos Religionum ex privilegio Bonifacii VIII. non teneri in causis Religiosorum procedere secundùm juris apices, sed juxta approbatas consuetudines, & generalia facta & facienda ordinis statuta; quamvis tamen semper servari debeant quæ sunt juris naturæ & gentium.

DVBIVM TERTIVM.

De teste.

15. SUppono ex Lezana *suprà num.* 15. testem posse esse varium; alius enim est testis ocularis, qui oculis (& idem est de auditu) delictum percepit: alii sunt contestes, qui de eodem facto, loco, tempore, personis, aliisque circumstantiis ad facti substantiam pertinentibus deponunt. Alii iterum sunt testes omni exceptione majores, quibus nulla exceptio apponi potest, per quam eorum fides minuatur. Alii denique sunt testes non omni exceptione majores, ut inimici inimicitiâ capitali, minores nati viginti annis, personæ viles & infames, perjuri, dementes, conspiratores, inconstantes in suo testimonio, & mulieres. Ita Lezana: quibus Urbanus addit consanguineos accusatoris usque ad quartum gradum, nisi agatur de crimine læsæ Majestatis Divinæ vel humanæ; item domesticos, & socios criminis, qui fortè cupiunt habere socium, ut vel sic meliùs possint obtinere veniam, vel saltem non ita arctè puniantur. His insuper adde, delictum plenè probari per tres, vel etiam duos testes juratos, & oculares, qui sint contestes, & omni

exceptione majores, juxta illud Christi: *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Idem sustinet P. Urbanus, quamvis similes testes discrepent in circumstantiis accidentalibus, ideo enim, inquit, non desinunt esse contestes; quia homines non solent tam diligenter attendere ad accidentalia, ut v. g. an cælum sit nubilum, vel serenum, &c. pro quibus etiam vide Franc. B. Spei *disp.* 4. *num.* 71. qui *num.* 72. *sequ.* dicit, *testes non contestes, ut v. g. si unus de uno furto testetur, & alius de alio, non faciunt quidem plenam probationem, augent tamen contra reum præsumptionem, probationémque plus quàm semiplenam efficiunt, ita ut, attentis circumstantiis, ad torturam & pœnam ordinariâ paulò minorem, sufficere possit.* Ita ille post alios sex, quos citat.

Adde, dum testis se corrigit in continenti, fidem haberi correctioni: juramento verò anteriori, si tempus intercesserit. *Cap. præterea, de testibus*; in continenti autem se corrigere dicitur, qui id facit, priusquam dimissus sit ab examinatore, aut saltem publicatæ sint attestationes; modò non sit locutus parti post testimonium primum; aliàs præsumeretur corruptus. Alciatus *reg.* 2. *præs.* 29. His notatis

16. Dico primò, testis tenetur offerre seipsum ad testandum, quando est necessarium ad defensionem Communitatis, vel alicujus innocentis, aliàs non: imò tunc adhuc solùm obligatur ex charitate; quare non tenetur ad restitutionem, nisi tulerit testimonium falsum. Ita DD. communiter: quod & defendit Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 101. de teste juridicè interrogato, qui respondet se nihil scire; quia per Judicis mandatum non accedit obligatio justitiæ commutativæ ad testandum. Ita etiam Joan. de la Cruz, Sylvius, & alii contra cæteros communiùs; quòd si verò testis dubitet, an interrogetur juridicè, probabiliter non tenetur respondere, ut docent Less. Sanch. Salas, & alii. Unde dum Judex inquirit generaliter super aliquo delicto notorio, tunc subditus dubitans, an infamia vel indicia sufficientia sint contra eum, quem novit delictum commisisse, non tenetur eum manifestare, sed respondere potest ac debet, se nescire quis commiserit. Ita Diana, addens circa hæc misserrimè decipi testes ac judices. Imò licèt testis sciat se juridicè interrogari, adhuc non tenetur respondere; primò, quando crimen solùm novit ex Confessione Sacramentali, aut sub secreto naturali tanquam Medicus, Consiliarius, Advocatus, Obstetrix, &c. nisi fortè periculum immineat Communitati ex eo, quòd crimen non patefiat; tunc enim debet detegi, quamvis quis jurasset se non revelaturum; quia tale juramentum neminem obligat, cùm jure naturæ quisque teneatur ad oppositum. Secundò dum testis videt crimen probari non posse, non obstante suo testimonio. Tertiò dum illud solùm scit ex personis non fide dignis; tunc namque potest se gerere, ac si nihil sciret. Quartò quando sibi timet notabile damnum. Ita Urb. Quibus adde quintum ex Busenb. si quis scil. ex confessione delicti suis damnum timeat, ut si v. g. interrogetur circa delicta sui consanguinei.

nei. Sextò insuper testari non teneris, dum crimen scivisti per injuriam, aperiendo v. g. litteras, cogendo alterum ad revelationem, &c. Septimò denique, si alter in facto probabiliter non peccaverit propter ignorantiam, vel aliunde; quia Judicis mens est interrogare de delicto, ut docent Filliuc. Azor. Bonac. & alii. Vide hæc ferè omnia apud Franc. B. Spei *loc. cit. n.* 73. *&* 74.

17. Dico secundò, testis, qui per imprudentiam invincibilem crimen occultum detexit bonâ fide, quia putabat se de hoc legitimè interrogari, non tenetur ex justitia suum testimonium retractare, quamvis id postea resciverit, sed ex sola charitate; idque tunc tantùm, dum id fieri potest absque notabili damno proprio, & sperat fructum ex retractatione. Ita Malder. *2. 2. tr. 6. cap. 2. dub.* 9. quæ, sicut & præcedentia, sunt bene notanda pro praxi. Adde, eum etiam, qui falsum crimen dixit ex ignorantia non damnabili, vel oblivione non mortifera, non teneri ad restitutionem damnorum, ut docet Diana *part. 3. tract. 5. resol.* 105. citans Pitigia. Cajet. Navarra, & alios; quibus jungo Urbanum *tract. 1. q. 2. resol.* 4. ubi dicit, solùm eum ad restitutionem teneri, qui scienter tulit testimonium falsum, vel ex ignorantia crassa, quæ scil. inducat mortale peccatum: quod etiam est satis conforme dictis suprà, ubi docuimus, neminem ratione damni dati ad restitutionem obligari, saltem rei gravis, nisi ob peccatum mortale. Insuper, quamvis quis scienter falsum testimonium tulerit, si tamen ejus testimonium non fuerit efficax causa damni, sed à parte rei nihil effecerit, quia v. g. tota causa antea erat data per falsa testimonia aliorum, ad nihil tenetur. Ita Diana *loc. cit.* post Pitigianum & alios; quibus addo Less. Laym. & Busenb. Ratio est, quia quamvis talis alteri injuriam fecerit, nullum tamen intulit damnum.

18. Petes, an quis possit in judicio deponere, se scire id, quod audivit à viro optimæ famæ? Doctissimus Mexia (sic eum vocat Diana,) videtur tueri sententiam affirmativam apud Dianam *p. 4. tract. 4. resol.* 77. ubi sic loquitur, Petrus ab Ancharano *cons.* 24. consuluit testes de falso non puniendos, qui deposuerunt se id scire, quod à viro optimæ famæ & opinionis audiverant; quod dictum, ut singulare & valdè cordi tenendum, citat & sequitur Jason *in l. 1. col. ult. ff. de eo, per quem, & l. de pupillo, §. si quis, ff. de nov. oper. nuntiat.* Cui accedit quod Dominicus scribit, quòd quis certò dicitur pro certo scire, quando est certificatus ab uno notabili viro, & fide digno, ad quod etiam citat *cap. si pro certo, de simon.* & sequitur Jason. & Franc. Curtius senior, & idem voluit Romanus, loquens tamen pluraliter de fide dignis. Ita Mexia: & Didacus Perez *in addit. ad Villadiego de irregul. cap. 3. §. idem dicerem,* ex Dominico notat etiam, quòd certificatus à notabili, seu fide digno viro, dicatur scire pro certo. His tamen & aliis omnibus minimè obstantibus

19. Resp. sententiam negativam omnino esse tenendam: quia aliàs ex unici testis ocularis testimonio posset haberi

integra

integra proba, cùm videl. hic vir fide dignus existens, hoc aliis narraret, qui ex sua conditione essent testes omni exceptione majores, adeoque testes de auditu efficerentur testes de causa scientiæ: deinde Calistus Papa *cap. testes, 3. q. 9.* jubet, testes de his solùm testificari, quæ in eorum præsentia gesta sunt. Accedit, quòd in foro jud. c ult testis teneatur rationem reddere de suo dicto.

DVBIVM QVARTVM.

De reo, & restrictione mentali.

DE reo multa habet Lezana *tom. 4.* verbo *reus regularis*, quem vide pro occasione.

20. Dico primò, reus non tenetur fateri veritatem, antequam sciat se juridicè interrogari, videatque processum probationum, infamiæ, &c. quia possidens bona, honorem, aut vitam, non tenetur possessionem abjicere, nisi constet se ad hoc esse obligatum. Deinde in dubio magìs favendum est reo, quàm actori. Ita Wigg. *tr. 6. cap. 3. dub. 1. resol. 2.* Dian. Urbanus, Busenb. & plures alii: quorum sententiam N. Franciscus vocat probabiliorem, dicens, ad legitimam interrogationem sufficere præcedentem infamiam, vel semiplenam probationem, vel manifesta indicia; vel etiam ipsam denuntiationem, aut accusationem, positis aliunde indiciis non ita gravibus.

21. Dico secundò, reus, sciens se juridicè interrogari, tenetur sub mortali veritatem fateri manifestando delicta, de quibus inquiritur: tenetur enim obedire Prælato justè aliquid præcipienti. Ita D. Thomas, & Lezana *tom. 1. cap. 27. n. 12.* qui cum omnibus D. Thomæ discipulis docet, id verum esse, quamvis inde immineat periculum vitæ, ob datam rationem; & ulteriùs addit cum Thoma à Jesu, esse propterea reo denegandam absolutionem à Confessario, nisi veritatem fateatur. Hoc ultimum tamen videbitur nimis rigorosè dictum; quia sententia eorum, qui docent, reum non obligari ad veritatem contra se fatendam in causa capitali, quamdiu adest spes evadendi, si non fateatur, quamvis aliàs Judex eum legitimè interroget, non est prorsus improbabilis, quam nec improbabilem vocavit Wigg. apud quem eam absolutè defendunt Navarra, Sylvest. Bonac. Sa, & alii: imò Franciscus N. *de Iure & Iust. disp. 4. n. 57.* dicit, hanc sententiam (quam & suam facit) communiùs doceri; eamque esse probabilem & in praxi tutam dicit Diana *part. 2. tract. 1. resol. 27.* vultque hanc sententiam non solùm procedere in causa capitali, sed etiam dum agitur de pœna triremium, mutilationis, confiscationis omnium bonorum; in quo pro se citat Malderum, Lessium, & alios; quibus ego de novo addo Burghaber *centur. 1. casu 55.* Ratio eorum est, quia sicuti leges humanæ, ita etiam

iam humana præcepta, debent esse attemperata naturæ nostræ, ut non imponant subditis aliquid, quod pro communi infirmitate censetur quasi impossibile observatu; videtur autem impossibile, quòd sperare liceat passim ab hominibus imperfectis, quales ut plurimùm sunt illi rei, actum hujusmodi heroïcum, quo obtemperarent Judici confitendo veritatem in caput suum, dum aliter sperarent vitam posse servare. Ita Wiggers. Et N. Urbanus (qui etiam asserit hanc opinionem esse probabiliorem) absolutè dicit, actum tali modo præceptum superare humanam conditionem, nec fortè, inquit, unus è centum illum præstabit. Alias rationes vide apud eundem Urban. Tanner. & Lugo, quos pro hac sententia adducit Busenb. qui & eam vocat probabilem: ex quibus omnibus apparet, ut dixi, Lezanam, & Thomam à Jesu nimis durè fuisse locutos; ac P. Burghaber meritò monet, rationem allatam, & Authoritatem ostendere, censuras graviores vanas ac contemptibiles esse, quas aliqui contra sententiam jam positam effutierunt. Sed

22. Adverte me dixisse, debere subesse spem evadendi: quia aliàs cessaret ratio tegendi veritatem.

23. Petes primò, quomodo se reus habere debeat in casibus ubi non tenetur fateri veritatem; ut v.g. dum interrogatur de crimine occulto; dum ejus factum externum contra legem excusatur à peccato; dum petitur de aliqua circumstantia vera, ratione cujus deveniretur in suspicionem delicti, quod non commisit, & similia plura, quæ adfert P. Urbanus?

24. Resp. certum inprimis esse in istis omnibus nunquam esse licitum reo mentiri, utpote, cùm juxtà omnes communiter id sit intrinsecè malum: poterit tamen absque ullo mendacio & peccato absolutè respondere, se non fecisse id, de quo interrogatur, idque præstito juramento si opus fuerit: quia id sonat, non feci eo modo, quo me interrogas; unde responsio talis vera est etiam juxtà mentem interrogantis. Ita Urban. *loc.cit. cap.14. circa initium.* Verùm mihi displicent sequentia, nimirùm, ***potest etiam dicere se non fecisse, intelligendo aliam diem ab ea, qua fecit; item potest dicere se non occidisse Petrum, intelligendo alium ejusdem nominis, vel eundem antequam nasceretur &c.*** Ita idem, quibus non absimilia tradit Diana *par.3. tract.5. resol.30.* sed, ut dixi, hæc mihi displicent; quia inducunt restrictionem merè mentalem, quæ licèt in opinione plurium recentiorum sit licita, tamen Malder. Sylvius, Rebell. Laym. Franc. B. Spei, & alii mordicùs nobiscum contrarium tuentur, docendo nunquam aliquid affirmando licere uti oratione, quæ spectatis omnibus circumstantiis, prout exteriùs profertur, est absolutè falsa; & Caramuel meritò dicit sibi innatam esse aversionem contra restrictiones mentales.

25. Probo igitur restrictiones mentales nullo modo admittendas esse: quia nec ulli reo, nec aliis innocentibus sunt necessariæ; nam reus contra juris ordinem interrogatus dicere potest

rest *non feci, non scio, &c.* eaque jurare sinè ullo mendacio aut restrictione mentis, cum sola restrictione dictionis, eò quòd ad significandum id, quod intendit dicere, verba restringantur à circumstantiis sensibilibus: respondet enim reus in eo sensu, in quo Judex interrogat; non enim interrogat Judex, an crimen commiserit absolutè loquendo, sed an constet, an probari possit, &c. eum fecisse; quia aliàs Judex petendo peccaret. Hæc omnia claritatis causâ demonstro in simili, quo utitur Caramuel, ut ostendat civile lexicon à scholastico toto cælo differre: *Petis à me ut comiter & vadam exspatiatum per urbem: ire nolo & volo quod sentio tibi dicere, dico, non possum: arguis me mendacio, nam nullũ impedimentum subesse clarè constat; jam ut me excuses, ad mentalem nescio quã restrictionẽ recurris, ego nullam admitto; & dico me tibi locutum fuisse, non hebraicè non græcè, sed latinè, & non in quacumque dialecto-latina, sed in civili & urbana, à qua verbum* nolo *est expunctum, & ejus loco verbum* non possum *subrogatum.* Ita Caramuel, addens verba univoca determinari à circumstantiis adjacentibus ad diversa subinde significanda; sicut æquivoca, non mentaliter, sed à verbis conjunctis restringuntur ad determinatam significationem: ut dum dicitur aries est primum signum Zodiaci, aries est instrumentum militare: imò etiam sæpiùs ab ipso loco; aliud enim significat vox lingua bovis in penuario, aliud in pharmacopæa: sic etiam vox fornicatio, quæ univoca est, in sacerdotis confessione, quem ex habitu vel ipsa confessione distinguis à sæculari, tibi Confessario significat sacrilegium; in confessione uxorati significat adulterium, & sic quoque in aliis sinè ulla restrictione mentis: hinc igitur patet hanc non esse necessariam. Deinde (pergit idem Caramuel cujus verba non audeo immutare) *restrictiones mentales, si etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes (ignoscant mihi earundem authores & propugnatores) tollunt humanam societatem & tanquam pestiferæ damnandæ sunt: quoniam semel admissæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam, & tota differentia in eo erit; ut quod heri vocabatur mendacium naturam & malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur restrictio mentalis nominari: quod virus condire saccharo, & scelus specie virtutis colorare est.* Ita idem. Vide etiam Franc. Bonæ Spei *de Fide disput. 2. num. 11.* ubi restrictionem mentalem, æquè ac mendacium, illicitam ac malam esse declarat: *num. 21.* ubi dicit, eandem sibi rationem esse restrictionis & mendacii: *num. 24.* ubi, quæ contra mendacium adferuntur, retorquet in restrictionem mentalem: vide eum etiam *num. 61.* ubi, ex à se alibi efficaciter probatis, supponit, dari non posse justam causam, etiam de potentia absoluta, quæ excuset usum verborum per se fallentium, sicèt cum interiùs subintellectis verum sensum habeant. Idem *num. 63.* asserit Confessarium, injustè interrogatum, an pœnitens tale crimen commiserit, peccare, si commissum neget præcisè ob hæc verba, *ut tibi dicam:* & *num. 64.* deducit, multùm à verò & recto aberrare eos, qui restrictionem mentalem admittunt.

Petes

Petes secundò, quid liceat reo quoad fugam & defensionem?

26. Resp. inprimis reum justè condemnatum, nec Judici, nec judicii ministris posse resistere; qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit: potest tamen se defendere contra Judicem & justitiæ ministros, licèt sententia sit tantùm materialiter injusta, si absit periculum scandali. Ita Urbanus cum cæteris communiter. Ratio est, quòd iniqua sententia non magis obliget quàm lex iniqua, quæ nusquam obligat. Insuper semper manet licitum reo, etiam post sententiam Judicis, è carcere fugere, dum aliàs timet mortem, mutilationem, captivitatem perpetuam, aut notabilem jacturam famæ: secùs fortè dum juravit contrarium. Ita DD. communiter. Ratio est, quia quisque habet tantum jus ad conservandam vitam, ut nulla potestas humana possit obligare ad eam non conservandam dum fieri potest; nisi fortè hoc necessè foret ad bonum commune. Ita Less. & Busenb. ac, ut ait Wigg. post D. Thomam, nemo potest condemnari ad faciendum id unde mors sequatur; nec consequenter ad manendum in carcere in dictis casibus, unde potest reus carcerem effringere ut fugiat; quia cùm sit in necessitate extrema, potest se dispensabiliter licitis adjuvare, ut loquitur N. Franciscus.

27. Neque tunc infertur vis publicæ potestati, quia hæc (ut notat Urbanus) residet in ministris justitiæ, non in lignis vel saxis, quemadmodum non diceretur resistere justitiæ, qui damnatus ad bestias his resisteret: si verò contingat inde quòd etiam alii captivi fugiant, per accidens est, ipse interim suo jure utitur. An autem sit licitum aliis, suppeditare reo instrumenta ut carcerem effringat? controvertitur: affirmativè quoad eos, qui non sunt ministri justitiæ, respondent Malder. Villal. Cajet. Vasq. Less. Sylvius, Azor. Turria. & alii, quos citat & sequitur Diana *par.* 3. *tr.* 5. *resol.* 102. quibus addo Urbanum & Busenb. Probatur, quia cum juxta DD. communiter licitum sit consulere reo, ut fugiat, ita & media ad fugam suppeditare: adhuc tamen se opponunt Valentia, Sotus, Toletus & alii apud Malder. & Diana. Adde interim nemini licitum esse per se carcerem effringere, ut reus fugiat; quia hoc nimirùm turbaret publicam potestatem; & ipsi reo id solùm est licitum, eò quòd sit ipsi nimis arduum & inhumanum (ut loquitur P. Urbanus) non posse suæ vitæ, membris, &c. consulere quovis modo: undè fit quòd id nec reo sit licitum si manens in carcere nullam ex gravioribus pœnis timeat. Cæterùm nullus justè condemnatus tenetur fugere quamvis facilè possit; potest enim meritò velle pati pro delictis suis. Si tamen quis esset injustè condemnatus teneretur fugere; quia non habet justam causam permanendi, ac permittendi sui occisionem, aut mutilationem injustam.

28. Dixi suprà, *secùs fortè dum juravit contrarium*: quia Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 4. *num.* 64. docet, reum sæcularem, etiam post dictum juramentum, posse in casu posito è carcere fugere; quia non censetur attendisse ad datam fugiendi occasionem, sicut

etiam intendat, illâ datâ se ad non fugiendum obligare, sed excepisse; quia si, dum juravit, data fuisset, non jurasset, ut suppono. Ita ille.

Petes tertiò, an innocens morti adjudicatus licitè Judicem vocet ad tribunal Dei?

Respondeo affirmativè, si v.g. fiat præcisè ut innocentia pateat, aut familia ab infamia liberetur. Probatur tum exemplis virorum sanctitate & doctrinâ præstantium, quæ adducit Delrius *de magicis disquis. to. 2. l. 4. c. 4. q. 4. S. 1.* tum quia quilibet ob gravamen licitè appellat ad superiorem Judicem, qualis respectu omnium nostrum est Deus. Ita post Delrium, & plures alios docet Burghaber *centur. 3. casu* 87. cum quo tamen fateor lubens, hoc genus defensionis periculosum esse, nec unquam ferè usurpandum; quia facilè latens aliqua gloriolæ, vel vindictæ, vel alia perturbati animi nebula se immiscet, ut veritatem ac justitiam non videamus. Quod si quis scienter alium citet injustè, peccat, etiam mortaliter ob grave nocumentum alteri inde oriri solitum, ut benè addit idem Burghaber.

DVBIVM QVINTVM.

De Advocato, Procuratore, Secretario, & Notario.

29. IN Advocato quatuor communiter à DD. requiruntur: primò conveniens scientia, quâ noscat jura, consuetudines, aliaquè necessaria ad clientum causas ritè defendendas ac promovendas. Hinc mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem si sit in culpa lata Theologica vel scientiæ acquirendæ, vel diligentiæ adhibendæ juxtà prudentis judicium: item si expeditionem causæ cum clientis præjudicio differat, postponat, vel adeò multas defendendas suscipiat, ut eas expedire non valeat. Tenetur autem majorem vel minorem adhibere diligentiam secundùm merita causarum.

30. Secundò requiritur justitia causæ: peccat enim contrà justitiam, adeoque ad restitutionem tenetur, dum cliens deficit, si scienter patrocinetur causæ injustæ, sive ab initio sive in decursu litis notæ ut tali; quia est causa injustæ damnificationis. Ita omnes. Ex quo deducitur, non esse absolutionis capacem eum, qui paratus est cuicumque causæ occurrenti patrocinari.

31. Tertiò debet Advocatus esse fidelis, tum erga cliententes, non manifestando adversariis merita causarum, nec ipsos juvando: tum etiam erga Remp. & propriam conscientiam, non adducendo leges falsas pro veris, aut sensus à vera doctrina alienos pro legitimis, vel falsas cavillas pro solidis rationibus. Ita P. Urbanus.

32. Denique requiritur, ne exigat stipendium ultrà justum pretium: pro quo vide dicta de Judice supra.

supra. Solùm hîc adverte *ex cap. infames 3. quæst. 7.* non licitè conveniri de pretio jam inchoatâ lite: cujus ratio est, quia aliàs, postquam vidit instrumenta, posset clientem cogere ad quodlibet pretium, eò quòd alter aliàs timeret proditionem: nec potest Advocatus cum cliente pacisci de tertia, quarta, vel etiam dimidia parte litis accipienda pro stipendio si litem vicerit, *ex L. sumptus ff. de pactis*: ratio est, ne detur occasio per fas & nefas procurandi victoriam. Ita Urbanus cum communi, quidquid Dian. *par. 2. tract. 2. res.* 47. dicat, se non damnare contrarium facientes, si absit periculum injustitiæ, & id cliens faciat, ut alter ardentiori studio incumbat in justam justæ causæ defensionem, ac se ipsum liberet molestiâ eum sæpe adeundi.

His quatuor à DD. communiter requisitis quintum aliqui superaddunt, nimirum Advocatum ex charitate teneri gratis patrocinari pauperum causis, quibus aliundè subveniri non potest.

Petes an Advocatus possit patrocinari causæ probabili?

33. Resp. quòd sic, etiam licèt causa adversaria sibi videatur probabilior: quia ipsius est solùm partium jura proponere, potéstque cogitare suam partem fortè à Judice judicatam iri magis probabilem: interea tenetur de hoc clientem monere, ne hic decipiatur. Sed quid si omninò certò sciat causam clientis esse minus probabilem? Respondeo cum Burghaber *Centur. 3. casu 65.* (hic enim alibi nobiscum docet Judicem non posse adjudicare litem habenti causam minus probabilem) tunc Advocatum non posse simili causæ patrocinari; quia hoc faciendo petit meliora jura violari, adeòque directè agit, ut alteri res sua injustè auferatur, injustéque Judex decernat: cum enim certò sciat jura partis adversæ esse probabiliora, non jam proponit nudè sua fundamenta ut à judice examinanda, prout diximus fieri in casu priori: quidquid plures sustineant oppositum apud eundem Burghaber, quorum sententiam & ipse dicit habere magnam probabilitatem tum ex authoritate, tum ex ratione à se adducta: quod secundum miror ipsum asserere, cùm rationem à se adductam ipsemet clare destruat, ut consideranti patebit ea, quæ nos ex ipso compendiosè posuimus.

An verò Advocatus possit patrocinari causæ dubiæ? Multi negant apud Dian. *par. 2. tract. 13. res. 6.* sed ipse cum Lorca & Maldero respondet affirmativè: quia nec Advocatus sententiam profert, nec eam cogit Judicem proferre, sed solùm proponit quæ sui clientis jus confirmare possunt; quæ nuda propositio in causa dubia non potest esse injusta; quia juvat ut causa à Judice meliùs expendatur. Hanc etiam sententiam docent Vasq. Salas, & Lugo, quos citat ac sequitur Busenb. *lib. 4. cap. 3. dub. 3.* Verùm prorsus illicitum puto suscipere causam nihil ferè probabilitatis habentem, ita ut vix sit spes, moraliter loquendo, litem lucrandi; quia per hoc Advocatus est causa quòd cliens sine fructu tempus & pecuniam perdat, cùm similis causa ordinariè in judicio rejiciatur. Hinc

34. Collige Advocatum debere diligenter examinare justitiam causæ antequam ei patrocinetur, eâque cognitâ verâ vel probabili, debere id candidè clienti indicare, aliàs juxta Bonac. *de pec. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. si clientem falsâ promissione, vel inani spe litem vincendi excitet ad frustraneos sumptus, tenetur eosdem restituere.

35. Procuratori, Secretario, Notario, *&c.* cum proportione applica quæ de Advocato sunt dicta: ita ut in iis requiratur scientia sufficiens, *&c.* Vide pro his Franc. B. Spei *to.* 4. *tr.* 2. *disp.* 6. *dub.* 10. & hîc *disp.* 4. *num.* 75. *& seq.* Specialiter tamen quoad Notarium, notandum venit, illius non suspecti instrumentum, coram duobus testibus debitè confectum, plenam fidem facere, juxta illud *L. emancipatione* 11. *c. de fide instrum. Instrumentorum incorrupta fides.* Suspectus autem, cui non debetur fides, est omnis ille, qui semel commisit fraudem. *l.* 12. *c. de suscept.* quidquid tamen adhuc fides habeatur instrumentis ab ipso ante illud crimen confectis. Adde, præsumi contra omne instrumentum in quo aliquid de substantialibus deletum est, si aliæ conjecturæ adveniant, ut scriptura recens in instrumento antiquo, rasura in loco suspecto, *&c.* Item instrumentum non facere fidem circa dicta vel facta ab ipso Notario; nec habere vim in iis, quæ pro se scripsit: licet tamen plus ex errore, quàm ex malitia præsumatur ea sibi adscripsisse. Cæterùm dum aliter reperitur scriptum in instrumento quàm in protocolo, in quo exemplaria instrumentorum registrantur, fides habetur protocolo: sicut & juxta ea, quæ habet Bardi *disc.* 6. *c.* 9. §. 25. in dubiis sequendus est ordo protocoli.

DISPUTATIO XI.

De Justitia distributiva.

DUBIUM I.

De personarum acceptione.

1. JUstitia distributiva versatur circa collationem officiorum publicorum tam sæcularium quàm ecclesiasticorum; & circa onerum communium impositionem, ut vectigalium vel similium. Vitium huic justitiæ oppositum est acceptio personarum: de qua

2. Dico, acceptio personarum est violatio debiti ordinis ad plures ob respectum impertinentem & indebitum: ut si officium vel beneficium conferatur Petro præcisè, quia Petrus est, & non quia dignior aliis, vel præcisè quia est amicus conferentis. Est ex suo genere peccatum mortale.

Ita

Ita Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 20. *num.* 2. Ratio est, quia si sit in materia gravi, graviter repugnat juri Reipublicæ, charitati proximi, vel alteri virtuti. Adverte tamen, ad hoc vitium incurrendum requiri, ut distribuens obligatus sit distribuere juxtà meritorum aut certarum qualitatum proportionem: non habet enim locum in electione gratuita, quâ quis juxtà placitum ex bonis propriis v. g. benefacit quibus vult: quare ad vitium acceptionis personarum bene requirit P. Urbanus, ut bona distribuenda sint aliquo modo communia, saltèm destinatione distribuentis, ob quam competit jus aliquod ad rem iis, qui læduntur injuria acceptionis personarum. Hinc Deus nullatenùs est acceptor personarum in clargitione donorum, quia nemo habet jus ad rem circa illa; si nimirum loquamur de iis, quæ absque merito prævio conferuntur.

3. Præter collationem beneficiorum & onerum impositionem etiam versatur acceptio personarum in judiciis externis, dum nimirum Judex non merita causæ, sed conditionem collitigantium inspicit in decidenda lite, de quo diximus aliquid *dub.* 1. *disp. praced. num.* 7. Item committitur acceptio personarum circa exhibitionem honoris ac reverentiæ, dum scil. unus præ altero honoratur, qui honorari non debet. Sed fortè hîc

Petes, quinam sint tituli, ob quos alicui honos aut reverentia debetur?

4. Resp. inprimis honorem deberi virtute & sapientiâ præditis, quia in his consistit perfectissima excellentia naturæ rationalis: deinde iis, qui potestate excellunt, quales sunt Principes & Magistratus, nam hi quasi divini dominatus & potestatis participes sunt: item parentibus, eò quòd post Deum sint principium nostri esse: nec non etiam senibus, quia senium est signum prudentiæ ac virtutis; has enim existimantur illi longâ experientiâ comparasse. Ita Wiggers. Quoad divites autem, omnes communiter negant, eos honorandos esse ob ea, quæ habentur *Iacobi cap.* 2. & ratio est, quia secundùm divitias non sunt ullo honore digni. Interea D. Thomas docet, adhuc divitibus suo modo honorem deberi, quatenùs divitiæ possunt esse instrumenta virtutum & subservire bonis operibus. Nec est peccatum, inquit Urbanus, absolutè aliquo signo externo deferri honorem diviti propter divitias, ex præscripta consuetudine, modò non fiat cum interiori reverentia & æstimatione erga easdem. Cæterùm

5. Adverte juxtà Pourrè post Peyrinis, non peccaturum mortaliter acceptione personarum, qui Conventui parvo non probatum religiosum juvenem præponeret, ad faciendum de eo experimentum, probato postposito; tum quia illæ Prælatiæ Conventuum minorum non requirunt Prælatos tam undequaque rotondos, cum paucos habeant sub se subditos. Ita illi: ex quorum judicio id dictum sit; ego enim memini me sæpe ab expertis audivisse, esse difficiliùs regere Con-

Conventum minorem quàm majorem. Quòd verò dicatur, neminem haberi probatum nisi probetur, nihil refert, quia similis suo tempore probabitur, dum videl. defecerint probati.

DVBIVM SECVNDVM.

De collatione & venditione officiorum sæcularium.

6. DIco primò, eligentes aut constituentes ineptum in officio sæculari gravis momenti, mortaliter delinquunt. Ita omnes. Prob. quia tales Remp. gravi injuriâ afficiunt, eam exponendo plurimorum damnorum periculis: quare obligantur ad restituenda damna, quæ communitas ex simili electione aut constitutione patitur. Similiter etiam peccant, qui eligunt minùs dignum omnibus paribus digniori relicto, quia juxtà leges justitiæ distributivæ, officia publica, tanquam bona communia, debent subditis elargiri secundùm merita ipsorum: & aliàs etiam communitas inde pateretur gravia damna, ac privaretur magnis emolumentis, quorum omnium sunt tales eligentes causa efficax, adeòque obligantur etiam ad restitutionem, ut DD. communiter sentiunt; quidquid tamen Diana *p.* 3. *tract.* 5. *res.* 110. *Notabili* 1. dicat, esse probabile & in praxi tutum, similes ad restitutionem non teneri: & apud eundem *p.* 4. *tract.* 4. *res.* 172. docet Turrianus, opinionem probabilem esse & in praxi receptam, posse Principem sine peccato eligere dignum ad officium sæculare digniori relicto; & hanc testatur absolutè defendi à Vasquez, probabilémque vocat Diana, quamvis fateatur communem Theologorum & Jurisperitorum sententiam, etiam quoad Principes, oppositum docere. Vide eundem Dian. *par.* 11. *tract.* 4. *res.* 5. ubi quærit, an licitum sit aliquando ferre suffragium, quando jam est conclusum de eligendo indigno, qui, sive pro eo des, sive non des suffragium, equidem eligetur?

7. Idem Diana *par.* 3. *suprà* enumerat plures causas excusantes à peccato eligentes minùs dignum digniori relicto; primò, quando excessus non est notabilis & manifestus. Secundò, dum magis dignus est de alia domo aut familia vel communitate. Tertiò, dum minùs dignus expetitur à communitate. Quartò, quando ex tribus occurrentibus, digno videl. digniori & indigno, eligeretur indignus, si ego digniori relicto non dem meum suffragium digno. Quintò, quando dignior est implicatus externis negotiis, vel non ita residentiam facit, sicut minùs dignus. Sextò, si minùs dignus sit expertus circà vacans officium & non dignior: ac tandem Pa-

Patronus laicus potest præsentare minùs dignum relicto digniori: quæ omnia Diana testatur reperiri apud Valerium, de la Cruz, Sylvium, Lessium, & alios, ac proinde bene notanda sunt; procedúntque tam de beneficiis ecclesiasticis, quàm de officiis sæcularibus. Vide Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 20. *num.* 10. 11. & 12. qui *num.* 22. rectè dicit, illum universaliter esse censendum digniorem, qui omnibus spectatis, utiliùs & fructuosiùs, in ordine ad communitatem, cui præficitur, beneficio aut officio usurus speratur. Undè quandoque fieri potest, ut minùs sanctus ac minùs doctus sit præferendus propter potentiam & industriam.

8. Dico secundò, ex natura rei non est illicitum vendere officia sæcularia; quia dignitas, excessus pretii commensurati ad labores, qui ab aliquo constituto in officio justè ratione officii exigitur, & occasio lucrandi, sunt verè pretio æstimabilia; quæ omnia in officiis publicis reperiri, est manifestum. Dixi *ex natura rei*; quia venditio similis sæpe, imò ordinariò redditur illicita ob plurima damna, quæ indè Reip. obveniunt: imprimis enim per hoc datur occasio non eligendi digniores, & electi emptores alliciuntur ad solutum pretium recuperandum, augendo statutum pretium suorum laborum. Hinc omnes docent, non expedire dicta officia vendere: imò secundùm dictum Franciscum *n* 17. & Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 108. talis venditio pestis est Reip. quamvis eam adhuc dicant licitam, certis positis conditionibus; quarum prima est, ut talia officia vendantur saltèm digno: secunda, ut vendantur pretio moderato: tertia, ut id fiat ob necessitatem vel utilitatem Reip. quia hæc eget pecuniâ: ita etiam docent Less. Malde. Sylvius & alii: verumtamen aliis tribus circumstantiis bene Wiggers superaddit quartam, ut scil. vendens habeat plenam authoritatem disponendi de illis officiis: plerisque enim officiorum collatoribus solet inhiberi à Superioribus majoribus, ne ea conferant pro pretio. Nec minùs benè monet Azor. ob incommodum suprà allatum, debere certo pretio taxari id, quod officii emptor est accepturus ob laborem & operam suam in officio obeundo.

DVBIVM TERTIVM.

De vectigalibus, & gabellis.

9. HÆc & similia nomina, quæ variantur juxtà locorum diversitatem (alii enim vocant tributa, præstantias, stipendia, talia, pedagia, &c. pro eodem ordinariè à DD. sumi solent; pro eo nimirum, quod solvitur Regi aut Principi pro necessitate sua vel Reip. Omissâ igitur nominis varietate, pro qua videre poteris Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 16. *num.* 1.

10. Dico primò, vectigalia justè im-

imponi possunt à Principe in terris sibi temporaliter subjectis, si nullum superiorem habeat: item à Papa per totum Christianismũ; indirectè tamen tantùm in terris sibi temporaliter non subjectis, dum scil. id necessarium fuerit ad bonum spirituale subditorum. Ea insuper etiam justè imponunt Magistratus, dum habent à Principe potestatem explicitam vel implicitam: quam censentur semper habere, quando id judicant necessarium ad conservationem Communitatis. Ita omnes. Verùm difficultas non exigua est, determinare res, super quibus vectigalia imponi possint: communiter enim DD. volunt, ea injustè imponi super rebus ad vitam & humanum usum necessariis, si aliundè necessitati communi possit succurri; quia per illa, dictis rebus imposita, æquè gravantur pauperes ac divites, cùm omnes æquè iis rebus indigeant: hoc autem manifestè repugnat debitæ onerum distributioni. Hinc inferunt plures cum Lessio & Diana, non debere Confessarios esse difficiles pœnitentibus, etiam divitibus, cogendo illos, ut restituant vectigalia defraudata; quia non constat de eorum adæquata justitia, suntque plerumque nimiùm exorbitantia. Tamen

11. Dico secundò, justè imponuntur moderata vectigalia super rebus prædictis, quando aliter communi necessitati succurri non potest. Prob. quia positâ necessitate, datur Principi justa causa, ut per similia vectigalia illi succurrat. Ita Franc. B. Spei *num.* 7. Volunt tamen præstantes DD. etiam tunc debere Principem aliud tributum imponere iis, qui dictas res habent ex propriis, ne alioqui pauperes soli totum onus subeant: neque oppositum, inquit Wiggers, potest præscriptione, aut consuetudine justificari, eò quòd nimis evidenter contrarietur principiis justitiæ distributivæ. Interea potest Princeps aliquos ab onere vectigalium eximere ob justam caussam, ut v.g. ob generosa facinora, ministeria in aula, bello, *&c.* pro quibus vide Franciscum N. *num.* 27. *& seq.*

12. Dico tertiò, dum constat vectigalia ab omni parte esse justa, grave peccatum est ea defraudare. Ita DD. communiùs teste Dian. *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 19. quos & sequitur Lezana *tom.* 3. *verbo Gabella n.* 2. Probatur ex Scrip. *ad Rom.* 13. *Ideo & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, &c.* ac *Matth.* 22. ipse Christus dicit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Deinde jure naturæ debetur Principi stipendium laborum suorum, & subsidium necessarium ad onera sua & Reip. persolvenda: ergò, *&c.* His tamen non obstantibus contrarium sustinet Navarra cum pluribus apud Lessium & Lugo, qui existimant leges vectigalium esse purè pœnales, quæ juxta communem non obligant in conscientia sive sub peccato: idque probabile judicant Franc. B. Spei *num.* 16. Less. Sa, Bonac. Busenb. & Burghaber *Centur.* 2. *casu* 29. alios adhuc citans. Verùm quidquid sit, mihi saltèm probabile est, quando non est omninò certum de justitia vectigalium, sed subsunt rationes probabiles in contrarium, non esse subditos cogendos à Confessariis ad solutionem, aut restitutionem eorum: idque quam-

quamvis solutio vectigalium fiat emptori eorundem; quia hic conscius vectigalia ita solere defraudari, liberè subit istud periculum, ideòque & viliùs emit jus ad ea. Hanc sententiam docent Angel. Sylvest. Cajet. & alii apud Lessium, qui & ipsam probabilem vocat; quia nimirum in dubio melior est conditio subditorum possidentium: quidquid P. Lezana oppositum dicat esse probabilius ob hoc generale principium, *in dubiis præsumendum est pro Principe seu Superiore*; à quo, inquit, si semel receditur, tota ruet boni regiminis ratio: vide etiam P. Franciscum *num.* 9. & à nobis dicta supra de opinione probabili: & adde ex ipso Lezana, quando rationes contra justitiam vectigalium sunt urgentiores, & præsertim si juventur publico rumore & famâ vel suspicione virorum sapientum ita existimantium, tunc opinionem de injustitia esse probabiliorem; & ita illam poterunt sequi subditi, & non solvere impositionem. Ita ille. Cæterùm

13. Adverte primò, ad justitiam vectigalium requiri, ut verè in commune bonum impendantur, vel in Principis necessitatem aut utilitatem, non verò in res vanas, luxum, *&c.* Insuper etiam requiritur justa authoritas, & æqualitas onerum: item ne plus exigatur quàm petat necessitas, ob quam vectigalia sunt imposita; & denique ut non imponantur personis privilegiatis. Ita idem Lezana *verbo Bulla Cœnæ num.* 19. cui accedit P. Franciscus *n.* 2. *& seq.*

14. Adverte secundò, posse quemcumque subditum sibi compensare, non solvendo vectigalia, etiam omninò justa, propter debita, quæ Princeps ei debet, idque licet vectigalia alteri sint locata: quia non potest Princeps in alterum plus juris conferre, quàm ipse habeat. Ita plures, quos citat & sequitur Dian. *p.* 2. *tract.* 2. *resol.* 14. Qualiter autem, & quo jure Clerici sint liberi à vectigalibus, vide apud Navar. *cap.* 17. pro Regularibus verò consule P. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 14. & *tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 32. ubi agit de exemptione Mendicantium à quibuscumque oneribus; sed maximè *tom.* 3. *verbo Gabella quoad Regulares à n.* 5. *usque ad* 26. ubi *num.* 14. inquirit an hoc privilegium transeat ad colonos.

15. Cæterùm, sequens consilium, à Francisco N. ex Molina desumptum, pro Confessariorum praxi hîc ponendum judicavi: *Princeps, prout viderit tributa sibi deberi, per suos ministros exactioni invigilet, & in tributis exigendis in tantum sit rigorosus, quantum conscientia, accedente peritorum consilio, ei id esse æquum dictaverit. Confessarii verò, qui privati sunt, nec facilè Principes condemnent, nec eos, qui moderatè tributa defraudant, & competenter contribuunt (quod sufficienter salvari puto per mulctæ solutionem, dum ea defraudare deprehenduntur:) non cogant in conscientiæ foro restituere, &c.* Ita Franc. B. Spei *disp.* 16. *cit. num.* 24.

DUBIUM QUARTUM.

De beneficiis ecclesiasticis.

§. I.

Quid beneficium ecclesiasticum, & an indignus ad illud eligi possit?

16. Dico primò, beneficium ecclesiasticum est jus percipiendi fructus in perpetuum ex bonis ecclesiasticis ob munus spirituale authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita omnes communiter. Dividitur in regulare & sæculare: quorum primum est, quod conceditur Religiosis, quibus etiam beneficia sæcularia curata possunt sinè dispensatione concedi; non tamen alia, quibus cura animarum non est annexa, ne per hoc iis detur occasio vitæ licentioris & otiosæ. Ita P. Urbanus *tract.* 3. *tit.* 17. *fol.* 663. Beneficium sæculare est, quod conceditur Clericis non Religiosis. Insuper dividitur etiam beneficium in majus sive duplex, quod curam animarum annexam habet, vel aliud onus importat; & minùs, sive simplex, quod habet annexum solum onus recitandi certas preces. His positis

17. Dico secundò, ad beneficium ecclesiasticum eligi indignus non potest: patet *ex cap. grave nimis*: & ratio est, quia id cederet in destructionem, non in ædificationem. Potest tamen eligi non omninò inidoneus defectu idonei; quia talis adhuc melior est quàm nullus: imò Lugo contra Hurtadum dicit, absolutè fieri posse, ut in casu particulari licitè eligatur indignus; quem casum assignat Diana. *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 38. si nempe sint tres sollicitantes, quorum unus sit dignus, rejectus tamen ab aliis electoribus, alius indignus, sed tertius indignissimus; in hoc casu quis utiliter gerit negotium Ecclesiæ si eligat indignum, ut avertat electionem indignissimi.

18. Dico tertiò, est certò, meo judicio mortale, ad beneficium, habens curam animarum annexam, eligere minùs dignum digniori relicto quidquid Burghaber velit oppositum non esse improbabile *Centur.* 1. *casu.* 18. Patet ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. & ratio est, quia id graviter adversatur bono communi: si tamen beneficium non habeat eam curam annexam, plures docent, id non esse grave peccatum; pro quo vide Dianam *p.* 2. *tract.* 1. *resol.* 38. & *p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 34. Ex his tenentur Regulares sub mortali in Superiorem eligere magis dignum, cùm officium ejus habeat curam animarum annexam. Vide etiam

Franc.

Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 20. *num.*6.7.*& seq.*

19. An verò obligatio eligendi digniorem extendatur etiam ad resignantem beneficium in favorem tertii? Affirmant Navarrus, Vasquez & alii; quos nimis rigidè locutos ait Diana, pro opposito citans Reginal. Less. Malder. &c. Ratio ipsius est, quia resignans non est distributor, adeoque si permittatur resignare in favorem, potest resignare cuicumque digno: neque hîc, inquit, est locus concursui tanquam ad commune bonum ex parte totius distribuendum, sed pars parti jus suum transfert. Ita ille *p.*2.*tract.*1.*resol.*41. quam sententiam conformem esse praxi receptæ, etiam ipsius summi Pontificis, testatur Petrus de Arragonia. Sed quæri hîc posset, an qui in concursu, omisso digniori, eligit dignum, teneatur ad restitutionem? Variis pro utraque parte adductis Authoribus, & eorum fundamentis examinatis, sic compendiosè suo modo respondet Dian. *p.*11.*tr.*4.*resol.*35. *Affirmativa opinio est communior & sequenda, & ego illi adhæreo: sed an opinio contraria Soti, Zapata & aliorum sit practicè improbabilis, ut vult Thomas Hurtadus, remitto me judicio doctorum virorum: nam ego absolutè invenio Sanchez vocare illam probabilem, & ad argumenta Hurtadi respondere: vocavit illam etiam probabilem Trullench.* Hæc ille: dixerat autem parum ante, *Satis quidem probabile existimo, eligentem dignum extra concursum, relicto digniori, ad beneficia curata, ad nullam restitutionem teneri:* quod Franc. N. *loc. cit. num.*20. dicit, omnes communiter docere.

20. Quid de impediente, ne quis obtineat beneficium? Idem Diana *ibid. resol.*36. sic habet: *Collator jam destinaverat conferre beneficium Semphronio, Titus malo animo & odio collatorem, ne hoc faceret, impedivit, postea pœnitentiâ ductus, quærebat à Theologis, an teneretur ad restitutionem? quidam ex ipsis affirmativè respondit, nixus authoritate Thomæ Hurtadi, &c. sed ego de hoc casu interrogatus negativè respondi, & præter DD. à me adductos hanc sententiam tenent Zapata & Gerunda.* Ita Diana, qui adductâ probatione, & solutis argumentis ex Hurtado adductis, concludit his verbis: *Ita apparet me in hoc casu satis probabiliter consuluisse, Titium ad nullam restitutionem teneri Semphronio, & ita mecum senserunt viri docti.* Hæc omnia Diana. Attende tamen à Titio non fuisse adhibitam vim aut fraudem; quia aliàs injustè impedivisset, & teneretur ad restitutionem, ut satis colligitur ex D. Thom. 2.2. *quæst.*62. *art.*2. Ulteriùs

§. II.

Quæ conditiones requirantur in beneficiando: & an idem possit habere plura beneficia?

21. Dico primò, tres præcipuè requiruntur in beneficiando conditiones; ætas, scientia, & morum probitas; ultra quas requiritur, ut sit filius legitimus. Quoad ætatem ad Episcopatum requiruntur triginta anni: ad dignitates inferiores viginti quinque, si habeant curam animarum annexam; sin minus, viginti duo: ad canonicatum viginti unus: pro quibus vide Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *& sess.* 25. *cap.* 7. Ad minora verò beneficia sufficiunt anni quatuordecim.

22. Præter allata in omni beneficiando requiritur insuper intentio suscipiendi statum ecclesiasticum, quia alioqui deciperet Ecclesiam: unde qui accipit beneficium, ut se sustentet aut ditet donec duxerit uxorem, mortaliter peccat, teneturque ad resignationem beneficii. Ita DD. communiter: ratio est, quia directè facit contra intentionem fundatorum, & Ecclesiæ: non tenetur tamen ad restitutionem fructuum perceptorum, si suo muneri satisfecerit; nisi beneficium fuerit parochiale, quod accipiens sinè animo intra annum suscipiendi sacerdotium, tenetur fructus istius anni restituere, ut definitur *cap. commissa* 35. § *cæterum.* Interea

23. Nota, eum non peccare mortaliter, qui ab initio habuit animum statum ecclesiasticum suscipiendi tempore constituto, licèt postea ob justam causam mutet intentionem, & beneficium deserat; prout Busenbaum & plures alii dicunt, sufficere si beneficiandus ab initio habeat intentionem conditionatam suscipiendi statum ecclesiasticum, nisi justa causa contrarium suadeat.

24. Dico secundò, est peccatum ex genere suo mortale retinere plura beneficia absque necessitate, vel causa rationabili. Ita P. Urban. *tract.* 3. *tit.* 17. *fol.* 676. & colligitur ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 17. ubi dicitur, in hoc esse perversionem totius ordinis ecclesiastici. Ratio est, quia per hoc fit injuria Ecclesiæ & fidelibus, & fomes luxus ac superbiæ, & est contra Jus Divinum, quo constituitur, ut officia fiant in Ecclesia pro modo fructuum perceptorum: quâ autem ratione, inquit Urbanus, poterit tria officia facere v.g. ter horas in die legere, sæpè ter in die celebrare, in tribus locis simul residere, &c. qui tria possidet beneficia? Quare Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *resol.* 1. asserit, id repugnare cum jure naturali, nec consequenter Papam in hoc ullatenus posse dispensare, nisi adsit justa causa: neq; ait, dispensatus tutus est in con-

conſcientia, ſed obligatur alterutrum beneficium reſignare. Vide etiam Franc. Bonæ Spei *ubi ſuprà num.* 24. ubi dicit, non eſſe quidem intrinſecè malum, habere duo beneficia, cùm per diſpenſationem id fieri poſſit; eſſe tamen valde inordinatũ, ſi quodlibet ſit ſufficiens. Interea abſolutè, adhuc poteſt quis poſſidere plura beneficia, quoties id neceſſitas exigit: quam neceſſitatem ad ſolam Eccleſiæ utilitatem reducendam eſſe, aſſerit Urbanus; quæ ſi aperta ſit, non erit opus diſpenſatione; ſecus ſi ſit dubia, vel non ita manifeſta. Unde

25. Primò, ſi beneficia ſint ſimplicia, nec requirant reſidentiam, & unum non ſufficiat ad honeſtam beneficiati ſuſtentationem, licitum eſt plura poſſidere, ex Trident. ſupra. Secundò uni beneficio Eccleſiæ Cathedralis vel Parochialis non ſufficienti, poteſt adjungi aliud ſimplex reſidentiam non exigens; & ante Tridentinum, teſte Urbano, uni Parochiæ poterat addi altera vicina, quando utraque ſeparatim erat inſufficiens. Verùm & hoc quoque adhuc modò in Belgio eſt in uſu; nec puto id à Tridentino prohiberi; quia ſi utraque Parochia ſit verè inſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem præbendam Paſtori, non video cur ſit illicitum, unum utrique inſervire; cùm tales Parochiæ communiter ſint parvæ, adeoque æquè utiliter poſſit ab eodem utrique miniſtrari, quàm ab altero poſſit uni ex majoribus aſſiſti. Accedit, quòd hoc neceſſarium videatur ad fidelium & Eccleſiæ debitam adminiſtrationem; quia aliàs nemo vellet uni ex talibus Parochiis miniſtrare, niſi fortè qui eſſet minùs capax; nec immeritò, cùm, qui altari inſervit, deceat, ut & de altari vivat. Tertiò cum beneficio perpetuo poteſt teneri commenda temporanea, id eſt, ut adminiſtret & fructus percipiat ex alio beneficio ad tempus, æquè ac ſi eſſet beneficiarius; quod communiter fieri ſolet, dum non adſunt alii idonei ad tale beneficium adminiſtrandum. Quartò Parochia unita beneficio ſimplici, v.g. Canonicatui, reputatur pro unico beneficio. In his omnibus nullâ opus eſt diſpenſatione: bene tamen, quando beneficia ſunt incompatibilia; niſi enim Papa diſpenſaverit, adepto ſecundo pacificèque poſſeſſo, vocabit primum *cap. de multa, de prӕbend.* Porrò ut ſit legitima diſpenſatio, ſupponitur neutrum ejuſmodi beneficium eſſe ſufficiens pro honeſta conditione beneficiarii, ad quam habetur reſpectus in hac materia: nam ſimplici Presbytero, nec nobili, nec litterato ſufficere valet multò minor penſio, quàm viro docto vel nobili: non quidem quòd Eccleſia huic pendere debeat omnia neceſſaria ad ſuſtentationem, ſicut ſi viveret laico modo, ut canes, aves, multos equos, famulos, &c. ſed cum proportione ad ſtatum, Clericum decentem.

§. III.

§. III.

Quænam beneficia inducant onus residendi, aut Horas legendi?

26. Dico primò, ad residendum cogunt omnia beneficia curata, & Canonicatus: possunt tamen Episcopi ac Canonici per tres, & curati per duos menses in anno abesse, ut habetur in Trident. *sess.24.cap.* 12. Prædicti omnes à residentia excusantur, primò, si vacant tanquam discipuli studio Theologiæ vel Juris Canonici, vel ipsam Theologiam aut Jus Canonicum actu doceant. Secundò si assistant Episcopo tanquam Secretarii, Theologi, &c. Tertiò si adsit Superiorum legitimus consensus. Quartò si sint infirmi. Adde Episcopum, & idem est de aliis, absentem ultra tres menses per paucos dies (ut sunt octo vel decem juxta Vidal) non peccare mortaliter, quamvis Dian. de hoc non audeat ferre sententiam, & Wiggers dicat, ipsum mortaliter etiam delinquere si per tres integros menses absit. Vide Franc. B. Spei *loc.cit.n.*25.

27. Dico secundò, ad recitationem Horarum tenentur omnes qui honestam summam ex beneficio recipiunt. Colligitur ex Concilio Lateran. Ratio est, quia beneficium datur propter officium. Est autem summa honesta, quæ sufficit ad honestam sustentationem. Illos etiam teneri, qui habent beneficium tenue, id est octo vel decem aureorum, docent probabiliter Sylvester, Azorius, & alii communiter; quamvis Less. Sotus, Malder. & alii requirant, ut beneficium tribuat saltem bonam partem moderatæ sustentationis, id est mediam, vel juxta alios, tertiam partem; aliàs enim beneficiatus nō censeretur de Ecclesia vivere. Imò Burghaber *centur.3.casu* 9. expressè docet, eum ab hoc onere esse liberum, qui non ultra viginti quinque aureos recipit, dicens, alios Authores idem asserentes de octo aut decem aureis à se non dissentire; siquidem illorum tempore hi valebant tantùm, inquit, quantum nunc viginti quinque in ordine ad bonam honestamque Clerici sustentationem.

28. Existimo interim cum Lessio, Molfesio, & aliis, habentes beneficium tenue, obligari ad aliquoties in anno Horas recitandas, v.g. diebus Dominicis & Festis, prout prudens ratio dictaverit: nisi malis dicere cum Burghaber, satisfieri posse aliis modis & orationibus. Adverte autem ex Concilio Lateran. beneficiatos obligari ad restitutionem fructuum, dum ex culpa Officium non recitant, idque pro rata omissionis; ita ut juxta Bullam Pii V. (quam citat Navar. *c.*25.) qui unico die totū officiū omiserit, obligetur omnes fructus istius diei restituere, qui omisit solum matutinum, mediam partem eorum, & sic proportionaliter quoad alias horas; quæ restitutio fieri debet fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, ut tradit N. Franciscus: quidquid non improbabiliter sustineat Diana *p.* 11. *tract.*2.*resol.*44. beneficiarium non teneri ad ullam restitutionem ratione partis, etiam notabilis, unius horæ

omissæ,

omissæ, quia constitutio Pii V. loquitur speciatim de omissione totius Officii, aut unius horæ, quæ, cùm sit pœnalis, non debet extendi ad partem horæ, etiam notabilem. Addo, Patrem Mendo *in sua statera dissert.13. quæst.6.n.* 74. docere, eum, qui beneficium simplex, aut præstimonium habet, absque ullo alio onere, præter recitationem Officii Canonici, si nôn recitet, non teneri restituere integros redditus correspondentes illis diebus, in quibus non recitavit, sed eorum partem, nam cæteros potest sibi retinere titulo beneficii sibi collati, pro cujus proba remittit ad suum *Tom. in Bullam Cruciat. disp.*34. *cap.*2. ubi de hoc latè agit. Non gravabor hîc apponere, Joannem de la Cruz, Lopez, & Medinam apud Dianam *loc.cit.resol.*34. ab omni restitutione excusare beneficiarios, qui solùm per octo aut decem dies in anno negligunt recitare Horas, eò quòd sint servi liberalissimi Domini: verùm ego eos excusare non audeo. Adde tamen, beneficiatum, intra tempus sex mensium ab obtenta possessione beneficii, lectionem Horarum omittentem, non teneri ad ullam restitutionem, quamvis peccet mortaliter; quod colligitur ex Bulla Pii V. Item juxta Quintanadvennam *tr.8. sing.6.* eundem semper excusari à restitutione, dum vult toties geminare ordinarium pensum canonicũ, quoties culpabiliter omisit. Ne tamen aliquis fortè Beneficiarius malè se à prædicta restitutione facienda eximat intuitu eleëmosynarũ præcedentiũ, pono hîc propositionem tamquam scandalosam damnatam ab Alexandro VII. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* Unde illam malè tanquam tractabilem refert Gobat. *in Alphab. audient. Sacr. casu* 23. *numer.*592. licèt pro se citet duos Authores.

Si particularia circa materiam beneficiorum ecclesiasticorum appetas, consule P. Urbanum *tract.*3. *tit.*17. *folio* enim 664. examinat naturam pensionis, & declarat, quid sit coadjutoria? *folio* verò 665. resolvit, quomodo beneficia acquirantur, & quid sit collatio simplex? *folio* 666. quomodo fiat electio & postulatio beneficii? *folio* 667. agit de præsentatione & jure patronatus. *fol.* 668. quid sit nominatio regia & scholastica? *fol.* 671. *& seqq.* explicat conditiones in beneficiando requisitas. *fol.* 677. tradit formam faciendæ collationis. *fol.* autem 685. adducit privilegia beneficiati. *fol.* 686. ostendit quomodo beneficia amittantur, & fieri debeant resignationes? *fol.* 688. quomodo fiant permutationes? ac *fol.* denique 689. agit de amissione coacta ratione criminis: ibi igitur multa videre poteris, quæ nos brevitatis causâ hîc non ponimus.

Petes, an Parochi teneantur Horas Canonicas privatim persolvere ex vi officii sui Parochialis?

Respondeo absolutè quòd non; quia officium Parochiale præcisè non datur ob pensum Horarum Canonicarum, sed ob actus & labores curæ pastoralis, quos debet Parochus ex debito conscientiæ impendere in cura animarum, ut sunt docere, prædicare,

administrare Sacramenta &c. quibus censetur illud officium sufficienter gravatum, ita ut Parochus omninò suo ministerio censendus sit satisfacere, si prædicta pastoralia ritè exerceat. Quinimò mandat Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 13. *de Refor. In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeo sunt exigui, ut nequeant debitis operibus satisfacere*, &c. variis modis provideri: opera autem debita potissimum respiciunt curam animarum. Ita nobiscum censet P. Marchant *tom.* 2. *Tribunal. Sacram. tractat.* 2. *p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *qu.* 2. *dub.* 1. unde sententia apud me certa est, Parochum (idem est de sacellano) qui aliô beneficiô non obligatur, si horas suas, etiam culpabiliter omittat, non teneri ad aliquam restitutionem, & ita etiam docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 179. Si igitur Canones & jura aliter loqui videantur, intelligi debent de iis Parochis, qui peculiari aliquo titulo ad recitationem Horarum obligantur, vel in quorum dotatione onus illud exprimitur. Vide etiam dictum Marchant. *loc. cit. dub.* 2. ubi resolvit, eos non teneri etiam ad officia Divina per se in choro recitanda, nisi id expresè habeatur in fundationibus.

DVBIVM QVINTVM.

De Simonia.

§. I.

Quid sit, & quale peccatum.

29. DE hoc vitio latè agit N. Bacho *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 5. 6. & 7. quem pro iis, quæ nos hîc ad longum non resolvimus, videre poteris, sicut & Lezanam tom. 4. verbo *Simonia*.

30. Simonia est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vendendi, vel commutandi rem sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali ut pretio. Ita N. Joannes Beetz *de præcept. Decal. circa* 7. *præceptum exposit.* 2. *cap.* 6. & Lezana *loc. cit. num.* 2. Dicitur *sacrilegium*, tum loco generis, tum ut indicetur, cui virtuti simonia adversetur. Additur *ut pretio*, quia debet necessariò res temporalis tradi ut pretium rei spiritualis, vel saltem intendi, ut ita tradatur; aliàs non erit vitium simoniæ. Hinc patet, nullam committi simoniam, dum aliquid retribuitur vel accipitur ex gratitudine, absque ulla stricta obligatione: quod clarè & valde utiliter explicat Sanch. *lib.* 2. *consil. moral. cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 9. cum quo has duas regu-

regulas statuit Lezana: prima est, quòd multis titulis possit temporale dari dum spirituale recipitur, scil. per modum sustentationis, vel liberalis doni ad gratiam referendam vel ineundam; vel per modum eleëmosynæ aut reverentiæ & honestatis; ut ob reverentiam Sacramenti, vel pro solutione obligationis legis aut consuetudinis; in quibus nulla committitur simonia: altera est, quòd si ministrans spiritualia temporale accipiat non detorquendo intentionem, id est non cum intentione emendi vel vendendi, sed dicendo, *Accipio hoc sicut communiter solent clerici probi accipere*, non est simonia. Insuper Diana hæc verba citat ex Josepho Rocafull. *Pecunia dari potest & accipi in beneficiis absque simonia; primò, ratione consuetudinis; quando enim consuetudo recepta est, ut dato vel accepto spirituali, detur vel accipiatur aliquod temporale, non est simonia illud dare vel accipere; quia probabiliter censetur hujusmodi usus esse bene introductus. Secundò in sustentationem vitæ. Tertiò in stipendium laboris extrinsecè conjuncti cum spirituali. Quartò tanquam gratis oblatum. Quintò ut eleemosyna. Sextò in pœnam; sic imponi potest mulcta pecuniaria cùm quis absolvitur à censura. Septimò tanquam id, in quo aliud permutatur; ut dum votum vel juramentum pecuniâ redimitur. Octavò quando pecuniam paciscimur vel largimur, non directè ad rem spiritualem obtinendam, sed quasi per accidens, ad removenda impedimenta, quæ per vexationem & litem occurrere solent.* Ita Rocafull. apud Dian. *part. 11. tract. 6. res.* 31. pro quo ultimo particularia videre poteris apud Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 21. *nu.* 17. & 18. qui & *num.* 20. dicit, duorum litigantium pro beneficio, in quod jus habent, unum non posse dare alteri summam aliquam, ut renuntiet juri suo, nisi fiat authoritate Episcopi, licèt Joan. Poncius contrarium doceat. Addit tamen, habentem jus plenè acquisitum in beneficio, posse redimere vexam sibi factam in jure illo acquisito tollendo; quo casu solùm tali pretio paratur via ad possessionem capiendam & fructus recipiendos, quæ sunt corporalia, & tali pretio æstimabilia: atque in hoc pro se citat D. Thomam, Suarez & alios. Idem etiam cum Francisco docet Stephanus Bauny *in nova praxi beneficiorum disp.* 16. *quæst.* 16. *assert.* 5. qui ait, è concurrentibus alter juri cedere suo ex pacto non potest, ut adversarius illud evincat. Ratio est, quòd omissio actus, qui proximè dat jus vel accessum ad beneficium, facta cum pacto rei cujuspiam temporariæ, reddendæ ejus loco, sit simoniaca; est ergo ejus culpæ conscius, qui in concursu, ex pacto contendentibus non se opponit, ut eorum aliquis beneficium consequatur. Ita ille. Adde etiam, simoniam committi à resignante beneficium sub conditione quòd resignatarius solvet expensas in ejus acquisitione factas. Colligitur ex *cap. super hoc de renunc.* & *cap. cum pridem, de pact.* Ratio est, quia petit aliquod onus, quod de jure non inest resignationi. Idem etiam dicendum, si aliquis nominatus ad beneficium ab Universitate Lovaniensi vi indulti Apostolici, eidem nominationi renuntiat sub conditione, quòd Petrus restituet modicos sumptus factos pro illa obtinenda:

quia licèt nominatio per se non sit jus spirituale, nec beneficium, sed tantùm expectatio & spes illius acquirendi; tamen quia per hanc renuntiationem aperitur porta ad aliam nominationem Petro, qui pecuniam solvit, quæ est præambula ad obtinendum beneficium, hoc æquè est simoniacum, ac si daretur pecunia pro beneficio immediatè consequendo.

31. Simonia communiter ab omnibus dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis est, dum exteriùs non prodit, sed est ipsa intentio accipiendi vel dandi aliquod temporale pro spirituali tanquam pretium. Conventionalis est, dum hoc exteriùs in pactum deducitur, absque tamen executione reali. Realis denique est, quando utrimque dictum pactum adimpletur, uno, scil. conferente rem spiritualem, & altero de facto solvente pretium, de quo erat conventum. His tribus speciebus simoniæ aliqui superaddunt quartam, quam vocant simoniam confidentiæ, qua quis cum eo, cui beneficium confert, contrahit, ut idipsum ab eo alteri conferatur. Dividitur insuper simonia in jure Divino talem, quæ est prohibita jure naturali: & in solo jure ecclesiastico prohibitam: prioris generis committitur in emptione vel venditione rei sacræ; posterioris verò generis versatur circa permutationem & resignationem beneficiorum, aut circa emptionem vel venditionem officiorum temporalium Ecclesiæ, sacristæ v. g. &c. Hæc ab Ecclesia prohibita est *cap. Salvatori q.* 3. Ita Joannes Beetz, Lezana, & alii.

32. Adverte, in definitione generali simoniæ, nomine rei spiritualis intelligi rem supernaturalem ordinatam ad salutem, ut sunt gratia, Sacramenta, sacramentalia, preces, concio, absolutio, consecratio, dispensatio, benedictio, electio, præsentatio, &c. Per ly verò *spirituali annexam*, intellige vasa sacra, reditus beneficiorum &c. de quibus latiùs agunt idem Beetz, & Michael de Bononia *in* 4. *distinct.* 24. *quæst. unicâ.* Nomine autem pretii temporalis communiter DD. intelligunt, tum munus à manu, prout sunt pecunia, bos, vestis, & similia vendi solita; tum munus à lingua, ut sunt laus, vituperatio, patrocinium Advocati, commendatio apud Regem, &c. tum denique munus ab obsequio, ut famulatus, operæ, &c. quidquid Urbanus ab Ascens. dicat, in munere à lingua raró simoniam committi, quia illud munus solet potiùs ex amicitia vel honestate præstari, quam pro pretio.

33. Simonia est peccatum mortale: patet ex Script. *Actor.* 8. ubi ob eam Simon Magus (à quo hoc vitium dicitur *simonia*) à S. Petro graviter condemnatur: item *ex II. Regum*, ubi Giezi famulus S. Elisæi primi N. S. Patris ELIÆ discipuli, ob id genus vitii leprâ à Deo percussus est: & *Matth.* 10. expressè dicitur: *Gratis accepistis, gratis date.* Confirmatur etiam ratione, quia gravis irreverentia est, res supernaturales redigere ad pretium naturalium & temporalium: quæ gravis irreverentia, cùm in omni simonia, etiam levissima, integra reperiatur, communiter

DD.

DD. in simonia parvitatem materiæ à mortali excusantem non admittunt.

34. Juxta plures probatos Authores, non est simonia, vendere spirituale, in quo est temporale pretio æstimabile, ut si v. g. calix, vestis sacra, & similia vendantur abstrahendo à benedictione. Ratio est, quia ista non amittunt valorem suum per benedictionem aut consecrationem. Ita Becanus & alii: committetur tamen simonia, si ratione dictæ benedictionis similia pluris vendantur: nisi fortè id fiat præcisè ratione laboris aut sumptuum factorum, ut v. g. mitterentur ad locum, in quo debuerunt benedici: qualiter Caram. *Theol. moral. disp.* 17. *num.* 866. dicit, crucium & quarumcumque sanctarum imaginum materiam, artem, laborem artificis, & expensas in ferendis & conservandis factas vendi posse sinè simonia; quia omnia hæc, quæ vendi dicuntur, nec realiter nec virtualiter sunt supernaturalia, sed purè naturalia. Idē Caram. *num.* 868. addit, sepulturam, quà sepulturam quidem sine simonia vendi non posse, benè tamen quà honorificentiorem, quia illa circumstantia honoris non est sacra: hoc ipsum etiam docet Diana *p. 2. tract. 15. resol.* 57. pro se citans plurimos: quibus ego addo Burghaber *centur. 3. casu* 12. Pergit Caramuel *num.* 869. dicens, orationes & actus omnes spirituales, voces capitulares, suffragia & dignitates ecclesiasticas (excipiens tamen commutationem beneficiorum) posse inter se liberè absque simonia commutari: isti enim contractus, inquit, non sunt simoniaci, nimirum: *Elige me in Provincialem, & te in Priorem eligam; commenda me Deo, & te vicissim Deo commendabo; lege pro me Sacrum, & ego pro te Psalmos pœnitentiales legam; da mihi talem Episcopatum, & pro tuo patre tot centenas Missas dici curabo.* Ita ille, & ante eum Arragon. Sotus, Victoria, & Sanchez, quorum sententiam probabilem reputat Dian. *part. 4. tract. 4. resol.* 150. quamvis absolutè contrariam sustineat *part. 3. tract. 2. resol.* 125. & *part. 4. loc. cit.* doceat, dictos contractus adhuc damnabiles esse ob alias rationes, quod sat est manifestum.

35. Ratio autem, cur Caramuel & cæteri communiter excipiant commutationem beneficiorum, est, quia beneficia, prout sacra sunt, & permutari nequeunt, sunt virtualiter supernaturalia jure humano: quamvis non ex natura rei; unde & eam permutationem à voluntate Superiorum pendere constat; ita ut tamen in ea dispensare possint Episcopi; vel, ut loquitur P. Urbanus, ita purgare, ut simonia non committatur in similibus pactis, factis cum eorum beneplacito, eò quòd beneficia Superiorum authoritate quotidie licitè permutentur. Vide Vidal. *de simon. inquisit. 2. fol.* 500. & Franc. B. Spei *num.* 11. ubi circa hæc quæstionem instituit: qui & *num.* 16. contra ex Caramuele allata sustinet, hunc contractum: *Elige me in Provincialem, & te in Priorem eligam*, esse simoniacum; sicut & omnem dationem rei spiritualis pro alia spirituali, interveniente pacto.

36. Liberum à simonia, est, accipere aliquid pro labore impenso in functionibus spiritualibus in ordine ad mini-

contra pretium temporale. Tertiò si quis hoc modo spondeat, depono 100. aureos, quòd non audeas mihi conferre tale beneficium. Quartò per contractum innominatum *do ut des, facio ut facias*, ut v. g. *conferam tuo nepoti beneficium, si tu conferas meo*. Quintò si fiant resignationes reciprocæ sine consensu Superioris. Sextò quando resignatarius dat resignanti pecunias, vel aliquid ei præstat pecuniâ æstimabile, nisi det merè gratuitò: in quo dicit idem Urbanus simoniam committi, licèt pecuniæ ei dentur pro expensis litis, quas ipse fecit in consequendo beneficio, aitque DD. ita communiter sentire, quia omnis omninò pactio in beneficiis est inhibita *cap. finali de pactis*. Ita ille: poterit interim videri Diana *part. 2. tract. 2. resol. 37.* ubi sententiam Valentiæ nominat probabilem, quâ docet, licitum esse in foro conscientiæ, pacisci de temporali pro spirituali, etiam in beneficiis, si nimirum temporale exigatur in stipendium vel remunerationem quamdam cujusdam operis vel officii, quod secundùm communem quidem rationem officii consideratum, meretur etiam ex justitia recompensationem. Interea, quidquid de hoc sit, bene monet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4.* ne, sub colore laboris, accipiatur aliquid ultrà æstimationem talis laboris secundùm se spectati, aliàs simonia non evitabitur. Sed,

39. Quid si ille excessus dicatur donari gratis? Respondeo cum Vidal. *de simon. inquisit. 2. fol. 496. num. 30.*, pro re quacumque spirituali, vel aliquo ei necessariò annexo, non posse aliquem ex pacto, vel conventione, titulo donationis & gratitudinis sinè simonia recipere aliquam pecuniam. Ratio est primò, quòd pactum inducens novam obligationem positivam sit onerosum & pretio æstimabile; ergo in hac materia est simoniacum. Secundò gratitudo non obligat ad dandum determinatè hoc vel illud donum, unde per hoc extrahitur debitum à præcisa ratione gratitudinis. His tamen & aliis rationibus à Vidal. adductis non obstantibus, adhuc monet Diana, ut notentur ea, quæ ipse adfert ex Valentia; quia, inquit, sedabunt multos scrupulos: verùm vellem ego à Diana & aliis quoque hîc notari, quod habet P. Urbanus *fol. 691.* nimirùm: *Oportere recentiores DD. diligenter advertere, quòd quæ sunt, & apparent illis verissima in consideratione metaphysica, corrumpantur omninò in praxi morali à sæcularibus, ita ut plurima fiant, & tractentur sub velo rectarum intentionum juxta recentiorum sententias, quæ tamen intentiones certum est omninò esse depravatas coram Deo, ut indies funestis experientiis comprobatur.* Ita ille, concludens post multa: *Ergo in his, & aliis moralibus, & practicis rebus solvendæ sunt quæstiones moraliter & practicè, id est, non secundum quod homines debent se gerere, vel secundùm quod sibi persuadent, sed quâ ratione de facto se gerunt: alioqui fiet quamprimùm, ut nec usurarii, nec simoniaci, aut similes peccatores ab Ecclesia damnati, occurrant ampliùs in hominum æstimatione, cùm tamen magis hoc tempore, quàm unquàm, multiplicetur eorum numerus, quorum finis in interitum.* Notentur igitur hæc

hæc seriò, maximè pro sententia, quam tradit Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap.* 3. quam & aliqui juniores apud Dianam *part. 4. tract 4. resol.* 151. probabilem vocant; nimirùm, non esse simoniam, dare pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, ut & hic intercedat apud collatorem beneficii, ut beneficium conferat danti dictum pretium: dico *maximè pro hac sententia* (quam iterum de novo tangit Diana *part. 10. tract. 15. resol. 5.*) quia sic ferè in omnibus posset palliari simonia in oculis hominum, remanente tamen malâ intentione, & vera simonia coram Deo: negari enim nullatenùs potest, quin per illud pretium paretur via ad beneficium, & per illud ematur: quia intentio dantis pretium, non sistit in remuneratione laboris ipsius intercedentis, sed respicit ultra ad obtentionē beneficii per illud medium. Unde Pasqualigus, & alii relati à Diana *part. 11. tract. 6. miscell. resol.* 31. malè sustinent, à simonia liberum esse, dare alicui pecuniam, ut collatori beneficii ejus merita narret, quatenus moveatur ad ei beneficium conferendum, ob eandem rationem.

Notentur hæc etiam pro eo, quod Joannes de Soria, & Marcus Vidal. sustinent, probabile esse, eo modo, quo licitum est temporale accipere pro spirituali sinè simonia, licere etiam de hoc ipso pacisci; nempe tanquam dando, vel ex gratitudine, vel ex benevolentia, &c. quia in tali casu pactum non cadit supra spiritualia, aut aliquid ipsis annexum, sed super aliquid consequens ad collationem spiritualium, quod contingenter se habet, ita ut possit consequi vel non consequi. Pro hoc inquam notentur: quia, ut vidimus initio hujus numeri, hoc est verè simoniacum. Vide P. Mendo in statera benignarum opinionum *differt. 1. quæst. 22. & 23.* ubi hæc omnia benè discutit, subjungens, illas evasiones solùm excogitari penès speciem, & apparentiam, cùm re ipsa & in effectu ad aliud collimentur: quare benè monet, *in his solidè introspiciendum esse, quid rei & veritatis, intentionis, ac animi subsistat, non quæ ad eludendum sunt solummodo specie-tenus apparentia, in his enim fraus latet.* Ita ille, staterâ justâ ponderans benignitatem plurium recentiorum opinionum in hac materia periculosa.

40. Alius casus, in quo frequenter potest simonia committi, est, dum accipitur aliquid pro ingressu, vel professione Religionis; ista enim sunt quid spirituale. Ita omnes: licitum tamen est aliquid accipere pro Religiosi sustentatione, si Conventus sit pauper: pro quo vide Trident. *sess. 25. cap.* 3. Imò Urbanus dicit, credibile esse, quòd jam consuetudine præscriptum sit, ut etiam à ditioribus Conventibus accipiantur pecuniæ, ut scil. per hoc crescat numerus Religiosorum, & sit amplior Dei cultus. Ita ille, subdens tamen præsumi adesse simoniam, dum in tali Conventu exiguntur pecuniæ à persona ingrediente, non habente ullam conditionem utilem, nisi abundantem pecuniam. Specialiùs circa hanc materiam vide Lezanam *tom.* 4. verbo *Simonia quoad Regulares, num. 5. tom.* 1. *cap. 24. num.* 30. 31, 32. & *cap.* 25. *num.* 5.

§. III.

De pœnis simoniacorum.

41. IN pœnam simoniæ inprimis restituendum est omne temporale acceptum tanquam rei spiritualis pretium. Colligitur *ex cap. de hoc autem,* & aliis: non tamen, saltem probabiliter, ante sententiam Judicis, cùm id jura non exprimant; nisi pretium datum sit pro beneficio, nam cùm ipsum beneficium ante Judicis sententiam tunc retineri non possit, ut patet *ex cap. si quis, & extravag. cùm detestabile,* ubi additur, etiam fructus perceptos restituendos esse; non est quo titulo pretium talis beneficii queat retineri: interea si res spiritualis quæcumque tradita sit per simoniam realem utrimque completam, putarem tunc pretium restituendum esse Ecclesiæ, & non danti; quia per hanc pœnam intendit Ecclesia punire utrumque. Ita Noster Bacho cum ferè omnibus antiquis, teste Becano; quidquid Sotus, & Bannez velint, id solùm habere locum post sententiam Judicis. Sed

42. Quid si quis post possessionem beneficii noverit à patre vel amico, per pecuniam, ipso ignorante, illud esse obtentum? Talem in conscientia teneri beneficium resignare, & fructus perceptos, qui exstant, vel in quibus est factus ditior, restituere, docent D. Thomas, & cæteri communiter, quos & sequitur Diana *p.11. tract.5. resol.56.* quidquid dicat contrarium sustineri ab Adriano, Millardo, & Stephano Baunio, ad quos monet attendendum.

43. Insuper simonia circa ingressum Religionis, si realis fuerit, inducit excommunicationem danti, & accipienti; Conventui suspensionem; & ita scienter professi tenentur transire ad aliud monasterium. Ita decernitur *extravag. sanè ne in vinea:* item excommunicationem, & suspensionem incurrit simoniacus in susceptione ordinis, & primæ tonsuræ. *cap. detestabile:* nec non etiam excommunicatus est, qui alteri per simoniam procurat, & qui tribuit beneficium, ac qui illud acceptat, qui & inhabilis fit ad idem beneficium ultra accipiendum: quæ vera sunt, licèt ab aliquo tertio alteri ignoranti taliter provisum sit, nisi fortè aliquod temporale à tertio datum esset in fraudem, ut sic nempe alter inhabilis fieret, vel nisi alter contradixerit, vel beneficium bonâ fide per triennium possederit. Pro quibus omnibus vide Lezan. *tom. 4. suprà, num.24.25.&c.* & Dianam *part.4. tract. 4. resol.155. & 157.* ubi ex variis adfert multa tanquam probabilia. Vide eundem denuò *part.10. tract.16. resol. 15.16. & 17.* ubi in uno reperies ferè cæteros omnes.

44. Addo ex Lezana, nullam pœnam juris incurri propter simoniam mentalem, licèt in actum extraneum profluat; sic enim colligitur *ex cap. ult.*

de simonia : imò aliqui existimant, illam simoniam ab Ecclesia non posse puniri, quia Ecclesia de ea non judicat. Ita Layman. Insuper propter simoniam purè conventionalem nulla quoque pœna, vel censura juris incurritur: dum enim canones simoniacis censuram ingerunt, non meram conventionem, sed dationem & acceptionem, donationem, aliámve realem executionem exprimunt, ut videre est *in extravag.1.& 2. de simonia.* Ita Navarr. Less. Suarez, & Sanchez: & pœnæ præsertim tam graves, strictæ interpretationis esse debent; propter quod plures ad incurrendum prædictas pœnas requirunt simoniam realem utrimque completam, eò quòd canones, infligentes similes pœnas propter aliquem actum peccaminosum, intelligi debeant de actu omninò completo. Hæc & alia habet Lezan. *tom.4.num.23.suprà.* quomodo excusetur à simonia, ludere hoc pacto, ut, si vincat, teneatur alter dicere rosarium, vel legere sacrum; si verò vincatur, teneatur ipse alteri dare 10. asses, vel gallinam v. g. ? dictum est *disp.9. dub.4. in fine:* quidquid juxta ea, quæ habet hic N. Franciscus *num.16.* in his absolutè dicenda sit simonia adesse.

45. Adverte nos hìc in decursu hujus materiæ retulisse tanquam simoniaca, quibus definitio simoniæ suprà allata non convenit; quia nempe ibi definimus solam simoniam jure Divino talem, quæque sola juxtà plures est simonia propriè dicta, utpote in qua sola datur temporale pro spirituali tanquam hujus pretium: quamvis tamen Ecclesia per jus positivum humanum justè plura decernat esse simoniaca, præsertim circa beneficia, in quibus datur spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali annexo rei seu beneficio spirituali. Verùm, qui sic jure humano sunt simoniaci, non incurrunt excommunicationem, nec alias pœnas simoniacorum; cùm enim hi non sint tales juxtà veram definitionem simoniæ, non sunt propriè loquendo simoniaci; pœnæ autem sunt restringendæ. Ita Diana cum pluribus aliis *part.11.tract.5.resol.20.* quod & repetit *ibidem tract.6.resol.30.* ubi etiam ex variis docet, pœnas dictas solùm incurri per simoniam realem utrimque completam; quæ sic completa non est ante solutum pretium, licèt instrumentum pecuniæ factum & traditum sit, ut loquitur Tancredus; quia Scriptura non est pars pretii in rigore. Interea ex tunc, & adhuc ante, peccavit uterque indubiè mortaliter.

46. De alienatione bonorum ecclesiasticorum, à quibus, quando, & quomodo fieri possit; habes ad longum apud Franc. B. Spei *in appendice ad disp. 21. de simonia:* & *in quæstiuncula* appendicem hanc subsequente.

* * *

DISP. XII.

DISPVTATIO XII.

De Religione.

1. QUia religio, per modum justitiæ vinculi, creaturam strictissimè ligat ad Dominum Deum suum debitè colendum, idcirco hîc ei locum damus. Religionis à P. Francisco B. Spei, & cæteris DD. varii actus enumerantur; interni quidem, devotio, & oratio; externi autem adoratio, sacrificium, decimæ, votum, juramentum, &c. Ut ergo de his pauca dicamus, sit

DVBIVM I.

De Religione in genere.

2. DIco primò, religio est virtus, qua debitus cultus exhibetur Deo, tanquam principio creationis, & gubernationis omnis creaturæ. In ejus exercitio quatuor præcipuè sunt consideranda; quorum primum est summa Dei dignitas & excellentia. Secundum, nostrum nihil. Tertium, humiliatio creaturæ. Quartum, ejusdem humiliationis externa professio. Cultus in eo ab honore distinguitur, quòd ille, præter honorem seu excellentiæ alterius testimonium, dicat animi submissionem: unde Deus Sanctos suos honorat, non colit.

3. Dico secundò, religio est virtus particularis, distincta à justitia in eo, quòd hæc disponat hominem in ordine ad proximum: à prudentia, fortitudine, & temperantia; quia hæ disponunt hominem in ordine ad seipsum: à fide, spe & charitate; quia religio immediatè respicit cultum debitum Deo pro objecto materiali; pro formali verò ipsam æquitatem, quam quoad suum posse tenetur creatura ponere inter se & Deum: unde non attingit Deum, vel aliquod ejus attributum, velut objectum proximum formale aut materiale, quod requiri ad virtutem Theologicam, constat ex alibi dictis. Differt etiam religio à pœnitentia, pia affectione, & obedientia; quia piæ affectionis est credere, obedientiæ se submittere, ac pœnitentiæ satisfacere: quæ omnia, ut patet, distincta sunt ab objecto religionis. Differt denique ab humilitate; quia per hanc homo se submittit, eò quòd id congruat suæ vilitati; per religionem verò, animo declarandi divinam eminentiam. Vide circa hæc Franc. B. Spei *de Religione, disp. 1. num. 4. & 5.*

Petes primò, an cultus Sanctorum procedat à religione?

4. Respondeo affirmativè, si nimirum Sancti colantur ob Dei eminentiam increatam; ut sic enim non tam coluntur Sancti, quàm Deus in illis, tanquam in imagine aut templo. Dico, *si nimirum*, &c. quia si sistatur in excellentia ipsius Sancti, aut ejusdem sanctitate creata, non erit religio: quare licèt prior cultus possit dici latria, æquè ac si Deo quoad se tribueretur immediatè; posterior tamen non est, nisi Dulia, quâ videl. Sancti coluntur, ut amici & domestici Dei. Præter hos cultus, datur tertius, quo colitur B. V. MARIA, tanquam mater Dei & Christi, & vocatur iperdulia. Ubi adverte ex Francisco *loc.cit.n.6.* imagines & cruces religione propriè dictâ non coli, licèt propter Christi excellentiam in eis relucentem colantur; quia tales res inanimes non sunt honoris formalis, aut animi submissionis apprehendendæ capaces, sed solùm signatum & exemplatum in illis signis & exemplaribus.

Petes secundò, an etiam devotio distinguatur à religione?

5. Respondeo, communiter à Theologis devotionem sumi pro ipsa promptitudine & fervore affectus ad ipsum Dei cultum, vel etiam pro ipso affectu fervente in colendo Deum; qui enim ferventer affectat orare, sacrificare, Deum laudare, &c. qui sunt actus religionis; vel etiam qui ferventer orat, &c. verè ab omnibus devotus habetur: secùs tamen, qui simplici affectu exercet illa, vel similia, quæ ad cultum Dei pertinere noscuntur.

DUBIUM SECUNDUM.

De Oratione in communi.

6. DIco primò, oratio est petitio rerum decentium à Deo, cum desiderio obtinendi si expediat. Est aliquando necessaria ad salutem, ut patet ex eo, quòd Scriptura eam tam frequenter inculcet, sive præcipiat: atque hoc præcepto, juxta DD. comuniter, obligatur quilibet adultus, quando est necessitas audiendi Sacrum, recipiendi Sacramentum, eliciendi contritionem, superandæ gravis tentationis; ac maximè dum imminet periculum mortis: in quibus casibus certum est, quemlibet debere orare mentaliter. An verò quandoque homo teneatur orare vocaliter? Ait Suarez, non exstare de eo præceptum: quidquid tamen Malderus contrarium probet hac ratione; cùm homo constet anima & corpore, debet utriusque substantiæ actibus Deum convenire per orationem. Sed nunquid homo tenetur semper orare, juxta Scripturam *Lucæ* 18. *Oportet semper orare*? Respondeo id controverti, non minùs, quàm an homo teneatur omnia sua opera in Deum dirigere; nam ille juxta SS. PP. semper orat, qui se & omnia

nia sua in Deum & beatitudinem æternam dirigit. Pro hoc verò vide dicta *tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 3. ubi quæsivimus, an possit dari actus indifferens in individuo. Solùm hic nota cum Bassæo verbo *oratio*, dum dicitur oratio esse necessaria & sub præcepto ad avertendum malum, non fore peccatum illam omittere, nisi aliquo modo advertatur ad hanc obligationem; quia aliàs omissio non est voluntaria quatenùs est contra præceptum: item quando est culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam distinctam à malitia istius peccati; quia tantùm mala est, eò quòd sit interpretativa volitio istius peccati. Ita ille post Medinam, & alios.

7. Dico secundò, ut oratio sit virtuosa, debet procedere ex motivo colendi Deum, profitendo nimirum nostram ab ipso dependentiam, ejus infinitam potentiam, bonitatem, ac providentiam, quibus possit, & velit nobis in nostra necessitate prodesse. Ita Wiggers. Insuper, ut oratio sit legitima, requiruntur adhuc pietas, & attentio; quarum prima exigit, ut petatur aliquid spectans ad salutem æternam directè vel indirectè, cum recta intentione, & sinè ulla circumstantia mala: secunda verò consistit in eo, quòd quis initio orationis firmiter proponat attendere, nec eâ durante sponte distrahatur. Potest autem attentio orantis versari circa tria; vel circa id, quod petit cum ordine ad salutem; vel ad sensum orationis, quam format; vel ad Deum ipsum, quem orat.

8. Dico tertiò, ea, quæ à nobis in oratione peti debent, compendiosè, & optimè in oratione dominica continentur, non tantùm quoad substantiam, sed & quoad ordinem, quó petenda sunt, prout ex S. Augustino scribit D. Thomas. Pro succincta autem hujus orationis expositione, vide Wiggers *tract.* 8. *de Relig. cap.* 2. *dub.* 7. Interea adverte, in oratione posse aliqua absolutè peti, aliqua conditionatè tantùm: absolutè petuntur vita æterna, & omnia media ad illam necessaria; sub conditione verò, saltem tacitâ, divitiæ, honores, longa vita, sanitas corporis &c. nam hæc sæpe possunt saluti animæ obesse: quare in his optimus orandi modus est, rogare Deum, ut agat nobiscum sicut novit expedire ad gloriam suam, & animæ nostræ salutem; quem modum Christus nos docuit dicendo Patri æterno, *fiat voluntas tua.*

Petes, pro quibus sit orandum?

9. Respondeo certum inprimis esse, quòd pro omnibus viventibus orari possit. Patet ex 1. *Timoth.* 2. ubi dicit Apostolus, obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus, id est tam pro bonis quàm pro malis, ut & his & illis Deus det media commoda ad salutem: quamvis vanum & insanum foret orare, ut omnes salventur actualiter, cùm Scriptura testetur futurum contrarium. Interea ex his constat, etiam pro inimicis orandum esse; adeò ut peccaret, qui generatim pro omnibus orans, solùm inimicum, vel inimicos excluderet; nam *Matth.* 5. expressè dicitur, *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: hoc tamen præceptum non videtur quemquam obliga-

re, ut oret pro inimico particulari, nisi hic esset in extrema, vel valde gravi necessitate spirituali, in qua non posset ipsi aliter succurri nisi per orationem. Insuper etiam orandum est pro iis, qui sunt in purgatorio; non pro iis, qui sunt in cælo, vel in inferno; quia hi per orationem nostram juvari nequeunt, benè qui in purgatorio adhuc patiuntur. Vide N. Franciscum *de religione, disput. 2. numero* 18. *& seq.*

Petes fortè iterùm, an oratio pro pluribus oblata, æquè singulis prosit, ac si pro singulis offerretur?

10. Resp. cum N. Francisco: impetrationem quidem in Dei benignitate fundari, quæ infinita est: ita tamen, ut & in orationis congruitate fundetur: undè Ecclesia plerumque pro aliquo in particulari orat; per quod videtur significare, orationem pro omnibus factam, singulis non in tantùm ab omni parte prodesse; nam alioqui id frustra faceret.

11. An verò Sancti sint orandi? Respondeo affirmativè, conformiter ad dicta de cultu; ita nimirum ut orentur tanquam amici, ac domestici Dei, quatenus pro nobis interpellent apud Deum: non autem, quasi ipsi suâ authoritate, aut potestate nobis possint peccata remittere, conferre virtutes, dare salutem, aut gratiam &c. quia id esset idololatrare. Vide circa hoc Franc. B. Spei *num.* 4. *& seq.* qui *num.* 10. dicit, animas purgatorii consultiùs non orari; quia incertum est, an verè ab Angelis custodibus de precibus nostris instruantur, & quia decet animas illas totaliter esse debito suo persolvendo intentas tam perfectè ac possunt.

DVBIVM TERTIVM.

De Horis Canonicis.

§. I.

Quinam ad horas teneantur, & quæ sit gravis materia in earum omissione?

12. HOræ canonicæ sunt quædam preces ac laudes, quæ certis horis, diu noctuque, juxta Canonum Ecclesiæ præscriptionem, in Ecclesia recitantur: alio nomine dicuntur Officium Divinum, seu Ecclesiasticum. An, & quomodo ad horas teneantur beneficiati; dictum est parum antè. De cæteris

13. Dico primò, omnes constituti in ordinibus sacris tenentur ad horas sub culpa mortali. Ita omnes ex *cap.*

Dolen-

Dolentes de celebr. Missa, constatque ex generali, & antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quæ in re gravi obligat graviter.

14. Dico secundò, etiam sub mortali ad horas teneri Religiosos, ac Moniales choro deputatos, communis habet DD. sententia ex consuetudine immemorabili: quidquid aliqui dicant, illam non esse introductam sub onere gravis culpæ; aliàs, inquit Marchant. omnes consuetudines Religionum, ut v. g. dandi certis diebus disciplinam &c. deberent dici obligare sub mortali: sed in vanum hoc dicit; quia obligationis consuetudinis jam introductæ, sicut & intentionis introducentium optimus interpres est acceptatio, & expositio eorum, qui consuetudinem continuant; qui unanimiter hucusque nos docuerunt, consuetudinem quoad horas obligare & introductam esse sub onere peccati mortalis, cujus contrarium fit quoad consuetudinem excipiendi disciplinam, &c. Quare meritò Diana *part.* 11. *tractat.* 1. *resol.* 25. docet, absolutè communem sententiam esse tenendam. Vide etiam Franciscum Bonæ Spei *sua Noctua dub.* 24. *resol.* 1. ubi eandem latè firmat, volens illam obligationem esse, non vi consuetudinis, sed vi professi status religiosi, non laici traditionis: dicit tamen benè *in tractat. de Relig. disp.* 2. *num.* 40. Laicos ad horas sub peccato mortali non obligari; quia nec lex, nec consuetudo, nec Ecclesiæ traditio, desuper existit, ut omnes fatentur; atque illi magis ad laborem, quàm officium Divinum sunt deputati. Vide eundem *de Relig. disput.* 2. *citat. numero* 78. *& seq.*

15. An verò ad horas teneatur monachus fugitivus, aut ejectus, si non fuerit in sacris? Etiam DD. communiter affirmant contra Bonacinam & Busenbaum: quam sententiam judico absolutè sustinendam, nisi talis damnatus esset ad triremes, in quo usus est in contrarium; tum quia satis aliunde habet afflictionis; tum etiam, quia id cederet in dedecus ordinis ecclesiastici, si in illa hominum colluvie (ut loquitur P. Franciscus *num.* 70. patefaceret statum suum.

16. Dico tertiò, materia gravis in omissione horarum, apud aliquos est media, apud alios tertia pars horæ, etiam minoris: quidquid Escobar apud Busenbaum, & Marchantius probabiliter, ac absolutè Pourré post Marchinum dicant, omissionem integræ horæ parvæ ut v. g. tertiæ, aut completorii, non esse mortale peccatum: quorum ratio est, quia quando totum aliquod est magnum, levis materia judicatur, quæ non excedit partem duodecimam materiæ præceptæ. Verùm, an ipsi hunc discursum omninò similem admittant, id viderint: furtum omnium bonorum Regis Hispaniæ, unico actu factum, est unicum peccatum mortale; sed valor Belgii, respectu omnium bonorum ejusdem, non est plùs quàm duodecima pars; ergo qui ab ipso auferret totum Belgium, non peccaret mortaliter: argumentum ferè simile habet Franc. B. Spei *de Relig. suprà n.* 49. Sed quia Pourré tam generosè dicit, Dianam *part.* 6. *tractat.* 6. *resolut.* 6. immeritò impugnare sententiam Marchini, audiat eundem Dianam *par.* 10. *tract.*

tract.16.resol.20. ubi, postquam dixisset, Martinum de San Joseph docere sententiam Pourrè, subdit; *Caveant impostcrum authores istam sententiam tanquam probabilem* (multò magìs oppositam tanquam improbabilem explodere) *in suis operibus admittere, nam malè olerent apud sacram Congregationem Indicis:* audiat & Lezanam *consult.48.num.85.* sic asserentem; *In materia Officii Divini sententia Marchini dicentis, omissionem unius horæ canonicæ non esse peccatum mortale, est falsa & improbabilis; quia levi nititur fundamento, scil. quòd sit parva materia respectu totius Officii Divini; non enim est nisi notabilis deformatio, & mutilatio ejusdem: & quia est contra torrentem DD.* Ita Lezana, subdens, ratione hujus propositionis librum Marchini delatum esse ad sacram Congregationem Indicis. Imò Diana *part.11.tract.1.resol.25.* dicit, citans denuò Lezanam; illam sententiam Marchini esse deletam ex opere ipsius à dicta Congregatione. Legat hæc igitur Pourré, & viris tantis, ac sunt Lezana & Diana, qui continuò Romæ manserunt, credat in causa facti: legat etiam hæc Caramuel, & videbit, quàm sit pia speculatio probabilis (prout dicit uni ex Patribus Societatis visam esse) quâ ostendere conatur, semel legendo matutinum & laudes, posse satisfieri pro duobus diebus: verùm de hoc alibi egimus. Interea adhuc Caramuel *Theolog. fundament. part. 1. folio 402.* inter varias Theses, quas omnes, & singulas sinè conscientiæ scrupulo Lovanii defendi, & practicari judicarunt plurimi viri doctissimi, ut Andræas à Turri, Coninck, Loyens, Cromius, de Jonghe, de Scildere, quas & probabiles judicavit du Gardin cum aliquot aliis ex Universitate Duacena, nec non Jacobus Emans Carmelita Doctor Coloniensis, & alii, ut idem Caramuel testatur; inter has inquam Theses refert hanc, *Omittens unam horam ex parvis, probabiliter excusari potest à peccato mortali.* Sed nec propter hos omnes ego sacræ Congregationi contrariare volo; quare cum Lezana, & Diana sustineo, omissionem mediæ partis unius horæ, etiam parvæ, esse mortale peccatum: quidquid N. Franciscus *loco sæpe citato numero 49.* ad mortale requirat omissionem integræ horæ, vel partem illi æquivalentem; addens, vesperas Sabbathi sancti, non videri in hoc materiam moraliter gravem.

§. II.

An liceat officium immutare, interrumpere, aut horas transponere?

17. Dico primò, quoad mutationem officii, v. g. feriæ in officium alicujus Sancti, duæ sunt satis communes sententiæ; quarum prima do-

docet, hoc faciendo non satisfieri præcepto de recitandis horis. Ita Vasquez, Suarez, Homobonus, Toletus, & plures alii apud Dian. *p. 2. tr. 12. ref.* 3. quibus addo Franc. B. Spei *in Noctua dub.* 24. *ref.* 3. & de novo iterum *tr. de Relig. disp.* 2. *n.* 119. & denuò *n.* 116. *& seq.* Ratio est, quòd Pius V. præcipiat recitari officium juxtà formam ab ipso præscriptam; ad quam formam dicunt, pertinere distributionem officii in tempora, festivitates, & dies; pro quo vide Dianam *par.* 11. *tr.* 4. *ref.* 45.

18. Secunda verò sententia docet, solùm committi veniale peccatum licèt sinè ulla causa officium sic mutetur. Ita plurimi apud eundem Dian. *par.* 2. *citatâ:* quorum ratio est, quia præceptum Ecclesiæ tunc adhuc plenè quoad substantiam observatur, cùm hæc in eo sit sita, quòd septem horæ recitentur. Solùm igitur, inquiunt, mutatur modus accidentalis, quod non videtur posse constituere culpam mortalem. Gobat *in Triga Horaria disp.* 3. *n.* 883. cum majori parte DD. hujus temporis, ut ait, viâ mediâ incedens docet, esse peccatum mortale perpetuò vel ferè perpetuò sic mutare officium, non verò si id fiat raro, quod & latè probare conatur. Hinc Leandrus apud Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 16. sustinet, non esse mortale, privatim recitare officium de Resurrectione dum debet dici de feria, aut de Sancto: addens tamen, se non consulere alicui taliter officium immutare, nisi fortè illis, qui sunt valdè occupati, adeò ut præ magnitudine officii exterriti nullum recitarent. Sententiam Leandri in hoc sequitur Caramuel; contra quem insurgit Adamus Burghaber & Diana *p.* 11. *tr.* 1. *ref.* 26. dicentes, officium Paschale moraliter non æquivalere officiis aliis per annum, adeòque non videri per illud impleri substantiam præcepti: atque hoc modò apud omnes certum esse debet, nam sanctissimus Dominus Alexander VII. per decretum editum 18. *Martii* 1666. in terminis damnat sequentem propositionem, ad minùs ut scandalosam. *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.* Interea Lezana satis probabiliter *in summa tom.* 3. *verbo Breviarium num.* 3. docet, omnes Regulares posse extra chorum mutare officium sui Breviarii, & illud recitare juxtà Breviarium Romanum; quia cùm Ecclesia Romana sit mater omnium Ecclesiarum, videtur semper licitum, se illi conformare; & Pius V. permisit omnibus, si velint, uti Breviario Romano in choro, si Episcopo, & toti Capitulo magis arrideat: ex quo colligi videtur extrà chorum non requiri similem consensum. Ita Lezana, restringens, nisi in Religione de eo extet prohibitio, prout testatur esse in nostra Carmelitana. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *ref.* 64.

19. Dico secundò, probabile est, non esse mortale, si officium interrumpatur absque ulla ratione; quia in his omninò salva manet substantia præcepti; atque omnes ferè versus habent sensum perfectum, & ex multis recitationibus realiter discretis, moraliter una totalis, sub eadem persolvendi durante intentione, integrari potest. Ita Franc. B. Spei *lo. cit. n.* 47. Dicit insuper *n.* 53. horarum ordinem pervertere,

tract.16.resol.20. ubi, postquam dixisset, Martinum de San Joseph docere sententiam Pourrè, subdit; *Caveant imposterum authores istam sententiam tanquam probabilem* (multò magìs oppositam tanquam improbabilem explodere) *in suis operibus admittere, nam malè olerent apud sacram Congregationem Indicis*: audiat & Lezanam *consult.48.num.85.* sic asserentem; *In materia Officii Divini sententia Marchini dicentis, omissionem unius horæ canonicæ non esse peccatum mortale, est falsa & improbabilis; quia levi nititur fundamento, scil. quòd sit parva materia respectu totius Officii Divini; non enim est nisi notabilis deformatio, & mutilatio ejusdem: & quia est contra torrentem DD.* Ita Lezana, subdens, ratione hujus propositionis librum Marchini delatum esse ad sacram Congregationem Indicis. Imò Diana *part.11.tract.1.resol.25.* dicit, citans denuò Lezanam; illam sententiam Marchini esse deletam ex opere ipsius à dicta Congregatione. Legat hæc igitur Pourré, & viris tantis, ac sunt Lezana & Diana, qui continuò Romæ manserunt, credat in causa facti: legat etiam hæc Caramuel, & videbit, quàm sit pia speculatio probabilis (prout dicit uni ex Patribus Societatis visam esse) quâ ostendere conatur, semel legendo matutinum & laudes, posse satisfieri pro duobus diebus: verùm de hoc alibi egimus. Interea adhuc Caramuel *Theolog. fundament. part. 1. folio 402.* inter varias Theses, quas omnes, & singulas sinè conscientiæ scrupulo Lovanii defendi, & practicari judicarunt plurimi viri doctissimi, ut Andræas à Turri, Coninck, Loyens, Cromius, de Jonghe, de Scildere, quas & probabiles judicavit du Gardin cum aliquot aliis ex Universitate Duacena, nec non Jacobus Emans Carmelita Doctor Coloniensis, & alii, ut idem Caramuel testatur; inter has inquam Theses refert hanc, *Omittens unam horam ex parvis, probabiliter excusari potest à peccato mortali.* Sed nec propter hos omnes ego sacræ Congregationi contrariare volo; quare cum Lezana, & Diana sustineo, omissionem mediæ partis unius horæ, etiam parvæ, esse mortale peccatum: quidquid N. Franciscus *loco sæpe citato numero 49.* ad mortale requirat omissionem integræ horæ, vel partem illi æquivalentem; addens, vesperas Sabbathi sancti, non videri in hoc materiam moraliter gravem.

§. II.

An liceat officium immutare, interrumpere, aut horas transponere?

17. Dico primò, quoad mutationem officii, v. g. feriæ in officium alicujus Sancti, duæ sunt satis communes sententiæ; quarum prima do-

docet, hoc faciendo non satisfieri præcepto de recitandis horis. Ita Vasquez, Suarez, Homobonus, Toletus, & plures alii apud Dian. *p.2.tr.12.res.* 3. quibus addo Franc. B. Spei *in Noctua dub.* 24. *res.* 3. & de novo iterum *tr. de Relig. disp.* 2. *n.* 119. & denuò *n.116.& seq.* Ratio est, quòd Pius V. præcipiat recitari officium juxtà formam ab ipso præscriptam; ad quam formam dicunt, pertinere distributionem officii in tempora, festivitates, & dies; pro quo vide Dianam *par.* 11. *tr.* 4. *res.* 45.

18. Secunda verò sententia docet, solùm committi veniale peccatum licèt sinè ulla causa officium sic mutetur. Ita plurimi apud eundem Dian. *par.* 2. *citatâ:* quorum ratio est, quia præceptum Ecclesiæ tunc adhuc plenè quoad substantiam observatur, cùm hæc in eo sit sita, quòd septem horæ recitentur. Solùm igitur, inquiunt, mutatur modus accidentalis, quod non videtur posse constituere culpam mortalem. Gobat *in Triga Horaria disp.* 3. *n.* 883. cum majori parte DD. hujus temporis, ut ait, viâ mediâ incedens docet, esse peccatum mortale perpetuò vel ferè perpetuò sic mutare officium, non verò si id fiat raró, quod & latè probare conatur. Hinc Leandrus apud Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 16. sustinet, non esse mortale, privatim recitare officium de Resurrectione dum debet dici de feria, aut de Sancto: addens tamen, se non consulere alicui taliter officium immutare, nisi fortè illis, qui sunt valdè occupati, adeò ut præ magnitudine officii exterriti nullum recitarent. Sententiam Leandri in hoc sequitur Caramuel; contra quem insurgit Adamus Burghaber & Diana *p.11. tr.* 1. *res.* 26. dicentes, officium Paschale moraliter non æquivalere officiis aliis per annum, adeòque non videri per illud impleri substantiam præcepti: atque hoc modò apud omnes certum esse debet, nam sanctissimus Dominus Alexander VII. per decretum editum 18. *Martii* 1666. in terminis damnat sequentem propositionem, ad minùs ut scandalosam. *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.* Interea Lezana satis probabiliter *in summa tom.* 3. *verbo Breviarium num.* 3. docet, omnes Regulares posse extra chorum mutare officium sui Breviarii, & illud recitare juxtà Breviarium Romanum; quia cùm Ecclesia Romana sit mater omnium Ecclesiarum, videtur semper licitum, se illi conformare; & Pius V. permisit omnibus, si velint, uti Breviario Romano in choro, si Episcopo, & toti Capitulo magis arrideat: ex quo colligi videtur extrà chorum non requiri similem consensum. Ita Lezana, restringens, nisi in Religione de eo extet prohibitio, prout testatur esse in nostra Carmelitana. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *res.* 64.

19. Dico secundò, probabile est, non esse mortale, si officium interrumpatur absque ulla ratione; quia in his omninò salva manet substantia præcepti; atque omnes ferè versus habent sensum perfectum, & ex multis recitationibus realiter discretis, moraliter una totalis, sub eadem persolvendi durante intentione, integrari potest. Ita Franc. B. Spei *lo.cit. n.* 47. Dicit insuper *n.*53. horarum ordinem pervertere,

etiam sinè causa, non esse nisi peccatum veniale, si id fiat in officio privato, quidquid Bassæus verbo *horæ canonicæ summario* 3. *n.* 1. rectè dicat, videri esse mortale, si hoc fiat in recitatione publica, sive in choro; ob scandalum scil. & populi offensionem. Caramuel *in Theol. fund. par.* 1. *fundam.* 53. §. 20. *num.* 1117. docet, non esse peccatum, etiam veniale, privatim non dicere horas tempore determinato, eò quòd de eo nullum exstet præceptum: sed contra eum insurgit Diana *par.* 11. *tract.* 1. *resol.* 9. volens id observari debere ratione consuetudinis; & inde, inquit, Officium Divinum horæ vocantur: admittit tamen, nullum esse peccatum, modicè tempus mutare; quod communiter omnes faciunt sinè scrupulo; ut si prima dicatur post duas horas ab ortu solis simul cùm Tertia, Sexta, & Nona, ac Vesperæ & Completorium statim post prandium; quia talis mutatio fundatur in necessitatibus communiter occurrentibus. Veniale igitur erit, multùm variare dictum tempus; ut recitare Primam in occasu solis, vel totum officium prope mediam noctem. Vide N. Franciscum *n.* 53. *cit.*

Petes, quo tempore possint, ac debeant singulæ horæ dici?

20. Respondeo indubitatum modò esse, matutinum, cum vel sinè laudibus, recitari posse pridie post completum officium præsentis diei; idque ab hora quarta post meridiem, vel etiam à secunda juxtà Dianam variis locis: Imò Pourrè absolutè asserit, pulsatâ duodecimâ meridianâ, licitum esse dicere matutinum cum laudibus sequentis diei. Neque esset mortale si quis diceret matutinum diei sequentis, non dictis adhuc vesperis, & completorio diei præsentis, nam talis inversio non est adeò gravis. Quoad tempus verò cæterarum horarum usque ad vesperas, ponitur ordinariè ante-meridianum, post-meridianum pro vesperis, & completorio, exceptô tempore quadragesimę, quando etiam vesperæ, extra Dominicam, dicuntur ante meridiem; quidquid Burghaber post alios à se citatos *Centur.* 3. *casu* 83. velit, nequidem esse veniale tunc illas dicere post meridiē sive extrà, sive intra chorum. Intereà certum est, non esse mortale, differre integrum officium usque ad tempus illud, quo adhuc debitè recitari possit ante duodecimam noctis, imò probabiliter nec si circa medium primæ quis illud tantùm absolvit, peccabit mortaliter juxtà Leandrum, quem citat & sequitur Burghaber *Centur.* 1. *casu* 59. quia ex mente plurium DD. omnes horæ sunt unica oratio uno præcepto imposita. Ergo oratio hæc debito tempore cæpta, rectè in continenti finitur, etsi post duodecimam jam auditam. Verùm quò ad hoc, contrarium judico sustinendum, negans horas sive recitationem Divini officii debito tempore inchoari, si non possit absolvi nisi mediâ horâ post duodecimam noctis, sive post tempus illud, quô debebat finiri. Insuper certum manet, esse peccatum veniale invertere dictum ordinem sinè ulla causa, ut constat ex ante dictis. Adde tamen secundùm P. Franciscum *n.* 55. in hac

hac materia causam justam esse, si v. g. Prima post Tertiam legatur, vel occasione chori, vel occasione amici petentis secum legi Tertiam, Primâ à se nondum lectâ: & secundùm Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 37. *num.* 3. etiam causa justa hîc est, si scholasticus differat horas in tempus vespertinum, eò quòd matutinum sit aptiùs studio; sed meo quidem judicio hoc nemini consulendum est; tum, quia à Jove debet esse principium, ut axioma habet; tum quia optima Deo sunt tribuenda, ac consequenter tempus commodius in ejus laudibus insumendum est. Pro horum complemento.

21. Adverte eos, qui ex officio, vel Superiorum mandato in choro impediuntur à recitanda parte officii, ut quia pulsant; libros aptant, *&c.* non teneri illam partem repetere juxtà DD. communiter; quia eam censentur per alios implere, & toti officio cooperari: tenentur tamen attendere ad ea, quæ tum temporis recitantur; non enim videtur posse dici officium recitare, qui nec verba officii profert, nec ad illa attendit. Hinc, contra Caramuelem, dum quis cum socio officium recitat, uterque debet alterum audire; aliàs enim non dicetur recitare quod alter recitat, cùm auditus loco recitationis succedere debeat, ut DD. communiter docent cum Diana *par.* 11. *tract.* 1. *res.* 6.

§. III.

De omittente integrum officium; ubi & de Litaniis, Officio D. V. &c.

22. Dico primò, qualiter peccet, qui negligit legere integrum officium, variè resolvunt DD. plures volunt, eum unicum peccatum committere, quia unicum de eo recitando exstat præceptum, respiciens omnes septem horas simul tanquam partes integrales ejusdem officii. Ita Bonacina, Bassæus, & alii. Multi è contrà docent, esse plura peccata formaliter; inter quos est Lessius; quia singulæ horæ sunt distinctæ orationes, & distincta officia, diversis temporibus Deo solvenda. Alii insuper volunt esse peccatum unum multiplex, ut Suarez. Alii denique, esse unum pluribus æquivalens, quod puto probabilius; quidquid interim plures velint, in omni sententia necessariò in confessione debere exprimi numerum horarum omissarum: contra quos Diana *par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 5. *&* 23. expresse asserit, satis esse, si ille, qui plures horas, non tamen omnes omisit, dicat, se commisisse culpam mortalem

in recitatione horarum, vel omisisse partem notabilem Divini officii: Dianæ subscribit Pourrè *verbo hora canonica num.* 1. Vide dicta *tract.* 1. *suprà* de multiplicatione peccatorum, & dicenda infrà *in tract. ult.* de integritate Confessionis: & quæ habet Franc. B. Spei *lo. toties cit. num.* 49.

23. Dico secundò, non est improbabile, Patres Carmelitas non teneri sub mortali recitare officium B. Virginis quando fit officium de feria; quia Regula, Statuta, ac Rubricæ eos non obligant ad mortale; & quoad consuetudinem non omninò constat, an introducta sit cum intentione obligandi sub mortali, in dubio autem judicandum est de obligatione levi. Vide P. Franciscum *num.* 62. Hæc à pari posset quis extendere ad officium defunctorum, etiam secundâ Novembris dici solitum: ad Psalmos graduales, ac pœnitentiales, litanias majores, *&c.* quæ omnia sinè mortali omitti posse à quolibet privatim, aliqui judicant probabile; eò quòd de obligatione sub mortali non videatur, saltèm omninò certò, constare: & ita absolutè de litaniis docet Diana *loc. cit. resol.* 42. citans Vasquez, & Molfesium, quibus *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 226. addit Homobonum; subjungens, sententiam oppositam esse veriorem; quàm absolutè docet Sylvius; & omninò tenendam esse, tradit Franciscus N. quos in praxi sequere: & eos in praxi sequendos esse, tradit Burghaber, eò quòd ab eorum parte stet communissimus usus: quidquid satisfaciat rationibus eorum, dicátque sibi oppositam doctrinam non displicere, quam & variis rationibus confirmat, ita ut mirer, eum hîc plus solito esse scrupulosiorem.

24. Petes hîc fortè, an non habens Breviarium teneatur recitare Psalmos, si eos, & non alia sciat memoriter? Respondent Filliucius, Malderus & alii negativè; quia illi Psalmi ut sic non sunt hora canonica, ad quam, & non ad aliud, Clerici obligantur. Adde Clericos professos, vel beneficiatos, vel recenter ordinatos satisfacere, si incipiant ab hora, tempore suæ professionis, acceptæ possessionis Beneficii, vel ordinationis, in Ecclesiis Cathedralibus legenda; quia tum demum illorum obligatio incipit. Ita Franc. B. Spei, ubi suprà *num.* 54. subjungens, eos non satisfecisse suæ obligationi ob horas anticipativè lectas: quia non rectè solvitur debitum, quod non est.

§. IV.

§. IV.

De attentione in Divino officio, & recitatione mentali.

25. REquiri unam ex tribus attentionibus *supra dub. 2.* allatis, docent communiter DD. apud Dianam *par.2.tract.12.resol.2.* citantem triginta sex docentes, eos, qui recitant horas sinè attentione, saltem virtuali, non satisfacere præcepto Ecclesiæ de recitandis horis. Horum ratio præcipua est, quia *cap. Dolentes* præcipitur, ut officium Divinum celebretur studiosè & devotè; quod ultimum, inquiunt, involvit internam attentionem, vel maximè cùm *eodem cap.* præcipiatur verus actus orationis. Attamen apud eundem Dianam ibid. quoad Clericos non beneficiatos adhuc contrarium docent Durandus, Sylvester, Medina, Angelus, D. Antoninus, Coninck, & alii; quorum sententiam Diana sinè metu, ut loquitur, probabilem dicit cum Layman, Henriquez, Lessio, & Victorello. Imò non posse negari quin sit probabilis, asserit Gobat *in Triga Horaria disp.2. num.831.* quidquid Suarez ei omnem probabilitatem neget. Ratio est, quia Ecclesia non potest, saltem probabiliter præcipere actus internos, sicut nec eos potest punire aut cognoscere, ut patet ex dictis *in tract. de Legibus.* Ad *caput* autem *Dolentes,* probabiliter dici potest, ibi solùm præcipi studiositatem, devotionem, ac orationem externam, quæ videl. cum talibus circumstantiis fiat, quæ requiruntur ad actum religionis externum, sive ita, ut exteriùs non peccetur contra religionem: quod ipsum non obscurè videtur colligi ex contextu; nam in citato *cap.* agitur contra eos, qui tempore officii Divini confabulantur. Quare puto cum Diana, & aliis, dictam sententiam verè esse probabilem.

26. Nec dicas, actum externum orationis non esse veram orationem, quæ in dicto *cap.* præcipitur; quia dici potest esse veram orationem externam, quæ solùm ibi præcipi potest. Hanc sententiam utilem nominat Busenb. tum scrupulosis, tum Confessariis, ne beneficiatis sinè attentione horas recitantibus imperare cogantur restitutionem fructuum, partim ob authoritatem DD. partim quòd hoc præcepto tantùm materiales quædam preces, earumque externa pronuntiatio (per quam sicuti per hymnos organo cantatos Ecclesia aliquid à Deo impetrare potest) præcipi videantur: devotio verò interna tanquam finis præcepto extrinsecus ad ejus substantiam non pertinet. Ita Busenbaum. Et reverà, si absque interna attentione satisfiat præcepto recitandi

 horas,

Petes primò, an cultus Sanctorum procedat à religione?

4. Respondeo affirmativè, si nimirum Sancti colantur ob Dei eminentiam increatam; ut sic enim non tam coluntur Sancti, quàm Deus in illis, tanquam in imagine aut templo. Dico, *si nimirum*, &c. quia si sistatur in excellentia ipsius Sancti, aut ejusdem sanctitate creata, non erit religio: quare licèt prior cultus possit dici latria, æquè ac si Deo quoad se tribueretur immediatè; posterior tamen non est, nisi Dulia, quâ videl. Sancti coluntur, ut amici & domestici Dei. Præter hos cultus, datur tertius, quo colitur B. V. MARIA, tanquam mater Dei & Christi, & vocatur iperdulia. Ubi adverte ex Francisco *loc. cit. n. 6.* imagines & cruces religione propriè dictâ non coli, licèt propter Christi excellentiam in eis relucentem colantur; quia tales res inanimes non sunt honoris formalis, aut animi submissionis apprehendendæ capaces, sed solùm signatum & exemplatum in illis signis & exemplaribus.

Petes secundò, an etiam devotio distinguatur à religione?

5. Respondeo, communiter à Theologis devotionem sumi pro ipsa promptitudine & fervore affectus ad ipsum Dei cultum, vel etiam pro ipso affectu fervente in colendo Deum; qui enim ferventer affectat orare, sacrificare, Deum laudare, &c. qui sunt actus religionis; vel etiam qui ferventer orat, &c. verè ab omnibus devotus habetur: secùs tamen, qui simplici affectu exercet illa, vel similia, quæ ad cultum Dei pertinere noscuntur.

DVBIVM SECVNDVM.

De Oratione in communi.

6. Dico primò, oratio est petitio rerum decentium à Deo, cum desiderio obtinendi si expediat. Est aliquando necessaria ad salutem, ut patet ex eo, quòd Scriptura eam tam frequenter inculcet, sive præcipiat: atque hoc præcepto, juxta DD. communiter, obligatur quilibet adultus, quando est necessitas audiendi Sacrum, recipiendi Sacramentum, eliciendi contritionem, superandæ gravis tentationis; ac maximè dum imminet periculum mortis: in quibus casibus certum est, quemlibet debere orare mentaliter. An verò quandoque homo teneatur orare vocaliter? Ait Suarez, non exstare de eo præceptum: quidquid tamen Malderus contrarium probet hac ratione; cùm homo constet anima & corpore, debet utriusque substantiæ actibus Deum convenire per orationem. Sed nunquid homo tenetur semper orare, juxta Scripturam *Lucæ 18. Oportet semper orare?* Respondeo id controverti, non minùs, quàm an homo teneatur omnia sua opera in Deum dirigere; nam ille juxta SS. PP. semper orat, qui se & omnia

nia sua in Deum & beatitudinem æternam dirigit. Pro hoc verò vide dicta *tract. 1. disp. 3. dub. 3.* ubi quæsivimus, an possit dari actus indifferens in individuo. Solùm hîc nota cum Bassæo verbo *oratio*, dum dicitur oratio esse necessaria & sub præcepto ad avertendum malum, non fore peccatum illam omittere, nisi aliquo modo advertatur ad hanc obligationem; quia aliàs omissio non est voluntaria quatenùs est contra præceptum: item quando est culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam distinctam à malitia istius peccati; quia tantùm mala est, eò quòd sit interpretativa volitio istius peccati. Ita ille post Medinam, & alios.

7. Dico secundò, ut oratio sit virtuosa, debet procedere ex motivo colendi Deum, profitendo nimirum nostram ab ipso dependentiam, ejus infinitam potentiam, bonitatem, ac providentiam, quibus possit, & velit nobis in nostra necessitate prodesse. Ita Wiggers. Insuper, ut oratio sit legitima, requiruntur adhuc pietas, & attentio; quarum prima exigit, ut petatur aliquid spectans ad salutem æternam directè vel indirectè, cum recta intentione, & sinè ulla circumstantia mala: secunda verò consistit in eo, quòd quis initio orationis firmiter proponat attendere, nec eâ durante sponte distrahatur. Potest autem attentio orantis versari circa tria; vel circa id, quod petit cum ordine ad salutem; vel ad sensum orationis, quam format; vel ad Deum ipsum, quem orat.

8. Dico tertiò, ea, quæ à nobis in oratione peti debent, compendiosè, & optimè in oratione dominica continentur, non tantùm quoad substantiam, sed & quoad ordinem, quô petenda sunt, prout ex S. Augustino scribit D. Thomas. Pro succincta autem hujus orationis expositione, vide Wiggers *tract. 8. de Relig. cap. 2. dub. 7.* Interea adverte, in oratione posse aliqua absolutè peti, aliqua conditionatè tantùm: absolutè petuntur vita æterna, & omnia media ad illam necessaria; sub conditione verò, saltem tacitâ, divitiæ, honores, longa vita, sanitas corporis &c. nam hæc sępe possunt saluti animæ obesse: quare in his optimus orandi modus est, rogare Deum, ut agat nobiscum sicut novit expedire ad gloriam suam, & animæ nostræ salutem; quem modum Christus nos docuit dicendo Patri æterno, *fiat voluntas tua.*

Petes, pro quibus sit orandum?

9. Respondeo certum inprimis esse, quòd pro omnibus viventibus orari possit. Patet ex 1. *Timoth. 2.* ubi dicit Apostolus, obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus, id est tam pro bonis quàm pro malis, ut & his & illis Deus det media commoda ad salutem: quamvis vanum & insanum foret orare, ut omnes salventur actualiter, cùm Scriptura testetur futurum contrarium. Interea ex his constat, etiam pro inimicis orandum esse; adeò ut peccaret, qui generatim pro omnibus orans, solùm inimicum, vel inimicos excluderet; nam *Matth. 5.* expressè dicitur, *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: hoc tamen præceptum non videtur quemquam obligare,

re, ut oret pro inimico particulari, nisi hic esset in extrema, vel valde gravi necessitate spirituali, in qua non posset ipsi aliter succurri nisi per orationem. Insuper etiam orandum est pro iis, qui sunt in purgatorio; non pro iis, qui sunt in cælo, vel in inferno; quia hi per orationem nostram juvari nequeunt, benè qui in purgatorio adhuc patiuntur. Vide N. Franciscum *de religione, disput.* 2. *numero* 18. *& seq.*

Petes fortè iterùm, an oratio pro pluribus oblata, æquè singulis prosit, ac si pro singulis offerretur?

10. Resp. cum N. Francisco: impetrationem quidem in Dei benignitate fundari, quæ infinita est: ita tamen, ut & in orationis congruitate fundetur: undè Ecclesia plerumque pro aliquo in particulari orat; per quod videtur significare, orationem pro omnibus factam, singulis non in tantùm ab omni parte prodesse; nam alioqui id frustra faceret.

11. An verò Sancti sint orandi? Respondeo affirmativè, conformiter ad dicta de cultu; ita nimirum ut orentur tanquam amici, ac domestici Dei, quatenus pro nobis interpellent apud Deum: non autem, quasi ipsi suâ authoritate, aut potestate nobis possint peccata remittere, conferre virtutes, dare salutem, aut gratiam &c. quia id esset idololatrare. Vide circa hoc Franc. B. Spei *num.* 4. *& seq.* qui *num.* 10. dicit, animas purgatorii consultiùs non orari; quia incertum est, an verè ab Angelis custodibus de precibus nostris instruantur, & quia decet animas illas totaliter esse debito suo persolvendo intentas tam perfectè ac possunt.

DVBIVM TERTIVM.

De Horis Canonicis.

§. I.

Quinam ad horas teneantur, & quæ sit gravis materia in earum omissione?

12. Horæ canonicæ sunt quædam preces ac laudes, quæ certis horis, diu noctuque, juxta Canonum Ecclesiæ præscriptionem, in Ecclesia recitantur: alio nomine dicuntur Officium Divinum, seu Ecclesiasticum. An, & quomodo ad horas teneantur beneficiati; dictum est parum antè. De cæteris

13. Dico primò, omnes constituti in ordinibus sacris tenentur ad horas sub culpa mortali. Ita omnes ex *cap. Dolen-*

Dolentes de celebr. Missa, constatque ex generali, & antiquissima Ecclesię consuetudine, quæ in re gravi obligat graviter.

14. Dico secundò, etiam sub mortali ad horas teneri Religiosos, ac Moniales choro deputatos, communis habet DD. sententia ex consuetudine immemorabili: quidquid aliqui dicant, illam non esse introductam sub onere gravis culpæ; aliàs, inquit Marchant. omnes consuetudines Religionum, ut v. g. dandi certis diebus disciplinam &c. deberent dici obligare sub mortali: sed in vanum hoc dicit; quia obligationis consuetudinis jam introductæ, sicut & intentionis introducentium optimus interpres est acceptatio, & expositio eorum, qui consuetudinem continuant; qui unanimiter hucusque nos docuerunt, consuetudinem quoad horas obligare & introductam esse sub onere peccati mortalis, cujus contrarium fit quoad consuetudinem excipiendi disciplinam, &c. Quare meritò Diana *part.*11. *tractat.* 1. *resol.* 25. docet, absolutè communem sententiam esse tenendam. Vide etiam Franciscum Bonæ Spei *sua Noctua dub.* 24. *resol.* 1. ubi eandem latè firmat, volens illam obligationem esse, non vi consuetudinis, sed vi professi status religiosi, non laici traditionis: dicit tamen benè *in tractat. de Relig. disp.* 2. *num.* 40. Laicos ad horas sub peccato mortali non obligari; quia nec lex, nec consuetudo, nec Ecclesiæ traditio, desuper existit, ut omnes fatentur; atque illi magis ad laborem, quàm officium Divinum sunt deputati. Vide eundem *de Relig. disput.* 2. *citat. numero* 78. *& seq.*

15. An verò ad horas teneatur monachus fugitivus, aut ejectus, si non fuerit in sacris? Etiam DD. communiter affirmant contra Bonacinam & Busenbaum: quam sententiam judico absolutè sustinendam, nisi talis damnatus esset ad triremes, in quo usus est in contrarium; tum quia satis aliunde habet afflictionis; tum etiam, quia id cederet in dedecus ordinis ecclesiastici, si in illa hominum colluvie (ut loquitur P. Franciscus *num.* 70. patefaceret statum suum.

16. Dico tertiò, materia gravis in omissione horarum, apud aliquos est media, apud alios tertia pars horæ, etiam minoris: quidquid Escobar apud Busenbaum, & Marchantius probabiliter, ac absolutè Pouré post Marchinum dicant, omissionem integræ horæ parvæ ut v.g. tertiæ, aut completorii, non esse mortale peccatum: quorum ratio est, quia quando totum aliquod est magnum, levis materia judicatur, quæ non excedit partem duodecimam materiæ præceptæ. Verùm, an ipsi hunc discursum omninò similem admittant, id viderint: furtum omnium bonorum Regis Hispaniæ, unico actu factum, est unicum peccatum mortale; sed valor Belgii, respectu omnium bonorum ejusdem, non est plùs quàm duodecima pars; ergo qui ab ipso auferret totum Belgium, non peccaret mortaliter: argumentum ferè simile habet Franc. B. Spei *de Relig. suprà n.* 49. Sed quia Pourré tam generosè dicit, Dianam *part.* 6. *tractat.* 6. *resolut.* 6. immeritò impugnare sententiam Marchini, audiat eundem Dianam *par.* 10. *tract.*

tract.16.resol.20. ubi, postquam dixisset, Martinum de San Joseph docere sententiam Pourrè, subdit; *Caveant imposterum authores istam sententiam tanquam probabilem* (multò magìs oppositam tanquam improbabilem explodere) *in suis operibus admittere, nam malè olerent apud sacram Congregationem Indicis:* audiat & Lezanam *consult.48.num.85.* sic asserentem; *In materia Officii Divini sententia Marchini dicentis, omissionem unius horæ canonicæ non esse peccatum mortale, est falsa & improbabilis; quia levi nititur fundamento, scil. quòd sit parva materia respectu totius Officii Divini; non enim est nisi notabilis deformatio, & mutilatio ejusdem: & quia est contra torrentem DD.* Ita Lezana, subdens, ratione hujus propositionis librum Marchini delatum esse ad sacram Congregationem Indicis. Imò Diana *part.11.tract.1.resol.25.* dicit, citans denuò Lezanam; illam sententiam Marchini esse deletam ex opere ipsius à dicta Congregatione. Legat hæc igitur Pourré, & viris tantis, ac sunt Lezana & Diana, qui continuò Romæ manserunt, credat in causa facti: legat etiam hæc Caramuel, & videbit, quàm sit pia speculatio probabilis (prout dicit uni ex Patribus Societatis visam esse) quâ ostendere conatur, semel legendo matutinum & laudes, posse satisfieri pro duobus diebus: verùm de hoc alibi egimus. Interea adhuc Caramuel *Theolog. fundament. part. 1. folio 402.* inter varias Theses, quas omnes, & singulas sinè conscientiæ scrupulo Lovanii defendi, & practicari judicarunt plurimi viri doctissimi, ut Andræas à Turri, Coninck, Loyens, Cromius, de Jonghe, de Scildere, quas & probabiles judicavit du Gardin cum aliquot aliis ex Universitate Duacena, nec non Jacobus Emans Carmelita Doctor Coloniensis, & alii, ut idem Caramuel testatur; inter has inquam Theses refert hanc, *Omittens unam horam ex parvis, probabiliter excusari potest à peccato mortali.* Sed nec propter hos omnes ego sacræ Congregationi contrariare volo; quare cum Lezana, & Diana sustineo, omissionem mediæ partis unius horæ, etiam parvæ, esse mortale peccatum: quidquid N. Franciscus *loco sæpe citato numero 49.* ad mortale requirat omissionem integræ horæ, vel partem illi æquivalentem; addens, vesperas Sabbathi sancti, non videri in hoc materiam moraliter gravem.

§. II.

An liceat officium immutare, interrumpere, aut horas transponere?

17. Dico primò, quoad mutationem officii, v. g. feriæ in officium alicujus Sancti, duæ sunt satis communes sententiæ; quarum prima do-

docet, hoc faciendo non satisfieri præcepto de recitandis horis. Ita Vasquez, Suarez, Homobonus, Toletus, & plures alii apud Dian. *p.2.tr.12.ref.* 3. quibus addo Franc. B. Spei *in Noctua dub.* 24.*ref.* 3. & de novo iterum *tr. de Relig. disp.* 2. *n.* 119. & denuò *n.116.&seq.* Ratio est, quòd Pius V. præcipiat recitari officium juxtà formam ab ipso præscriptam; ad quam formam dicunt, pertinere distributionem officii in tempora, festivitates, & dies; pro quo vide Dianam *par.* 11.*tr.*4.*ref.* 45.

18. Secunda verò sententia docet, solùm committi veniale peccatum licèt sinè ulla causa officium sic mutetur. Ita plurimi apud eundem Dian. *par.* 2. *citatâ:* quorum ratio est, quia præceptum Ecclesiæ tunc adhuc plenè quoad substantiam observatur, cùm hæc in eo sit sita, quòd septem horæ recitentur. Solùm igitur, inquiunt, mutatur modus accidentalis, quod non videtur posse constituere culpam mortalem. Gobat *in Triga Horaria disp.* 3. *n.* 883. cum majori parte DD. hujus temporis, ut ait, viâ mediâ incedens docet, esse peccatum mortale perpetuò vel ferè perpetuò sic mutare officium, non verò si id fiat rarò, quod & latè probare conatur. Hinc Leandrus apud Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 16. sustinet, non esse mortale, privatim recitare officium de Resurrectione dum debet dici de feria, aut de Sancto: addens tamen, se non consulere alicui taliter officium immutare, nisi fortè illis, qui sunt valdè occupati, adeò ut præ magnitudine officii exterriti nullum recitarent. Sententiam Leandri in hoc sequitur Caramuel; contra quem insurgit Adamus Burghaber & Diana *p.11.tr.1.ref.* 26. dicentes, officium Paschale moraliter non æquivalere officiis aliis per annum, adeòque non videri per illud impleri substantiam præcepti: atque hoc modò apud omnes certum esse debet, nam sanctissimus Dominus Alexander VII. per decretum editum 18. *Martii* 1666. in terminis damnat sequentem propositionem, ad minùs ut scandalosam. *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.* Interea Lezana satis probabiliter *in summa tom.* 3. *verbo Breviarium num.* 3. docet, omnes Regulares posse extra chorum mutare officium sui Breviarii, & illud recitare juxtà Breviarium Romanum; quia cùm Ecclesia Romana sit mater omnium Ecclesiarum, videtur semper licitum, se illi conformare; & Pius V. permisit omnibus, si velint, uti Breviario Romano in choro, si Episcopo, & toti Capitulo magis arrideat: ex quo colligi videtur extrà chorum non requiri similem consensum. Ita Lezana, restringens, nisi in Religione de eo extet prohibitio, prout testatur esse in nostra Carmelitana. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *ref.* 64.

19. Dico secundò, probabile est, non esse mortale, si officium interrumpatur absque ulla ratione; quia in his omninò salva manet substantia præcepti; atque omnes ferè versus habent sensum perfectum, & ex multis recitationibus realiter discretis, moraliter una totalis, sub eadem persolvendi durante intentione, integrari potest. Ita Franc. B. Spei *lo.cit.n.* 47. Dicit insuper *n.*53. horarum ordinem pervertere,

etiam sinè causa, non esse nisi peccatum veniale, si id fiat in officio privato, quidquid Bassæus verbo *horæ canonica summario* 3. *n*. 1. rectè dicat, videri esse mortale, si hoc fiat in recitatione publica, sive in choro; ob scandalum scil. & populi offensionem. Caramuel *in Theol. fund. par*. 1. *fundam*. 53. §. 20. *num*. 1117. docet, non esse peccatum, etiam veniale, privatim non dicere horas tempore determinato, eò quòd de eo nullum extet præceptum: sed contra eum insurgit Diana *par*. 11. *tract*. 1. *resol*. 9. volens id observari debere ratione consuetudinis; & inde, inquit, Officium Divinum horæ vocantur: admittit tamen, nullum esse peccatum, modicè tempus mutare; quod communiter omnes faciunt sinè scrupulo; ut si prima dicatur post duas horas ab ortu solis simul cùm Tertia, Sexta, & Nona, ac Vesperæ & Completorium statim post prandium; quia talis mutatio fundatur in necessitatibus communiter occurrentibus. Veniale igitur erit, multùm variare dictum tempus; ut recitare Primam in occasu solis, vel totum officium prope mediam noctem. Vide N. Franciscum *n*. 53. *cit*.

Petes, quo tempore possint, ac debeant singulæ horæ dici?

20. Respondeo indubitatum modò esse, matutinum, cum vel sinè laudibus, recitari posse pridiò post completum officium præsentis diei; idque ab hora quarta post meridiem, vel etiam à secunda juxtà Dianam variis locis: Imò Pourrè absolutè asserit, pulsatâ duodecimâ meridianâ, licitum esse dicere matutinum cum laudibus sequentis diei. Neque esset mortale si quis diceret matutinum diei sequentis, non dictis adhuc vesperis, & completorio diei præsentis, nam talis inversio non est adeò gravis. Quoad tempus verò cæterarum horarum usque ad vesperas, ponitur ordinariè ante-meridianum, post-meridianum pro vesperis, & completorio, exceptô tempore quadragesimę, quando etiam vesperæ, extra Dominicam, dicuntur ante meridiem; quidquid Burghaber post alios à se citatos *Centur*. 3. *casu* 83. velit, nequidem esse veniale tunc illas dicere post meridiē sive extrà, sive intra chorum. Intereà certum est, non esse mortale, differre integrum officium usque ad tempus illud, quo adhuc debitè recitari possit ante duodecimam noctis, imò probabiliter nec si circa medium primæ quis illud tantùm absolvit, peccabit mortaliter juxtà Leandrum, quem citat & sequitur Burghaber *Centur*. 1. *casu* 39. quia ex mente plurium DD. omnes horæ sunt unica oratio uno præcepto imposita. Ergo oratio hæc debito tempore cæpta, rectè in continenti finitur, etsi post duodecimam jam auditam. Verùm quò ad hoc, contrarium judico sustinendum, negans horas sive recitationem Divini officii debito tempore inchoari, si non possit absolvi nisi mediâ horâ post duodecimam noctis, sive post tempus illud, quô debebat finiri. Insuper certum manet, esse peccatum veniale invertere dictum ordinem sinè ulla causa, ut constat ex ante dictis. Adde tamen secundùm P. Franciscum *n*. 55. in hac

hac materia causam justam esse, si v. g. Prima post Tertiam legatur, vel occasione chori, vel occasione amici petentis secum legi Tertiam, Primâ à se nondum lectâ: & secundùm Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. num. 3.* etiam causa justa hîc est, si scholasticus differat horas in tempus vespertinum, eò quòd matutinum sit aptiùs studio; sed meo quidem judicio hoc nemini consulendum est; tum, quia à Jove debet esse principium, ut axioma habet; tum quia optima Deo sunt tribuenda, ac consequenter tempus commodius in ejus laudibus insumendum est. Pro horum complemento.

21. Adverte eos, qui ex officio, vel Superiorum mandato in choro impediuntur à recitanda parte officii, ut quia pulsant; libros aptant, *&c.* non teneri illam partem repetere juxtà DD. communiter; quia eam censentur per alios implere, & toti officio cooperari: tenentur tamen attendere ad ea, quæ tum temporis recitantur; non enim videtur posse dici officium recitare, qui nec verba officii profert, nec ad illa attendit. Hinc, contra Caramuelem, dum quis cum socio officium recitat, uterque debet alterum audire; aliàs enim non dicetur recitare quod alter recitat, cùm auditus loco recitationis succedere debeat, ut DD. communiter docent cum Diana *par. 11. tract. 1. res. 6.*

§. III.

De omittente integrum officium; ubi & de Litaniis, Officio D. V. &c.

22. Dico primò, qualiter peccet, qui negligit legere integrum officium, variè resolvunt DD. plures volunt, eum unicum peccatum committere, quia unicum de eo recitando exstat præceptum, respiciens omnes septem horas simul tanquam partes integrales ejusdem officii. Ita Bonacina, Bassæus, & alii. Multi è contrà docent, esse plura peccata formaliter; inter quos est Lessius; quia singulæ horæ sunt distinctæ orationes, & distincta officia, diversis temporibus Deo solvenda. Alii insuper volunt esse peccatum unum multiplex, ut Suarez. Alii denique, esse unum pluribus æquivalens, quod puto probabilius; quidquid interim plures velint, in omni sententia necessariò in confessione debere exprimi numerum horarum omissarum: contra quos Diana *par. 2. tract. 12. resol. 5. & 23.* expresè asserit, satis esse, si ille, qui plures horas, non tamen omnes omisit, dicat, se commisisse culpam mortalem

§. IV.

De attentione in Divino officio, & recitatione mentali.

25. Requiri unam ex tribus attentionibus *supra dub.* 2. allatis, docent communiter DD. apud Dianam *par.2.tract.12.resol.2.* citantem triginta sex docentes, eos, qui recitant horas sinè attentione, saltem virtuali, non satisfacere præcepto Ecclesiæ de recitandis horis. Horum ratio præcipua est, quia *cap. Dolentes* præcipitur, ut officium Divinum celebretur studiosè & devotè; quod ultimum, inquiunt, involvit internam attentionem, vel maximè cùm *eodem cap.* præcipiatur verus actus orationis. Attamen apud eundem Dianam ibid. quoad Clericos non beneficiatos adhuc contrarium docent Durandus, Sylvester, Medina, Angelus, D. Antoninus, Coninck, & alii; quorum sententiam Diana sinè metu, ut loquitur, probabilem dicit cum Layman, Henriquez, Lessio, & Victorello. Imò non posse negari quin sit probabilis, asserit Gobat *in Triga Horaria disp.2. num.831.* quidquid Suarez ei omnem probabilitatem neget. Ratio est, quia Ecclesia non potest, saltem probabiliter præcipere actus internos, sicut nec eos potest punire aut cognoscere, ut patet ex dictis *in tract. de Legibus.* Ad *caput* autem *Dolentes*, probabiliter dici potest, ibi solùm præcipi studiositatem, devotionem, ac orationem externam, quæ videl. cum talibus circumstantiis fiat, quæ requiruntur ad actum religionis externum, sive ita, ut exteriùs non peccetur contra religionem: quod ipsum non obscurè videtur colligi ex contextu; nam in citato *cap.* agitur contra eos, qui tempore officii Divini confabulantur. Quare puto cum Diana, & aliis, dictam sententiam verè esse probabilem.

26. Nec dicas, actum externum orationis non esse veram orationem, quæ in dicto *cap.* præcipitur; quia dici potest esse veram orationem externam, quæ solùm ibi præcipi potest. Hanc sententiam utilem nominat Busenb. tum scrupulosis, tum Confessariis, ne beneficiatis sinè attentione horas recitantibus imperare cogantur restitutionem fructuum, partim ob authoritatem DD. partim quòd hoc præcepto tantùm materiales quædam preces, earumque externa pronuntiatio (per quam sicuti per hymnos organo cantatos Ecclesia aliquid à Deo impetrare potest) præcipi videantur: devotio verò interna tanquam finis præcepto extrinsecus ad ejus substantiam non pertinet. Ita Busenbaum. Et reverà, si absque interna attentione satisfiat præcepto recitandi

horas, non est cur dictis beneficiatis onus restituendi fructus imponatur: quia (ut bene notavit Gobat *in Triga loc.cit.num.*842.) leges mandantes restitutionem fructuum ob neglectum pensi Canonici, disertè loquuntur de *non recitante, non dicente, intermittente* divinum officium. Unde plures, docentes absolutè requiri attentionem internam ad satisfaciendum præcepto contento *tap. Dolentes*, adhuc excusant dictos beneficiatos ab isto onere. Ita Cajetanus, & Malderus apud Dianam *loc.cit.resol.*1. quorum sententiam ipse cum Lessio, & Azorio probabilem reputat. Ratio est, quia præceptum dicendi horas est distinctum à præcepto dicendi eas cum attentione; cùm præceptum dicendi horas simpliciter priùs sit latum, & postea per *cap. Dolentes*, saltem juxta communem, fuerit impositum præceptum de attentione interna: unde qui dicit horas suas sinè ea attentione, satisfacit præcepto primo de dicendis horis, non autem secundo de dicendo cum attentione: sed cùm restitutio fructuum sit pœna contra beneficiatos omittentes officium Divinum, ille qui voluntariè distrahitur recitando officium Divinum, id non prætermittit, licèt malè recitet; ergo non tenebitur restituere: salvâ semper, &c. Ita Diana.

27. Petes, an, qui ratione ordinis, & beneficii tenetur ad horas, committat duo peccata, illas omittendo? Affirmativè respondet Bassæus *summar.* 5. *num.*3. quia talis, inquit, violat duas virtutes specie distinctas, religionem videl. & justitiam: ita etiam Fagundez, Sanchez, & alii apud Dianam *loc.cit.resol.*22. qui contrarium reputat probabilius ob contrariam rationem; quia videl. prædictus solùm tenetur recitare horas ratione religionis, & non vi justitiæ: in hoc citat pro se Homobonum, Salas, & alios; quibus ego addo Palao, & Burghaber *centur.* 3. *casu* 81. quare sit utrumque probabile. Debet interim beneficiatus restituere fructus, dum horas non recitat; quia hoc ei in pœnam impositum est ab Ecclesia. Cæterùm

28. Adverte primò, quidquid circa prædicta dicatur, semper sufficere attentionem internam virtualem, quam Bonacina & alii censent tamdiu durare, quamdiu actualis à principio habita expressè, vel tacitè, non revocatur per distractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompossibilem. Hinc licèt involuntariè distraharis, virtualiter tamen juxta Busenbaum attendis; primò, si intenderis officium dicere modo consueto, vel animo laudandi Deum, vel satisfaciendi tuo muneri. Secundò, si cum confusa aliqua apprehensione, & proposito opus consuetum faciendi, recites. Ita ipse post Bonacinam.

29. Adverte secundò, eum, qui in recitatione horarum voluntariè distrahitur, quamvis juxta nos probabiliter non peccet mortaliter, semper venialiter delinquere contra virtutem Religionis; quia quicumque recitans aliquas preces absque obligatione, similiter peccat contra præceptum Divinum, & naturale; nam est quasi tentans Deum. Non plus quàm venialiter

nialiter peccare etiam illum, qui per notabilem partem recitationis horarum exercet actiones exteriores, prorsus quidem impertinentes ad dictam recitationem, attamen neque secundùm se, aut ratione scandali mortaliter malas, neque graviter, sed tantùm leniter distrahentes animum, docet Gobat *in Alphab. Audient. Sacr. casu* 8. *num.*238. exemplificans in eo, qui totam Tertiam, aut totas vesperas percurrit sese vestiendo, colligendo herbas, & uvas, instruendo ignem, pectendo caput, lavando manus & vultum, tẽdendo oculos in viridarium, prospiciendo in ripam vel fluvium, juxta quæ ambulat: & cum hoc idem *num.* 237. asseruisset de audiente Sacrum, citatis Suarez, Bassæo, & Dicastillo (non descendendo ad illa exempla, quæ fatetur se desumpsisse ex Navarro) hanc dabat rationem; quia ejusmodi actiones sunt ita communes inter homines, atque ita difficulter evitari possunt, ut non videatur pia mater Ecclesia eas aut posse, aut si possit, velle prohibere sub gravi delicto; esset enim id laqueum injicere hominibus contra rationem. Ita ille: Verùm ego non video, qualem laqueum injiceret Ecclesia si in terminis sub gravi culpa inhiberet, ne quis recitando horas, aut missam audiens, notabilem partem temporis impendat, pectendo caput, colligendo uvas, instruendo ignem, se vestiendo, &c. quis enim mortalium dicet, illas actiones pro illo tempore adeo difficulter evitari posse? Puto ergo tres illos primos Authores à Gobat citatos intelligendos esse de aliis actionibus externis, ut si v.g. quis scalpat caput, purget nares, fricet barbam, &c. in quibus locum habet ratio allata, & quæ non ita causant distractionem externam, nec indicant internam. Deinde nonne illa ex Gobat adducta æque vel plus distrahunt, quàm lectio libri profani, litterarum, aut novellarum? ipse tamen *in Alphab. citato casu 9. num.* 245. docet, hanc non consistere cum auditione Missæ. Nec satisfaciet, si fortè probet hanc parum plus distrahere quàm illa, quia ipsemet post alios repetitis vicibus expressè docet *num.*227. & 238. majorem attentionem requiri ad explendam Breviarii, quàm Missæ obligationem.

30. Per recitationem internam horarum, quæ fiat solâ mente, satisfieri præcepto, sustinet Tamburinus *opusc. de Sacrif. Miss. lib.*2.*cap.*9.§.3. & Joannes de la Cruz, saltem quoad Regulares; quos sequitur Pourrè *par.*1. *verbo hora canonica num.* 11. ex privilegio Mendicantibus concesso à Leone X. & ratio est; quia, ut inquit dictus Pontifex, prolatio verbalis præcipuè est, ut ab aliis intelligatur: prout etiam referunt Rodriguez, Casarubius, & Peyrinis teste eodem Pourrè; qui ait, aliquos devotiùs interiùs horas recitare. Verum Diana *par.*10. *tract.*11. *resol.*1. circa hanc rem hoc modo loquitur: *Licèt ego olim circa hanc sententiam meum proferre judicium noluerim, nunc absolutè assero, illam prorsus non esse admittendam: quia dictum privilegium fuit concessum vivæ vocis oraculo: ergo modò est sublatum per constitutiones Gregorii XV. & Vrbani*

Vrbani VIII. prout individualiter loquentes de hoc privilegio Leonis X. à Tamburino adducto observant & docent Baldellus, Lezana, & Pelizarius. Ita Diana, ulteriùs probans, quamvis dictum privilegium revocatum non esset, adhuc recedendum non fore à sua sententia: imò *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 10. testatur contrariam sententiam Emanuelis Sa fuisse correctam à Magistro Sacri Palatii in impressione Romana. Vide circa hoc Franc. B. Spei *de Relig. disp.* 2. *num.* 105. *& seq.*

§. V.

De iis, quæ excusant à recitatione horarum.

31. IUxta omnes communiter, primò excusat gravis molestia, quæ in horis recitandis subiretur: ut si recitari nequeant sinè gravi dolore capitis, vel oculorum, aut si inde quis timeret incidere in morbum vel aliam infirmitatem: item aliud quodcumque grave malum, ut si inter hæreticos agnosci timeres, dum officium recitares, ac sic puniri. Dum verò dubitatur, an infirmitas, dolor, &c. sit verè sufficiens ad excusandum, consulatur Medicus, quo etiam dubitante, si non possit prudenter dubium deponi, debet peti dispensatio; in quo non debet se Superior difficilem exhibere.

32. Secundò excusat carentia Breviarii, ut §. 3. est insinuatum; quia ad impossibile nemo cogitur. Non existimo tamen in praxi tutum esse, quod quidam volunt; nimirum carentiam Breviarii, vel aliam quamcumque impossibilitatem legendi matutinum, excusare etiam à recitatione aliarum horarum, ita ut non pecces mortaliter, eas omnes omittendo, quamvis horas parvas ex diurno, quod habes, recitare posses. Hinc benè docet Lezana *in summa qq. regular. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 27. qui propter aliquam causam, infirmitatem scil. excusantur à dicendo totum officium Divinum, non tamen excusantur à dicenda illa, vel illis horis canonicis, quas commodè dicere possunt: sicut qui debet centum & non potest solvere nisi decem, tenetur decem solvere. Ita Lezana, & cum ipso Suarez, Valentia, & Bonartius, apud Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 225. qui tamen oppositum cum Castro Palao probabiliùs judicat, casu quo quis non potest majorem partem recitare; quia major pars ad se trahit minorem: quod & absolutè sustinet P. Franc. *de relig. disp.* 2. *num.* 67. Dixerat autem Diana *par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 20. infirmum juxta DD. communiter, qui potest majorem partem officii recitare, teneri illam persolvere: quamvis tamen notandum

notandum moneat, post Rodriquez, & Garsiam, quòd qui non potest recitare matutinum cùm laudibus, ad nihil teneatur; quia licèt hæc pars non sit major, nihilominus est pars officii prima & præcipua. Verùm id in praxi (meo quidem judicio) non esse tutum, statim insinuavi, ac præter Lezanam, & alios citatos, se id approbare non audere fatetur Busenbaum *l.4. cap.2.dub.2.art.3.* in fine; & ratio clara est ex Lezana adducta. Interea putarem infirmum, qui ob infirmitatem, tanquam ob causam manifestam, excusatur à matutino cum laudibus, non debere angi quoad reliquam partem; quia non videtur nisi scrupulus esse, quo judicat, se habere potestatem legendi cætæras horas.

33. An autem, qui non potest solus officium recitare, teneatur adhibere socium? Negant Sancius, & alii; affirmant Valentia, Reginaldus, & Azorius apud Dianam *par.4. tract.4. resol.* 221. Sed ego malo distinguere cum Busenbaum, & Diana *par.2.tr.12. resol.*43. in fine; ita nimirum, ut similis debeat socium adhibere, si commodè possit, & id facere soleat; secus si non soleat, quia præceptum recitandi horas non obligat ad quærendum, vel admittendum socium, sed solùm permittit posse recitari cum socio; idque privilegium est & favor, inquit Sancius, quo quis non uti liberè potest. Cæterum dum recitas cum socio nil refert, licèt ipse nec attendat, nec intelligat, nec habeat intentionem orandi; quidquid ipse delinquat si obligetur ad horas, & sic lectas non repetat. Quòd si quædam verba à socio tuo prolata non intellexisti ob tuam distractionem solùm venialiter malam, non est opus ut ea repetas, vel repeti facias: quia lex quæ hoc imperaret, nimis multos scrupulos induceret. Ita Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 23.*num.*692. ubi ex Tambur. adfert sequentia: sinè hæsitatione pronuntio, te satisfacere, si attendas quantum moraliter vales, licet propter socii, Chorive culpam, nihil ex iis percipias, quia tunc per recitationem tuæ partis, additâ assistentiâ ad socium, additâque hâc tuâ attentione, pro alia parte, satis tibi communem in re morali facis eam socii orationem. Ita ille. Dum legis cum socio, debes versus psalmorum alternare, non integros psalmos, quamvis idem possit omnes lectiones legere. Si simul legentes sint plures quàm duo, non possunt nisi duos Choros facere: quia in his non sunt introducendæ novitatis.

Petes an concionatores quadragesimales excusentur à recitandis horis?

34. Affirmat Bardon apud Dian. *par.*10. *tract.*11. *resol.*32. nisi quis esset tam fœlicis memoriæ, ut modico tempore posset addiscere suas conciones: ratio ipsius est, quia bonum commune est præferendum privato. Attamen ego contrarium judico sustinendum cum Diana, Suarez, Filliucio, & aliis: quia videmus communiter eos sinè valde magna molestia quotidie horas recitare: quidquid aliquem pro uno aut altero die omnino putem excusandum, si concio cæteris difficilior pro tunc sit addiscenda, vel occurrat alia

notabilis difficultas. Insuper etiam extra quadragesimam repentina occupatio gravis, quæ stare nequeat cum recitatione horarum, excusat; ut dum quis debet habere concionem in obitu alicujus Principis; vel totum diem impendere in sedando tumultu populi; componendis gravibus inimicitiis; vel si ita sit occupatus audiendis confessionibus per totum diem, ut non supersit tempus ad recitandas horas. Verùm puto, raró occurrere hujusmodi occupationem, quæ verè excuset, eò quòd officium ferè semper possit anticipari vel postponi: ac rectè reprobat Franc. B. Spei, quod Caramuel *in comment. num.* 1442. docet; nempe legitimè occupatum usque ad meridiem, excusari ab horis matutinis, & ad solas post-meridianas teneri.

35. Cæterùm Pourrè *par.* 1. *verbo hora canonica num.* 13. dicit, Regulares prædicationi verbi Divini, audientiæ confessionum, & Theologiæ, ac sacrorum canonum studiis insistentes, ad suam & animarum fidelium utilitatem; item eos, qui occupantur infirmitate propriâ, aut infirmorum fratrum curatione, satisfacere pro horis canonicis recitando certum numerum psalmorum per Superiorem assignandorum; numero tamen non minùs sex aut septem cum devotione, vel etiam dicendo septies in die orationem dominicam. Ita, inquit, concessit Clemens VII. ut refert à Sorbo. Nec ad hoc infirmitas, vel occupatio debet esse tanta, ut reddat infirmum, &c. impotentem ad persolvendum pensum horarum; nam privilegium, & dispensatio debent aliquid operari, ut dicunt communiter DD. Hæc & alia Pourrè. Verùm an dictum privilegium, & dispensatio verè revocata non sint, aliis relinquo judicium.

36. Hîc consequenter Franciscus noster agit paucis de adoratione, & sacrificio; quoad adorationem dicens, eam tripliciter accipi. Primò generaliter pro honore & veneratione in communi, sive Dei, sive creaturæ. Secundò strictiùs pro quocumq; actu religionis, sive interno sive externo, quo Deus in ratione primi principii, seu latriæ cultu, colitur. Tertiò strictissimè pro solo actu externo, quo Deum colimus & adoramus, videl. genuflexione, inclinatione, capitis apertione. Ut Dei autem sit, & non creaturæ à sola adorantis intentione restringente pendet, cùm adiaphora sit, & suo tempore hominibus conveniens. Ita ille: egerat de adoratione latiùs *tom.* 2. *tract.* 3. *disp. ult. dub.* 1. 2. & 3. quem pro ea consulere poteris. Nos de sacrificio pauca dicemus *in tract.* 5. *de Sacram.* ubi de Missa. Sit igitur

APPEN-

APPENDIX.

De Decimis.

37. DEcima est decima pars fructuum, sive ex animalibus, sive ex prædiis, sive ex hominis industria: & hæc ministris Ecclesiæ debetur, ex cap. *non est*, cap. *ad Apostolicæ*, & aliis; nisi aliud consuetudine præscriptum sit: quam consuetudinem spectando, non sunt in usu, nisi decimæ prædiales, & quædam mixtæ, quæ partim ex hominum industria, partim ex prædio, animalibus, &c. proveniunt, ut lana, lac, caseus, &c. nam reliquæ per consuetudinem, & Ecclesiæ tacitam condonationem abrogatæ sunt: undè semper spectari debet, quæ cujusque loci sit consuetudo. Dixi, *nisi aliud consuetudine præscriptum sit*. Ubi adverte in dubio, an laici justè in feudum acceperint decimas ante Concilium Lateranense, sive ante prohibitionem Urbani secundi, possessionem temporis immemoralis facere, ut præsumatur quod sic, ut docet Gutierez *lib.1.practic.q.16.* cum pluribus aliis. Solet autem possessio temporis immemorialis probari per testimonia seniorum habentium rei notitiam, asserentium se semper vidisse ita fieri, & nunquam oppositum, idemque se etiam à majoribus audivisse.

38. Decimæ solvi debent primò, antequam pensio aliqua aut tributum deducatur, aut expensæ aliæ computentur, ex cap. *cum non sit*, de decimis. Secundò, integræ sinè diminutione, & sinè fraude, sub pœna excommunicationis decimarum fraudatoribus impositæ: undè decimæ ex tritico, & similibus non possunt in horreo recondi, vel aliis misceri, sinè consensu Clericorum. Debentur decimæ omnibus Clericis beneficiatis, curatis & non curatis; quia licèt hi Sacramenta non administrent, alia tamen munia spiritualia, ut orationes, sacrificia, &c. ex officio obeunt.

39. Omnes baptizati ad decimas tenentur, nisi aliquo privilegio, præscriptione, compositione, rei transactione, exempti sint. An autem Regulares per sua privilegia liberentur à debito reali solvendi decimam prædialem ex agro recenter obtento, antea Parochiæ debitam? Res est perplexa. Affirmant Pellizarius *tract.8.c.5. num.169.* & N.Lezan. verbo *decima num.* 11. negantibus aliis. Vide hæc omnia latiùs deducta apud Franc. B. Spei *de relig. disp.*4. per totam.

DVBIVM QVARTVM.

De Voto.

§. I.

Quid Votum, & quanta ad id requiratur libertas?

40. Votum est promissio Deo facta de re bona possibili. Debet promissio esse deliberata, & fieri cum animo se obligandi: undè qui dubitat, an in vovendo habuerit plenam libertatem, vel voluntatem se obligandi, non ligatur voto; sicut nec qui dubitat an voverit. In hoc ultimo conveniunt omnes, non item in alio; nam Cornejo *tom.2. tract. 6. disp. 2. dub. 6.* vult, eum, qui certò vovit & dubitat an voluerit se verè obligare, teneri ad votum, eò quòd votum tunc sit in possessione. Ast nostra sententia est probabilior; nam cùm ipsum votum maneat dubium, ipsâ intentione obligandi dubiâ remanente, adhuc dubitans est in possessione suæ libertatis.

41. Dixi, requiri animum se obligandi; quia quandoquidem actus agentium non transcendant intentionem eorum, tam certò necessaria est expressa intentio circa votum, non tantùm vovendi, sed & per votum se obligandi, ut neutrum sinè altero operetur; undè si quis vult vovere, non tamen se obligare, nihil facit; nam una voluntas elidit alteram. Ita Urbanus ab Ascensione *tr.1. cap.32.* Navarrus, Sanchez, Sylvester, Bonacina, & Franc. B. Spei *de relig. disp.7. num.16.*

42. Hinc malè Pourrè *par.1. verbo votum num.12.* docet, intendentem verè vovere & non se obligare, peccare mortaliter, & teneri ad votum, licèt dicat DD. communiter in hoc secum sentire: nisi fortè velit, per ly *verè vovere,* voventem efficaciùs velle vovere, quàm se non obligare. Interim qui intendit verè vovere & se obligare (quæ in viro prudenti semper sunt conjuncta) tenetur ad votum, quamvis non intendat adimplere quod vovet; pro quo Pourrè meritò DD. communiter citat: quidquid tamen adhuc P. Urbanus dicat, si quis duas illas intentiones simul iungat, se obligandi, nec tamen votum exequendi, signum esse, nec se intendisse obligare, sicque votum præsumendum esse irritum.

43. Insuper vovens ex vi, vel metu ab extrinseco incusso, non tenetur ad votum. Ita omnes communiter. Ratio est, quia vel jus positivum similia vota irritat, vel Deus ea non accep-

acceptat: pro quo vide Tambur. *in decal. p.* 1. *l.* 1. *c.* 2. §. 8. ubi resolutionem nostram extendit probabiliter ad metum levem, sinè quo votum non fieret; item ad metum gravem justè incussum: semper tamen supponens, eum incuti ad finem extorquendi votum; & benè: quia aliàs etiam metus gravis, injustè ab extrinseco incussus ad alium finem, nihil officit validitati voti, cùm tūc à nemine impellatur vovens, sed sponte suâ illud eligat, ut remedium mali imminentis. Sic si dùm latro mihi minatur inferre mortem, ut bursam meam accipiat, ego voveam mediam partem pecuniæ in ea contentæ dare pauperibus, si salvus cum bursa possim manus ejus evadere, teneor votum adimplere si sic salvus evadam. Neque etiam tenetur quis ad votum, cui error substantialis causam dedit, ut si quis voveat dare catenam, quam putat argenteam, & deprehendit esse auream: idem dic si error sit circa conditionem substantialem gravioris momenti; ut si prædictus putaret, suam catenam solùm valere 500. & valeat 1000. quia in his non adest plena libertas nec consensus, cùm hic non possit ferri in incognitum. Ita etiam DD. communiter.

44. Cæterùm juxtà D. Thomam, quidquid ab initio retraheret hominem à vovendo, excusat eum ab adimplendo; ut dum quis vovet jejunium, ita ut si prævidisset talem morbum superventurum, non vovisset, morbo illo adveniente non tenetur ad jejunium: si tamen solùm difficiliùs vovisset, adhuc tenetur: ad cujus clariorem explanationem ponam quæ habet Urbanus ubi suprà. *Si religiosus ordo reformetur magno cum vigore suprà rationabilem satis, & communem observantiam, non tenetur ejusmodi reformationem suscipere qui ante vovit nihil promittendo de tali eventu: si verò tantùm reformetur secundùm id, quod rationabiliter, & ex instituto primario geri debet, additâ etiam aliquâ observantiâ mediocris difficultatis, majorisque perfectionis, maximè conducente ad finem illius, licèt prævisa non fuerint, nihilominus tenentur eam suscipere illi, qui voverunt in ea durante corruptionis, & deordinationis tempore; maximè si reformatio fiat solùm circa votorum solemnium, & Regulæ, vel constitutionum exactam observantiam. Ad quid enim vi votorum Religiosus teneri potest, si non saltèm ad ista? An Deus acceptavit votum Paupertatis in proprietate? Castitatis in lascivia? Obedientiæ in libera sui, suarúmque actionum dispositione? scil. hoc implicat. Vel ergò professio nulla prorsus existet à principio, vel ad talem votorum observantiam, & regularum astringet, qualis necessaria est ad excludendum peccatum, alioqui non foret religiosus ordo, sed Babylonica confusio.* Hæc P. Urbanus.

Petes, quid dicendum de eo, qui vovit ingredi Religionem, & non recipitur?

45. Respondeo, eum esse liberum à voto, si voverit ingredi Religionem determinatam: si verò voverit indeterminatè, tenetur apud plures sollicitare. Ita omnes. Velim tamen hîc notari, Henricum de Gandavo, Ledesmam, & Navarrum apud Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 45. contra communem docere, prædictum voventem satisfacere ingrediendo & postea exeundo; quod ego tamen solùm puto verum, dum habuerit justam causam exeundi.

quid si quis voverit Religionem ingredi & in ea profiteri? Adhuc istum posse egredi, si in novitiatu deprehendat eam sibi propter vitæ asperitatem non esse accommodam, docent plures apud Dianam *par. 2. tract. 3. res.* 10. Ratio est, quia utrumque votum, & ingrediendi, & profitendi, intelligendum est secundùm canones annum novitiatus concedentes, ut si intra hoc tempus Religio minimè placeat, liberum maneat egredi. Vide circa hæc & alia adhuc particulariora. Franc. B. Spei *de relig. disp.* 8. *n.* 8. *& seq.* qui *num.* 22. Hæc habet; *Respondeo, parentis gravem necessitatem, & à fortiori extremam impedire, ne filius Religionem ingrediatur, si in sæculo manens subvenire possit, non verò Religionem ingressus: quia ingressus est consilii, subvenire autem obligationis naturalis. Imò idem dicendum, licèt votum præcesserit necessitatem; quia naturali præcepto contrariari non potest voti executio, ne obligatio sit ad illicitum.* Ita ille.

§. II.

Quotuplex Votum, & quantum obliget.

46. Dico primò, votum multiplex est: primò enim aliud est simplex, aliud solemne: illud consistit in nuda promissione; hoc verò in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis & libertatis, acceptata ab eo, qui vicem Dei tenet, cum quadam solemnitate ac circumstantiis approbatis ab Ecclesia. Ita N. Cornejo *to. 2. in 3. partem tr. 6. disp. 7. dub.* 9. ubi propterea docet, votum solemne dirimere matrimonium subsequens, etiam jure naturali & Divino: quam difficultatem fugiens Lezana *tom.* 4. *verbo Votum num.* 2. breviter dicit, votum solemne esse illud, quod fit in professione Religionis approbatæ, vel sacrorum Ordinum susceptione: simplex verò, quodcumque aliud, sive publicum sive occultum. Ita etiam Navarrus, & alii communiter. Aliter P. Franciscus B. Spei dicit, votum solemne esse, quod, Ecclesiâ sic disponente, perpetuitatem habet, & voventem inhabilem reddit ad actus voto repugnantes: simplex, quodlibet aliud hujusmodi carens inhabilitate. Ita ille *de Relig. disp.* 7. *n.* 8. ubi etiam agit de aliis voti divisionibus. Vide eum etiam *disp.* 8. *n.* 4.

47. Votum iterum aliud est absolutũ, aliud conditionale; illud sinè, hoc sub conditione elicitur. Conditionali annectitur votum pœnale, quo vovetur aliquid in pœnam delicti. Circa quod, nota ex Pourrè, eum, qui votum pœnale emisit, v. g. si adhuc fuero fornicatus dabo tres florenos pauperibus, & spectatis omnibus dubitat, an voluerit se obligare in perpetuum; tantùm pro prima vice manere obligatum: ita etiam censet Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 181. Ratio est; quia ubi de voti obligatione agitur, benignior pars est in dubio amplectenda.

48. Tertiò votũ aliud est reale, aliud per-

personale, aliud mixtum. Reale est, quo res externa pecuniâ æstimabilis, vel pecunia ipsa promittitur: personale, quo promittitur aliqua actio personæ, vel ejus omissio: mixtum verò, quo promittitur res externa simul & actio personæ. Sic promissio facta Deo de offerenda lampade, est votum reale: de proficiscendo Romam, personale: & de proficiscendo Romam & ibidem offerenda lampade, est votum mixtum. De quibus aliqua specialia vide apud N. Franciscum ubi suprà *n.* 31. *& seq.*

49. Insuper votum aliud est expressum, quod claris verbis exprimitur: aliud tacitum sive implicitum, quod censetur elici dum aliquid fit, cui ipsum votum est annexum; quale communiter dicitur esse illud, quod annexum est ordini sacro: quidquid aliqui dicant, sacro ordine initiatum, si non intenderit castitatem vovere, ad hanc solùm obligari vi præcepti Ecclesiæ. Ita Sanchez & Bonacina.

50. Denique votum aliud est perpetuum, aliud temporaneum. Ubi nota, consequenter ad statim dicta, votum censeri temporaneum, dum omnibus pensatis dubitatur quomodo vovens se intenderit obligare: hinc juxtà Portel, & Vidal apud Dianam *par.* 10. *tract.* 15. *resol.* 47. (ex quo eosdem citat & sequitur Burghaber *Centur.* 1. *casu* 59. errans tamen citando tr. 16. Dianæ pro 15.) quando quis vovit virginitatem, & dubitat, an intenderit perpetuam castitatem, an solùm continentiam à primo actu venereo, tantùm obligatur ad hoc secundum, vi sui voti: quia, in dubio voti eligendum est, quod est minus, ac verba sumenda sunt in propria significatione; propriè verò significatur virgo, illa, quæ in primo coitu integritatem carnis non amisit. Ita Vidal. Verùm in casu posito, sub nomine virginitatis censendum omninò existimo, castitatem esse promissam; quod & docet Diana: quia qui virginitatem simpliciter vovet, etiam promittit, se nullam delectationem admissurũ, quâ integritatẽ sui corporis & animæ amittere possit: quòd igitur illam amiserit per primum peccatum, obligationem non minuit. Ita Diana. Addo tamen cum eodem, secùs fore dicendum, si vovens expresè intenderet, se solùm obligare ad vitandum primum actum venereum, & alios ex consequenti: sed in casu dubii non est hæc intentio præsumenda.

51. Dico secundò, votum liberè emissum in materia gravi obligat graviter. Patet ex *Deuteron.* 23. *Prov.* 12. & aliis Scripturæ locis. Non video tamen, cur tam indubitanter asseveret Sa, non posse voventem se sub sola culpa veniali obligare ad rem gravem, si voluerit: quia (ut benè Franciscus B. Spei probat *de Relig. suprà num.* 11.) voti obligatio voventis intentioni commensurari debet. In materia interim levi non obligat votum nisi leviter: ex quo varii inferunt, eum, qui per totum annum omitteret *Pater* & *Ave*, ad quæ quotidie vi voti obligatur, non peccare mortaliter: quorum sententiam Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 24. dicit esse probabilem. Ratio est, quòd omnes illæ parvæ materiæ non coalescant in unam, nec consequenter conficiant materiam gravem. Ita etiam sentit Bassæus, si prædictus ita se in-

intenderit obligare in singulos dies, ut obligatio sit affixa diei, & unà cum die exspiret: quod prudenter addit. Cæterùm tanta est voti obligatio, quantam, tum materiæ quantitas permittit, tum intentio voventis designat, quâ se vel leviter, vel graviter, vel absolutè, vel sub conditione temporis, vel qualitatis restrictione, &c. obligare vult: & ita quidem, ut etsi obligatio voti sit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat à voluntate, & facto hominis tanquam prævia conditione, ut tantum vel tantum obliget. Ita Layman, Busenbaum, & alii communiter. Vide N. Franciscum *num.* 25. cum quo dico; si tempus executioni voti determinatum non sit, quamprimum commodè, secundùm prudentis judicium, impleri potest, obligat, juxtà *Deuteron.* 23. & *Eccl.* 5.

§. III.

De materia Voti.

52. Voti materiam necessariò debere esse bonam, constat ex ipsa voti definitione. Quare votum de re mala, vel etiam de minùs bona quam sit oppositum, non obligat. Imò votum de re mala peccatum continet; mortale si materia sit mala mortaliter, veniale si venialiter tantùm. Ita N. P. Urbanus, & alii communiter contra Cajetanum, & Becanum, qui volunt, vovere opus etiam solùm venialiter malum, esse peccatum mortale. Probatur nostra resolutio, quia materiæ parvitas tunc videtur à mortali excusare, ac ipsa talis voti adimpletio solùm est venialis; ergo & votum ipsum solùm est veniale: excipe tamen nisi id fiat ex contemptu, aut irrisione Dei.

53. Esse etiam peccatum veniale, vovere rem indifferentem, ut v. g. non comedere capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ, tradit idem P. Urbanus, eò quòd id videatur aliquam irreverentiam continere: verùm in hoc puto simplices esse excusandos, quia id bonâ fide faciunt.

54. Insuper voti materia debet esse possibilis; ad impossibilem enim nemo potest obligari: quare votum de non committendo ullo peccato, etiam veniali, non obligat, quia superat vires, non solùm naturæ, sed & auxilii ordinarii gratiæ Divinæ. Ita omnes. Quòd si verò materia voti fuerit partim possibilis, partim impossibilis, & sit divisibilis, obligabit quoad partem possibilem; secùs si materia fuerit indivisibilis. Idem Urbanus; addens, materiam voti debere esse certam & determinatam, per intentionem scil. voventis; quam si non determinaverit omninò, adhuc tamen obligatur ad circumstantias, sinè quibus res promissa non esset voto accommoda; sic qui vovit communicare, tenetur & confiteri si sit in malo statu. Si verò neq; circumstantiæ sint determina-

mina-

minatæ, observandæ sunt arbitrio boniviri, & in dubio restringendæ; quia votum onerosum est: sic qui vovit dare mensuram tritici, satisfacit dando mediocrem; qui vovit calicem, debet argenteum, non aureum, aut stanneum, nisi specificaverit; quia voti executio debet cedere in Dei honorem, saltèm secundùm mediocritatem. Hæc omnia P. Urbanus: quæ benè observanda sunt, quia non solùm procedunt in materia voti, sed & in testamentis, legatis, &c.

55. Petes primò, quid faciendum ei, qui dubitat, an voti jam facti materia sit bona vel mala? Eum voto ligari, docent Suarez, Filliucius, & Faustus, negantibus Soto, Castro Palao, Sanchez, & Bonacina: utrumque verò probabile reputat Diana *part. 4. tract. 3. resol. 13.* qui cum Caramuele *Theol. mor. l. 3. cap. 1. disp. 1. resol. 3. corol. 12.* vult, voventi fas esse eligere, si utrimque sint sententiæ probabiles de bonitate & de malitia materiæ; eò quòd nimirum vovens adhuc censeatur esse in potestate suæ libertatis.

56. Petes secundò, an teneat votum castitatis, vel non nubendi factum à proclivi in Venerem? Satis probabile esse quòd non, docet Homobonus *in consult. mor. volum. 1. resp. 28.* & alii quinque, quos citat & sequitur Burghaber *centur. 1. casu 66.* quia dictum votum ob incontinentiam, & in peccatum carnis lapsum, non est ipsi salubre, sed potiùs matrimonium: idem etiam docet Pourrè *part. 1.* verbo *Votum, num. 16.* quidquid dicat, securiùs esse si petatur dispensatio. Verùm hoc ultimum absolutè necessarium esse judicat Diana *part. 4. tract. 4. resol. 102.* qui post Suarez, Azorium, Lessium, & alios vult, similem, si votum ipsius sit alternativum, vel castitatis servandæ, vel non nubendi, posse dispensationem obtinere ab Episcopo.

Petes tertiò, an conjugatus validè voveat castitatem?

57. Affirmativè communiter omnes respondent; ideoque talem obligant ad non petendum debitum, licèt illud teneatur reddere, si dictum votum emiserit absque consensu alterius conjugis: quòd si verò uterque conjux mutuo consensu castitatem voverit, neuter potest debitum petere, quia hoc esset directè contra votum: neque etiam potest illud reddere, quia hoc esset cooperari peccato alterius, & ipsummet etiam peccare. Hæc, inquam, DD. communiter. Ast libenter viderem satisfieri iis, quæ habet Caramuel *Theol. fund. fundam. 51. fol. 484. num. 6.* ubi ait: *Communis DD. opinio pronuntiat, neminem conjugatum posse Deo vovere se non redditurum debitum, benè tamen se non petiturum. Circa primum nullam ego difficultatem habeo: & nihilominùs habeo maximam circa secundum: primò, quia durissimum esset honestæ & nobili uxori semper debitum petere; nam ducta verecundiâ hæreret, & mallet fortè periculo incontinentiæ se exponere, quàm lasciva à suo marito judicari. Ergo saltèm in tali casu teneretur maritus petere, nam consideratis omnibus circumstantiis, petitio illa redditio est. Secundò quia eò evehunt periculum incontinentiæ Scriptores juniores, ut materiam parvam negent in sexto præcepto Decalogi; & putent neminem posse vel digitum fœminæ manu lascivâ premere, quin delinquat*

mortaliter. Ergo si tantum reperiunt periculum in digiti contactu; quâ doctrina consequentiâ admittere possunt, eum, qui fœmina nuda nudus in lecto condormit, carere commixtionis periculo? Porrò si periculum vitari non posit, quomodo potest conjux castitatem vovere? An non hoc ipsum votum esset laqueus, qui ipsum suffocaret ac perderet? An qui vovisset castitatem, lecto separato jacere, aut etiam in domo separata habitare, deberet? Loquamur clarè: aut ipse est in proximo debitum petendi periculo, aut cælebs in iisdem occasionibus non est in periculo proximo petendi indebitum. Porrò licere cælibi fœmina nuda condormire, videtur ex dictis sequi clarè, & tamen improbabile est. Videant igitur Theologi, an certum sit posse conjugatum invito altero conjuge castitatem partialem vovere, hoc est, ad non petendum se obligare? Videant etiam, an certum sit, communi illos consilio castitatem vovere posse, & tamen in eodem lecto condormire, aut etiam in eodem cubiculo aut domo remanere? An non faciliùs convenire poßint, qui consummato matrimonio sinè verecundiâ se tangunt, quàm illi, quos pudor separat, & timor amovet? Physica in utrisque sunt eadem, & scire vellem, cur non debeamus de utrisque pariformiter philosophari. Hæc omnia Caramuel *loc. cit.* quæ (prout alia plurima) adfert, ut à doctioribus resolvantur. Ast

58. Ego eos, qui prædicta resoluturi sunt, obnixè rogo, ut mihi aliam non absimilem perplexitatem tollant; quid nimirùm sit Confessario agendum cum eo, qui emisso simplici voto castitatis, matrimonium contraxit? hic enim juxta omnes tenetur debitum reddere, petere non potest: & idem est de eo, qui affinitatem contraxit cum conjuge: quid igitur his permittendum, quídve inhibendum erit dispensatione non obtentâ? an fortè hi conjugi condormire poterunt? Sanè hæc me non parùm anxium redderent in casus satis frequentis contingentia, nisi juxta plures probatissimos Authores nos Carmelitæ circa petitionem debiti dispensare valeremus. Pro quo privilegio vide Dianam *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 16. ubi P. Mendo hæc habet: *Falsò autem asserit Leander, non posse commutationem prædictam fieri per privilegia Religionum: etenim per ea privilegia potest dispensari cum his, qui post emissum votum,* &c. Patri Mendo subscribit Diana, citans de novo Martinum de San Joseph, præter eos, quos alibi adduxit. Vide etiam, pro adductis à Caramuele, Francisc. B. Spei *de Relig. disp.* 7. *num.* 55. ubi ponit sequentia: *Si conjuges mutuo consensu castitatem voverint; an votum suum sibi irritando, ad pristinum statum redire poßint? Respondeo posse: haud secùs, quàm subditi de consensu Superioris voventes: attamen causam subesse debere. Secùs tamen, si alteruter de alterius consensu voverit debitum non petere; hoc enim votum non minuit alterius libertatem debiti petendi; sed potiùs auget, ut inverecundè petat, sciens maritum v. g. ne petat, voto impeditum. Dixi*, de alterius consensu; *quia lecti separatio, ne alioqui continuum subsit violandi periculum, fieri debet, quæ à mutuo consensu pendet: neque ob idem periculum, junioribus uxoratis tale votum facilè consuli debet.* Ita ille; ex quibus desumi potest responsio ad ea, in quibus

bus

bus Caramuel tantam difficultatem habebat.

59. Ut autem directam habeas responsionem ad quæst. *An conjugatus possit vovere, se non petiturum debitum, & postea concumbere in eodem lecto?* Pono hîc verba ejusdem P. Francisci, quibus à me consultus per epistolam, sic ait: *Respondeo, tale votum valere dumtaxat pro ea parte, quâ vovens potest licitè vitare occasiones proximas illud infringendi; quia qui vovet unum, virtualiter vovet & alterum: si verò, dissentiente marito & reluctante, licitè non possit (prout licitè non potest, ei non concumbere) votum pro hac parte est nullum, uti esset votum de non concumbendo marito absolutè volenti: ac proinde non extenditur ad non petendum debitum, pro eo tempore, quo in necessario concubitu à debito petendo sine alio peccato abstinere non posset. Puto, quidquid Caramuel, istam resolutionem esse veram & bonam.* Ita Franciscus, & ego: per quæ etiam tollitur perplexitas in duobus casibus à me allatis.

Petes quartò, an votum ineundi matrimonium sit validum?

60. Respondeo negativè, simpliciter loquendo: quia est de re, quæ repugnat consilio. Interea potest in certis circumstantiis reddi validum: primò, dum id est necesse ad commune bonum, vel pacem regni. Secundò, dum quis cognovit sponsam suam, quam sine gravi infamatione non potest deserere. Ita omnes communiter. An autem valeat factum à proclivi in venerem, ad vitandam fornicationē? Non conveniunt DD. negant Layman, & alii apud Busenbaum: affirmant Cajetanus, Navarrus, Bassæus, Busenbaum, & alii communiùs; quorum sententiam sustinendam judico, quando quis ita esset fragilis, & ex inveterata consuetudine peccandi adeò pronus ad lapsum, ut prudenter judicetur, ipsi esse necessarium nubere: de tali enim intelligo dictum Apostoli: *Meliùs est nubere quàm uri.* Dixi, *quando quis ita esset fragilis*, &c. quia si posset aliis remediis tentationes superare, non teneretur ad dictum votum, si ista alia remedia adhibere vellet.

Petes quintò, an materia voti necessariò debeat esse bonum melius?

61. Respondeo, non debere esse bonum melius respectivè ad alia bona, sed sufficere, si sit voventi melius bonum, quàm ejus oppositum; sic v. g. ut votum non nubendi sit validum, non requiritur, ut non nubere sit meliùs, quàm intrare Religionem, sed sufficit, quòd non nubere sit meliùs, quàm nubere.

§. IV.

De irritatione Votorum.

62. Præterquam quòd voti obligatio sæpè cesset mutatione materiæ, dum videl. fit mala, indifferens, impeditiva majoris boni, impossibilis physicè vel moraliter; etiam obligatio voti tolli potest authoritate humana; id-

 que

que tripliciter, irritatione, commutatione, & dispensatione; quamvis igitur obligatio ex voto contracta sit juris naturalis, & Divini, competit tamen Papæ triplex dicta potestas in omnes Christianos, dispensandi scil. commutandi, & irritandi eorum vota, idque jure Divino, nam relaxat Papa nomine Dei: & aliàs, ut observat Urbanus, non esset sufficienter consultum humanæ imbecillitati ac necessitati; quantùm enim sunt homines faciles in contrahendis obligationibus per suam voluntatem, & sæpè imprudentes, tantùm debet esse solutio ipsorum pervia, ut conscientiæ remedium afferri queat. Hoc posito,

63. Dico, irritatio voti est ejusdem annullatio, ita ut per illam votum, ac voti obligatio sic evanescat, ac si nunquam fuisset. Potestatem autem irritandi alterius vota habet is, qui in ipsius voluntatem habet legitimam potestatem dominativam: ea namque est natura dominii, ut plenum jus concedat de re sua disponendi ad quoslibet usus sinè injuriâ alterius: quare potest velle & declarare, quòd vota personæ sibi ita subjectæ sint nulla, ita ut nulla prorsùs casu obligatio postea reviviscat; quamvis tamen juxta plures DD. peccet, si ea absque causa ita annullet. Hæc ferè verbotenùs Urbanus, Busenbaum, & alii communiter. Hinc

64. Primò Pater, & hoc deficiente tutor, irritare potest vota prolis impuberis, id est, maris ante decimum-quartum, & fœminæ ante duodecimum annum emissa, etiam Religionis ingrediendæ; nam quoad statum perpetuum eligendum non judicatur satis prudens. Item parentes irritare possunt vota personalia filiorum usque ad annum vigesimum-quintum (quo tempore solet contingere emancipatio à patria potestate) si bono familiæ sint nociva, ut jejunandi, dum laborandum foret, peregrinandi, &c. nec non etiam vota realia, nisi fiant de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. Ita Urbanus, Franciscus B. Spei, & Busenbaum; qui ultimus tribuit eandem potestatem avo paterno in patris defectu: & matri, non tantùm si nutrix sit, prout videntur velle Urbanus, & Bassæus, sed simpliciter in priorum defectu. Eandem potestatem Suarez, & Lessius extendunt ad Magistratum, vel herum, reliquis deficientibus; eamque etiam aviæ mortuo patre, & deficiente tutore tribuit Bassæus *summar. 5. num.* 13. ubi dicit, rationem, cur ab his omnibus vota impuberum revocari possint, pendere à dispositione juris, quæ voluit eorum votis hanc tacitam conditionem inesse, *nisi pater, tutor, &c. contradixerint.* His adde, vota facta à filiis tempore subjectionis, adhuc irritari posse post illud, sive dum filius jam est pubes: quod verum est, quamvis in pubertate ea ratificasset, putans ex errore, ea esse firma: secùs tamen, si novisset esse infirma, & independenter à prioribus ratificasset: tunc enim censeretur ea quasi de novo elicere.

65. Secundò maritum posse omnia vota uxoris irritare eo prorsùs modo, quo pater potest irritare vota filii, idque, quamdiu est illi subjecta; non verò, si separata sit per divortium: uxorem

uxorem autem solùm posse vota mariti irritare, quæ nocent juri matrimonii, prout illa debitum à marito potest exigere, ut longiùs peregrinandi, diutiùs jejunandi, castitatem servandi &c. docent Urbanus, Sanchez, Diana, & alii plures apud ipsum *part.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 220. quidquid Layman, Filliucius, Lessius, & Sylvius cum Franc. Bonæ Spei *de Relig. disputat.* 7. *num.* 53. satis rationabiliter hanc mariti potestatem limitent ad ea vota tantùm, quæ juri mariti præjudicant. Interim hæc à viro irritari posse quamvis uxor cum ipsius licentia ea elicuerit, docet Bassæus; quia vir, inquit, dans uxori veniam vovendi, non amittit potestatem in uxorem. Quapropter omnes supradicti adhuc possunt vota irritare quamvis ea ratificarint, eò quòd per hoc non privaverint se suâ potestate dominativâ: licèt tamen juxta plures mortaliter delinquant, si tunc sinè causa id fecerint, à quo eos adhuc excusant Layman, & alii; quos probabiliùs loqui, dicit Busenbaum. Insuper, quia votum non petendi debitum videtur conjugi præjudicium afferre posse, potest tam uxor simile votum mariti, quàm maritus uxoris irritare. Bassæus tamen *num.* 70. citans Lessium, Bonacinam, & Sanchez docet, votum continentiæ communi consensu emissum, sicut & votum, quo uterque ex pacto vovet ingressum Religionis; non posse, saltem licitè, ab ullo conjugum irritari, cùm uterque tunc cedat suo juri quoad omnem actum conjugalem. Si tamen uxor iterum det marito facultatem in corpus, Sanchez docet non esse improbabile, virum posse validè etiam ista vota irritare; quia per hoc vir restituitur in pristino matrimonii statu, cùm uxor ei remittat obligationem non revocandi vota uxoris; & consequenter uxor obtentâ hâc irritatione poterit licitè petere debitum. Ita Bassæus. Diana verò *loco citato* sic ait, etiam poterit maritus irritare votum, quod facit uxor de opere faciendo tempore soluti matrimonii si maritus moriatur; & ideò potest irritare votum uxoris de ingredienda Religione post mortem mariti. Item potest irritare vota uxoris emissa ante matrimonium; quæ omnia etiam militant in marito secundi matrimonii, qui potest irritare vota, quæ fecit uxor tempore primi matrimonii; & hæc omnia Sanchez. Ita Diana.

66. Tertiò omnia vota Religiosorum (excepto voto de transeundo ad Ordinem strictiorem) possunt Superiores irritare, quales sunt Abbas, Prior, &c. & juxta Suarez ac alios, etiam probabiliter Abbatissa: atque hoc verum est, quamvis vota fuerint confirmata à prædecessore æquali aut inferiori, non tamen à superiori. Vide circa hæc N. Franciscum *disp.* 7. [illegible] *numero* 61.

§. V.

De Votorum commutatione.

67. VOti commutatio juxta *cap. pervenit 2. de jurejur.* est substitutio operis honesti loco alterius per votum promissi, eodem vinculo manente. Potest tripliciter fieri, videl. in opus melius, æquale, & minùs bonum.

68. Dico primò, quodlibet votum etiam ab ipso vovente in apertè melius commutari potest, nisi id ab Ecclesia specialiter sit inhibitum; prout est inhibitum in voto Religionis strictioris, & in voto terræ sanctæ in subsidium. Probatur conclusio, quia ut jus expresè habet, *Non frangit promissum qui in melius illud commutat.* Deinde qui dat melius, excellenter solvit quod promiserat: quare ad hoc nulla requiritur causa, quia votum nunquam obligavit ad omittendum bonum majus. Dicitur autem hîc melius, quod omnibus inspectis Deo magis placet. Ex hoc deducit Burghaber *Centur.2.casu* 35. eum, qui vovisset uni Ecclesiæ dare calicem argenteum, quam postea audit prædivitem esse, posse illum dare alteri Ecclesiæ, quæ in tanta est paupertate, ut non nisi unicum calicem stanneum habeat, idque licèt Rector primæ Ecclesiæ votum & promissionem acceptasset. Verùm difficultas est, an ipse vovens etiam possit suum votum commutare in æquale? Affirmat Diana *p.3. tract. 5. res. 25.* addens id licitè fieri etiam sine justa causa, pro se citans Villalobos, præter Bonacinam, & Fernandez, quos citaverat *p. 2. tr. 2. resol. 7.* atque id in praxi tutum esse existimat P. Urbanus: ratio est, quia nulla fit Deo injuria, cùm ei reddatur res æquè grata: quidquid Bassæus moneat, tutius esse votum non commutare in id, quod putatur æquale, nisi authoritate Superioris, aut prudentis Confessarii: si verò vovens non possit vel non velit Superiorem aut Confessarium adire, securiùs commutabit in meliùs, ut loquitur Portel.

69. Dico secundò, omnia vota authoritate propriâ in vota Religionis commutari possunt: ac eo ipso, quo quis tria vota profitetur, omnia alia vota obligare desinunt. Ita communiter DD. Insuper

70. Dico tertiò, ordinariam potestatem commutandi vota habent Papa, Episcopi, & alii habentes potestatem ordinariam dispensandi: an verò & qualem habeant Regulares ex delegatione; constabit ex §. *seq.* Probatur, quia qui habet potestatem dispensandi, habet & commutandi; quamvis è contra non semper habeat potestatem dispensandi, qui habet commutandi. Ita Lezana verbo *Votum n.9.*

71. Dico quartò, qui votum commutat per privilegium, potest mutare in minus secundùm Dianam *p.3. tract. 5. resol. 25.* quod & probabile judicant Medina, Lessius, Bassæus, & alii: quia, ut

ut constat ex dictis, juxta plures Authores, potest propriâ authoritate votum mutari in æquale; ergo ne privilegium sit inutile, debet privilegiatus id posse commutare in minus: & quidquid Azorius, Sanchez, Suarez, & alii id negent, non debet Confessarius angi scrupulis, quia nec hi exigunt æqualitatem mathematicam; sed teste Dianâ, etiam juxta ipsos, sufficit æqualitas ad arbitrium boni viri seclusâ fraude, & gravi ignorantiâ. Imò juxta communem teste Palao *tractat. 15. de votis D.2.p.16. num.4.* melioritas, vel æqualitas materiæ commutandæ non debet spectari physicè, sed moraliter: & juxta Berteau *in Direct. Confess. de 2. præcept Decal. pun.* 4. non requiritur exacta determinatio pro materia commutationis; licèt enim, inquit, illa sit minor, quàm fuerit materia prior, si tamen sit Deo gratior, quia scil. promptius & devotius perficitur, pluris etiam æstimanda est. Ex his deducit Burghaber *Centur.* 3. *casu* 67. rectè egisse Confessarium, qui votum mulieris maritatæ de recitando in honorem D. V. quotidie officium majus, & 150. Ave Maria, ac 15. Pater noster, ipsâ instante mutavit in quotidianam auditionem Sacri, recitationem unius Rosarii, & menstruam Communionem, licèt hæc omnia ante editum votum spontè facere solebat.

Petes primò quæ sit justa causa mutandi vota?

72. Sanchez, Diana, & alii respondent satis esse probabile, solam voventis petitionem esse causam sufficientem; & nullam requiri causam, ut mutatio fiat in melius, vel etiam in æquale; quidquid hoc ultimum DD. communiter negent. Interim omninò verum est, causam sufficientem, ut votum mutetur in æquale, esse, quòd suaviùs hilariùsve vovens adimplebit materiam voti subrogati. Item existimo contra La Torre omninò probabile esse, Confessarium commutantem votum in æquale sinè justa causa, solum venialiter peccare ob levitatem materiæ & parvitatem detrimenti, quod per hoc infertur cultui Divino. Ita Suarez *de Relig. tom.2. lib.6. cap.20. num.7.* subdens, in commutatione votorum moraliter nunquam deesse causam, eò quòd in rigore causam levissimam requiri sustineat. Adde causam justam ad mutandum votum in minus, juxta Bassæum, esse difficultatem in voto persolvendo, utilitatem voventis, repugnantiam parentum aut amici: quibus omnibus inspectis asserit Diana, se nescire, quomodo possint adhuc Confessarii scrupulis vexari circa justitiam causæ in commutatione votorum.

Petes secundò, an votô commutatô, possit vovens redire ad priorem voti materiam?

73. Negant Suarez, Filliucius, Reginaldus, & La Torre, si commutatio sit facta in melius; quia illa commutatio habet vim novi voti. Attamen Sanchez, Malderus, Bonacina, Diana *p.2.tr.2.resol.6.* & alii generaliter affirmant: ac Bassæus docet, dum mutatio est sæpiùs facta: licitum esse redire ad quodvis eorum; quia commutatio fit in

in voventis ſavorem, qui favori proprio ad libitum cedere poteſt; nam ut obſervat Malderus *ex cap. ſtatuimus de Regular. Poteſt quiſque ei renuntiare, quod pro ſe noſcitur introductum.* Addo tamen, ſi voti commutati materia fiat mala, indifferens &c. voventem reddi liberum ab omni obligatione, nec teneri eum redire ad materiam priorem; quia obligatio prioris in commutatione eſt extincta. Circa poteſtatem Confeſſariorum regularium hac in parte, vide Lezanam *tom.1.cap.* 19. *num.* 23. & verbo *Votum num.*21.

§. VI.

De diſpenſatione in votis.

74. Diſpenſatio, eſt rigoris juris, per eum, ad quem ſpectat, miſericors, & canonicè facta relaxatio. Ita Lezana verbo *Diſpenſatio num.* 2. ex Hoſtienſi, & Sylveſtro. Diſpenſatio autem in voto, eſt vinculi relaxatio, & debiti, vovendo erga Deum contracti, condonatio facta nomine Dei. Ita Cajetanus, & alii communiter. Eſſe verò in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi in votis, probatur ex Scriptura *Matth.16.* ubi capiti Eccleſiæ dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum*, &c. & *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis:* quod ferè repetitur *cap.*18. Adverte tamen, requiri juſtam cauſam, non ſolùm ut diſpenſatio licitè, ſed etiam, ut validè fiat in votis; idque tam à Papa, quàm ab aliis. Ita Baſſæus, Wiggers, Lezana, & alii communiter: quidquid aliqui id non extendant ad Papam, eò quòd velint in omni voto hanc ineſſe conditionem: *Niſi Papa aliter diſpoſuerit.* Verùm hoc omninò gratìs aſſeri exiſtimo: quia non video quo fundamento dicantur fidelium voluntates ita à voluntate Papæ in omni materia dependere. Probatur igitur noſtra & communis ſententia; quia inferior non poteſt validè diſpenſare in lege Superioris ſinè cauſa; ergo nec Papa, qui eſt inferior Dei, poteſt validè ſinè cauſa diſpenſare in votis: nam longè plus eſt jura ſuo Superiori ac domino debita remittere, eorumq; obligationem relaxare, quàm aliquem eximere ab obligatione ſervandæ legis ſui Superioris ac domini: in hoc enim non ſentit dominus præjudicium ſicut in alio. Quoad cauſam autem juſtam hîc vix poſſe certam regulam ſtatui tradit Wiggers, adeoque hoc relinquit judicio prudentum: ſubjicit tamen ſex principia, quæ in tali judicio formando attendi debent, quæque apud ipſum *tract.8.de Relig.dub.23.num.* 136. videri poterunt: nobis ſufficiet notaſſe ex Lezana, & Baſſæo, generatim cauſas juſtas eſſe, utilitatem Eccleſiæ, honorem Dei, bonum commune Reip. utilitatem voventis, ac magnam ejuſdem fragilitatem, per quam timetur ſæpiùs violaturus votum. Deinde faciliòrem impetrationem reddunt levitas materiæ, inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia imperfectio actus

ctus vovendi: quæ etiam justam dispensandi causam constituent, si adsit vel leve periculum violandi. Ac denique, dum causa non est sufficiens ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari poterit. Imò Bassæus *summar.7.n.*8. dicit, raro utendum esse pura dispensatione; quia raro subest justa causa, inquit, ut sinè ullo onere condonetur: pro quibus vide Franc. B. Spei *de Relig. disp.* 7. *num.* 63.

75. An verò Papa possit dispensare in votis solemnibus? Negat D. Thomas, sed communis sententia opposita ut minùs est probabilis, illamque ut tutam, & sibi certam defendit Mendo *in Statera benign. opinionum dissert.*12. *quæst.*3. *num.*37. qui & *num.* 38. ostendit D. Thomam eandem ut probabiliorem admisisse *in* 4. *Dist.* 38. *quæst.* 1. *ad* 3. quidquid postea sententiam mutaverit *in* 2.2. *quæst.* 88. *art.* 11. *in corpore.* Hinc summus Pontifex à fortiori potest dispensare in quinque votis Papæ reservatis; pro quo consule Bachonem *in* 4. *dist.* 3. Michaelem à Bononia *ibid. dist.* 42. & Lezanam verbo *Votum n.* 11. sed

Petes, quid possint Episcopi circa dispensationem in votis; & quænam sint illa reservata Papæ?

76. Respondeo ad primum cum Bassæo *num.* 14. post alios, Episcopum dispensare posse, primò in voto Religionis non approbatæ, ac in votis paupertatis, & obedientiæ perpetuæ in tali Religione factis. Ita etiam Lezana verbo *Votum num.* 14. Secundò in voto castitatis non perpetuæ; in voto non fornicandi, non petendi debitum, non nubendi, vel sacros ordines suscipiendi; hæc enim non sunt vota Religionis aut castitatis perfectæ; quamvis votum castitatis susceptioni ordinum sit annexum. Idem Lezana cum communi, quod & docet de voto castitatis emisso ab uno conjugum etiam cum licentia alterius conjugis. Potest item Episcopus dispensare in voto virginitatis, si vovens nil aliud intenderit quàm præcisè se obligare ad servandam integritatem carnis: quia neque hoc est votum integræ castitatis. Tertiò etiam potest Episcopus, juxta omnes communiter dispensare in quibusdam qualitatibus substantiæ voti reservati adjunctis; sic voventi ingressum Religionis strictioris potest concedere ingressum laxioris: imò, juxta Bassæum, Reginaldum, & Azorium, potest dispensare, ut professus in arctiori transeat ad laxiorem. Sic etiam potest relaxare votum de eundo Romam *pedibus nudis, mendicando* &c. Ita Lezana verbo *Votum n.*16. *&* 17. denique potest Episcopus dispensare in voto nunquam petendi dispensationem; quia nec hoc est reservatum.

77. Ad secundum dico, quinque vota Papæ reservata esse, votum castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ ingrediendæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, Compostellam, & in terram sanctam. Circa quæ tamen

78. Nota primò, Episcopum in tertio & quarto posse dispensare, quando animus expressus voventis non est ad invisenda talia loca, sed ad alium finem licèt pium: ut si quis vovet ire Romam ad osculandos pedes Papæ, ad visitandam imaginem B. Mariæ. Ita

Lezana *ibid. n.* 16. ubi contra Sanchez, negat id extendi ad quintum; quia in eo reservando aliter loquitur Pontifex: hoc enim vocat votum *peregrinationis* in terram sanctam, alia verò duo *visitationis*. Neque etiam probabile existimat, quod quidam docent, nimirum tria dicta vota non esse reservata, nisi quando fiunt causâ subsidii, non verò devotionis; quia praxis habet contrarium.

79. Nota secundò, quoad omnia quinque posse Episcopum in quibusdam casibus valde extraordinariis ob gravem necessitatem quasi per accidens dispensare: tales casus plures adfert Bassæus *summar.* 7. *n.* 15. *& seq.* idque ex speciali jure antiquo, & ex concessione Concilii Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Addit Pourré *p.* 1. verbo *Votum n.* 8. Episcopum dispensare posse in voto continentiæ dum urget periculum: hoc tamen periculum, juxta Lezanam, debet esse magnum, & aditus difficilis ad Papam prę paupertate vel aliunde: & tunc adhuc dispensatio concessa ab Episcopo solùm valet quatenus periculum postulat, & ipso durante: ac sic extendi poterit ad votum Religionis, & peregrinationem ad terram sanctam &c. Atque idem dicendum ait, si adsit periculum alicujus magni scandali. Hinc juxta Pourré, & alios, potest Episcopus etiam dispensare in impedimento occulto matrimonii contracti, quando non potest haberi recursus ad Papam, & scandalum magnum oriretur si hoc ab aliquibus nosceretur. Ita ille, subdens in aliis similibus casibus interveniente impotentiâ morali, ratione cujus faciliter ad Papam non potest haberi recursus, Episcopos dispensare posse, in quo pro se citat Mirandam, Sanchez, & Peyrinis. Vide etiam Dianam *p.* 11. *tr.* 8. *resol.* 5. ubi & alios quàm plurimos adducit, ponens verba Cajetani asserentis, in levibus, in periculosis, & in frequentibus causis posse Episcopum dispensare, etsi aliàs ejusmodi causæ sint Pontifici reservatæ.

80. Cæterùm addo cum Suarez, Filliucio, & Lezana *n.* 12. *&* 13. Episcopum posse in dictis votis generaliter dispensare, primò dum dubitatur de valore, vel de reservatione; quia cùm reservatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos. Secundò dum sunt emissa ex metu injustè incusso. Tertiò (quem casum valde generalem vocat Lezana) quando materia horum votorùm deficit à natura materiæ reservatæ, ut quando non tota materia promissa est reservata, v. g. dùm quis facit votum disjunctivum castitatis, aut jejunii, vel si animus voventis solùm fuerit se obligandi sub veniali; tunc enim simile votum non est perfectum, nec consequenter reservatum: vel etiam si dicta vota solùm sint conditionalia, aut pœnalia: item quando illa vota non sunt principalia sed accessoria, ut dictum est de voto suscipiendi sacros ordines. Pro horum probatione vide Lezanam *loc. cit.* & specialiter pro iis, quæ tangunt dispensationem Episcopi in voto castitatis, consule Cornejo *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 7. *dub.* 42. ubi expresse docet, posse in voto castitatis temporali, in voto servandæ virginitatis si &c. ut suprà, in voto non nubendi, aut suscipiendi ordinem sacrum,

sacrum, in voto disjunctivo non nubendi vel servandæ perpetuæ castitatis, in voto castitatis pœnali, in voto castitatis purè conditionali, etiam conditione impletâ: ac tandem subdit posse Episcopum dispensare in voto perpetuæ castitatis, aut Religionis absoluto, quando non est facilis aditus ad Pontificem, paupertate voventis, aut aliâ causâ; vel si est facilis, tamen in mora imminet grave periculum, sive incontinentiæ, sive scandali, sive nocumenti tertiæ personæ; quia præsumendum est in his casibus noluisse Pontificem cum tanto animarum detrimento dispensationem sibi reservare. Ita Cornejo. Adverte interea Episcopum non posse absque urgentissima causa dispensare in voto quocumque facto in alterius utilitatem si ab hoc fuerit acceptatum; quia hic acquisivit jus ad rem devotam; Episcopus autem, vel alius Superior non potest absque urgentissima causa aliquem privare jure sibi acquisito. Ita idem Cornejo *loc. citat.* Vide circa hæc etiam Franciscum. B. Spei *de Religion. disp.* 7. *num.* 66. *& seq.* ubi ea latè pertractat.

Quæres hîc fortè, quam potestatem obtineant Confessarii Carmelitæ, & reliqui Mendicantes circa votorum dispensationem?

81. Respondeo eos habere eandem potestatem, quàm ordinariè habent Episcopi: unde possunt dispensare in votis jure ordinario Episcopis reservatis, excepto tamen voto peregrinationis ultra duas dietas, id est ultra viginti leucas, aut etiam triginta; quia plus quàm decem leucæ videntur posse confici uno die: quamvis tamen non satis rationabiliter Molfesius id extendat ad sexaginta leucas, nisi per leucas intelligat milliaria Italica, ut interpretatur Francisc. N. *loc. cit. n.* 82. Interim resolutio nostra constat ex Privilegio Innocentii VIII. confirmato à Julio II. Verùm difficultas magna est, an quando juxta statim dicta Episcopi per accidens dispensare possunt in votis reservatis Papæ, tunc id etiam mendicantes præstare possint? Pourré *p.* 1. verbo *Votum n.* 8. affirmativè respondet, cujus ratio est, quòd Episcopi tunc dispensent jure ordinario, ut probat *ibid.* verbo *Absolution.* 33. dicens, illam potestatem ordinariam, quę erat Episcopis sublata per reservationem, restitui stante justo impedimento recurrendi ad Papam, prout ait, docere Avilam, Henriquez, & Hurtadum; posse autem Mendicantes dispensare in votis quibuscumque, in iis casibus, in quibus potestate ordinariâ possunt Episcopi, probat *ibid. num.* 48. atque hanc sententiam etiam probabilem reputat Crousers Capucinus ob eandem rationem; qui & probat dictam potestatem Episcoporum esse ordinariam; quia perpetuò annexa est dignitati Episcopali, idque jure ordinario, per quod illis dicta facultas manet, quamdiu ipsis legitimè sublata non fuerit circa similes casus. Ob hanc rationem asserit Bassæus, sententiam Crousers sibi placere, maximè quia anno 1629. in Consistorio S. Congregationis visa & tolerata fuit: quidquid tamen P. Urbanus *tract.* 2. *cap.* 4. *reg.* 1. & Lezana verbo *Votum n.* 21. cum aliis communiter apud Dianam *p.* 11. *tr* 8.

resol. 6. oppositam tanquam certam defendant. Quare cùm excommunicatione majori latæ sententiæ reservatâ Papæ feriantur, qui tentaverint à quinque votis Papalibus dispensare; ac dispensatio, imò & commutatio irrita sit in casibus, in quibus ista vota sunt Papæ reservata, in praxi ob communem ferè omnium authoritatem, sententiam contrariam sequi non auderem, neque aliis consulere, nisi fortè alicui constaret certum esse quod ex Bassæo adduxi de sententia Crousers; si enim hoc verum sit (& sanè quis tanto viro in re tanta diffidat?) non video cur id practicare sit præsumptuosum: quidquid tamen, ut dixi, adhuc nemini id suaderem; quamvis cum Francisco B. Spei *disp. 7. cit. nu.* 81. putem, speciem veritatis habere, quæ ex Pourré, & aliis adduxi. Interim juxta ipsum Urbanum, & alios communiter, possunt Mendicantes in prædictis quinque votis dispensare, quoties eorum materia deficit à natura materiæ reservatæ, pro quo vide regulam, quam ipse tradit *loc. citat. reg.* 2. & recole parum ante dicta post notabile Secundum *cæterum addo* &c. His insuper

82. Adde primò ex DD. satis communiter, posse etiam Confessarios Regulares dispensare in petitione debiti cum iis, qui post emissum votum castitatis consumarunt matrimonium; idque ex Privilegio Pii V. quod refertur in Compendio Privilegiorum Societatis Jesu verbo *Dispensatio* §. 9. Imò Sanchez in Decalog. *cap.* 34. *num.* 10. addit, illos id etiam posse ante consummatum matrimonium, citans Sayrum: si tamen, inquit, ante vel post matrimonium nondum consummatum conjux voverit ingressum Religionis approbatæ, cum eo non possunt dispensare, neque ut petat, neque ut reddat debitum, quia neque hoc potest Episcopus. Possunt autem dispensare in petitione debiti cum eo conjuge, qui stante matrimonio contraxit affinitatem cum uxore aut marito, ut Lezana, & alii docent. Circa quæ vide Franciscum Bonæ Spei *loco sæpiùs cit. n.* 82. & Burghaber *Centur.* 2. *casu* 56.

83. Adde secundò ex eodem Lezana, Urbano, & aliis, privilegio, de quo hîc agimus, posse Regulares uti etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ; quamvis enim impertiatur Confessariis, non tamen Confessarii vocabulum tam importat actuale confessionis exercitium, quàm ipsum officium & ad tale munus acceptam approbationem, prout prædicti bene observant.

84. Adde tertiò cum Virginio Alviset *sect.* 3. *c.* 16. *num.* 11. dispensationem suprà in voto castitatis meliùs dici voti suspensionem: nam si obligatus tali voto supervivat suæ conjugi, non potest ad secundas nuptias transire per *cap. ex parte, de convers. conjug.* de quo debet moneri. Atque hoc clarè constat ex formula dispensationis, qua utitur ipse Summus Pontifex dum dispensat in voto castitatis simplici: has enim communiter addit clausulas, vel similes: *Dispensamus ad hoc tantum ut matrimonium legitime contrahere possis, sic ut in eo postmodum debitum conjugale exigere & reddere licite valeas.*

Ex

Ex quibus clausulis videtur clarè colligi, sic dispensatum adhuc contra suum votum peccare, quoties adulteratur, vel peccat contra castitatem conjugalem, ut eas consideranti patebit.

§. VII.

Quandonam Religiosus peccet contra sua vota?

85. Dico primò, Religiosus tunc peccat graviter contra votum obedientiæ, quando contravenit formali præcepto Superioris sufficienter intimato & fundato. Ita omnes: ubi adverte ex Lezana *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. & *seq.* obligationem voti obedientiæ solùm extendi ad res licitas & honestas, ita ut dum certò constat, rem præceptam esse malam, vel contra præceptum Superioris majoris, nullo pacto teneatur Religiosus obedire. Hinc ipse infert, primò, cum Hieronymo Gratiano, si Prælatus præcipiat res solùm concernentes utilitatem temporalem sui aut suorum, & non utilitatem spiritualem, non teneri Religiosum obedire. Ubi nota, eum dicere *utilitatem temporalem sui aut suorum,* scil. amicorum, & non *utilitatem monasterii aut communitatis temporalem.* Infert secundò, Religiosum etiam non teneri obedire Prælato præcipienti vana & impertinentia, vel quæ nec explicitè nec implicitè pertinent ad Regulam.

86. Puto interim veriùs, juxta dicta *tract.* 1. *disp.* 2. *dub.* 3. subditum teneri obedire, quando solùm dubitat, an id, quod præcipitur, sit illicitum, &c. quod & alibi absolutè etiam sustinet Lezana; quidquid tamen probabile reputem, subditum non teneri statim obedire, sed posse præponere examen, si subditus dubitans, obediendo timeret sibi, vel alteri aliquod grave damnum, prout docent Henriquez, Medina, Lessius, & alii: quod idem sustinent Rodriguez, Reginaldus, & alii, dum res est valde laboriosa aut difficilis: & si post examen aliquam sententiam probabilem reperit, juxta quam non teneatur obedire, vel non esse licitum quod præcipitur, secundùm Ledesm. Sanch. & alios, poterit non obedire; quia licitum est sequi sententiam verè probabilem, pro quo vide Dianam *part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 10. qui dicit, sequendam esse oppositam opinionem communiorem & probabiliorem; ac meritò, quia aliàs sæpè fieret turbatio in monasteriis. Cæterùm pro aliis difficultatibus quoad votum obedientiæ vide Lezanam citatum suprà: & nominatim pro obedientia quoad Regulam debita, *cap.* 7. ac quoad statuta, *cap.* 8. Vide etiam Franc. B. Spei *de Relig. disp.* 9. *dub.* 1. per totum.

87. Dico secundò, peccant Religiosi gravi-

graviter contra votum paupertatis, quando accipiunt, retinent, aut consumunt rem notabilem absque expresso, vel tacito consensu Superioris. Ita omnes. Res autem notabilis juxtà Lezanam, Franciscum, & alios, hîc sumi debet proportionaliter ad dicta de furto. Quare Religiosus per diversas vices rem parvam expendens sinè Superioris licentia, graviter delinquit, dum pervenit ad materiam notabilem. Ita Lezana *cap.6. num.* 58. id tamen cum aliis limitans, primò, ut non intelligatur de rebus minimis comestibilibus, aut potabilibus; quia in his non est credendum, inquit, prudentes Prælatos fore invitos: vel saltem (ut loquitur Franciscus) non censentur Superiores æquè in his ac in aliis esse inviti. Limitat secundò idem Lezana, ut solùm verum sit, quando isti actus expendendi, retinendi, &c. sunt aliquo modo uniti, vel ratione temporis, vel loci: si enim sint omninò disparati, non facient unum peccatum. Cæterùm

88. Adverte, non esse leviter supponendum interpretativum Superioris consensum, præsertim in re magni momenti, & ubi de explicito facilè potest inquiri, utpotè quia Superior non procul abest. Unde Lezana requirit licentiam prudenter præsumptam; quam præsumptionem dicit non adesse, dum Superior præcipit, ne quis aliquid consumat, nisi de licentia expressa. Imò *num.* 56. post Grassium, & Sanchez ait, taciturnitatem Superioris videntis Religiosum aliquid possidere, accipere, expendere, &c. sine licentia, & non contradicentis, non excusare Religiosum, nisi ex aliis signis constet, illam esse virtualem approbationem: quia similis taciturnitas sæpè oritur ex pusillanimitate Superioris, aut protervia subditi: quæ protervia sæpè facit, ut sinè debita licentia fiat, etiam quod cum explicita Superioris permissione fit: si enim Superior aliquid permittat, eò quòd subditum timeat, quia est susurro, & aliàs suscitabit rumores in Conventu, non est permissio aut licentia debita, ut idem Lezana docet cum Lessio & Corduba; debita enim licentia debet esse voluntaria, illa autem est coacta per metum.

Cæterùm in Religione, in qua non est præceptum, ne quis aliquid acceptet aut consumat, nisi de licentia expressa, potest elici opinio probabilis de consensu tacito Superioris, dum adsunt circumstantiæ, in quibus ipse ordinariè licentiam dedit, nec absque expressa licentia factum improbare solet, ubi sinè incommodo potest. Quare infirmi aut debiles de eo sæpiùs præsumere possunt, ubi sani & robusti non possunt. Item faciliùs sic præsumi potest, dum opus fit ad succurrendum necessitati, quàm solùm ad recreandum: quando factum cedit in bonum commune, quàm quando in privatum. De Religiosis varia abscondentibus agit Franciscus *disp.* 9. *cit. num.* 28. sicut & *num.* 29. de Superioribus, qui per convivia, potitationes, ludos, &c. notabilem summam expendunt: ubi etiam reperies, quæ tangunt Procuratorem, Cellarium, &c. Sed

89. Quid de pecuniis, per modum viatici

viatici acceptis? Nisi alibi Religionis consuetudo recepta prævaleat, in aliud, quàm in sustentationem, & necessitates in itinere occurrentes, expendi non possunt, sinè venia Superioris, sub peccato mortali in materia gravi; teneturque unusquisque residuum, etiam ex debita sustentatione in via subtractum, monasterio restituere, ut patet pro Carmelitis reformatis ex Constitutionibus Reformationis *cap.10.num.16.part.1.*

Petes, an licitè Religiosis permittantur deposita?

90. Respondeo affirmativè cum Lezana *num. 23.* quoad illos Conventus, in quibus, vel ob nimiam paupertatem, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum, non potest commodè observari vita communis, dando singulis & omnibus Religiosis ea, quæ sunt simpliciter necessaria secundùm decentiam status. Debent tamen Religiosi solùm uti depositis ad usus necessarios, & dependenter à voluntate Superioris; pro quibus, & aliis circa hanc materiam, vide Lezanam *num. 21. 22. & seq.* nec non etiam Dianam *part. 1. tract. 6. per totum.* Adverte interim, omne depositum nobis Carmelitis reformatis interdici absolutè *Constit. part. 1. cap. 10. num. 13.* ac adde, Regulam generalem esse, quòd quidquid Monachus acquirit, monasterio acquirat, cùm enim non sit capax dominii, neque usus, nisi dependenter à monasterii voluntate, huic acquirit totum, etiam quod proprio labore aut industria acquirit. Ita idem Lezana *num. 40. ex cap. in præsentia.*

An Religiosus peccet mortaliter, si per breve tempus retineat apud se rem notabilem, quia vult petere licentiam à Provinciali v.g. aut novo Superiore? Respondeo cum Diana *part. 11. tract. 1. res. 19.* negativè, si illam accipiat quasi in deposito cum animo non utendi absque licentia brevi obtinenda ut sperat, relinquendo interea totum jus in rem illam penès donantem. Ita etiam tenet Garzia, & Leander à Diana citati; sicut & Lugo *de just. tom. 1. disp. 3. sect. 8. num. 151.* qui addit, similem rem eô modô etiam per longum tempus posse retineri sine violatione voti, quod & Diana post ipsum admittit.

91. Dico tertiò, Religiosus contra votum castitatis graviter delinquit per omnem actum venereum, sive internum, sive externum: omnis igitur actus, qui in aliis est peccatum contra castitatem, sive luxuriæ, est simul in Religiosis sacrilegium, mortale, si malitia luxuriæ in sæcularibus est mortalis, veniale verò, si venialis: quia juxta Lezanam *cap. 5. num. 4.* Lessium, & Sanchez, circumstantia voti castitatis non immutat obligationem juris naturalis, sed solùm addit circumstantiam sacrilegii, quæ circumstantia sequitur naturam actus, cui annectitur. Attamen adhuc fieri potest, ut actus venereus, qui in sæculari esset veniale peccatum, sit mortale Religioso propter scandalum; ut si Religiosus proferret verba inhonesta, exerceret gestum impudicum, &c. Utrùm verò peccatum hoc sit contra votum castitatis, ac proinde in casu, quo violatio castitatis foret casus re-

servatus

servatus in Religioso, maneret quoque illa culpa reservata? Affirmat Lezana *num.* 5. quia peccatum scandali reducitur ad eam speciem, ad quam pertinet peccatum illud, ad quod scandalum inducit: negat verò id Sanchez *lib.* 5. *in decal. c.* 6. *n.* 11. quia scandalum illud (quamvis reducatur ad peccatum contra castitatem, si datum fuerit sæcularibus, & ad peccatum sacrilegii, si detur Religiosis) non est peccatum, saltèm grave, contra castitatem propriam, quam in se tenetur Religiosus servare, quæ sola cadit sub hujusmodi voto, ac hujus violatio solùm reservatur: & ideo nullam prorsus circumstantiam particularem habet ex parte voti hujus Religiosi dantis scandalum, sed solam malitiam contra castitatem, ad quam suo pravo exemplo inducit sæculares; vel sacrilegii, ad quod inducit Religiosos; non aliter, quàm si sæculari idem scandalum daret. Ita ille, cujus sententiam conatur confirmare Caramuel *in Theol. fundam. part.* 1. *fund.* 51. *fol.* 488. utens his argumentis à pari: primò, coquus in die jejunii parans carnes, aut in mensa ministrans, non dicitur violare jejunium; quare, etsi vovisset tunc jejunare, adhuc votum servaret. Secundò, si unus auditâ Missâ alium ab ea audienda impediat, non dicitur violare præceptum de audienda Missa, neque etiam votum suum, quo vovit isto die Missam audire. Tertiò, qui lecto officio Divino, alios impedit, ne illud legant, non peccat contra votum, quo Deo vovit, nunquam officium intermittere; quia omninò aliud est, intermittere officium, & alium ab eo legendo impedire. Ergo etiam aliud est fornicari, morosè delectari, consentire, &c. & aliud, occasionem sive scandalum præbere, per quod alii inducuntur ad fornicandum, morosè delectandum, &c. ac consequenter per hoc secundum absque primo non contravenitur voto castitatis, quo solùm vovens videtur se obligasse ad non fornicandum, non delectandum morosè, aut quomodocumque actum aliquem luxuriosum non committendum: non verò ad ea in aliis cavendum, prout qui vovit abstinentiam à carnibus, non censetur se obligasse ad cavendum, ne alios ad vescendas carnes inducat. Ita ferè Caramuel. sed pro complemento materiæ votorum,

Petes fortè, an hæres ligetur voto sui prædecessoris?

92. Respondeo eum ligari voto reali, non tamen personali. Ratio primi est, quia hæres adit hæreditatem cum omnibus ejus oneribus. Secundi verò, quia materia voti personalis debet esse actio propria, vel omissio ejus, ut omnes communiter docent: imò neque tenetur hæres ad votum mixtum sui prædecessoris, si in eo votum reale sit solùm accessorium. Hinc filius non tenetur adire Ecclesiam Lauretanam, v. g. quam pater vovit adire, nec adivit morte præventus: neque etiam tenetur dare in eleemosynam, quæ pater in via expendisset, si eò ivisset: quamvis tamen teneretur dare calicem, si à patre devotus fuisset. Ita Urbanus *tr.* 1. *cap.* 51. Sed

93. Quid

93. Quid si quis vovisset peregrinationem per alium faciendam, & hic accepto laboris pretio omitteret? Resp. eum satisfecisse; quia ex justitia in stipendium acceptantem obligatio transiit. Ita Franc. B.Spei *disp.7. sape cit.num.32.*

DVBIVM QVINTVM.

De Juramento.

§. I.

Quid & quotuplex Iuramentum?

DE Juramento agit Bacho *in 4. dist. 25.quæst.14. art.4.5.&6.* & de eo hîc

94. Dico primò, Juramentum est invocatio Divini testimonii, sive ut Lezana post D. Thom. 2. 2.*q.89.art.1.* est invocatio Divini numinis in testimonium; quia omnis verè jurans vult & cupit, quantum in se est, Deum tanquam testem manifestare id, quòd ipse juramento confirmat.

95. Dico secundò, juramentum aliud est expressum, aliud tacitum: primum est, dum verbis dicitur, *juro per Deum,* vel quid simile: secundum, dum quis animo jurandi tangit crucifixum, Evangelium, pectus, &c. quo etiam refertur juramentum, quô quis jurat per creaturam animo jurandi per creatorem ipsius. Pro quo nota ex Lezana, posse tripliciter jurari per creaturam: primò, constituendo in illa finem juramenti, seu afferendo illam tanquam testem infallibilem veritatis. Secundò, referendo illam in Deum, cujus numen in ipsa relucet, sive prout est factura Dei. Tertiò, adducendo illam in testem juxtà dignitatem, quam in se habet. Jurare primô modô est Blasphemare, & species quædam idololatriæ: jurare secundô modô est verum juramentum; quia est implicitè jurare per Deum ipsum: jurare autem tertiô modô, nec est verè jurare, nec quidquam mali continet. Ita Lezana. Interea in omnibus attendenda est intentio jurantis, à qua petitur vera ratio juramenti; ita ut quomodocumque per creaturas juretur, si adsit intentio verè jurandi, verum sit juramentum, secus verò si illa desit: quidquid tamen in foro externo omne iuramentum reputetur verum, quod fit eo modo, quo in patria communiter solent vera iuramenta elici; item quo exprimitur nomen Dei vel Christi, saltem in obliquo, ut si iuretur *per aërem Dei, per sanguinem, vel vulnera Christi, &c,* quia taliter iurans censetur creaturas referre in Deum. Ita Sylvest. Lezan. Urban. & alii, Idem dic de iurante his verbis, *per animam*

vel vestes B. Virginis, S. Petri, &c. per vestes sacras, manus consecratas, reliquias vel templa sanctorum, &c. quia cùm in his omnibus specialiter reluceat Dei perfectio, per ea iurans, reputatur iurare per Deum. Econtrà tamen dic de his iurandi formulis, *per meam veritatem, fidem, conscientiam, &c.* quia in communi modo sentiendi solùm hæc adferuntur ut puræ creaturæ sinè ordine ad Deum. Vide Franciscum Bonæ Spei *de religione disp. 6. num. 2. 3. & 4.*

96. Addo ex definitione iuramenti allata, & ex Urbano *tract. 1. cap. 26.* iuramentum debere fieri per invocationem illius, qui in testem vocatur, nam quæcumque veritates, quæ merè enuntiativè proferuntur, non faciunt iuramentum; ut si dicatur, *tam verum est quod dico quàm ipsum Evangelium: testis est Deus, Deus scit,* & similia: sunt enim hæc inquit Urbanus, æquivoca, possuntque tam enuntiativè, quàm invocativè proferri; undè pendent ex intentione proferentis, & in dubio debent credi, non fuisse iurandi intentione dicta; nam omnis obligatio est restringenda. Ita Urbanus: qui tamen benè addit, si verba prolata contineant expressum iuramentum, vel soleant pro eo sumi, constat esse iuramentum, nec est necessaria intentio per actum reflexum; nam in eiusmodi verbis per se includitur eo ipso quòd adhibentur; si interim quis expressè excluderet intentionem, adhuc non esset nisi iuramentum fictum.

97. Dico tertiò, iuramentum insuper aliud est assertorium, aliud promissorium, aliud comminatorium, & aliud execratorium. Primum est, quo asseritur quod præsens vel præteritum est: Secundum, quo aliquid futurum promittitur in favorem alterius. Tertium quo alicui malum prædicitur. Quartum denique, quo aliquid cum attestatione asseritur sibi apponendo punitionem. Exemplum primi fit, *testem invoco Deum, quòd verum dixerim.* Secundi *quod cras tibi solvam.* Tertii, *iuro per Deum quòd frangam tibi collum.* Quarti denique, *Deus me damnet si cras tibi non solverim:* aut *per animam meam, vitam meam, &c. cras tibi solvam*; hæc enim, iuxta Toletum, & Lezanam, æquivalent his, *Deus animam mihi eripiat, vitâ me privet, si, &c.*

98. Dico quartò, iuramentum item aliud est simplex, aliud solemne: hoc aliquam notabilem circumstantiam externam continere debet, ut dum fit coram notario aut duobus testibus, vel in tribunali. Denique aliud est absolutum, aliud conditionatum, quòd scil. involvit aliquam conditionem

§. II.

§. II.

An, & quale peccatum sit jurare?

99. Dico primò, aliquando esse licitum jurare, constat ex Scriptura *Deuter.6.* ubi dicitur, *per nomen ejus,* scil. Dei, *jurabis.* Hinc debitè jurare bonum est, utpote actus virtutis Religionis; nam jurans, verum cultum Deo exhibet, agnoscendo nimirum, & protestando infallibilem ejus veracitatem. Deinde, juramentum efficit, ut ob reverentiam Divini numinis veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem servemus, &c. quæ omnia sunt bona, & rebus humanis necessaria. Quando verò in aliquibus Scripturæ locis prohibetur jurare, intelligendum est, quando debitæ circumstantiæ non adsunt: pro quibus,

100. Dico secundò, ut juramentum debitè fiat, tres comites, seu conditiones requiruntur expressæ per Scripturam *Hierem.4.* ubi dicitur, *Iurabis in veritate, & in judicio, & in justitia.* Hinc si vel una conditio desit, juramentum erit peccaminosum: & quidem si desit veritas, id est si sit falsum quod juratur esse verum, vel è contra, dicitur perjurium: si desit judicium, sive debita discretio & reverentia, dicitur temerarium: si verò defuerit justitia, sive si res, quæ juratur, non sit licita & honesta, dicitur iniquum.

101. Dico tertiò, perjurium, utpote mendacium, semper malum est: ac perjurium assertorium semper est mortale peccatum, nisi excuset imperfectio actus, ut inadvertentia, indeliberatio, lapsus linguæ, &c. Ratio est, quia tota malitia perjurii (quæ est irreverentia gravis) tam integrè reperitur in re levissima falsò asserta per juramentum, quàm in gravissima; nam gravitas injuriæ perjurii assertorii in eo cōsistit, quòd invocetur, & adducatur Deus in testem falsi, ac ita summa ejus veracitas destruatur, saltem in affectu; atqui hoc accidit tam benè in re levissima quàm gravissima, ergo, &c. Imò P. Urbanus asserit, per perjurium in re levi magis contemni veracitatem Dei, quàm in re gravi; nec immeritò, quia dum res est gravis, movetur jurans metu gravis detrimenti aut alterius gravis mali à se vel ab alio incurrendi, qui metus abest dum res est levis, sicut & omne aliud motivum; quare censetur tunc ex mera malitia peierare, nisi fortè inadvertentia excuset, quam hîc excludimus. Adde ex Bachone *in 3. dist. 39. quæst. unicâ art.* 1. ab irreverentia gravi omnis perjurii assertorii, sive in re gravi sive levi, non excusare jocum; quia hic cedit in contemptum Dei, si nimirum adsit intentio jurandi.

102. Dico quartò, perjurium promissorium etiam est mortale, quamvis res juramento promissa sit levis, si tempore juramenti adsit intentio non ad-

adimplendi promissum : quia tunc æquè ac in perjurio assertorio Deus vocatur in testem falsi scienter. Quòd si tempore juramenti jurans haberet intentionem adimplendi quod jurat, & postea intentione mutatâ non faceret, puto probabiliùs, eum non peccaturum mortaliter dum res esset levis. Ita Lezana verbo *juramentum num.*15. ubi dicit, juramentum promissorium obligare ad sui impletionem sub mortali ex genere suo. Ita etiam probabiliter tenent Azorius, Suarez, & Diana *par.*4. *tract.*4. *resol.* 70. pro se citans alios tredecim, quibus addo Bachonem docentem, perjurium assertorium esse semper peccatum mortale, & Urbanum *tract.* 1. *cap.* 28. Probatur nostra assertio ; quia violatio voti circa materiam levem non est nisi venialis juxta omnes; ergo nec violatio juramenti promissorii circa similem materiam : nam secundùm D. Thomam 2.2. *quæst.* 89. *art.*8. obligatio voti major est quàm juramenti. Neque taliter jurans adducit Deum in testem falsi ; quia non propriè assumit Deum in testem actualis executionis juramenti ; sed potiùs in testem præsentis promissionis ac insuper intentionis promissum adimplendi. Hanc etiam sententiam absolutè sustinet P. Franciscus dicens, prædictum solùm peccare contra fidelitatem, non verò contra juramentum.

103. Adverte primò, juramentum promissorium sæpè nullam inducere obligationem : ut primò, quando id, quod promittitur, est illicitum ; non enim potest juramentum esse vinculum iniquitatis. Imò rem illicitam juramento promittere, peccatum est, grave vel leve, prout dicta res fuerit graviter vel leviter mala. Secundò, dum promittitur res indifferens ; neque enim hæc cedit in honorem Dei, estque hoc juramentum veniale peccatum. Tertiò, dum res juramentô promissa est impossibilis ; quòd si dicta impossibilitas sit juranti nota, erit mortale peccatum illam jurare ; quia hoc est scienter Deum vocare in testem futuritionis rei nunquam futuræ. Ita Lezana, Urbanus & alii. Quartò non obligat juramentum promissorium de re oppositâ consilio Evangelico, aut impeditivâ majoris boni ; & taliter jurantes peccant ut minùs venialiter juxta eundem Lezanam, & ipso teste, alios communiter. Quod tamen limita ad juramenta facta in honorem Dei ; nam si juramentum promissorium fiat in utilitatem hominis, servandum est quoties sinè peccato servari potest juxta Reg. Juris Canonici cap. *Quamvis de pactis in* 6. Quare juramentum homini præstitum de re indifferenti, vel etiam minùs bonâ, aut impeditivâ majoris boni, adhuc obligat dum cedit in ipsius utilitatem : ratio disparitatis est, quòd homo illud acceptet ac impleri velit, non autem Deus. Unde juramentum de solvendis usuris, de dando pretio occisionis alterius, &c. adimplendum est post conditionem positam, quia sinè peccato potest adimpleri : de quo egimus supra

Similiter judico adimplendum esse jura-

juramentum de non communicanda alteri arte sanandi v.g. cancrum, quam quis sub hac conditione à suo Magistro didicit: quia juramentum illud sinè ullo peccato impleri potest, sicut Magister sinè peccato poterat eandem artem nullum docere: & quidquid reclamet Burghaber *Centur.* 1. *casu* 75. illud juramentum non repugnat charitati, cùm per ipsum jurantem & Magistrum ipsius sufficienter possit succurri necessitati illô malô laborantium, ac illa ars aliis nequeat communicari absque detrimento Magistri. Accedit quòd passim videamus aliquos scire artes mirabiles curandi similes infirmitates, qui tamen non coguntur illam alios docere; quod tamen deberet fieri si ad hoc ex charitate essent obligati. Interea

104. Adverte secundò, esse peccatum, inducere alterum ad pejerandum, sicut mortaliter delinquat, qui sinè gravi causa alium cogit, vel inducit ad jurandum, quem novit peieraturum. Nec potest juramentum recipi ab iis, qui præsumuntur moraliter certò non observaturi: hinc Alexander IV. ait, non esse recipiendum juramentum à Clericis, quo jurant, se non redituros ad suas concubinas: & bene infert Navarra, perperam agere Confessarios cum pertrahunt pœnitentes ad vovendum, vel jurandum, se ab aliquo peccato carnali vel alio, quod perinde ac illud allicit, abstenturos. Dixi *absque gravi causa*: quia ubi adest gravis causa, nec aliter difficultas decidi potest, licitum omninò est alterum pertrahere ad juramentum, quamvis noscatur pejeraturus, prout sæpe accidit in foro judiciali. Ita post plures docet Burghaber *Centur.* 2. *casu* 33. contradicentibus aliis. Ratio est, quia petitio juramenti in se nihil mali continet, ac quòd alter pejeret, ex malitia sua facit, quam nemo tenetur impedire cum gravi suo damno.

Petes, quale peccatum sit jurare ex consuetudine?

105. Respondeo, si per hoc quis exponatur periculo peierandi, prout existimo communiter fieri, mortaliter delinquit quamdiu non proponit talem consuetudinem extirpare: nam qui voluntariè se continet in periculo peccati mortalis, mortaliter peccat. An autem talis, qui ex simili prava consuetudine quasi inadvertenter ex repentino motu, aut nimia affectione ad rem aliquam, de facto pejerat, committat peccatum mortale distinctum à peccato pravæ consuetudinis jurandi? Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 13. qui id negat cum aliis contra Cajetanum, Navarrum, & Ledesmam: Vide eum etiam *par.* 3. *tr.* 5. *resol.* 62. ubi ex Sancio docet, blasphemias, & juramenta indeliberata orta ex prava conditione jurandi, nec in seipsis esse peccata, nec in sua causa. Quod puto necessariò debere intelligi, si prava consuetudo antea fuerit efficaciter retractata, sive per propositum efficax, prout patebit legenti ea, quæ habet idem Diana *par.* 10. *suprà*; & aliàs talia falsa juramenta & blasphemiæ sunt voluntaria in sua causa, scil. prava consuetudine, in qua consequenter mala esse debent. Hinc non existimo, aliquem esse absolutionis capacem; qui pravam jurandi consuetu-

dinem deponere non proponit: quidquid dicat Sancius, id solùm verum esse de habente consuetudinem jurandi ex advertentia; ac Diana moneat, hanc Sancii doctrinam à provido Confessario in mente haberi debere; nam per illam, inquit, à multis interrogationibus, & scrupulis immunis erit. Monet tamen omnes Confessarios, ut in casu faciant accusare pœnitentem de negligentia in extirpanda prava consuetudine jurandi, & de reliquo aliud non curent. Vide etiam P. Franciscum *de Relig. disp. 6. n. 27. & seq.* Item Burghaber *Centur. 2. casu 3. & seq.*

Petes iterum, quid dicendum sit de eo, qui passim dicit, *hoc tam verum est ac Deum existere, Verbum carnem factum esse, tam verum est quàm Evangelium, &c.* Illum blasphemare, asserunt Covar. Suarez, Barbosa, & alii apud citatum Burghaber *Centur. 3. casu 24.* quia æquat veritatem objecti creati cum Divina; quod insuper est hæreticum, ut ajunt. è contra tamen meliùs hic Author negat, vi præcisè illius comparationis, & verborum, aut blasphemiam, aut culpam lethalem committi: quia nihil Deo tribuitur per contumeliam, nec aliquid ei aufertur, sed solùm instituitur similitudo aliqua, usurpatúrque Divina veritas ad hyperbolicam locutionem & exaggerationem, non ad æqualitatem omnimodam. Ita ille, pro se citans Azor. Sanchez, Bonac. & alios. Addo tamen, quòd si quis intenderet per similes locutiones adæquare absolutè infallibilitatem utriusque veritatis, gravem blasphemiam committeret: sed nego tam impiam mentem vi verborum concipi, aut jure præsumi.

106. Cæterùm tantum est peccatum pejerare per Sanctos, per reliquias vel alias creaturas relatas in Deum, quàm immediatè jurare per Deum; quia utrobique adducitur Deus in testem falsi, Item tanta est vis juramenti simplicis, quàm solemnis; quamvis, si violetur solemne, malitia plerumque augeatur propter scandalum. Adde perjuria simplicia promissoria excusari à mortali, dum deest jurandi & se obligandi intentio, prout fit in aulicis, ac amasiis, qui communiter solent res leves, ut v.g. *per Deum non præcedam*, oretenus dumtaxat juramento promittere: in quo tamen sunt etiam monendi. Vide Franciscum B. Spei *de Relig. disp. 6. n. 18.* qui eos etiam à mortali excusat, licèt habeant intentionem jurandi, dicens in illorum juramentis subaudiri, *quantùm in me est*, vel *nisi tibi nimis molestum fuerit.* Idem extendit ad parentes, qui comminatoriè jurant, filios suos excipere, & interea non faciunt, subaudiunt enim, inquit, *nisi se correxerint, veniam petierint, &c.*

§. III

§. III.

De juramento elicito ex metu: & quando juramenti obligatio cesset.

107: DIco primò, juramentum elicitum ex metu, etiam injustè incusso, obligat, si factum sit animo verè jurandi & se obligandi. Ita DD. communiter. Ratio est, quia jure naturali quilibet obligatur efficere, ut verificetur quod jurat. Neque ob quemcumque metum potest quis Deum vocare in testem falsi; quia hoc nocet ejus veracitati. Quare non approbo quod dicit P. Urbanus, nempe juramentum metu extortum posse violari sinè peccato, eò quòd non sit perfectè voluntarium: ratio mea est, quia licèt non sit omninò perfectè voluntarium, non deest tamen consensus de jure naturæ acquisitus ad substantiam actus simpliciter liberi; qui enim agit ex metu absolutè liberè agit, licèt secundùm quid involuntariè juxtà dicta *in tract. de actibus humanis*: quidquid contrarium probabiliter sustineant Lessius, & Palao apud Dianam *par.* 15. *tract.* 2. *res.* 35. *in fine.* Nota tamen, juramenta elicita ex metu circa matrimonium, & professionem religiosam, non obligare, ob jus canonicum illa abrogans. Deinde in juramentis circa alias materias metu extortis potest peti dispensatio à Prælatis, vel aliis potestatem habentibus.

108. Dico secundò, obligatio juramenti promissorii, aut comminatorii cessat, primò, quando res juramento promissa fit illicita, indifferens, impossibilis, vel impeditiva majoris boni; hæc enim non sunt materia juramenti facti in honorem Dei, ut constat ex §. præcedenti. Dico *facti in honorem* Dei; quia de alio aliter est loquendum. Unde si quis juravit latronibus, se non denuntiaturum illos, tenet juramentum, si aliundè non obligetur denuntiare; secùs si ad hoc obligetur, ut dum ita nefarii essent, ut eorum denuntiatio multùm Reip. expediret; tunc enim non obligaret juramentum quasi contra bonum publicum præstitum. Ita contra Pontium sustinet cum aliis Diana *par.* 11. *suprà*: addens, quòd si juramentum interponatur de non petenda hujus, aut similis juramenti relaxatione, receptum est, non esse validum, eò quòd sit contra bonos mores. Cavendum tamen est, ne istorum juramentorum relaxatio in Religionis Catholicæ damnum cedat: ut v. g. si captivus jurasset infidelibus, apud quos injustè detinebatur, se in suæ libertatis pretium daturum eis mille aureos, vel se illuc rediturum, tale juramentum non esset relaxandum, propter scandalum, & ne nomen Dei apud illos blasphemetur, ut resolvunt Cajetanus, Arragonius, Soto, & Valentia;

qui

qui ultimus sustinet, jurantem in hoc casu debere redire, etiam cum mortis periculo: quæ omnia approbat Diana ubi suprà. Interim cessat juramenti obligatio dum rei status notabiliter immutatur; ut si jurasti punire aliquem, qui postea supplex veniam petit, potes non punire; quia juramentum solùm obligat servato eodem statu, in quo delinquens non pœniteret. Ita Layman, & Lezana: excipe, nisi talis punitio necessaria, vel multùm conveniens foret bono communi.

109. Secundò cessat obligatio juramenti promissorii per irritationem, commutationem, aut dispensationem eorum, qui ad hoc legitimam habent potestatem: pro quo vide dicta de voto; nam juxtà plurimos (inter quos è nostris sunt Lezana, & Urbanus) qui potest irritare, commutare, aut dispensare circa vota, potest & circa juramenta, saltèm in Dei honorem facta; quia talia iuramenta sunt veluti vota. Ita docet P. Franciscus *ubi suprà num.* 89. Tertiò cessat iuramentum factum principaliter in favorem tertii, dum Papa dispensat, commutat, vel illud irritat: qui solus id facere potest si ab illo tertio sit acceptatum, idque ob commune bonum: & debet semper adesse urgens ratio; quia per talia iuramenta liberè omninò elicita ius est alteri acquisitum. Dico *liberè omninò elicita*; quia si adsit turpitudo ex parte illius, cui res per iuramentum dari debet, uti est in casu supra posito de latrone, & dum quis pressus necessitate iuravit solvere usuras, ac generaliter, quando jurans passus est iniuriam ab eo, in cuius favorem cedit iuramentum, potest etiam Episcopus dispensare; tunc enim solùm est quæstio de reverentia servanda Divino nomini, in quo Prælati Ecclesiæ possunt suâ potestate uti nomine Dei. Ita Lezana citans Toletum, & alios; quibus addo P. Urbanum. An autem idem possit potestas civilis? Controvertitur: circa quod tanquam probabile admittendum arbitror, quod docent Suarez, & alii, nimirum potestatem civilem non posse quidem directè tunc iuramentum relaxare, benè tamen indirectè, vel ratione materiæ, vel supplendo vices eius, cui est iuratum, qui per se remittere tenetur. Adde Parentes, ac Superiores posse supràdictum iuramentum irritare in illo casu, in quo ipsam promissionem, sive contractum infirmare possunt. Ita Busenbaum cum communi.

110. Dixi primò, *juramentum factum principaliter in favorem tertii*; nam si factum sit principaliter in Dei honorem, quamvis secundariò cedat in favorem tertii, ut si quis Deo iuret se daturum eleëmosynam Petro pauperi; tunc idem dicendum est ac si soli Deo fieret; quia semper spectandum est id, quod principaliter intenditur, ut ex l. *rogasti in princip. l. si quis nec causam ff. si cert. pet.* docet Lezana *num.* 26. in fine. Dixi secundò, *si acceptatum est*; quia antè acceptationem nulla oritur obligatio iustitiæ.

111. Quartò cessat idem iuramentum obligare quando is, in cuius favorem factum est, renuntiat suo iuri, ac iuramento: quod Busenbaum

post

post Navarrum dicit esse verum, licèt juramentum principaliter factum sit in honorem Dei; quia cùm executio sit in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet. Attamen hoc ultimum puto probabiliùs negandum cum Soto, & Sylvestro; quod idem videtur negare Lezana, cùm dicat, de eo judicandum esse ac si soli Deo esset factum. Interim hæc limita cum Texeda apud Dianam *par.* 10. *tr.* 14. *resol.* 5. nisi juramentum taliter sit in Dei honorem factum principaliter, ut jurans omne jus, obligationem, & impletionem remiserit ad voluntatem ejus, in cujus favorem juravit; quod plerumque videtur fieri dum juramentum fit, licèt secundariò, in favorem alicujus particularis personæ: taliter enim jurans ordinariè non intendit invitum ad beneficium acceptandum cogere: ob quam rationem dicit Diana, sententiam nostræ oppositam (quam, ut dixi, docet Busenb.) sibi certam esse: verùm per limitationem positam ruit tota ipsius ratio nostram sententiam deserendi.

Petes, quas pœnas incurrat perjurus?

112. Respondeo, eum jure civili ac canonico reddi infamen, ita ut deinceps non recipiatur in testem, si perjurium sit solemne cedens in præjudicium tertii. Vide Bachonen *in* 4. *dist.* 25. *quæst* 14. *art.* 4. ubi addit, eum esse excommunicandum, & per septem annos pœnitentiâ puniendum; quod tamen jam non videtur in usu: unde cum Lezana *num.* 14. pro his remitto ad thesaurum *in praxi par.* 2. *verbo perjurium cap.* 1. pro alia petitione, sit

§. IV.

An pejerent Scabini jurantes, se non sollicitasse ad scabinatum, dum constat de opposito?

113. Supponit Caramuel primò, sollicitationem seu diligentiam posse esse triplicem; iniquam scil. sive injustam, licitam prudentémque, & necessariam.

114. Supponit secundò, Remp. non posse inhibere sollicitationem necessariam neque prudentem, nisi per accidens iniqua evadat, & communitati damnum adferat: unde solam sollicitationem iniquam censet inhibere, dum sollicitationem inhibet. Deinde

115. Dicit primò, qui sollicitationem, seu diligentiam necessariam adhibuit, non pejerat jurando, se nullam sollicitationem adhibuisse: quia ex mente exigentis juramentum, dum dicit, *jurate, nec per te, nec per tertiam personam,*

nam, &c. sollicitasse; intelligitur de sollicitatione iniqua, quam non adhibuit. Unde dum vides imminere periculum promotionis indigni, & scis non esse aliud medium hanc impediendi nisi ipse aspires, & sollicites, nec statui tuo illud officium repugnat, aut dedecet; teneris tu, qui dignus es, diligentias adhibere, ut per unam sollicitationem consilium impiorum impedias, adeòque tunc tua sollicitatio est necessaria.

116. Dicit secundò, qui sollicitationem prudentem & justam fecit, etiam non pejerat in dicto casu ob rationem datam. Quare si dignus sis ut obeas munus scabini, ac purè & sincerè merita tua exposueris, benevolentiam ac amicitiam captaveris per aliorum commendationes, non peieras jurando, te nullam sollicitationem aut diligentiam adhibuisse; quia non fecisti illas, de quibus interrogaris, & quas suis mébris inhibet prudens Respublica. Accedit, quòd, si digni nullā sollicitationem facerent, sæpiùs promoverentur indigni, qui sæpè iniquas, & exorbitantes diligentias adhibent.

117. Dicit Caram. tertiò, qui adhibet sollicitationem vel diligentiam iniquam, & postea jurat, se non sollicitasse, peierat, nec à periurio eum excusare potest ulla restrictio mentalis: quia tenetur iurare ad mentem Reip. justè interrogantis de sollicitationibus iniquis: hinc qui, indignus cùm sit, sollicitavit quomodocumque, peierat si iuret, se non sollicitasse; nam sicut talis scabinatum illicitè obtinet, ita omnis ad illum obtinendum sollicitatio est ei illicita, ac consequenter iniqua. Similiter peierat qui idem iurat postquam adhibuit minas, persuasiones falsas, preces inordinatas & intolerabiles, vel alia media, quæ creduntur tollere moralem indifferentiam ac libertatem; quia hæc omnia sunt iniqua. Hæc benè monet observanda dictus Caramuel, nam turbant plurimos, qui in his & similibus ad æquivocationes, & nescio quas restrictiones mentales recurrunt, quas tamen illicitas esse & totam auferre conversationem humanam, supra monstravimus.

118. Verùm nec ego puto, posse per ea, quæ hîc ex Caramuele adduximus, scabinos prædictos excusari: quia teste Francisco Bonæ Spei *de Relig. disp. 6. num. 19.* in oppositum est Theologorum & Jurisperitorum Lovaniensium responsum, de formula juramenti, quod publicâ authoritate à Magistratibus designatis & aliis præstari solet. In quo sequentia leguntur; *Ab hujus labe criminis aliqui se immunes putant, quod non aliter censeant intelligendum hoc jusjurandum, nec aliter à Principe intelligi, quàm ne corrumpantur donis, promissisve collatores, ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quòd Princeps sciat istam donandi, &c. consuetudinem, nec in statuti, ut sonat, transgressores animadvertat. Ita vindex criminum in eorum patrocinium accersitur. Sed toto cælo falluntur. Primò; quia ex communi conniventia Principum, scelerum licentiam colligere, fallacissimum est argumenti genus; nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt; multa possunt & ex-*

expediunt, quæ opportunius differunt; multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis severissimè punienda, relinquunt Deo, &c. Vide Franciscum *loc. cit.*

119. An testimonium viri fide digni sufficiat, ut quis rem aliquam possit iurare? Dictum est *disp. 10. suprà dub. 3.* in fine. Solùm adde pro horum omnium complemento; de ratione iuramenti non esse veritatem sed veracitatem, nam qui iurat se audivisse, quæ verè non audivit, sed existimat se audivisse; non peierat nec peccat: quia qui iurat se audivisse horam duodecimam v. g. non iurat aliud, quàm se certò existimare, quòd horam duodecimam audiverit, & se non habere rationem, ob quam suspicari possit se falli: quod idem dic de eo, qui iurat esse de facto duodecimam.

DVBIVM SEXTVM.

De variis oppositis Religioni.

120. Vitia Religioni opposita præcipua sunt superstitio, magia, tentatio Dei, simonia, sacrilegium, periurium, blasphemia, &c. de quibus

121. Dico primò, superstitio idem est quòd falsa Religio, seu vitiosus cultus veri vel falsi Dei. Alia est superstitio cultus indebiti, alia superstitio ratione rei cultæ. Superstitio cultus indebiti est, in quo exceditur quoad modum colendi tantùm, ut quando Deo tribuitur cultus non conformis Ecclesiæ praxi, aut præscripto; talem superstitionem committit qui Deum colit per cæremonias legis antiquæ, qui exhibet falsas reliquias pro veris; qui fingit miracula, revelationes, &c. quæ omnia ex suo genere sunt mortalia, eò quòd Deo falsum & vanum cultum tribuant. Aliter etiam committitur hæc superstitio tribuendo Deo cultum superfluum; ut si quis nolit audire sacrum, nisi post Solis ortum, nisi in tali altari, nisi sacrificans vocetur Petrus, &c. hæc enim omnia vana sunt ex sua natura: ac sic etiam superstitiosus est qui contra rubricas addit, vel demit aliquid in missa vel officio Divino: quæ tamen non sunt nisi peccatum veniale, tum quia materia censetur levis, tum quia communiter adest simplicitas excusans à mortali.

Petes an obstetrix v. g. committat superstitionem cultus indebiti, quæ pro facilitando partu piè profert hæc verba, *& Verbum caro factum est?* Respondeo simpliciter quòd non, quia pia invocatio Verbi incarnati indubiè hîc multum prodesse potest. Dixi *simpliciter*, quia si ipsa per hoc putaret, infallibiliter partum fore statim, & favorabiliter expediendum, gravem superstitionem committeret.

122. Superstitio ratione rei cultæ est, dum colitur falsus Deus pro vero; quæ ulteriùs dividitur in idololatriam, divinationem, & vanam observantiam.

Idololatria est cultus, quo colitur creatura loco Dei: ubi tamen nota idololatriam interdum sumi pro omni peccato, quatenùs per hoc homo moraliter inhæret creaturæ, sic *ad Ephes.* 5. Apostolus avaritiam vocat idololatriam.

123. Divinatio est prædictio rerum occultarum naturaliter incognoscibilium per tacitam, vel expressam dæmonis invocationem. Si intercedat explicitum pactum cum dæmone, vocatur necromantia, quæ non videtur unquam posse à mortali excusari: si verò tantùm intercedat pactum tacitum seu interpretativum, ut dum quæritur alicujus rei cognitio per ea, quæ ad illam acquirendam non sunt ordinata, & quibus se dæmon solet immiscere; juxtà Layman, Sanchez, & alios sæpè à mortali excusatur ratione simplicitatis, vel ignorantiæ invincibilis, vel quia non adhibetur certa fides sed tantùm suspicio: verùm mallem dicere tunc non committi veram superstitionem formalem, quia tunc censeo nullum omninò pactum cum dæmone intercedere. Ad divinationem reduci potest sortilegium, in quo mittuntur sortes, vel quid æquivalens, ad cognoscendum secretum præteritum, vel futurum ex pacto inito cum diabolo implicitè vel explicitè. Ita Lezana. Addo etiam grave peccatum divinationis committere Astrologos, qui futuros eventus à libero arbitrio dependentes ex astris prædicunt certò, vel etiam probabiliter: quia cum impossibile sit, humanâ industriâ ex astris deduci similem probabilem cognitionem (non enim astra sunt causæ immediatæ effectuum liberorum, ac contra propriam inclinationem perversam homo à Deo adjutus procedit) aliundè haberi non potest, quàm ex instructione & ope diaboli. Hinc benè Burghaber *Centur.* 3. *casu* 26. asserit superstitiosum esse attendere, & æstimare similes prædictiones, citans Less. Sanchez, & alios communiter, sicut & Sixtum V. & Urbanum VIII. qui in similes Astrologos severè ab Inquisitoribus animadverti jusserunt. Ac licèt subjungat, eum, qui tenuissimam solùm conjecturam faceret, quæ impressam ab astris inclinationem non excederet, probabiliter nullam superstitionem committere, monet tamen in foro externo, ubi ex præsumptione proceditur, censeri similem formam ad occultandam malitiam prætendi.

124. Vana observantia est, quâ aliqua fiunt ad obtinendum id, ad quod nec à natura, nec à Deo sunt ordinata. Est quadruplex; ars notoria, quâ quis credit assequi scientiam absque studio, per jejunia, orationes, figurarum inspectiones, &c. & hæc, si formalis sit, est peccatum mortale. Alia est observatio sanitatum, quâ adhibetur aliquid inane, ac inutile ad obtinendam sanitatem: hæcque est etiam mortalis; ut dum gladius, quo ali-

aliquod vulnus illatum est, adhuc sanguinolentus unguento, pulvere, aut nescio quo medicamento, ut vocant sympatico inungitur, ut læsus subitò sanetur: quia hic effectus, si sequatur, non potest nisi à malo spiritu provenire, cum illud medicamentum non sit potens agere in distans, saltem interruptâ sphærâ activitatis per interpositionem parietis v. g. quod sæpe fit. Nec ullum fundamentum est, illum effectum Deo imputandi. Tertia species observantiæ vanæ est observatio eventuum, quâ ex consideratione alicujus eventus conjicitur aliud omninò independens eventurum. Quarta denique est magia, quam aliqui à vana observantia distinguunt, & est ars corpora immutandi, aliaque mira perpetrandi ope dæmonis; quæ si tendat ad alteri nocendum, dicitur maleficium: quod duplex est; amatorium scil. seu Philtrum excitans amorem carnalem, vel odium, dæmone phantasiam hominis commovente; & veneficium, quo homini, aut aliis animalibus, nocumentum corporale infertur. Ubi adverte, nullatenùs licere maleficium maleficio solvere: si tamen maleficium causaretur per signa externa permanentia, licitè hæc tolli possent. Imò & posset maleficus rogari ut ea tolleret, modò id posset absque novo peccato; idque quamvis sciretur, eum id facturum per novum maleficium; sic enim ex causa licitum est ab usurario petere mutuum, quamvis constet, eum non daturum sinè usura. ratio est, quia cùm habeatur jus petendi quod ab alio rectè præstari potest, & in se est omninò indifferens, imputatur ipsius malitiæ si quid mali fiat. Ita docet Cornejo *tom.2.tract.6.disp.7.dub.37.* contradicente Del Rio *lib.6. de magia cap.2.s.1. q.2. dict.2.* & Patre Scilder *tract. 4. num.367.* Quidquid ipse nec plus videatur *num.368.seq.* dicere, speculativè loquendo, & si sola ratio spectetur. Interim ex his & aliis infert Busenbaum, licitum esse repercutere sagam quæ te percussit; eâ enim repercussâ solere noxam cessare docent Lessius, & Sanchez. Addo tamen, neminem posse petere curationem morbi ab eo, quem scit non posse licitè illum curare: quia hoc esset exigere peccatum alterius, quod nullâ ratione exusari potest. Atque hinc infero cum P. Scilder *loc. cit.* quòd vix unquam possit adiri ullus maleficus, præter eum, qui maleficium posuit: quia alius ignorans ubi positum sit, non potest illud tollere, nisi per novum maleficium. Ex quo ulterius fit, ut etiam nequeat licitè adhiberi is, qui se offert ad maleficium tollendum mediô positivô, quod non vult judicare; nisi hic sit prudens, doctus, & pius. Aliàs enim moraliter certum est, quòd illud tollere non possit, nisi per novum maleficium. Ita etiam ante P. Scilder docuit Bardi *disc.6.c.2.§.20. num.9.* Quomodo autem Confessario agendum sit cum divinatoribus, & magis? Vide eundem Busenbaum: & quoad omnia prædicta, Franciscum B. Spei.

125. Dico secundò, tentatio Dei committitur, dum quis inquirit per dictum

dictum aut factum, Dei potentiam providentiam, misericordiam, &c. Alia est formalis & expressa, dum quis aliquid facit, vel petit expresse eô animô, ut experiatur Dei potentiam, &c. ut si quis vellet concionari sinè ulla præparatione præcisè ut experiatur Dei providentiam erga se, & Ecclesiam. Alia est implicita & interpretativa tantùm, quando scil. fit, vel petitur aliquid, quod ex se referri videtur ad aliquam Dei perfectionem probandam, sinè animo tamen expresse Deum tentandi; ut si quis graviter laborans nollet uti medicinis, sperans à Deo immediatè sanari. Prior ex suo genere est mortalis ob dubitationem circa perfectiones Dei, quæ involuit gravem irreverentiam, si non contemptum. Posterior sæpe à mortali excusatur, si absit dicta dubitatio, quia ordinariè adest vel imperfectio actus, vel ignorantia, vel parvitas periculi: puto interim quòd admonitus ab altero prudenti teneatur ejus consilium sequi sub gravi culpa si periculum sit magnum, nisi fortè adesset Dei instinctus, vel pia utilitas; quibus tamen non facile fidendum est.

126. Dico tertiò, sacrilegium est violatio rei sacræ, sive rei cultui Divino consecratæ: sic sacrilegium committitur, & violatur Ecclesia per effusionem sanguinis in ea factam; per extractionem personæ ex ea, paucis casibus exceptis; per effusionem seminis in loco sacro; pro quo vide dicta supra; sicut & pro sacrilegio in materia furti: item pro vitio simoniæ, & perjurii; de quibus sufficienter suis locis. Quare sit

* * *



TRA-

TRACTATVS V.

De Sacramentis.

DISPVTATIO I.

De Sacramentis in genere.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex Sacramentum: quæ eius materia, & forma?

1. Dico primò, Sacramentum est signum sacrum sensibile ad hominum sanctificationem divinitùs institutum. Dicitur *signum sacrum*, eò quòd ordinatum sit ad cultum Divinum: *sensibile*, id est sensu externo perceptibile; nam aliàs non posset hominem deducere in cognitionem rei spiritualis, esset que potiùs signum angelicum quàm humanum. Potest data definitio convenire Sacramentis veteris legis, si per signum intelligas speculativum, id est significans hominum sanctificationem, sive gratiam: si verò intelligas practicum, id est causans ex opere operato ipsam sanctificationem, solùm covenit Sacramentis novæ legis, de quibus hîc solùm agimus. Est autem causare ex opere operato, causare per suum usum & applicationem, & non per actum ipsius applicantis aut suscipientis; hoc enim ultimum est causare ex opere operantis. Additur *ad hominum sanctificationem divinitus institutum*, videl. primariò, ut excludantur sacrificia, quæ primariò instituta sunt ad colendum Deum; & Sacramentalia, quæ non à Deo immediatè, sed ab Ecclesia sunt instituta.

2. Dico secundò, Sacramenra novæ legis sunt septem, prout sæpiùs contra hæreticos est definitum; Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium: quæ omnia à Christo esse instituta tradit Tridentinum *sess*.7. *cap*.1. Duo ex iis, videl. Baptismus & Pœnitentia dicuntur Sacramenta mortuorum, eò quòd sumi possint à mortuis secundùm animam: reliqua verò quinque sunt vivorum, quia non nisi à viventibus vitâ spirituali, sive existentibus in gratia suscipi licitè possunt.

possunt. Alia insuper Sacramenta sunt imprimentia characterem, alia non; de quibus suo loco.

3. Dico tertiò, omnia legis novæ Sacramenta perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ. Patet ex Concilio Florentino in decreto fidei, & Augustino dicente, *accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*. Per rem, vel intellige substantiam aliquam sensibilem, ut sunt aqua, oleum, &c. quæ sunt materiæ remotæ; vel actionem aliquam externam, ut est ablutio, unctio, &c. quæ sunt materiæ proximæ. Per verba verò intellige, vel verba propriè prolata, vel aliquid verbis æquivalens, prout in Sacramento Matrimonii signa externa consensum exprimentia possunt supplere munus verborum. Dicuntur autem res materia, & verba forma, à similitudine compositi physici; sicut enim in hoc materia ex se indifferens ad hoc vel illud compositum, determinatur per formam ad hoc compositum in particulari constituendum; ita etiam in Sacramentis res sensibilis ex se indifferens ad hoc vel illud significandum, per modum materiæ determinatur per verba, quasi per formam, ad hanc significationem præ illa. Vide circa hæc Franc. B. Spei *de Sacram. disp.* 1. *num.* 38. *& seq.*

4. Adverte, tam necessariam esse materiam & formam Sacramentorum, ut nullum sit Sacramentum ubi materia aut forma substantialiter, sive essentialiter mutatur: ubi tamen solùm fit mutatio accidentalis, valet quidem Sacramentum, sed peccatum committitur, idque mortale nisi materiæ levitas excuset, aut inadvertentia, vel ignorantia. Mutatur verò materia substantialiter, dum, juxtà usum & communem hominum acceptionem, mutatur nomine & re, ab ea, quam Christus Dominus determinavit: accidentaliter mutatur, quando adhuc servat eundem usum & nomen. Item forma mutatur essentialiter, quando immutatur sensus verborum; qui si idem perseveret, tantùm erit mutatio accidentalis. Pro his consule dictum Franciscum *num.* 71. *& seq.*

Dico quartò materia & forma Sacramenti debent esse simul. Hinc minister debet servare quantum potest simultatem materiæ cum forma, ut quando ponit materiam, simul proferat formam; prout fieri potest in Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, extremæ Unctionis, & Ordinis: in Sacramento verò Pœnitentiæ absolutâ confessione, impositâque satisfactione, statim proferat verba absolutionis; & in Sacramento Matrimonii explicato assensu unius contrahentium, statim alter explicet assensum suum. Atque hoc expressè mandat obsequiale Constantiense *fol.* 35. quoad Sacramentum Baptismi, ut nimirum proferatur forma eodem tempore, quo aqua attingit corpus baptizati: item Cajetanus vult non valere Baptismum, si tota forma pronuntietur ante cœptam, vel post finitam ablutionem & licet Tamburinus *in expedita Iuris moralis expositione lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *num.* 1. post Sotum ipsum in hoc vocet scrupulosum; quia tamen idem sentiunt Scotus & Navarrus apud Gobat

in

in Alphabeto Baptizantium num. 80. judicarem, id practicantes absolutè mortaliter delinquere, Baptismúmque sic collatum esse sub conditione repetendum; licèt longè communior opinio recentiorum velit, non obesse valori hujus, aut aliorum Sacramentorum, etsi tota forma immediatè ante vel post ablutionem aut applicationem materiæ proferatur, eò quòd adhuc conservetur moralis coexistentia materiæ & formę, veritasque verborũ.

DVBIVM SECVNDVM.

Quis sit minister Sacramentorum, & quando validè administrentur?

5. Dico primò, minister Sacramentorum est solus homo viator: quia hæc Christi verba, *hoc facite in meam commemorationem*; *euntes baptizate eos*, & similia, ad solos homines viatores sunt dicta: & aliàs, ut advertit Franc. *disp.* 4. *n.* 6. Angeli sancti contra charitatem peccassent jam sæpiùs, permittendo homines sine Baptismo, aut aliis Sacramentis mori, quæ facilè contulissent. Est etiam minister omninò necessarius ad valorem Sacramenti; quod definitur in Florentino per hæc verba, *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videl. rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri.*

6. Dico secundò, ut minister validè Sacramenta administret, non requiritur, ut habeat fidem; & multò minùs ut sit in gratia; quod utrumque sæpiùs in Ecclesia definitum est: & ratio reddi potest, quia Sacramenta suum effectum consequuntur ex opere operato: undè minister non virtute propriâ, sed in virtute Christi operatur. Requiritur tamen necessariò potestas in ministro: ac quamvis omnis homo habeat potestatem ad validè conferendum Sacramentum Baptismi ob summam ejus necessitatem; & minister Matrimonii sunt ipsi contrahentes, saltem probabiliùs; confirmationis tamen, & Ordinis minister est solus Episcopus; Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis solus Sacerdos: unde à Tridentino *sess.* 7. *can.* 10. damnatur qui dixerit, Christianos omnes in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Insuper requiritur ad validitatem Sacramenti, ut minister habeat intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, vel quod Christus instituit: pro quo consule quæ habet P. Franciscus *loco citato numero* 7. *& seq.* Hinc si hæreticus contrahat Matrimonium non credens esse Sacramentum, nec volens facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, quam putat esse veram, adhuc validè conficit Sacramentum; quia generalis intentio, quâ vult facere quod Christus instituit, prævalet intentioni provenienti

nienti ex privato errore. Ita Bonacina, Suarez, & alii.

7. Adverte hîc, intentionem posse esse triplicem, actualem scil. virtualem, & habitualem. Actualis habetur, quando voluntas cum advertentia intellectus fertur in opus, quamvis operans reflexè non dicat, *volo facere &c.* Virtualis habetur, dum quis ex virtute actualis præhabitæ, perficit opus; quæ virtus, sive virtualis intentio tamdiu censetur durare, quamdiu exercentur media ad intentum finem: exempli causâ; audit quis pulsari suum Sacrum, elicitque intentionem consecrandi, vadit eô fine ad sacristiam, vestit se &c. nec tempore Sacri repetit actualem intentionem, sed toto tempore distractus Sacrum suo ordine perficit, talis dicitur manere in intentione virtuali, quatenus virtute prioris intentionis omnes sequentes actiones elicit; atque hoc DD. communiter docent teste Dianâ *part. 2. tract. 3. res. 32.* Habitualis denique intentio, est facilitas quædam ad eliciendas intẽtiones actuales relicta ab ipsis intentionibus actualibus prælicitis. Hoc notato

8. Dico tertiò, juxta communem, teste eodem Diana ibid. ad Sacramentum non sufficit intentio habitualis; quia hæc nullo modo influit in effectum, &, cùm maneat in dormiente, non sufficit ut actus dicatur humanus: sufficit tamen intentio virtualis; quamvis enim melius sit, ministrum semper habere intentionem actualem, non videtur rationi consonum, hanc absolutè à Christo requiri ad valorem Sacramenti, cum vix possibile videatur, eam posse semper haberi ob varias distractiones, quas homo etiam nolens sæpè patitur. Per quid autem actu differat intentio virtualis ab habituali, habes apud Franciscum *disp. 4. numero 36.* ubi dicit, se id ab aliis non reperisse bene examinatum; quomodo sub intentione virtuali Sacramentum humano modo conferri possit?

Interea Burghaber *Centur. 2. casu 62.* agnoscit adhuc aliam intentionem virtualem absque ulla actuali prævia, qualem dicit habere Parochum, qui curis, negotiis, & colloquiis variis multùm distractus ante Sacramentorum administrationem non aliam habet voluntatem, quàm more aliorum Sacerdotum sacris se vestibus induendi, locum designatum adeundi, & cætera consueta faciendi: hancque vult esse sufficientem intentionem à Tridentino *sess. 7. can. 11.* requisitam, ad Sacramentorum effectionem & administrationem, pro se citans Reginaldum & Dianam. Ratio ipsius est, quia induere Sacerdotales vestes, & cum his se conferre ad altare, aliaque peragere, est medium ex institutione Ecclesiæ ad celebrationem Missæ v.g. ergo eo ipso quòd Sacerdos velit more solito illa facere; virtualem habet celebrandi intentionem: & aliàs magni scrupuli, inquit, ac anxietates excitari possent in Ecclesia apud fideles de suo Baptismo, absolutione, aliisque Sacramentis susceptis. Addit tamen meritò in fine, hanc virtualem intentionem nunquam suadendam esse, sed meliorem eligendam

dam: dico ego, nec in se practicandam esse; ac de ea intelligi debet P. Franciscus *loco parum antè citato.*

Petes fortè, an sufficiat intentio conditionata?

9. Respondeo quòd non, si conditio sit de futuro: quia non est in potestate ministri suspendere effectum Sacramenti ad illud tempus, quo amplius non existit forma ejusdem. Excipe tamen Sacramentum Matrimonii, in quo consensus factus sub conditione de futuro, veluti suspensus perseverat, quamdiu non est impleta conditio, adeoque hâc adimpletâ ipsum Sacramentum primò accipit suum esse completum. Sufficit autem etiam in aliis Sacramentis, si conditio sit de præterito aut præsenti, sicut & si quis dicat: *Absolvo te, &c. si jam sit verum, quòd restitues cras*; quia tunc transit forma, & consequenter intentio in absolutam; ac si conditio vera est, verum efficitur Sacramentum: quia tamen nullum esset Sacramentum, si conditio esset falsa, nulla unquam sinè gravi necessitate addenda est conditio ob periculum sacrilegii. Vide P. Franciscum *n.* 47.

DVBIVM TERTIVM.

Quid requiratur, ut quis licitè administret Sacramenta?

10. Dico primò, ut quis licitè administret Sacramenta (præter requisita ad validè administrandum) requiritur, ut sit in gratia. Ratio est; quia minister debet conformari ei, cujus est minister, id est Christo, juxta illud Lucæ 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum:* & Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos:* ex quibus, sicut & ex D. Augustino, & Thoma, clarum est, eum delinquere mortaliter, qui conficit Sacramentum in statu peccati mortalis ob gravem irreverentiam, quam committit in Deum, qui in tali statu exercet vices Christi, & actionem tam dignam utpote productivam gratiæ, & causativam sanctificationis humanæ. Attamen ab hoc mortali peccato potest quis excusari ratione ignorantiæ, ut obstetrix baptizans; item ratione necessitatis, dum scil. brevitas temporis & rei perplexitas non permittit quempiam ad gratiam se disponere; qualiter Burghaber *Centur.* 1. *casu* 84. excusat Parochum citò vocatum ad moribundum confiteri volentem, qui anxius eò quòd sit in statu peccati mortalis, nec tam repentè conteri se posse ratus, nihilominus eum auditâ confessione absolvit, aliisque Sacramentis munit; dicitque sic sentire Card. de Lugo, & Dicastillo. Insuper Sylvius cum quibusdam docet, omnes baptizantes non ex officio, posse à mortali excusari quamvis sint in peccato mortali. Et Marchantius *in resol. Pastor. de Sacram. tr.* 1. *cap.* 3. docet, hequidem

quidem Sacerdotem privatim sinè solemnitate baptizantem peccare mortaliter, licèt in peccato mortali existat: quod tamen non admitto. Vide circa hæc Franciscum *disp.* 4. *numero.* 86. *& seq.*

11. An verò etiam mortale sit, Sacramentum antea confectum ex officio aliis distribuere in statu peccati mortalis; exercere munus Diaconi &c.? In propriis locis examinabitur. Solùm adde, contra Marcirium, & Adrianum, non necessariò requiri confessionem, sed sufficere contritionem ante ministerium alicujus Sacramenti, exceptâ Eucharistiâ dum recipitur aut conficitur ab eo, qui est in mortali peccato: quod in praxi omnes supponunt; quamvis tamen meritò in Rituali Romano consulatur, ut ante cujuscumque Sacramenti administrationem præmittatur confessio ab eo, qui lapsus est in mortale peccatum; si nempe adsit copia Confessarii, & temporis ac loci circumstantia ferat: ratio est, quia difficilis est contritionis actus, qui tunc necessarius est, saltem putatus.

Dico secundò, debet etiam licitè administrans Sacramenta esse recollectus: quia saltem venialiter peccat, qui volunrariè distractus Sacramentum conficit, ita, ut ad ipsum, vel ad Deum non attendat, eò quòd irreverentiam committat. Non puto tamen hanc distractionem esse mortale peccatum, quamdiu sic conficiens Sacramentum securus est, quòd nihil grave ex requisitis ad Sacramentum omittat; non enim hîc irreverentia videtur adeò gravis. Excipe tamen Consecrationem Corporis & Sanguinis Christi, juxta dicta *tract.* 1. *disp.* 5. *num. ultim.* & adde, excludendum esse contemptum, etiam virtualem, qualem Tamburinus adesse putat, si aliquis minister profiteretur semper oscitanter, & distractè se habere: nam tunc videretur res sacras contemnere.

Petes, an minister in Sacramenti administratione possit sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori?

Respondeo negativè cum P. Urbano *tractat.* 1. *cap.* 11. quia præterquam quòd per hoc, Sacramentum exponatur periculo nullitatis, lex naturalis obligat ut proximo procuretur bonum spirituale quâ potest viâ tutiori: in hoc casu igitur, sicut & de medico & judice supra, valet commune dictum, *In dubio tutior pars est amplectenda.* Vide etiam Dianam *part.* 2. *tr.* 13. *resol.* 2. ubi ait, in ordine ad pœnitentem, quando sententiæ diversæ sunt circa materiam & formam, vel aliquid quod ad valorem Sacramenti requiratur, debet Sacerdos ob periculum gravissimi detrimenti inde secuturi, relinquere opinionem probabilem, & probabiliorem amplecti. Ita ille: limitans id tamen cum Lorca; primò circa essentialia Sacramentorum necessariorum ad salutem; quia in iis, inquit, quæ non sunt de necessitate salutis, possumus uti quâcumque opinione probabili probabiliori relictâ. Verùm hæc limitatio displicet, tum ob periculum nullitatis cui exponitur Sacramentũ, tum etiam quia adhuc in re juxta se spectatâ magni momenti læditur charitas, licèt non in re tantu

tanti momenti, ac sunt Sacramenta necessaria.

13. Limitat secundò, quando non est in potestate ministri sequi opinionem probabiliorem: sic dum in casu necessitatis non adest materia certa vel probabilior, v. g. aqua omninò naturalis, potest puer baptizari in materia probabili, ut est cerevisia valde tenuis, aqua rosacea, &c. quia necessitas tunc excusat irreverentiam, quæ aliàs committeretur. Idem dic de materia dubia; prout accidere potest in tenebris, ut quis nesciat, utrùm capiat aquam, vel alium liquorem, dum tamen baptismus differri non potest.

14. Limitat tertiò, idem Diana cum Maldero, quando defectus provenit ex parte suscipientis; ut si pœnitens vellet confiteri cum attritione cognita: tunc enim minister absolvens non peccat contra charitatem, nec facit pœnitenti injuriam. Sic etiam absolutè Cornejo *tom.1.tract.8.disp.3. dub. ult.* docet, Confessarium quemcumque posse absolvere pœnitentem contra propriam opinionem, etiam probabiliorem, juxtà opinionem probabilem ipsius pœnitentis, quamvis sit minùs tuta, & in damnum ipsius: si enim manifestavit peccata sua, & illi negetur absolutio, quæ licitè juxta probabilem opinionem ipsi concedi potest, gravis ei irrogatur injuria. Ita etiam docet Salas *tract. 8. disp. unicâ, sect. 9. num. 82.* plures alios referens. Verùm cùm æqualis committatur irreverentia in Sacramentum à ministro, dum defectus sibi notus provenit ex parte suscipientis, ac dum provenit ex parte materiæ aut formæ independentis à suscipiente; & cùm præceptum charitatis erga seipsum, ut minùs æquè obliget pœnitentem in re tam necessaria sequi sententiam probabiliorem, quàm præceptum charitatis erga proximum obliget ministrum Sacramenti ad idem; malo sustinere sententiam oppositam sinè hac limitatione; quamvis tamen aliunde admittam licitè absolvi pœnitentem cum attritione cognita, quia nimirùm sententia communis, & hoc nostro tempore ferè certa (ut videbitur suo loco) docet, attritionem esse materiam sufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ. Judico autem cum P. Scilder, ministrum in Sacramenti administratione posse sequi sententiam moraliter certam, relictâ opinione tutiori, nisi præceptum Ecclesiæ sit in contrarium: quia etiam pro malis gravissimis evitandis prudenter procedit is, qui adhibet remedium, de cujus virtute moraliter certus est: & aliàs in materia Sacramentorum anxietates plurimæ sequerentur.

Scio eundem P. Scilder *tract. 2. num. 121.* sequi sententiam nostri P. Cornejo, ubi sic loquitur: *Confessarius, qui audivit confessionem pœnitentis, habentis opinionem probabilem oppositam, absolvere eum debet, si possit.* Et parùm infrà: *Obligatio absolvendi pœnitentem confessum, tum in Confessario ordinario, tum in delegato est gravis, sive sub mortali:* quod extendit etiam, dum confessio est facta de solis venialibus, licèt hoc postea parùm mitiget. Sed peto, quomodo hæc consistant cum iis, quæ habet

habet *eodem tract. num. 25. is, qui opinatur actum esse materialiter malum, & nihil scit de opinione aliorum contraria, non potest formare judicium practicum, sive conscientiam, quòd absque peccato formali illum positurus sit; ergo nec ille, qui scit alios judicare actum illum esse licitum: quia opinio aliorum, quam quis judicat esse falsam* (sicuti ille Confessarius judicat de opinione pœnitentis juxta P. Scilder *num.* 16. dicentem, unus homo efficere non potest, ut duo contradictoria sint intrinsecè probabilia) *non magis potest movere, quàm ignorata.* Et ne viam evasionis quærat per illa verba *si positi*; pono ea, quæ docet absolutè *num.* 120. ubi sic loquitur: *Quando minister habet opinionem probabilem de alia re, quàm de valore Sacramenti, & suscipiens opinionem probabilem oppositam, minister illi Sacramentum conferre potest. Casus est, quando minister opinatur pœnitentem obligari ad restitutionem, & pœnitens probabiliter opinatur, se non esse obligatum. Ita cum communi Bosius, Ildephonsus, &c.* Potéstne Confessarius se accommodare opinioni pœnitentis, quæ non est, aut ita est, ac si non esset? Et quia ille Author ponit casum de restitutione, peto quid Confessarius possit & debeat facere, si pœnitens sit ille sectarius, de quo ipse agit *loc. cit.* qui non vellet restituere, quia juxta opinionem Lutheranorum, Calvinistarum, Hussitarum à se reputatam omnino probabilem ad hoc non tenetur?

15. Limitat denique supradictam sententiam Diana *loc. cit.* post Villalobos, Malderum, & alios: quando opiniones versantur circa jurisdictionem Confessarii: tunc enim Ecclesia, stante opinione probabili, confert ei jurisdictionem certam. Ita illi & alii: excipe tamen, nisi sola probabilitas versetur circa sacerdotium ipsum; quia hujus defectum non potest supplere Ecclesia absque nova ordinatione.

DVBIVM QVARTVM.

Quid requiritur, ut quis validè, & licitè Sacramenta suscipiat?

16. Dico primò, ut adultus aliquod Sacramentum validè suscipiat, non requiritur positiva voluntas, seu intentio hîc & nunc Sacramentum suscipiendi, sed sufficit intentio interpretativa, sive pura non resistentia cum advertentia ad id, quod suscipit; quia non est unde major intentio requiratur. Nec refert (quidquid id urgeat Lugo) quòd requiratur intentio positiva in susceptione Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonii; nam hæc non requiritur, quatenùs est intentio suscipientis præcisè; sed

Pœni-

Pœnitentia, quatenùs intentio in suscipiente, saltem virtualis, est partialis materia Sacramenti; in Matrimonio verò, quatenùs est simul intentio ministri, qui hîc sunt ipsi suscipientes; horum autem nil simile reperitur in aliis Sacramentis. Unde ad valorem extremæ Unctionis v. g. juxta satis communem doctrinam sufficit voluntas implicita, seu interpretativa, quâ omnis christianè vivens reputatur velle, ut sibi morienti conferantur Sacramenta, quæ Christianis morientibus conferri solent: quapropter æger subitò usu rationis privatus, inungendus est, quamvis explicitè Unctionem non petierit. Quòd verò in ministro requiratur positiva intentio, est, quia hic se habet tanquam causa moralis efficiens Sacramentum; suscipiens autem ut subjectum patiens tantùm. Vide circa hæc P. Franciscum *disp.* 4. *num.* 50. & *seq.*

17. Dico secundò, ut quis licitè suscipiat Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ, sufficit sola attritio. Ita DD. communiter: & probabitur infrà. Deinde ad susceptionem Eucharistiæ requiritur, ut præmittatur confessio ab eo, qui commisit peccatum mortale non confessum: de quo fusiùs infrà. Denique ad licitè suscipiendum Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Matrimonii, aut extremæ Unctionis, sufficit status gratiæ obtentus per contritionem perfectam.

Petes hîc fortè primò, an quis accedens ad Sacramentum in statu mortalis peccati, debeat à ministro ejusdem repelli?

18. Respondeo affirmativè, si accedat occultè: secùs, si accedat publicè, nisi fortè & peccatum ipsius publicum fuerit; quia per hoc graviter infamaretur, quod elucidabimus, ubi de Eucharistia agemus. Hîc solùm nota, ab aliquibus excipi eum, qui cum occulto peccato, Episcopo noto, publicè accedit ad Sacramentum Ordinis, quia in hoc repulsa fieri potest ob plurimos prætextus, ita ut vix sit periculum infamandi petentem, eò quòd Episcopus privatim soleat inquirere conditiones singulorum, atque adeò rejicere possit absque eo, quòd innotescat causa.

Petes secundò, an quis possit licitè petere Sacramentum ab eo, quem novit illud collaturum in statu peccati mortalis?

19. Respondeo affirmativè, si adsit causa rationabilis Sacramentum hîc & nunc petendi, nec alius adsit, à quo id possit recipere. Ita Franc. B. Spei *loc. cit. num.* 103. Ratio est, quia quod petitur est ex se bonum, potéstque is, à quo petitur, idem licitè conferre, si velit, adeoque debet hujus malitiæ adscribi, si peccet conferendo. Dixi, *nec alius adsit*, &c. quia quisque tenetur peccatum proximi vitare, ubi sinè ullo incommodo potest; & aliàs imminuitur reverentia Sacramento debita. Quandonam autem adsit causa rationabilis petendi Sacramentum à malo ministro? Controvertitur inter DD. conveniuntque omnes quoad articulum mortis, in quo à dicto ministro licitum est petere Sacramenta Bapti-

Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ac probabiliùs etiam Euchariſtiam; cùm enim tunc urgeat præceptum Communionis, plus ex charitate obligatur quis proprium vitare peccatum, quàm alienum: quo fundamento etiam convincitur, licitum eſſe à tali petere Euchariſtiam in Paſchate, ſi alius adiri commodè nequeat. Imo juxta P. Urbanum *tract.* 1. *cap.* 37. Marchantium, & Franciſcum, ad petendum Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ à tali miniſtro ſufficiens cauſa eſt, dum adeſt aliqua principalis ſolemnitas, in qua quis ex pietate ſolet communicare: item dum quis à longo tempore non eſt confeſſus. Sed quid, ſi dictus miniſter eſſet excommunicatus? Reſpondeo, in caſibus prædictis ab eo poſſe licitè peti dicta Sacramenta, ſi necdum ſit denuntiatus, aut publicus percuſſor Clerici: dico, *Si necdum ſit denuntiatus*, &c. quia ex Eccleſiæ præcepto ſunt tales vitandi, nec licita eſt participatio in Divinis cum ſimilibus: excipe tamen adhuc articulum mortis, in quo à talibus licitum eſt petere Baptiſmum & Pœnitentiam, ob cujuſque neceſſitatem ſpiritualem.

DVBIVM QVINTVM.

Quinam ſint effectus Sacramentorum?

20. Dico primò, effectus communis omnibus Sacramentis eſt gratia habitualis ſive ſanctificans, quam ritè diſpoſitis cauſant ex opere operato, ut fides docet; non quidem ut cauſæ principales, ſed inſtrumentales; principalis enim cauſa gratiæ Chriſtus ipſe eſt. Deinde effectus communes Sacramentorum etiam ſunt habitus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, qui intelliguntur per dona, dum Tridentinum dicit, nos fieri formaliter juſtos per infuſionem gratiæ, & donorum.

21. Dico ſecundò, inſuper ſingula Sacramenta habent effectus proprios, qui ſunt quædam gratiæ actuales, quibus ſuſcipientes redduntur expeditiores ad ſuſcepti Sacramenti finem conſequendum. Ita D. Thomas hîc *quæſt.* 62. *art.* 2. & D. Bernardus *ſerm. de Cœna Domini*: quinam autem ſint illi effectus proprii, commodiùs dicetur ſuis in locis. Solùm

22. Adde, tria Sacramenta, videl. Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem pro effectu inter ſe communi habere characterem, quem ſuſcipientibus imprimunt, ſuntque initerabilia, prout in Florentino, & Tridentino definitum eſt. Eſt verò character ſignum ſpirituale impreſſum animæ, quo homo deſignatur ſervus, miles, vel miniſter Chriſti: ſervus videl. per Baptiſmum, per quem quiſque efficitur membrum Eccleſiæ, notaturque Baptiſmi charactere, quo tanquam Chriſti ſervus diſtinguitur à non baptizatis, tanquam

tanquam extraneis Christi & Ecclesiæ. Miles similiter per Confirmationem, quatenùs per hujus Sacramenti characterem notatur, & specialiter deputatur ad fidem constanti animo profitendam quoties necessarium fuerit. Constituitur denique quis minister Christi per Ordinem, quatenùs per hunc quilibet consecratur, & specialiter deputatur ad Sacramenta ex officio aliis administranda. Character sic per Sacramenta animæ impressus, illi juxta Tridentinum *sess.* 7. *can.* 9. indelebiliter inhæret, ita ut de fide sit, eum esse indelebilem quamdiu homo vivit: & probabiliùs puto, eum duraturum in perpetuum, in damnatorum confusionem, & beatorum decorem. Ita DD. communiter. Occasione primæ resolutionis

Petes primò, an Sacramenta conferant omnibus æqualem gratiam?

23. Respondeo, idem Sacramentum æqualiter dispositis æqualem, inæqualiter verò inæqualem conferre gratiam. Ita D. Thomas hîc *quæst.* 69. *art.* 8. & Tridentinum *sess.* 6. *can.* 7. dicens, quemcumque recipere justitiam secundùm propriam dispositionem. Ratio est, quia quamvis Sacramenta causent gratiam ex opere operato, non tamen ideo recedendum est à modo causandi cæterorum agentium, quæ perfectiùs agunt juxtà meliorem subjecti dispositionem, hâc se tenente per modum conditionis, sinè qua non causaretur ex opere operato tam perfectus effectus. Vide Franc. B. Spei *de Sacram. disp.* 2. *num.* 25. An verò meliùs dispositus recipiat etiam augmentum gratiæ ex opere operantis? Distinguo cum Bassæo, verbo *Sacramentum, cap.* 4. *n.* 6. post alios, ubi dicit; si dispositio melior sufficiat, ut etiam extra Sacramentum gratiam conferat, prout sunt contritio, & amor Dei super omnia, meliùs dispositus plùs gratiæ recipit, etiam ex opere operantis; secùs si non sufficiat, &c. Non quæritur hîc, an unum Sacramentum altero plus gratiæ conferat; quia cùm Sacramenta secundùm se ex mera Dei voluntate [illegible]iam habeant virtutem, nihilque circa hanc sit definitum, id prorsus obscurum videtur; sicut obscurum etiam est, quantam gratiam singula Sacramenta conferant. Interim putarem dignius Sacramentum majorem gratiam conferre, quàm aliud minùs dignum; de quo videri poterit Meracius. Esse autem Sacramenta imparia in dignitate tradit Tridentinum *sess.* 7. *can.* 3.

Petes secundò, quid dicendum sit de Sacramentalibus?

24. Respondeo inprimis certum esse, dari in Ecclesia potestatem sacramentalia instituendi, præscribendique certas cæremonias circa Sacramentorum administrationem. Patet ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. ubi adducit verba Apostoli 1 *Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Constat etiam ex perpetua Ecclesiæ praxi. Sunt autem sacramentalia, actus externi religionis ad colendum Deum accommodati, quales communiter censentur Oratio Dominica, aqua benedicta, eleemosyna, benedictio Episcopi vel Abbatis, signum sanctæ Crucis, prima tonsura, &c. quæ omnia dicuntur remit-

tere peccata venialia, non quidem ex opere operato, ſaltem probabiliùs; quia non legitur uſquam iis eſſe facta promiſſio remittendi peccata. Imò nec videtur eſſe poteſtas in Eccleſia inſtituendi ſigna externa, quæ ex opere operato, ſeu ex vi inſtitutionis habeant virtutem remittendi peccata venialia. Solùm igitur venialia remittunt ex opere operantis, in quantum in nobis excitant pium motum voluntatis, quo peccata venialia delentur; ideo namque in conſecratione, & inſtitutione ſacramentalium preces recitantur, quibus ſacramentalia ſuſcipientibus, vel utentibus, motus pios Eccleſia precatur. Neque hoc tollit diſtinctionem ſacramentalium à non ſacramentalibus; quæ etiam habent vim ad pios motus voluntatis excitandos, ut ſunt bona exempla, admonitiones, &c. quia hæc non niſi excitant motus pios naturales, ſacramentalia verò ſupernaturales impetratos per merita & preces Eccleſiæ.

DISPVTATIO II.

De Baptiſmo.

DVBIVM I.

Quid Baptiſmus, quando ſit inſtitutus, & quæ ejus materia?

1. DIco primò, Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis per invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſive expreſſam trium Perſonarum prolationem. Coincidit hæc definitio cum alia D. Thomæ & Magiſtri, Baptiſmus eſt ablutio exterior corporis ſub præſcripta verborum forma; quàm diſtinctiùs exprimit P. Franciſcus dicens: *Eſt ablutio externa corporis, aquâ naturali facta in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad regenerationem ſpiritualem.*

2. Dico ſecundò, Baptiſmus eſt inſtitutus à Chriſto ante Paſſionem. Ita P. Franciſcus *de Baptiſmo, diſp.* 1. *num.* 4. Patet ex Auguſtino dicente, baptizatum à Juda, qui ſe ante Paſſionem ſuſpendit, non debuiſſe rebaptizari: & cùm Apoſtoli ante Paſſionem ex manu Chriſti communicarint, fuerintque conſecrati Sacerdotes, videtur dicendum, eos ante fuiſſe baptizatos: accedit, quòd nuſquam legatur, eos poſtea baptizatos fuiſſe. Quoad tempus autem determinatum, quo inſtitutus ſit; communiùs aſſignatur illud, in quo Chriſtus à Joanne baptizatus

tus est : sed contrarium ostendit N. Franciscus *loc.cit.num.*11. licèt fateatur Christum tunc aquas Jordanis, & in eis cæteras in ordine ad baptizandum, & spiritualiter regenerandum, sanctificasse; quod tradunt SS. PP. Unde puto cum eodem obscurū esse, quando, aut quo die Baptismus institutus sit. Adverte interim, Baptismum non fuisse necessarium ad salutem statim post Baptismum Christi, sed postquam vetera Sacramenta publicè fuerunt interdicta, ut docet D. Bernardus *epist.* 77. sive postquam Sacramenta nova sufficienter fuerunt promulgata; cujus ratio sumi potest ex tract. *de legibus*; quia scil. lex non obligat, nisi post sufficientem promulgationem; quæ quoad Sacramenta novæ legis, juxta communiorem doctrinam, facta censetur in die Pentecostes, quando S. Petrus habuit concionem publicam Hierosolymis, cui plurimi ex diversis mundi partibus intererant: unde & à die Pentecostes communiter censetur incepisse necessitas suscipiendi Baptismum.

Petes fortè, an Christus Dominus aliquos per se baptizarit?

3. Respondeo, eum verisimiliùs baptizasse B. Virginem, & S. Petrum. Ita Augustinus *epist.* 108. & S. Thomas *quæst.* 84. *art.* 7. *ad* 4. probaturque ex 3 *cap. Ioannis*, ubi dicitur: *Post hæc venit Iesus, & discipuli ejus in terram Iudæam, & baptizabat.* Ex quo probabiliter eruitur, eum baptizasse omnes Apostolos, qui tunc erant: nec enim legitur, unum ex iis ab alio fuisse baptizatum: cùm igitur dicitur *cap.* 4. *Quamquam non baptizabat, sed discipuli ejus*, indicatur, cum passim omnes non baptizasse, sed illum hoc munus reliquisse discipulis à se jam baptizatis.

4. Dico tertiò, materia remota Sacramenti Baptismi est aqua naturalis. Patet ex Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 2. post Lateranense, & Florentinum. Quare verò Christus potiùs instituerit aquam, quàm aliam materiam? duas congruentes rationes adfert D. Thomas; quòd scil. aqua sit res communissima, & semper ad manum, ut quilibet Sacramentum tam necessarium facilè possit suscipere; & quia aqua comodissima est ad abluendum; adeoque optimè potest significare gratiæ vim ad mundandas animas. Per ly *naturalis* excluditur à materia Baptismi omnis aqua alteri corpori in tantum admixta, ut juxta communem usum & acceptionem mutata sit re & nomine: unde excluditur cerevisia, aqua, in qua coctæ sunt carnes, aqua rosacea, succus herbarum, sudor, lachrymæ, nix, glacies, nisi resolvantur, &c. quæ ad longum adfert P. Franciscus suprà *num.* 24. quæque ut summùm possunt esse materia incerta & dubia, quâ nullus uti potest juxta suprà dicta, nisi in casu necessitatis: tuncque adhuc Baptismus conferri debet sub conditione, quòd materia præsens sit vera materia: ac posteà iterùm conferri debet in materia certa, si fieri possit, sub conditione, quòd prior Baptismus fuerit invalidus: ubi tamen observa dictas conditiones, sicut & alias omnes, non esse necessarium ore proferre, sed sufficere, si solâ mente concipiantur.

Quid dices ad casum, quem in principio

cipio sui libelli, cui titulus, *Alphabetum baptizantium*, adfert Georgius Gobat, nempe, cùm juvenis Hebræus in eremo infirmaretur ad mortem, peteretque valde instanter ab aliis juvenibus præsentibus baptizari, & deesset aqua, unus illorum fundens arenam super caput ejus, protulit formam baptismi, & ecce subitò sanatus est. Respondeo, baptismum nullo modo valuisse, ut patet ex cap. 3. Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ac Tridentinum *sess. 7. can. 2. de bapt.* expresè dicit: *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, anathema sit:* unde ille juvenis sic baptizans, non nisi per ignorantiam invincibilem potest à peccato mortali sacrilegii excusari: & illud miraculum debet pio petentis desiderio attribui, sive baptismo flaminis, prout etiam sentit N. P. Franciscus. Adde claritatis causâ, hîc aquam naturalem, seu elementarem, esse aquam fluminis, sulphureorum balneorum, fontis, putei, maris, pluviæ, paludis; item aquam fluentem ex lapidibus, aut parietibus, qui est liquor de aëre versus in veram aquam naturalem; nec non collectam ex vaporibus densatis, qui reperiuntur in operculo testaceo ollæ bullientis; sicut & resolutam ex nive, gelu & grandine: è contra verò nomine aquæ naturalis non posse intelligi vinum, lac, urinam, pituitam, salivam, aut liquorem supernatantem sanguini. De aqua ex sale resoluta pro & contra disputant Theologi. Sed quid de attramento? Hoc esse materiam aptam, defendit Gobat, dicens illud esse aquam nigram, æquè ac illam turbidam, quæ ex luto exprimitur actu apta ad sordes abluendas; & fortè, addit, eâ abluerent illi Æthiopes, qui colorem nigrum longè præferunt candido: dixerat parùm ante, absque omni dubio attramentum constare notabiliter majore copiâ aquæ, quàm aloës, aliorumque ingredientium: ego tamen puto illud non esse materiam Sacramenti, quia nullo modo potest dici manere re & nomine aqua naturalis, cùm omnes ejus qualitates, colorem nempe, saporem, odorem, &c. amittat, si sit verum attramentum, & non tantùm aqua nigra: atque in his multùm differt ab aqua turbida, quæ ex luto exprimitur, cum qua illud malè comparat Gobat: quique frustra miratur reliquos Doctores hîc non instituisse quæstionem de attramento, quam puto eos neglexisse, eò quòd judicarent satìs debere constare, verum attramentum non plùs posse dici materiam baptismi, quàm cerevisia vera possit dici talis materia: judico enim de attramento dicendum esse conformiter ad ea, quæ Doctores resolvunt de cerevisia.

5. An autem minima aquæ quantitas v. g. una aut altera gutta sit sufficiens materia Baptismi? Controvertunt DD. Nec immeritò affirmat Diana *part. 3. tract. 4. resol. 5.* cum aliis: quia ea quantitas aquæ sufficit ad Baptismum, quæ potest contingere corpus & successivè per partem corporis fluere, quod videtur posse facere unica gutta: unde Comitolus & Filliucius asserunt verùm fuisse Baptismum infanti moribundo collatum signo Crucis impresso in fronte digito

digito aquâ madefacto; quidquid putem Baptismum, ita collatum per unam guttam tantùm, debere postea iterari sub conditione si fieri possit, ac consequenter peccaret qui extra necessitatem ita baptizaret; quia ob contrariam multorum opinionem, unica gutta solùm potest esse materia probabilis. Adde aquam, ut sit materia licita Baptismi extra necessitatem debere esse consecratam, & puram ob reverentiam Sacramento debitam: ita ut, juxta DD. communiter, mortaliter delinqueret, qui absque gravi necessitate uteretur aquâ impurâ, & turbidâ, sicut & is, qui in solemni Baptismo absque necessitate ablueret aliâ aquâ, quàm è sacro fonte, tum ob Clementinam *unic. de Bapt.* tum ob universalem Ecclesiæ consuetudinem: quidquid Quintanadvennas apud Gobat hoc ultimum velit solùm esse culpam venialem. Dixi *in solemni Baptismo*: quia, juxta plures, in privato liberè omittitur benedicta.

6. Dico quartò, materia proxima Baptismi est ablutio, utpotè quæ immediatè per formam designatur ad esse Sacramenti. Unde omninò necessarium est, ut aqua immediatè attingat corpus baptizati; non ita tamen necessarium, ut minister immediatè aquam attingat; sufficit enim, eum talem actionem exercere, per quam juxta moralem hominum æstimationem dicatur verè abluere vel tingere baptizatum, ut v.g. per immersionem, aspersionem, immissionem per funem in puteum, &c. in quibus tamen curandum est, ut proferatur forma eodem tempore, quo aqua attingit corpus baptizati. Adde, quia praxis seu modus baptizandi est varius juxta varietatem locorum ac Provinciarum, semper servandum esse modum loci, nisi aliud necessitas cogat; tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum vi præcepti Episcopi loci. Putarem tamen non esse nisi culpam venialem, uti aspersione, cùm juxta ritum diœcesanum mandatur immersio vel affusio, quia non judico in Ritualibus diœcesanis extare verba, quibus exprimatur obligatio ad culpam mortalem. Ita Gobat post plures alios *in Alphabetho Baptizantium num.* 63. addens gravitatem peccati hac in parte desumendam esse ex metu scandali.

7. Nota cum P. Francisco & aliis, quando Baptismus immersione fit, emersionem non requiri ad Baptismi valorem: quia ante emersionem est vera ablutio requisita ad Baptismum. Unde si puella ad celandum partum, animo baptizandi, infantem in flumen projiciat, baptizatus est, licèt in illo submergatur. Ita enim sentit Burghabei *Centur.* 1. *casu* 91. dicens, illam esse planè communem DD. sententiam, quidquid contradicat Scotus, cujus sententiam ut probabilem defendit P. Herinx hîc *disp.* 5. *n.* 33.

8. An verò ad valorem Baptismi sufficiat si abluatur minima pars corporis? Etiam controvertitur. P. Franciscus dubium esse asserit: ast probabiliùs puto ego sufficere, si abluatur minima corporis pars moraliter sensibilis. Ita D. Thomas, Scotus, Gabriel, & alii. Probatur, quia sufficit ablutio talis partis, ratione cujus homo dicitur communiter ablutus, aspersus aut tinctus

ctus; sed talis est ablutio dictæ partis; ergo &c. Nec sequitur, non denominatur illud subjectum album, quod habet minimum in minima sui parte albedinem; neque homo dicitur calidus, qui in minima tantùm digiti parte habet calorem; ergo nec dici potest ablutus, aspersus &c. cujus tantùm minima pars corporis attingitur per minimam aquæ quantitatem: quia diversa est hominum communis æstimatio; aliter enim solent homines loqui de formis accidentalibus inhærentibus, quales sunt albedo, calor &c. aliter de illis, quæ merè extrinsecè corpus attingunt, eique adveniunt: nam ex minimo ictu aut vulnere dicitur homo verberatus aut læsus; ac similiter etiam à minima macula, maculatus; à minima gutta, aspersus, tinctus &c. Addo tamen extra casum necessitatis semper abluendam esse partem corporis magis principalem, id est caput, in quo vigent omnes sensus, & à quo infallibiliter totus homo denominatur ablutus. Sed quid si solos capillos aquâ attigerit? Variant DD. Valere Baptismum docent Toletus & Vasquez, negant Lessius, Sylvius, & alii apud Dicastillo hîc *tract.* 2. *disp.* 1. *nu.* 52. distinguit Lugo *in Respons. moral. lib.* 1. *dub.* 1. extendens solùm assertionem ad capillos tegentes caput, non ad defluentes per humeros, nec enim his, inquit, sed illis tactis &c. caput dicitur tactum, & consequenter homo tactus, utpote cujus vera pars, & non duntaxat superfluitas sunt illi capilli. Consequenter & hæc sententia videtur approbare Baptismum quo ungues aquâ baptismali attinguntur, prout illum approbat Octagavia apud Dianam *part* 5. *tract.* 3. *ref.* 4. qui cum solum admittit in extrema necessitate.

9. Quid si manu, vel arte obstetricis aqua posset attingere infantem in utero matris existentem? Nullus esset Baptismus. Ita Franc. B. Spei *de Bapt. disp.* 1. *n.* 31. Probatur, quia Baptismus est natorum, juxta illud *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Item genitorum, juxta illud Pauli *ad Titum* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Unde benè ait Augustinus *Epist.* 57. *Renasci quispiam non potest, antequam natus sit.* Quidam istas authoritates intelligunt de nativitate, quâ quis de non homine fit homo: sed malè, ut citatus Franciscus ostendit. Posset tamen quis in extrema necessitate sub conditione talem prolem ita baptizare conformando se opinioni oppositæ ad consulendum extremè laboranti. Imò docet Gobat validum probabiliter fuisse Baptismum, quo obstetrix baptizavit infantem in umbilico, per quem sugit alimentum à matre, quia ille umbelicus est aliquo modo pars illius. Idem etiam docuerat de Baptismo collato infanti adhuc involuto secundinis propter paritatem. Quibus meritò subjungit, putare prodesse fœtui ablutionem, quâ sola mater physicè attingitur, vel cuicumque alteri, quâ attingitur sola ejus vestis, carere omni probabilitate; nisi vestis esset adeo tenuis, ut aqua penetraret usque ad cutem.

* * *

DUB. II.

DUBIUM SECUNDUM.

De forma, & necessitate Baptismi.

10. DIco primò, forma Baptismi, quæ ab omnibus Latinis prædicari debet, est hæc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Ita definitum est in Concilio Florentino, & Tridentino *can.* 3. *de Baptismo.* Hæc tamen à Græcis communiter practicatur, & valet: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris*, &c. Ex quo patet, non esse necessarium, ut persona ministri explicitè exprimatur, licèt debeat exprimi persona baptizata, eò quòd Baptismus consistat in applicatione materiæ ad subjectum determinatum: unde non sufficit dicere, *Baptizo in nomine* &c. Valet interim Baptismus, licèt quis putet se baptizare Joannem, & baptizet Petrum; quia quamvis baptizans erret speculativè, non errat practicè, cùm dirigat suam actionem, sicut & intentionem, in personam præsentem. Monet hîc bene P. Franciscus, ut caveat Minister verba formæ Græcorum optativè aut deprecativè sumere; quia cùm id sit formæ extremæ Unctionis proprium, ut communiter docent Theologi, nihil efficeret.

11. Ex definitione Baptismi *dub.* 1. allata constat, in ejus forma debere fieri expressam invocationem trium personarum SS. Trinitatis; quod & patet ex perenni Ecclesiæ praxi, sicut & ex Scriptura *Matth.* 8. ubi dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* &c. quare hæc forma, *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis* non valet, ac multò minùs hæc, *Ego te baptizo in nomine Christi.* Quòd verò aliqui dicant, Apostolos hâc formâ baptizasse, si factum est, ex dispensatione fuit: & puto ego eos solùm baptizasse in nomine Christi loco Filii, ut per hoc, nomen Christi desineret esse odiosum apud Judæos, additis nimirum nominibus aliarum personarum; quo nihil plus, teste Francisco B. Spei, ex Scriptura colligi potest: vel potiùs dic eos in nomine, id est vice Christi baptizasse servatâ formâ communi. An valeant hæ formæ, *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti & spirati*; *in nomine omnipotentis, & sapientis, & boni,* &c.? Controvertitur, eò quòd ipsa Trinitas quidem exprimatur, sed non terminis, quibus ab hominibus potest & debet cognosci. Utrum verò ad essentiam Baptismi necessarium sit addere *in nomine*? affirmant communiter DD. quoad ly *nomine*, quia cùm debeat exprimi mysterium SS. Trinitatis, debet etiam exprimi unitas naturæ, quod non fit nisi per dictam particulam. Adde Scotum *in* 4. *dist.* 3. *q.* 2. Toletum *lib.* 2. *cap.* 19. & plures alios idem asserere de præpositione *in*: quapropter graviter peccaret, qui ly *in* omitteret, quidquid Bona-

Bonacina hîc *q.2.punct.*4. & Dicaſtillo hîc *numero* 130. velint omiſſionem utrorumque *ego* & *in* eſſe ex ſe ſolùm venialiter malam: quorum opinio nullatenus verificari poteſt niſi fortè in lingua Latina, ut rectè notat Gobat *caſu* 2 *numero* 69. quia ſi in Flandrica Gallicave omittas pronomen, *ego*, nullus efficietur ſenſus; item ſi in his, aut in Italica, Hiſpanica, vel Græca omittas præpoſitionem, *in*, orietur confuſio, ut patet horum idiomatum peritis.

Ratio autem congruentalis, quare Chriſtus voluerit per formam Baptiſmi exprimi dictum myſterium, eſt; quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, adeoque convenit, ut ejus forma exprimat magìs principale ejuſdem fidei myſterium. Vide circa hæc omnia Franc. B. Spei *diſp.* 1. *de Bapt. num.* 61. *&* 62. & adde, hanc formam non valere: *Ego intendo te baptizare in nomine*,&c. quia debet explicari actus baptizandi, & non ſolùm baptizantis intentio, ut poſt Sayrum advertit Tambur. *in expedita juris moralis expoſit. lib.* 2. *cap.*1. §.5. *num.*31.

Petes, quid dicendum ſit de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac B. Virginis Mariæ?*

12. Reſpondeo, ipſius valorem pendere ab intentione ſic baptizantis: ſi enim ejus intentio ſit proferre nomen Mariæ eo ſenſu, quo profert nomen Patris, &c. in virtute ſcil. Mariæ, dicta forma non valet: valebit tamen, ſi ſolùm velit B. Virginem invocare tanquam Advocatam vel pro gratia impetranda vel ad baptizatum defendendum contra tentationes, quæ ei in vita poſſent obvenire; tunc enim non mutatur ſubſtantialiter vera forma. De aliis variis formis Baptiſmi vide Bachonem *in* 4. *diſt.* 4. Solùm adde, nullum eſſe Baptiſmum, ſi duo baptizent eundem, uno infundente aquam ſeu abluente, & altero proferente formam; quia tunc forma eſt falſa; prout etiam non valet, dum unus formam incipit & alter perficit: quidquid unus poſſit validè plures baptizare ſub hac forma, *Ego vos baptizo* &c. ut DD. communiter docent poſt D. Thomam *qu.*67. *a.* 6. *ad* 2. quia tamen varii apud Dianam *part.* 5. *tractat.* 5. *reſol.* 26. volunt valere Baptiſmum, quo mutus ablueret corpus parvuli, altero, qui manibus caret, pronuntiante formam, putarem ſimilem Baptiſmum in extrema neceſſitate ſub conditione eſſe adhibendum, & eum aliquo caſu locum habere poſſe tempore peſtis: nam ſi in domum peſtiferam obſeratam nemini permittatur ingreſſus, & ſolus aliquis in ea ſit ita ignarus, ut formam brevi tempore addiſcere nequeat, proleſque ſit in extrema neceſſitate, poterit Parochus per feneſtram apertam pronuntiare formam, illo qui intus eſt aquam affundente. Ita Gobat *caſu* 4. *num.* 147. poſt Chapeavile: quòd ſi tamen poſſet aſperſione ad parvulum pervenire, teneretur indubiè per ſe aſpergere.

13. Petes iterum, ſi puer moriatur antequam ultima verba formæ proferantur, v. g. *& Spiritus ſancti*, an ſit verè baptizatus? Negant varii; quia dum

dum forma complebatur, baptizandus non erat amplius Viator & Baptismi capax: videri tamen affirmandum sustinet P. Franciscus *num.* 68. quia dum moritur, Baptismi forma ad modum entium successivorum simpliciter physicè existit: & aliunde materia ac forma simpliciter coexistunt, si forma materiam sequatur ad brevem interpellationem, tussis v. g. aut verborum, *Non est hîc, abivit* &c. cùm tamen non minùs requiratur veritas formæ quàm subjectum Viator & Baptismi capax: magis tamen in casu proposito ly *Spiritus sancti*, conjungitur cum Viatore vivente, quàm in hoc casu forma cum materia. Ita Franciscus.

14. Dico secundò, Baptismus est omninò necessarius parvulis ad salutem necessitate medii; nam eo etiam inculpabiliter omisso salvari non possunt. Est definitum in variis locis Tridentini: unde sententiam Cajetani & aliquorum aliorum Catholicorum omnes temerariam reputant, quâ sustinent, infantes sine Baptismo morientes posse salvari fide vel voto parentum; sicut & aliam, quam Meracius dicit esse Gersonis, D. Bonaventuræ & aliorum; quòd videl. quidam tales infantes salventur ex singulari Dei privilegio, vel orationibus parentum: nam omnes PP. & Concilia locum Scripturæ, *Nisi quis renatus fuerit* &c. interpretantur universaliter ut sonat. Imò Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. unicâ art.* 2. dicit, illas sententias esse hæreticas.

15. Dico tertiò, etiam adultis necessitate medii simul & præcepti Baptismus est necessarius. De necessitate medii constat ex verbis Scripturæ *Nisi quis* &c. generaliter prolatis. Quoad necessitatem præcepti, probatur, quia quisque præcepto naturali charitatis erga seipsum tenetur adhibere omne medium necessarium ad salutem, ac verba illa, *Nisi quis renatus fuerit* &c. *Docete omnes gentes baptizantes eos* &c. continent in se divinum præceptum obligans omnem adultum ad Baptismum suscipiendum. Unde tenetur omnis adultus suscipere Baptismum, quamprimum de eo est sufficienter instructus & commodè illum suscipere potest: tenentur similiter parentes vel alii infantium curam gerentes sub mortali peccato procurare, ut baptizentur quamprimum commodè fieri potest; præsertim circa diem duodecimum. Ita P. Franciscus *disp.* 5. *num.* 34.

16. Nota primò, non esse necesse ad salutem adulti, ut reipsâ semper Baptismum suscipiat; sed sufficere interdum, ut suscipiatur voto explicito, vel etiam implicito incluso in actu contritionis perfectæ; tunc scil. dum impossibilis est actualis Baptismi susceptio. Patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. dicente, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiat. Deinde in Bullis diversorum Pontificum damnantur variæ propositiones negantes justificationem acquiri per contritionem perfectam ante susceptionem Sacramenti Baptismatis aut Pœnitentiæ;

tiæ; quibus Bullis consonat Augustinus *lib. 4. contra Donatistas capite 21. & 22.*

17. Nota secundò, per votum explicitum intelligi hîc voluntatem explicitam suscipiendi Baptismum si foret possibile: per implicitum verò voluntatem generalem implendi omne præceptum, cujus transgressio separat ab amicitia Divina, adeoque etiam præceptum de suscipiendo Baptismo; quæ voluntas includitur in contritione perfecta, quatenus est actus placendi Deo in omnibus. Cùm autem hanc voluntatem seu votum, tam explicitum, quàm implicitum Baptismi nullo modo habere possint infantes, hi nunquam per Baptismum in voto susceptum salvari queunt. Quid si adultus sufficienter jam de Baptismo instructus illum reipsâ suscipere non valeat sinè periculo vitæ, quia scil. tyrannus minatur mortem si permittat se baptizari? Respondeo tunc Baptismum differri debere, si speret se postea baptizandum: sin minùs, poterit quidem se objicere certo mortis periculo ad suscipiendum reipsâ Baptismum, si velit; ita tamen ut etiam licitè eum possit omittere: cùm enim jugum Christi suave sit, non obligat cum evidenti vitæ periculo. Vide dicta suprà *tractat. 1. disp. 1. num. 17.*

Nota tertiò, Baptismum ordinariè assignari triplicem; fluminis, de quo ante; flaminis sive desiderii aut voti, de quo statim; & sanguinis sive martyrii: hi tamen duo ultimi non sunt verum Sacramentum nec verus Baptismus, sed ita dicuntur, eò quòd effectus veri Baptismi per illos obtineatur, remissio scil. peccati originalis & actualis, ac infusio gratiæ sive sanctificatio. Quare tam adulti, quàm parvuli salvari possunt per Baptismum sanguinis: quoad parvulos enim patet ex Ecclesiæ praxi innocentes ab Herode occisos pro Christo, tanquam Martyres & verè Beatos colentis; quos tamen non omnes fuisse circumcisos certum est, cùm omnes à bimatu & infrà occisi fuerint: atque ab his à pari procedendum est ad infantes illos, qui modò pro Christo possunt occidi, vel de facto in lege nova occisi sunt, qui consequuntur idem beneficium beatitudinis: quidquid Bacho *in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 2. in fine* videatur insinuare, hanc sequelam non necessariò debere admitti, benè tamen sic nos piè posse opinari. Dixi *beneficium sive privilegium*, quia martyrium non confert gratiam ex opere operato sicut Sacramenta, sed ex speciali privilegio Christi vices Baptismi in istis casibus per se immediatè supplentis. Adde tamen quoad adultos, ab iis semper præmitti debere Baptismum fluminis si fieri potest; quia martyrium non excusat quemquam ab impletione præcepti, quod simul cum martyrio stare potest; unde tenetur etiam Martyr baptizatus existens in statu peccati mortalis elicere contritionem, imò & confiteri si possit; quia pro iis qui sunt in statu peccati mortalis post Baptismum, exstat præceptum confitendi in articulo mortis. Si hîc alia spectantia ad Baptismum

mum sanguinis seu martyrium desideres: consule Franciscum Bonæ Spei *tom. 5. disputat. 2.* ubi de fortitudine.

Nobis sufficiat notasse, quòd Martyrium strictè sit passio, seu cruciatus lethalis susceptio pro fide Christi: & quòd quinque ad hoc conditiones requirantur. Prima, perpessio mortis, seu cruciatus ex se lethalis: licèt enim quis divinitus detineatur in vita, non desinet esse martyr, ut patet in sancto Joanne Evangelista. Secunda, perpessio mortis ob fidem Christi. Tertia, illatio in odium fidei Christi. Quarta, perpessio voluntaria, scil. in adultis: unde milites Catholici qui in bello ab hæreticis aut Turcis occiduntur dum sese armis defendunt, licèt ex odio fidei, non sunt veri martyres. Quinta tandem conditio est, perpessio in statu gratiæ. Effectus autem Martyrii per se est in infantibus ac perpetuò amentibus expiatio peccati originalis, & in adultis augmentum gratiæ sanctificantis, expiatioque omnium pœnarum in purgatorio solvendarum: item consecutio vitæ æternæ juxta illud, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam:* tum denique laureola, seu gaudium particulare proveniens ex excellenti victoria &c. Adde, juxta Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 29. sect. 3. concl. 2.* & alios, effectum Martyrii per accidens esse deletionem peccati originalis, & mortalis actualis in attrito, ignaro vel oblito præcepti de contritione, quod satis conforme videtur sententiæ SS. PP. æquiparantium Baptismum sanguinis Baptismo fluminis.

DVBIVM TERTIVM.

De dispositione necessaria; de Ministro, Patrino, ac Reviviscentia Baptismi.

19. Dico primò, ut validè baptizentur parvuli & consequantur gratiam ac remissionem peccati originalis, sufficit si adhibeatur materia & forma à Christo instituta, ac adsit intentio ministri: de quibus antea quantum satis.

Dico secundò, ut adultus validè baptizetur, insuper requiritur voluntas interpretativa suscipiendi Baptismum consistens in eo, quòd quis hîc & nunc se baptizari cognoscat, nec contradicat: cujus ratio est, quia onera Baptismi & ipsa Christi institutio videntur exigere, ne quis tanto Sacramento initietur invitus.

20. Dico tertiò, ut adultus consequatur effectum Baptismi sive gratiam, requiritur primò fides supernaturalis: *Sine fide enim impossibile est placere*

cere Deo: Deinde requiritur dolor seu vera pœnitentia, si baptizandus lapsus est in peccatum mortale actuale: *Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisque vestrûm*, *Act.2.* Atque hunc dolorem voluerunt multi debere esse contritionem perfectam: verùm jam communiter recentiores, paucis exceptis, docent, sufficere attritionem supernaturalem seu contritionem imperfectam; quibus lubens adhæreo ob fundamenta, quæ in simili adferemus infra agentes de pœnitentia. Unum interim hîc cogor ponere, quod me multùm movet, ut communi sententiæ adhæream: quòd scil. Baptismus sit Sacramentum mortuorum adeoque conferens primam gratiam, ac consequenter non requirens, ut suscipiens antea sit in statu gratiæ, qualiter in gratia est omnis eliciens actum contritionis perfectæ. Adde neque attritionem debere præmitti, si adultus solùm habeat peccatum originale; quia cùm hoc non contraxerit voluntate propriâ, non requiritur in ipso ulla pœnitentia, vel peccati detestatio, sed sufficit propositum observandi mandata Dei.

21. Dico quartò, quamvis adultus baptizatus in statu peccati mortalis actualis, nec dolorem de eo eliciens, non recipiat gratiam in ipsa Sacramenti susceptione, sed novum peccatum sacrilegii superaddat, quia ponit obicem effectui Sacramenti indignè suscepti; hoc tamen obice sublato Baptismus eidem confert gratiam habitualem, & alias actuales, quasi nunquam fuisset obex positus, sive, ut alii, Baptismus obice sublato reviviscit. Ita omnes communiter contra Scotum, & Vasquez ob authoritatem D. Augustini, & S. Thomæ: & aliàs cùm Baptismus sit initerabilis, ejus effectus non posset unquam obtineri à simili adulto. Hinc Bassæus verbo *Sacramentum cap. 4. num. 11.* vult, prædictam reviviscentiam esse communem Baptismo, Confirmationi, & Ordini, pro se citans Majorem, Paludanum, Sylvium, & alios. Alii insuper eam extendunt ad omnia Sacramenta, prout faciunt Cajetanus, & Cabrera; quam sententiam dicit Diana se libenter amplecti *part. 3. tractat. 4. resolut. 15.* eò quòd multùm extollat dignitatem Sacramentorum: Villalobos autem & Suarez solam excipiunt Eucharistiam. Verùm his omnibus sententiis relatis subjungit Cabrera, unusquisque eligat quam maluerit, quasi id esset omninò arbitrarium. Pro his verò in ordine ad praxim,

22. Adverte ex Diana *loc. cit. res.14.* adultum, qui fictè, sive in peccato mortali baptizatus est, teneri hanc fictionem confiteri simul cum aliis peccatis, quæ post susceptum Baptismum commisit: non verò quæ antea commiserat; neque etiam alia, quæ commisit fortè tempore susceptionis: quia hæc omnia delentur per ipsum Baptismum, qui recedente fictione per confessionem, vel charitatem perfectam reviviscit. Ita ante Dianam docuêre etiam Cabrera, Sylvius, Joannes de la Cruz, & alii ab eodem Diana citati.

23. Dico quintò, omnis homo Viator in necessitate validè, & licitè

potest

potest administrare Sacramentum Baptismi: quamvis tamen ordinarius Minister pro omni tempore sit solus Sacerdos, & quidem Parochus. Est certum: ratio verò, cur Christus voluerit hîc instituere Ministrum tam universalem, est ipsa summa Baptismi necessitas, ob quam etiam constituit materiam tam communem. Neque id solùm est intelligendum de necessitate extrema, sive de articulo aut proximo periculo mortis, sed etiam in quovis periculo, in quo sit dubium, utrùm ante mortem sit adfuturus minister alius magis idoneus. Quare non debet angi obstetrix, quæ in simili vero periculo baptizavit infantem, licèt hic parùm pòst, omne periculum evadat: aliàs enim nimis sæpè accideret, ut propter scrupulos & cunctationem animæ parvulorum perirent. Interea nullus seipsum baptizare potest: quia particula *te* in forma Baptismi designat personam ab ipso baptizante realiter, prout in forma absolutionis ab absolvente distinctam; unde formæ sensus substantialiter mutatur, si dicatur: *Ego me baptizo*, &c. Deinde ipse Christus non à se, sed à Joanne baptizari voluit. Vide P. Franciscum *infrà numer.* 18.

24. Quamvis in necessitate quilibet licitè baptizet, servandus est tamen ordo inter eos, qui adsunt, ita ut si adsit Parochus, debeat hic cuilibet alteri præferri sub peccato mortali; quia Parochus juxtà præscriptum Ecclesiæ, est proprius Baptismi minister. Post Parochum succedit quilibet alius Sacerdos, coram quo secundùm plurimos, etiam peccat mortaliter quilibet inferioris gradus baptizans, si Sacerdos voluerit baptizare: quod idem dicunt de Diacono succedente Sacerdoti; nam hic etiam est minister ex officio, ut patet ex Florentino decreto de Sacramentis. Reliqui autem inferiores, scil. Subdiaconus, vir, mulier, baptizatus, &c. habent quidem ordinem ex quadam decentia servandum, sed eum intermittentes non peccant mortaliter: imò Franciscus Bonæ Spei *de Bapt. disp.* 3. *num.* 11. dicit, in casu necessitatis ordinem istum invertere, sic ut laicus, præsente Sacerdote baptizet, non videri peccatum mortale: quia falsò supponitur, illo casu gravem irreverentiam committi; ut fusè probat. Adde, expediens interdum esse, ut v. g. obstetrix baptizet præsente viro laico ignaro, imò aliquando etiam præsente Parocho ob decentiam, dum scil. fœtus non potest integer ex utero matris educi; quod benè notavit P. Urbanus. Et quia ob frequentem necessitatem multæ proles debent ab obstetricibus baptizari, puto illas, quæ ex officio obstetricantur, omninò sub mortali obligari discere formam, modumque baptizandi, prout cum variis docet Gobat *casu* 5. *num.* 167. contra Suarez, Dianam, & Dicastillo. Cæterùm Parochus potest solemne ministerium Baptismi committere cuicumque Sacerdoti, vel etiam Diacono, ut testatur Amicus ex Catechismo Romano, quando adest causa rationabilis: cujus ultimi ratio est, quando quis ordinatur in Diaconum, hæc verba ex Pontificali Romano recitantur: *Diaconum oportet ministrare,*

ſtrare, baptizare, & prædicare. Cauſa autem rationabilis hîc eſt, quando Parochus non poteſt vel ob multitudinem baptizandorum, vel ob excommunicationem, vel ob infirmitatem, vel ob aliud juſtum impedimentum per ſe, aut per alium Sacerdotem baptizare, licèt baptizandi non ſint in extrema neceſſitate. Vide circa hoc Dicaſtillo *tract. 2. diſp. 2. dub. 3.* ubi fusè hanc difficultatem diſcutit. Sed

Quid, ſi ipſe Parochus ſolùm ſit Diaconus, poteritne licitè baptizare? Miror ſanè (inquit Gobat *in Alphabeto baptizantium, caſu. 4. num. 139.*) hanc practicam difficultatem à nemine, quem viderim, proponi, aut in terminis decidi. Donec itaque auctoritas aliqua me convincat, tuebor affirmativam partem, ac dicam, hoc ipſo, quòd Epiſcopus tali Diacono conferat canonicè beneficium parochiale, conferre quoque, ut ſanè poteſt, jùs tam liberè in ſua parochia augendi numerum Chriſtianorum, quàm ſi eſſet jam Sacerdos; ſecùs ſi ejuſmodi Parochus foret ſolummodo Subdiaconus, huic enim, ſicut & Minoriſtis nequit, niſi in extrema neceſſitate id committi, & quidem ſolùm in caſu, quo non adeſt dignior. Huc uſque Gobat; quidquid omnes cæteri exprimant, poteſtatem baptizandi jure ordinario competere ſoli Sacerdoti.

25. Dico ſextò, præter miniſtrum in Baptiſmo requiritur etiam aliquis vel aliqua, qui levet baptizatum de fonte, diciturque patrinus, vel matrina: & quamvis olim non potuerit, niſi unus vel una aſſiſtere Baptiſmo; per Tridentinum tamen *ſeſſ. 24. cap. 2.* jam unus & una admittuntur, inter quos & baptizatum contrahitur cognatio ſpiritualis, ſicut & inter eoſdem & parentes baptizati; non autem inter patrinum & matrinam: unde meram ſuperſtitionem committunt obſtetrices, quando ſe inter hos collocant, ne dicta cognatio ab iis contrahatur. Similiter etiam contrahitur dicta cognatio inter miniſtrum & baptizatum, baptizatique patrem & matrem: hoc tamen non contingit, dum quis extraordinariè baptizat in caſu neceſſitatis, in quo etiam pater baptizans propriam prolem non impeditur à petitione debiti, ſic diſponente Eccleſiæ conſuetudine. Adde ex Franc. *ſuprà num. 56.* ad hoc, ut patrinus cognationem ſpiritualem contrahat, neceſſe eſſe, ut puerum ſaltèm in veſtibus tangat, aut ſaltèm in diſco teneat, dum baptizatur; non verò, ut pro parvulo reſpondeat, *Volo, Abrenuntio, Credo, &c.* dum fit Catechiſmus: quia nulla jura, quæ de cognatione illa agunt, iſtius reſponſionis mentionem faciunt; ſed ſolius contactus. Cæterùm obligatur patrinus curare, ut ſuſceptus à ſe baptizatus inſtruatur in rebus fidei: quamvis hæc obligatio videatur ceſſare in his partibus & aliis, ubi idipſum ſufficienter curari ſolet à parentibus, Parocho, & aliis magiſtris ſpiritualibus, concionatoribus, &c. quibus tamen omnibus deficientibus, patrinus & matrina manent obligati. Adverte autem, à munere patrini excludi non baptizatos, hæreticos, criminoſos, ac publicè infames, item & monachos *ex cap. placuit, & cap.*

cap. non licèt, quidquid Abbates quibusdam in locis contrariam videantur præscripsisse consuetudinem.

Addo, nihil obstare, quò minùs ipse baptizans sit simul patrinus, dum adest causa rationabilis, prout probat Burghaber *centur. 2. casu* 64.

Attendant patrini & parentes ad morem multis ab hinc sæculis retentum à Christianis, ut non nisi sacra nomina dent recenter baptizatis, quod meritò petunt Pius V. *in suo Catechismo 1. part. cap. 2. num.* 75. & Paulus V. *in suo Rituali, tit. de sacril.* quidquid absolutè nefas non sit, nomen hominis nondum ab Ecclesia sanctificati baptizando imponere. Adde, licèt Vasquez & Quintanadvennas non probent impositionem nominis Sancti ex vetere Testamento, eò quòd per hoc detur ansa suspicandi de Judaismo, illam non esse scandalosam, nec proinde reprobandam in nostro Belgio, ubi passim reperies Adamos, Abrahamos, Danieles, &c. etiam inter Religiosos.

DVBIVM QVARTVM.

An Baptismus iterari, & quamdiu differri possit?

26. Dico primò, Baptismus nunquam iterari potest, propriè loquendo; quia iteratio præsupponit collationem validam: quare dum quæritur, an & quando Baptismus possit iterari, intelligitur de iteratione impropriè dicta. De qua

27. Dico secundò, Baptismus potest & debet iterari, quoties non est moraliter certum, aliquem esse validè baptizatum, id exigente summâ hujus Sacramenti necessitate. Est verò id moraliter certum, primò, quando per testem fide dignum constat esse adhibita, quæ adhiberi debent exteriùs; nam de intentione ministri sinè gravi fundamento nunquam est dubitandum. Secundò id etiam moraliter certum est, dum quis est natus inter Christianos catholicè viventes, prout docet Bacho *in 4. dist. 4. q. 1. art. 2.* post medium. Extra hanc moralem certitudinem potest idem infans aliquando bis térve intra breve tempus mutatis circumstantiis, quæ valorem concernunt, sub conditione baptizari: & ut utar verbis P. Gobat *casu 8. num.* 253. Parochus accitus ad parturientem nondum enixam, & de qua dubitetur, an sit editura prolem vivam, dicat obstetrici: si quâ ratione potes attingere fœtum, insperge aquam in uterum, pronuntiando verba formulæ; vel ut primum prodierit, seu pes, seu manus, asperge; ac si bis ita baptizatus ab obstetrice demum præter spem prodeat totus vivus, at summè debilis, Parochus ipse repetat Bapti-

Baptiſmum conditionatum, non enim intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum. *cap. final. de Presbyt. non baptiz.* Ita ille. Qui & *caſu* 13. *num.* 374. abſolutè ſuſtinet, repetendum eſſe ſub conditione Baptiſmum collatum cum ea remota aut proxima materia, forma, intentione, aut in ea corporis parte, cum quibus vel in qua unus, aut plures DD. probabiliter negant ſubſiſtere Baptiſmum, pro quo & alios citat: ac *num.* 373. *præced.* expreſsè docuerat, ſic etiam rebaptizandum eſſe baptizatum in ſolo brachio.

Idem P. Gobat *ibid. num.* 405. docet, Baptiſmum iſtum poſſe licitè peragi quocumque loco, & à quocumque etiam laico, quamvis facilè poſſit haberi Sacerdos, aut etiam Parochus, pro ſe citans Quintanadvennam: Ratio eſt, quia Canones exprimentes contrarium, loquuntur ſolùm de Baptiſmo abſoluto: quidquid expediat, inquit, ut quoad commodè fieri poteſt, etiam in hoc Baptiſmo habeatur ratio communis modi: prout abſolutè fieri debet, dum eſt notoria invaliditas prioris Baptiſmi. Adde, non eſſe opus in prædicto Baptiſmo adhibere Patrinos, nec contractum iri cognationem ſpiritualem, ſi adhibeantur. Non debent etiam iterari ceremoniæ, ſi adhibitæ ſint in Baptiſmo priori.

28. Dico tertiò, quoties eſt moraliter certum, quempiam eſſe validè baptizatum, nullo modo Baptiſmus iterari poteſt; ne quidem ſub conditione: tum quia Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit initerabile; tum quia maximæ pœnæ conſtitutæ ſunt pro rebaptizantibus: qui enim ſciens iterat Baptiſmũ, & qui eum permittit in ſe iterari, incurrunt pœnam capitis, fiuntque irregulares, præterquam quòd valde graviter peccent, ſacrilegè tractando Sacramentum, voluntariè illud reddentes invalidum: quæ omnia ex diverſis capitibus DD. Catholici concludunt. Atque ex his facilè judicabis de caſibus ſpecialibus, de quibus communiter quæri ſolet, an in iis liceat iterare Baptiſmum: ut dum quis ob periculum mortis ab obſtetrice baptizatus fuit: nam poteſt tunc ſub conditione iterari; quia cùm facilè in tali occaſione poſſit accidere defectus vel ex ignorantia, vel perturbatione muliebri, non conſtat moraliter certò de valore Baptiſmi, niſi aliundè per teſtes cognoſcatur, omnia exteriora rectè eſſe adhibita. Ita Paſtorale Mechlinienſe, Sylvius & Urbanus *tract.* 1. *cap.* 37. idem etiam extendens ad baptizatos ab hæreticis; non quòd dubitetur, inquit, de valore Baptiſmi illorum, quando ritè confertur; ſed quia ipſi parùm curant eſſentialia hujus Sacramenti omnia adhibere, rejicientes omnia in fidem & miſericordiam divinam. Attamen hoc ultimum non videtur adeò conforme illi, quod dicitur *de Conſecratione, diſtinct.* 4. *cap. ſi revera,* quod adfert Bacho *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. *art.* 1. nempe: *Qui de hæreticis confitentur ſe baptizatos ſolummodò in nomine Domini ſinè dubitatione ad Catholicam fidem venientes, in nomine Trinitatis baptizabis; ſi verò in nomine Trinitatis fuerint bapti-*

baptizati , solâ reconciliationis gratiâ impensâ Catholicæ fidei sociabis. Jam verò hæretici nostri temporis in nomine Trinitatis baptizant. Unde non judico baptizatum ab hæretico semper rebaptizandum esse, etiam sub conditione, nisi aliundè occurrant motiva dubitandi; esset enim contra communem praxim Ecclesiæ passim omnes baptizatos ab hæreticis rebaptizare; quamvis tamen ipse Bacho *ibid. dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. circa finem, videatur in partem Urbani inclinari, & Franc. B. Spei *de Bapt. disp.* 1. *num.* 83. pro sententiâ Urbani & sua citet Synodum Principalem Mechliniensem. Sed quid si hæreticus baptizans habuisset expressam intentionem non baptizandi juxtà ritum Romanæ Ecclesiæ prout constat Prædicantes sæpè habere? Respondeo, non ideo statim fore iterandum baptismum; quia hoc fit, eò quod per ignorantiam (vel affectatam vel non affectatam) existimet, Romanam Ecclesiam esse Antichristianam: cum tamen aliundè habeat voluntatem faciendi sicut Christus instituit, & quod facit Ecclesia vera, quod sufficit. Si verò constaret, hæreticum baptizantem fuisse tam sceleratum, ut noluerit baptizare juxtà ritum Romanæ Ecclesiæ, seu facere id, quod facit Romana Ecclesia, etsi sciret, eam esse veram Christi Ecclesiam, indubiè non valeret baptismus: verùm nulla est convincens ratio, ob quam credamus aliquem, licèt aliàs hæreticum, esse tam perversæ conscientiæ. Verùm quidquid de hoc sit, omnes DD. consentiunt, pueros expositos non habentes scedulam in testimonium sui Baptismi, baptizandos esse sub conditione: imò si certitudo aliâ viâ haberi nequit, nisi per scedulam involucris pueri affixam, statuit Synodus Cameracensis sub conditione posse rebaptizari; quia tale testimonium non facit fidem indubiam; cùm enim ignotum sit à quo & quomodo talis infans baptizatus sit, & in similibus casibus quærantur tenebræ, non video cur diligenti examine præmisso & conditione adhibitâ possit esse illicita baptizatio, maximè quia Suarez, Layman, Diana, Busenbaum & alii docent, in casu dubii semper inclinandum esse in favorem baptizandi, ne periclitetur ejus salus.

29. Dico quartò, quamvis in primitiva Ecclesia solùm conferretur Baptismus in Paschate & Pentecoste, ut habetur *de Consecrat. distinct.* 4. *cap. non oratione*: modò tamen sinè urgente ratione non potest Baptismus differri diu post nativitatem; hoc enim jam obtinet communis praxis Ecclesiæ, ob necessitatem summam hujus Sacramenti. Neque etiam in Baptismo solemni potest differri impositio nominis absque peccato; quod communiter dicitur esse mortale, quia per hoc invertitur in gravi materia ordo ab Ecclesia præscriptus, cui omnes juxtà Tridentinum *sess.* 7. *can.* 13. se conformare tenentur. Si tamen quis extra casum necessitatis baptizetur in domo (quod est omnibus inhibitum sub pœna gravi per Clementinam de Baptismo, solis prolibus Principum exceptis) tunc adhuc postea compleri debent cære-

moniæ in templo juxtà Tridentinum suprà. Ubi adverte, agentem patrinum in completione cæremoniarum non contrahere cognationem spiritualem, neque esse verum patrinum; quia non levat prolem de fonte. De cæremoniis agit Bacho *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. & *dist.* 5. *quæst.* 3. *art.* 1. & ostendit, quomodo Baptismus sit dicendus fundamentum aliorum Sacramentorum: eum consule.

Adde, licèt juxtà Gobat nomine Principum suprà intelligantur universim omnes obtinentes jurisdictionem temporalem, vel etiam progeniti ex majoribus verâ jurisdictione præditis, imò juxtà Bachonem *dist.* 1. *qu.* 1. *art.* 2. omnes potentes & divites, meritò tamen Marchantium *in resol. Past. tract.* 2. *de Sacram. cap.* 3. arguere Nobiles, & quosvis Domicellos, qui passim quasi de jure petunt, ut filii sui domi baptizentur; quem morem omninò corrigendum etiam monet Palaus hîc *punct.* 8. *n.* 4.

30. Dico quintò, proprius Baptismi effectus est auferre peccatum originale & actuale, ac insuper remittere omnem pœnam peccatis debitam; quæ omnia Bacho *dist.* 5. *art.* 2. ostendit per varias Pontificum declarationes, & patent ex Concilio Florentino §. *primum omnium*, & Tridentino *sess.* 5. *can.* 5. Neque hinc inferas expedire, ut Baptismus differatur in finem vitæ; quia hoc periculosissimum foret: præterquam quòd hoc auferret omne meritum, quod homo post Baptismum per totam suam vitam potest acquirere: undè meritò præceptum urget ad oppositum, de quo ante. Insuper effectus Baptismi etiam est gratia habitualis, virtutes infusæ, & character, de quibus *in disp. præcedenti.* Quærit P. Franciscus *de Bapt. disp.* 4. *num.* 23. utrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, baptizandus foret in peccati originalis remedium? ad quem curiosum lectorem mitto, quia casus est rarus. Ponam tamen hîc ad longum resolutionem casus sequentis.

Magdalena quædam ex illicito concubitu prolem pepererat; dum affertur baptizanda, quærit parochus, quis sit Pater, interrogata mater tergiversatur, & quia Parochus constanter negat Baptismum, nisi edatur nomen Patris, edit mater; an jure egit Parochus? Respondeo verbis Gobat immutatis. *Quæsivit vel jussu Magistratus Ecclesiastici, vel injussu. Si injussu, tum non satis video, quomodo excusem factum, quandoquidem induxit matrem ad grande peccatum, scil. ad infamationem stupratoris occulti. Et quid si illa misera Magdalena concepisset ex incestu? Quid si ob confessionem eâ ratione extortam fuisset tam ipsa quàm incestuosus rapta in carcerem, affectáque extremo supplicio?*

Si verò jubente Magistratu ecclesiastico, ursit responsum ad illam interrogationem, præsumo haud malè fecisse; quia existimo posse alicubi concurrere tales circumstantias ratione [illegible]ndæ prolis illegitimæ, fornicatorum fornicatricúmque, ut Episcopis suggerant justam causam vetandi Parochis, ne quemquam progenitum è muliere soluta referant in censum Christianorum, nisi mater manifestet nomen Patris.

Scio, alicubi obstetrices mandante sæculari

culari Magistratu exigere à parturientibus matrimonio non copulatis juramentum, quo roborent manifestationem impuri lenonis; quod sicut non improbo, ita nolim facilè cuiquam esse auctor ejusmodi, ut vocat Lessius lib. 2. de just. & jure cap. 13. n. 15. *spiritualis tortura propter grande periculum perjurii.*

At inquies: Estne in foro seu sæculari seu Ecclesiastico integrè standum tali nominatione seu juratâ seu injuratâ.

Resp. nequaquam, sicuti adversus nonnullos Judices demonstro in Theol. juridico-morali cap. 32. num. 19. *Quare nec puto agere jure Parochos, qui ob solam nominationem factam à puerpera referunt absolutè nomen maris pernegantis se quidquam commercii carnalis habuisse cum matre ipsum nominante; etenim propter hujus negationem deberet illa inscriptio fieri cum modificatione v.g. tali: natus est Patre N.N. ut ait mater.* Ita Gobat loc. cit. quæ adhuc videbantur desiderari pro horum complemento. Cæterùm conformiter menti Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. matrim. c.* 2. tenetur Parochus omnium baptizatorum, horum parentum, ac patrinorum nomina & cognomina cum annotatione anni, mensis & diei in librum specialiter ad id deputatum inscribere, ut statuunt constitutiones Episcopatus Constantiensis *par.* 1. *tit.* 6. *num.* 11. quam obligationem plures volunt esse sub peccato mortali ob graves difficultates quæ aliàs natæ sunt sequi.

DISPUTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

DUBIUM UNICUM.

Quid de hoc Sacramento specialiter dicendum sit?

1. Dico primò, Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator baptizatus, in fronte ungitur Chrismate ab Episcopo, sub præscripta verborum forma, in robur fidei. Est ergò Episcopus minister hujus Sacramenti: quamvis aliqui non improbabiliter velint Papam posse dare potestatem simplici Sacerdoti hoc Sacramentum aliis conferendi. Ita D. Thom. Richardus, Bacho & Franc. B. Spei. Addo, Episcopos posse sinè scrupulo confirmare eos, qui ex aliena Diœcesi inter cæteros se præsentant: quia credendum, hoc esse ratum & gratum Episcopo eorum, quod sufficit in præsenti; nam cum jurisdictio non sit de necessitate hujus Sacramenti, ut docet Ochogavia, faciliùs præsumi potest consensus & ra-

tihabitio. Ita Burghaber *Centur.* 3. *casu* 97. post Barbosam, Tanner. & alios contra Dicastillum & Bonac.

2. Dico secundò, Confirmatio est instituta immediatè à Christo. Patet ex Tridentino *sess.* 7. *can.* 1. id definiente de omnibus Sacramentis novæ legis: Confirmationem autem esse unum ex illis, idem Concilium ibid. docet, & plura alia antiquiora contra hæreticos, Wiclef, Calvinistas, & Lutheranos, quos optimè refutat noster Waldensis. An verò Sacramentum Confirmationis institutũ fuerit antè, an post Christi resurrectionem? Omninò incertum est, quidquid verisimiliùs putem institutum esse dum Christus imponebat manus pueris *Matth.* 19. ita enim docent D. Thomas & Bacho, qui ultimus dicit Christum per illa verba, *sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum*, docuisse Apostolos, ut in augmentum gratiæ post Baptismum manus imponerent baptizatis, per quod significatur Sacramentum Confirmationis *de Consecr. dist.* 4. *cap. Spiritus Sanctus*: P. Franciscus tamen *de Confirm. num.* 6. putat, hoc Sacramentum fuisse institutum inchoatè & quoad materiæ designationem in ultima cœna; quoad ministrum *Ioannis* 20. cum Christus diceret: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: completè verò & quoad efficaciam ipso die Pentecostes.

3. Dico tertiò, hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii aut præcepti: quia non constat ullum unquam præceptum vel à Deo vel ab Ecclesia circa hoc Sacramentum latum fuisse: quòd autem Tridentinum præcipiat, ne Episcopi conferant Ordines nisi confirmatis, solos Episcopos obligat: nec consuetudo fidelium suscipiendi hoc Sacramentum creditur sub obligatione peccati mortalis esse introducta. Undè qui sinè contemptu & gravi scandalo omittit hoc Sacramentum suscipere, quamvis alia omnia etiam Ordinem sacrum suscipiat, non peccat, saltèm mortaliter. Ita D. Thomas hîc, quem sequitur P. Urbanus *tract.* 1. *cap.* 37. cum aliis pluribus apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 25. Ubi adverte ex Urbano *ibid.* non esse censendum illum hoc Sacramentum contemnere, qui non arripit primam vel aliam occasionem occurrentem, sed qui judicat illud tantùm esse puerile, parvi momenti, vel indignum se: multa enim salubria animæ omittimus præcisè, quia non reputamus ea necessaria sinè ullo contemptu. Interea obligatur Episcopus sedulò administrare hoc Sacramentum; ita ut graviter peccet, si multo tempore negligenter omittat confirmare: quia magno fructu spirituali privat oves sibi commissas. Ita Gobat *in Alphabeto confirmantium casu* 21. *num.* 712. post alios, inter quos Reverendissimus Jordanus Episcopus Traguriensis *to.* 1. *elucubr. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 14. ponit sequentia. Non definiunt DD. tempus moræ peccaminosæ ad hunc effectum, sed arbitrarium esse dicunt pro amplitudine diœcesis, populorúmq; numerositate, curarum multitudine, aliisq; circumstantiis definiendũ, inclinando semper ad frequentiam

tiam magis, quàm ad tarditatem; generaliter tamen loquendo non putarem esse damnabilem usum nostrarum partium, & multorum Episcoporum, alternis annis ministrandi: neque tamen propterea intelligo, præcisè damnare longiorem moram trium, vel plurium annorum, intercedente rationabili causâ.

4. Dico quartò, materia Confirmationis remota est oleum cum balsamo benedictione Episcopi consecratum; cujus congruentem rationem dat Bacho *suprà art. 2.* Proxima verò est ipsa unctio facta in fronte baptizati per modum crucis mediante pollice Episcopi. Sic habet communis praxis totius Ecclesiæ, ita ut nullum sit Sacramentum, si unctio fiat in alia parte corporis, prout ex variis Conciliis & summis Pontificibus demonstrat Mendo *in Statera benig. opin. dissert. 12. Append. §. 1. num.* 45. quare contraria sententia Ledesmæ à Suarez *tom. 3. in 3. par. disp. 33. sect. 5.* temeritatis notâ inuritur.

5. Dico quintò, forma hujus Sacramenti est: *Signo te signo Crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, &c.* quæ omnia esse de essentia, adeo ut in nullo casu, etiam dum adest innumerabilis turba confirmandorum, licitum sit uti unâ ex formis sequentibus; *Signo te chrismate salutis in nomine Patris, &c. Confirmo te in nomine Patris, &c.* Bene probat Burghaber *Centur. 3. casu* 18. & sic etiam habet usus continuus, traditio Ecclesiæ, & receptissima Theologorum doctrina. Datur insuper alapa ab Episcopo; per quod significatur, confirmatum debere patienter ferre injurias pro fide, in cujus robur confertur hoc Sacramentum.

6. Dico sextò, effectus primarius generalis hujus Sacramenti est gratia habitualis: specialis verò sunt gratiæ actuales, sive auxilia specialia ad fidem constanter tuendam, & superandas tentationes contra eandem occurrentes: item & character. Adde hoc Sacramentum, cùm sit vivorum, debere suscipi in gratia.

Petes in qua ætate homo sit confirmandus?

7. Respondeo, quamvis in primitiva Ecclesia solitum fuerit, pueros confirmari immediatè post Baptismum: modò Ecclesia consultius ducit, ut confirmandi habeant aliqualem rationis usum, quatenus sic majori cum reverentia hoc Sacramentum suscipiatur. Interea ubi rara est Episcopi præsentia, possunt infantes sine ulla culpa confirmari; quod & fieri expedit quibusdam in locis. Confirmandi etiam sunt perpetuò amentes ut supra citatus Gobat docet S. Thomâ & aliis citatis; quia sunt capaces effectus principalis hujus Sacramenti, augmenti scil. gratiæ habitualis, sive sanctificantis. Addo tamen non esse reprehendendos parentes, qui secuti morem diœcesanum tales non præsentant Episcopo. Insuper juxta D. Thomam *q. 72. art. 8. ad* 4. etiam morituris Sacramentum hoc dandum est, circa quod refert Gobat varias historias, quibus declarat hoc Sacramentum collatum esse pluribus suspendendis: ex quo probat *num.* 736. posse conferri extra Ecclesiam in loco hone-

honesto, rationabili de causa addens tamen; quòd si confirmanda esset multitudo, nullaque subesset rationabilis causa, tunc vix se crediturum, id posse excusari à mortali, attentâ generali consuetudine; sed hic casus juxta ipsius opinionem non evenit.

8. Cæterùm adde, etiam in Confirmatione adhiberi aliquem tenentem confirmandum, qui debet esse distinctus ab eo, qui confirmandum in Baptismo de fonte levavit: potest autem unus vel una; non tamen unus & una ad id muneris admitti *ex cap. non plures, & cap. in Catechismo de consecrat. dist.6.* quia Tridentinum de Baptismi patrinis loquens, Confirmationis mẽtionem non facit; unde Sacri Canones illi vigorem retinent, ut notat P. Franciscus *supra num.60.* Ita confirmandum tenens, dicitur patrinus vel patrina; contrahiturque cognatio spiritualis dirimens matrimonium inter tenentem & confirmatum, hujusque patrem & matrem.

9. In Belgio, præsertim Flandria & Brabantia, ut mihi notum est, solent confirmandi secum ferre fasciam lineam, quâ cingitur caput ob reverentiam sacri Chrismatis: hanc deponunt soli Sacerdotes postquam exsiccatum est Chrisma: testatur tamen P. Gobat alibi se vidisse sæpius, postquam quis esset unctus, quòd unus ex assignatis Sacerdotibus spongiâ vel alio linteo detergeret frontem Chrismati. Idem etiam testatur Reverendissimum & Celsissimum Principem Episcopum suæ diœcesis aliquando impertiisse prope ter mille capitibus Sacramentum Confirmationis, observatô inter cætera hôc more, ut qui patrinos non habebant, confirmarentur sinè patrinis; confirmati cingerentur fasciâ, cincti abirent ad locum vicinum, in quo plures Sacerdotes statim fascias deponerent, frontes decenter abstergerent, fasciasque in corbem projicerent, quas pro aliis confirmandis adhibebant, qui non habebant. Hunc morem (inquit Gobat) meritò quis imitabitur, præsertim dum multitudo urgebit.

10. Pro complemento hujus materiæ pono hîc verba *Constit. Synod. Constant. tit.7. num.7.* *Quòd (ne videl. susceptores Confirmationis iis, quos susceperunt, vel eorum parentibus ali quid tale, ex quo occasio hoc Sacramentum iterandi, quod sæpius commissum est, præbeatur) ut præcaveri, & melius etiam de cognatione spirituali judicari queat, mandamus Parochis, ut confirmatos, & eorum compatres annum, mensem, diem collatæ Confirmationis servatis cæteris omnibus, quæ de libro baptizatorum præscripsimus, in speciali libro, quantum fieri potest, inscribant.* Verè multi abusus committuntur ex eo, quòd hoc non ubique observetur, scio ego aliquos notabiles commissos esse, propter quos solos optandum foret, ut illud mandatum ubique obligaret, & ab omnibus Parochis observaretur.

* * *

DIS-

DISPVTATIO IV.

De Eucharistia.

DVBIVM I.

Quid sit; à quo, & quando sit instituta?

1. Dico primò, Eucharistia (quæ idem sonat quod bona gratia, aut gratiarum actio, ut magis arridet Cornejo) est Sacramentum, in quo sub speciebus panis & vini Christus secundùm corpus & sanguinem continetur tanquam plena refectio spiritualis: aut breviùs, est Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Ita Franciscus. Quòd sit verum legis novæ Sacramentum constat ex Florentino *cap. Firmiter* & Tridentino *sess.7. & 13.* Quòd item in ea contineatur corpus & sanguis Christi, patet ex Scriptura *Ioannis 6.* ubi dicitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: item *caro mea verè est cibus*: ac *Matth. 26. Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*: ex quibus & aliis Scripturæ locis sententia hæc tam clara est, ut ipse Lutherus nõ potuerit convinci à dæmone, cum quo fatetur se circa eam disputasse. Nec ulli alteri potest esse dubium; cùm enim Christus in ultima cœna per modum testamenti hoc Sacramentum instituerit, in quo condendo unusquisque solet uti verbis propriissimis ad removendam omnem rationem dubitandi circa voluntatem ultimam suam, non est, quòd pateat effugium ad sensum figuratum & metaphoricum; contra quem insuper obstat perpetua Ecclesiæ ab Apostolis hucusque traditio, item Concilia ac SS. PP. Quorum loca per singulas ætates vide apud nostrum Waldensem: & pro clara solutione omnium argumentorum, quæ contra hanc fidei veritatem ab Hæreticis communiter objiciuntur, vide Bachonem *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1.* & Cornejo *tom. 2. tract. 4. circa quæst. 75. art. 1. disp. 1. dub. 1.* benè & latè hanc fidei veritatem demonstrantem.

2. Dico secundò, hoc Sacramentum institutum est à Christo in ultima cœna, quando transiturus de hoc mundo pascha cum discipulis celebrabat. Patet ex præcitatis Scripturæ verbis à Christo in cœna prolatis; & ex Tridentino *sess. 13. cap. 1.* Vide Franc. B. Spei de Eucharist. *disput. 1. num. 2.*

Petes primò, ex quibus essentialiter constituatur Sacramentum Eucharistiæ?

3. Respondeo inter varias Scholasticorum opiniones mihi probabiliorem videri sententiam Waldensis *tom. 2. de Sacram. cap. 2.* dicentis, *Est igi-* *tur*

tur venerabile Sacramentum, verum Christi corpus in recto sub forma panis, quem connotat in obliquo: ubi per formam intelligit species, quas ait connotari, quia sunt pars minùs principalis & incomparabiliter imperfectior hujus Sacramenti. Unde dum Busenbaum Waldensem falsi arguit, eò quòd doceat, corpus & sanguinem Christi esse totum Sacramentum, ipse à vero aberrat. Dico igitur cum Waldensi (quem nesciens sequitur Busenbaum) hoc Sacramentum adæquatè consistere in solo corpore, sanguine & speciebus consecratis; quia ex una parte requiruntur species ad hujus Sacramenti essentiam, ut per illas constituatur signum sensibile: ex altera verò parte constat ex dictis *resol.* 1. in hoc Sacramento comprehendi corpus & sanguinem Christi. Quare non admitto sententiam Lugo, Martinon & aliorum recentiorum docentium, verba consecrationis esse de intrinseca constitutione Eucharistiæ; quia hæc est res permanens, diciturque sumi à Sacerdote, deferri ad ægrotum, servari in sacrario, &c. ut habetur in Tridentino *sess.* 13. quæ tamen non conveniunt verbis consecrationis. Nec obstat quòd Florentinum dicat, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis; nam ad hoc sufficit quòd Eucharistia conficiatur verbis efficienter, sive quòd in fieri verba includat; propter quod etiam verba dicuntur forma Eucharistiæ in fieri & extrinseca; ad quod non requiritur, ut intrinsecè constituant ejus essentiam; nam panis & vinum rectè dicuntur materia Eucharistiæ, licèt ejus essentiā nō intrent.

4. Atque hæc nostra explicatio verborum Florentini optimè convenit cum aliis verbis ejusdem Concilii, quibus dicit, virtute verborum substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi converti; ubi videtur insinuare Eucharistiam potiùs esse effectum, quàm compartem verborum consecrationis. Non admitto etiam sententiam Aureoli docentis, sumptionem esse partem constitutivam Eucharistiæ; quia manifestum est Eucharistiam esse perfectum Sacramentum antecedenter ad sumptionem: quòd autem non conferat gratiam ante eam, solùm arguit, ipsam sumptionem esse conditionem sine qua non causaretur gratia à Sacramento, ut sustinet Cornejo *tom.* 2. *tract.* 4. *disput.* 2. *dub.* 2. ubi asserit, hanc esse communem doctrinam omnium Catholicorum; qui & *dub.* 1. agit contra sententiam Lugo, Martinon, &c. à nobis statim oppugnatam. Vide etiam Franciscum Bonæ Spei *disput.* 1. *num.* 20.

Petes secundò, an Eucharistia sit simplex, an duplex Sacramentum?

5. Respondeo, esse simplex, sive unum totale Sacramentum, quod (utpote institutum per modum convivii spiritualis) requirit cibum & potum spiritualem sub utraque specie materiali. Ita D. Thomas cum cæteris communiter.

6. Dices, ergo laicus non recipit integrum Sacramentum, contra Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 3. Respondeo inprimis Tridentinum id non dicere, sed tantùm, laicum sumere verum

Sacra-

Sacramentum & integrum Christum. deinde potest dici sumere integrum Sacramentum, vel quia sumit integrum per concomitantiam, vel quoad ipsam refectionem animæ; licèt non sumat integrum quoad significationem expressam integræ refectionis spiritualis, per ordinem ad quam sunt duo diversa partialia Sacramenta.

DUBIUM SECUNDUM.

Quæ sit Eucharistiæ materia?

7. Dico, materia Eucharistiæ est panis & vinum de vite expressum. Ita definitur in Florentino & & aliis Conciliis: constatque ex Scriptura *Matth.26.& Luca 22.* atque ita etiam congruebat, cùm juxta statim dicta, Eucharistia instituta sit ad refectionem. Debet autem panis esse triticeus sive confectus ex tritico seu frumento, quod in communi hominum æstimatione habeat veram rationem tritici: debet insuper esse panis usualis confectus ex tritico & aqua naturali. Ita in praxi tenet tota Ecclesia. Hinc non approbo sententiam Alani relatam à Bachone, quâ docet panem ex spelta confectum esse aptam materiam Eucharistiæ; quia spelta à tritico specie distinguitur; quod D. Thomas ex hoc probat, quòd granum tritici, ubicumque aut quomodocumque seminatum, nunquam proferat speltam, aut è contra: nec puto esse verosimile, quod ait Alanus, scil. frumentum esse genus & non speciem grani, habereque sub se hoc genus, triticum & speltam. Quia tamen teste Bachone, triticum & spelta quasi nihil differunt in spicarum formatione, in forma granorum, colore & sapore panis, prout dicit se vidisse in Anglia; speltam habe pro materia dubia; quâ tamen moraliter loquendo nunquam licet uti, cùm Eucharistia non sit ad salutem absolutè necessaria, sive necessitate medii; quod benè notavit Franciscus *disp.2.num.*8. qui *num.*10. dicit, nomine panis triticei intelligi eum, qui à potiori parte tritici, non obstantibus admixtis nonnullis aliis granis, simpliciter triticeus dicitur. Cum videam Authores circa speltam tam scrupulosos, non possum non mirari P. Gobat *in Alphab. Sacrif. casu 2. num.* 29. absolutè docere, non solùm speltam, sed & siliginem esse materiam Eucharistiæ, posseque in casu urgentis necessitatis licitè consecrari in siligine, & in spelta etiam extra casum necessitatis saltem in Germania.

8. Adde, ut Eucharistia licitè conficiatur, panem debere esse azymum, seu non fermentatum, ita statuente Ecclesiâ, quia Christus in azymo consecravit, ut habetur *Matth.26. & Marci* 14. Valet interim consecratio in fermentato, prout patet ex praxi Græcorum, qui, permittente summo Pontifice, adhuc modò utuntur pane fermentato. Vide Franciscum *num.*11.

Quoad vinum autem, debet esse de vite expressum, ut dictum est; unde non est valida consecratio in agresta, quæ est tantùm in via ad vinum; nec in aceto, quia est vinum corruptum: potest tamen hoc Sacramentum confici in musto, si desit aliud vinum; nam juxta *cap. Sic in sanctificando de consecr. dist.* 2. possunt uvæ maturæ comprimi ac de vino extracto celebrari. Hæc omnia defendit Bacho. Cæterùm, an valida sit consecratio facta in materia, de qua dubitatur, an sit verum vinum, vel panis triticeus?

Videndum est, an materia præsens non sit distincta specie à vino de vite & pane usuali triticeo. Hinc docent varii apud Mendo *in sua Statera dissert.* 11. *quæst.* 4. *num.* 37. si tritico ex quo fiunt panes rubri, quibus sigillantur Epistolæ, misceantur exigua grana cinnabrii, quo superfunduntur rubro colore, ita ut species tritici, & panis triticei non mutetur, esse probabilem materiam consecrationis: quidquid ipse magis in contrarium inclinetur, eò quòd panis ille rubeus non sit panis usualis, quo homines utuntur ad nutrimentum & virium reparationem. Similiter apud eundem Mendo *quæst.* 5. *sequenti* Diana & Amicus (vix enim alius hanc quæstionem in terminis proponit) volunt esse materiam consecrationis vinum expressum ex uvis passis, eò quòd sit verum vinum de vite, & Ægyptii in eo consecrent, ut referente Gabriele de Henao *par.* 1. *de Sacrif. Missæ disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 21. testantur Fagundez & Alvarez: ac si dicatur, illud non esse vinum usuale, respondebunt rationem esse, quia in his partibus ex similibus uvis non exprimitur nec defæcatur, eò quòd aliæ uvæ adsint ex quibus plus vini & minori labore extrahitur. Interea etiam hac in parte contrarium sustinet ipse Mendo, quia præterquam quòd, nisi plurima aqua immisceatur, nequit succus exprimi ex uvis passis nisi valde exiguus & crassus; sane is succus non est vinum, sed alia species liquoris dulcis, sicut succus expressus ex uvis non maturis non est vinum, sed acor, seu aggresta ut vocant. Ita Mendo, addens se credere Ægyptios non exprimere succum ex uvis omnino passis, sed valde maturis, quæ latè vocantur uvæ passæ.

Petes primò, in quàm magna & quàm parva quantitate validè possit consecrari?

9. Respondeo, eam materiam validè consecrari posse quoad magnitudinem, quæ potest moraliter esse præsens consecranti secundùm omnes suas partes, ita nimirum, ut juxta se totam demonstrari possit per pronomen *hoc* vel *hic*. Quoad aliud verò sufficit quælibet quantumvis parva materia, si sit moraliter sensibilis. Ita Diana *par.* 11. *tr.* 6. *res.* 36. pro se citans alios quadraginta septem. Sed petes, an ea parva materia debeat esse sensibilis ab ipso consecrante? Affirmat probabiliùs Cornejo loc. statim citando, & multi alii apud Dianam, ipso sustinente cum aliis, sufficere si ab alio sit sensibilis, ex cujus relatione Sacerdos possit esse certus; nam potest tunc, inquit, illam demonstrativo pronomine ostendere. Vide Cornejo *to* 2. *tr.* 4. *circa quæst.* 74. *disp.* 2. *dub.* 2. An autem vini guttulæ re-

paratæ à reliquo continuo, calici adhærentes sint consecratæ? Pendet ab intentione consecrantis, quæ regulariter loquendo ad illas non extenditur, sed solùm ad illud, quod est in calice per modum continui. Ita Diana *part.* 2.*tract.*3.*ref.*16.cum aliis.

Petes secundò, quare addatur vino parum aquæ?

10. Respondeo, id fieri ex antiquissima traditione, & Ecclesiæ præcepto in memóriam, quòd ex Christi latere effluxerit sanguis & aqua: ac simul etiam ad significandam unionem populi Christiani cum Christo. Ubi

11. Adverte, aquam nunquam immediatè converti in sanguinem, nisi priùs conversa fuerit in vinum; quare apponenda est in parva quantitate, & PP. asserentes, aquam converti in sanguinem, intelligendi sunt de conversione mediata, prout communiter dicitur panis, aut cibus converti in substantiam sumentis, licèt aliis conversionibus mediantibus: quidquid P. Franciscus hanc quæstionem problematicè defendat de Euchar. *disp.*2.*num.* 44. Adde quòd, si aqua post consecrationem tantùm convertatur in vinum, manebit vinum; si verò gutta una aut altera sanguinis Christi misceatur alteri vino ejusdem speciei cum eo, in quo est facta consecratio, ut fit dum quis in Festo Nativitatis dicit duo Sacra consequenter, remanet ibidem sanguis, sicut species vini manent incorruptæ, cùm partes homogeneæ non destruant se mutuo. Ne tamen hîc aliqui angantur scrupulis, appono, nonnulllos absolutè docere, aquam etiam immediatè posse converti in sanguinem, in quorum sententia, non improbabili, quis excusari potest, quamvis aquam non in tam parva quantitate apponeret: quidquid benè moneat Franciscus B. Spei, aquam, quæ admiscetur, ut minùs debere à vino longè superari.

DVBIVM TERTIVM.

Quæ sit Sacramenti huius forma.

12. Dico, forma panis est, *Hoc est corpus meum,* in quo omnes Evangelistæ conveniunt: nunc autem post ly *est* additur *enim,* quod Bellarminus *l.*4.*c.*14. dicit additum esse à S. Petro. Forma calicis est, *Hic est calix sanguinis mei,* vel *Hic est sanguis meus;* quæ ultima respondet formæ panis, & significat totum, quod fit in consecratione calicis: quamvis tamen prior usurpari debeat necessitate præcepti, quam Bacho peroptimè ostendit esse convenientissimam, credendumque, illam fuisse acceptatam à Christo, ac ab Apostolis traditam. Cornejo *to.*2.*tr.*4.*circa quæst.* 78.*art.*3.*disp.unicâ dub.*3. sustinet, de essentia esse formæ calicis, *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* pro se citans D. Thomam & alios; licèt contrarium doceat dub.2. de verbis *calix, enim, & æterni, mysterium fidei,* eò quòd illa non reperiantur in aliquibus antiquissimis liturgiis præsertim Græcorum: Additque *dub.* 3. particulam *pro vobis* includi in particula *pro*

multis, & particulam *in remissionem peccatorum* in particula *pro vobis effundetur*, ideoque quamvis non exprimantur formaliter, nihilominùs formam consecrationis manere, integram essentialiter: dixerat item, nostram sententiam de his solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, esse probabilem & magis communem. Quidquid sit, necessariò semper addi debet *novi & aterni testamenti, &c.* ita ut mortaliter peccet omittens; tum quia sunt materia notabilis, tum quia non est omninò certum, ea non esse de essentia formæ. Secus dic de omittente *enim* in forma panis, ob rationem oppositam. Vide circa hæc Franc. B. Spei *disp.3. dub.1. & 2.*

Petes primò, quænam præsentia hostiæ requiratur ad valorem consecrationis?

13. Respondeo, requiri præsentiam moraliter sensibilem: patet ex verbis formæ *hoc est, hic est*: non requiritur tamen, ut actu vel videatur vel tangatur; verè enim de hostia existente in pixide clausa dicitur, *hac est, hoc est*; sicut rectè dicitur de pecunia, quæ est in bursa clausa, *hac est mea*: sufficit ergo & requiritur, ut materia possit digito demonstrari: quod fieri potest dum continetur in aliquo sensibiliter præsente, cum quo velut continente faciat unum morale, prout dictum est de pixide; tunc enim demonstrato continente, etiam demonstratur contentum: debet interim constare consecranti de materia contenta in dicto continente. An verò quis validè consecrare possit hostiam existentem post parietem vel tergum consecrantis; verius puto quòd non: in quo quoad primum omnes conveniunt, sicut & communiter quoad secundum; quia talis hostia non est simpliciter demonstrabilis per pronomen hoc. Dico *simpliciter*; quia si quis hostiam à tergo digitis teneret, validè posset eam consecrare, quamvis illicitè, ob irreverentiam. Vide Dianam *par.10 tract.16. resol.41. per totam*: & Franciscum *disp.2. num.73. & seq.*

Petes secundò, an plures valeant consecrare eandem hostiam?

14. Respondeo affirmativè, si plures simul formam consecrationis super eâdem hostiâ prolatam finiant: quia tamen id est moraliter impossibile, debent novelli Sacerdotes, dum cum Episcopo consecrant, permittere, ut Episcopus parum ante ipsos formam finiat: quòd si Episcopus secretò eam proferat, consultiùs formabunt hanc intentionem conditionatam, consecrandi videl. cum Episcopo si fortè simul cum eo formam finierint, vel tantùm materialiter formam pronuntiandi, ne aliàs ab eodem ministro non conficiatur integrum sacrificium.

Petes tertiò, quid fiat prolatâ formâ?

15. Respondeo, in consecratione panis fieri veram conversionem substantiæ panis in corpus Christi; de pane enim fit transitus ad Christi corpus remanente aliquo communi in genito, quod antea fuerat in corrupto; quia remanent species & accidentia, quæ erant ante: pariformiter loquere de consecratione vini.

16. Dici-

16. Dicitur dicta conversio transsubstantiatio, eò quòd una substantia transeat in aliam: Hæreticum namque est dicere, post consecrationem remanere substantiam panis; quia contrarium definit Tridentinum *sess.* 13. *can.* 2. Atque hæc conversio fit vi verborum; si enim non fieret, verba non essent vera, cùm hunc sensum haberent, *Panis est corpus meum*, qui est falsus. Per concomitantiam insuper, sive propter naturalem connexionem cum corpore & sanguine Christi, sub specie panis & vini ponitur anima Christi, ejus divinitas, ac tota sanctissima Trinitas; item per eandem concomitantiam sub specie vini corpus: pro quibus vide Tridentinum *sess.* 15. à principio, ac Bachonem *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 5. *art.* 5. ubi dicit, congruè recitari hos duos versus salutando hostiam consecratam, *Salve salus mundi, verbum Patris, Hostia sacra, viva caro, deitas integra, verus homo*, quos asserit scriptos vidisse in glossa cujusdam decretalis; quibus nos Carmelitæ utimur in Missa ante communionem. Vide circa hæc omnia Cornejo *tom.* 2. *tract.* 4. *circa quæst.* 76. *art.* 2. *disp.* 1. & 2.

17. Quæres fortè, quomodo adhuc verificetur forma consecrationis cum remaneant species panis & vini? Respondeo per pronomen *hoc* non demonstrari species panis, sed ipsum solum corpus succedens substantiæ panis. Nec refert, quòd corpus Christi necdum existat dum profertur ly *hoc*; quia veritas & significatio propositionis practicæ pendet ab omnibus suis partibus simul: undè cùm in nostro casu per formam ponatur, quod significatur in fine propositionis, omninò vera est dicta forma; sicut vera esset propositio, quâ quis, acceptâ â Deo potestate creandi hominem his verbis; *hic est homo*, eadem verba proferret, quamvis necdum esset homo eo tempore, quo proferret pronomen *hic*: quod autem hæc propositio foret vera, patet, quia faceret quod significaret, & prædicatum identificaretur subjecto expletâ propositione. Vide circa hæc P. Franciscum *disp.* 3. *num.* 39. & *seq.*

DVBIVM QVARTVM.

An & quomodo communicans debeat esse in gratia?

18. SUppono, non requiri, ut quis accedat sinè omni peccato veniali, cùm nullum exstet præceptum pœnitendi de venialibus antè communionem; ac licèt, qui in peccato veniali est, non accedat cum

absolutè summa reverentia, accedit tamen reverenter; neque in toto, neque in parte per hoc impedit effectum Eucharistiæ: quòd enim per aliquam actionem removetur sinè resistentia (sicut removentur peccata venialia habitualia per sumptionem Eucharistiæ) non potest impedire effectum ipsius. An verò accedens cum peccato veniali actuali peccet venialiter? Res est dubia, etsi probabiliùs judicem quòd sic, cum Cornejo *tom. 2. tract. 4. circa quæst. 80. art. 4. disp. unicâ dub. 1.* contra Vasquez. Movet me, quòd talis accedat cum irreverentia positiva, & aliquo modo impediat Sacramenti effectum; obest enim fervori charitatis, quem ex opere operato excitaret. Addo certum esse, peccare venialiter communicantem ob vanam gloriam vel alium finem venialem, de quo non procedit quæstio, sed de eo, qui v.g. communicat proferendo verba otiosa, vel cum actuali aut virtuali affectu peccandi venialiter transactâ communione. Vide etiam Tamburinum *opusc. 2. cap. 1. §. 5.* & Franciscum B. Spei *disp. 7. n. 64*

19. Dico, ante susceptionem Eucharistiæ requiritur status gratiæ; nam hoc Sacramentum est vivorum: & ita quidem, ut majus peccatum sit communicare cum majoribus aut pluribus peccatis, quàm cum minoribus aut paucioribus, quamvis non sit necesse hoc in confessione exprimere: sicut probabiliter non debet explicari an quis post integram refectionem, an post bolum aut alterum Eucharistiam sumpserit, licèt priùs sit majus peccatum ob majorem irreverentiam: ratio est; quia in iis non mutatur peccati species.

20. Adde non sufficere, quòd antè communionem eliciatur contritio ab eo, qui est in peccato mortali, sed requiritur confessio, ut definitur in Tridentino *sess. 13. cap. 7.* hæc S. Pauli verba, *probet seipsum homo, & sic de pane isto edat, &c.* explicante, de probatione per Sacramentalem confessionem & absolutionē. Interea adhuc potest sufficere contritio concurrentibus duabus circumstantiis, dum scil. urget necessitas & deest copia Confessarii. Ita Bacho *in 4. distinct. 9. quæst. 2. art. 1.* adducens Glossam *de Celeb. Miss. cap. homine in fine.* Sic excusari potest Pastor ruralis, qui, dum heri mortaliter deliquit, tenetur ex officio hodie, utpotè in die dominico aut festo, aut pro præsente defuncto celebrare, & proximus Confessarius abest ad tantum spatium, ut si eum adeat, vel cum scandalo debeat sacrum plùs solito differre, vel se exponere periculo nocendi sanitati, vel adsint aliæ molestiæ graves: pro quo vide P. Franciscum *loc. cit. n. 79.* excusat similem Pastorem P. Joannes à Conceptione *in compendio Leandri de Sacram. tract. 7. disp. 7. num. 10.* licet adsit Confessarius, si cum eo habeat rixas & inimicitias: hócque extendit etiam ad illos qui urgente necessitate in præsentia solius talis Confessarii cum perfecta contritione communicant: quia nec Deus, nec ejus Ecclesia obligant ad confitenda peccata hosti, cum quo quis iratus est, inquit.

quit. Si hæc, in terminis ita generalibus prolata, vera essent, nimis sæpe rustici essent absque copia Confessarii, dum scil. totus pagus est in rixa contra Parochum: quare illa judico tantùm vera esse, ubi rixæ & inimicitiæ adeò graves sunt, ut prudenter timeri possit, ne similis Confessarius revelet confessionem: illud tamen vix prudenter timeri posse dicimus infrà *disp.* 5. *n.* 243.

Intereà à præmittenda confessione certò excusatur sacerdos, qui post consecrationem recordatur peccati mortalis non confessi, eò quòd tunc sit magis periculosum dimittere sacrificium, quod est contra perfectionem ejusdem, quàm contritè pergere, quod tantùm pertinet ad conditionem sumentis: quod si tamen fieret memor ante Consecrationem, tutiùs desereret missam inceptam, nisi timeretur grave scandalum. Ita ferè verbotenùs idem Bacho *dist.* 10. *quæst.* 1. parum post initium, ubi dicit prædictum per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequi pro illa vice. Hæc extende cum aliis communiter ad sæcularem, cum aliis in scamno communionis existentem, qui recordatur peccati mortalis, nec abire potest absque gravi scandalo aut infamia; imò etiamsi sinè scandalo & infamia recedere posset ad confitendum, non obligat eum Tamburinus *opusc.* 2. *cap.* 1. §. 8. *num.* 63. eò quòd irreverenter se gereret inchoatam quasi actionem sinè clara necessitate relinquendo.

21. Verùm hoc ego non admitto, & multò minùs id quod generaliter docet Ferrantinus, nempe dum quis in ordine ad communionem confessus est, & postea recordatur alicujus peccati mortalis obliti inculpabiliter, non teneri eum illud confiteri antè communionem, licèt possit absque nota ignominiæ: id inquam nullatenùs admitto, quia Diana *par.* 11. *tract.* 1. *resol.* 40. adducit celeberrimos authores censurantes hanc sententiam, testatúrque illam ex ordine supremi Tribunalis S. Inquisitionis Hispaniæ expunctam esse ex operibus Magistri Cornejo, quem proinde frustrà pro se c tat Ferrantinus, quidquid in cæteris doctissimè scripserit: atque ipse Cornejo *tom.* 2. *tract.* 4. *circà quæst.* 80. *art.* 4. *disp. unicâ dub.* 3. subdit, nostram sententiam amplecti à viris timoratæ conscientiæ: ac quamvis Franc. B. Spei *de Euchar. disp.* 7. *n.* 85. benè probet, speculativè loquendo, tunc non videri confessionem necessariò præmittendam communioni (ut rectè dicit notare Nostrum Cornejo; per quod fortè poterit excusari;) *num.* tamen 86. subdit in praxi omninò tenendum quòd sic: eum consule.

22. Adverte intereà hanc esse differentiam inter dictum laicum existentem in scamno communionis & Sacerdotem in Altari; quòd nimirum Sacerdos teneatur posteà quàm primùm confiteri, non verò laicus; ut constat ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 7. illud autem *quamprimùm* juxtà P. Urbanum *tract.* 1. *cap.* 36. idem est, *ac primâ datâ occasione*, quam meo judicio tenetur opportunè quærere, simul ac sacrum suum finierit. Undè malè dicit Diana Ly *quamprimùm* idem esse ac *intra triduum*. Pejus Binsfeldius vult idem esse ac, *antequam iterum celebret*; quidquid Gobat

in

in Alphab. Commun. casu 16. num. 245. audacter asserat, interpretationem Binsfeldii videri usu receptam in Germania, neque esse ex decem Sacerdotibus unum, qui arbitraretur, se peccare mortaliter, non confitendo primâ datâ occasione, nec intra triduum. Verè modò omnes omninò Sacerdotes arbitrari debent, se in dicto casu peccare mortaliter; nam nuperrimè ab Alexandro VII. sequens propositio est damnata. *Illa particula* quamprimùm *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur:* per quã interpretatio Binsfeldii etiam videtur damnata, cum ly *suo tempore* in sensu idem sit quòd, *antequam iterum celebret*: undè illam malè admittit P. Gobat. Adhuc peius Ledesma, & Villalobos apud Tamburinum sustinent, illud mandatum Tridentini solùm esse consilii, non præcepti: quia in eodem decreto damnatur & sequens propositio. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum*: in qua illorum Authorum doctrina in terminis damnatur, quam malè tanquam probabilem admittit Joannes à Conceptione *lo. suprà cit. num.* 16. ubi judicat *probabilius* in illis verbis Tridentini contineri præceptum. Malè item de novo Gobat *in Alphab. Sacrif. casu* 14. *num* 439. docet, verba Tridentini habere hunc sensum: *Tenetur sub veniali confiteri*: aut etiam; *Suademus, ut confiteatur quamprimum, &c.* Nec ampliùs dicat, *hanc utramque leniorem expositionem esse practicè tutam: Tamburinum insigniter probare utramque hanc expositionem, &c.*

Adverte insuper & hanc esse differentiam inter communicantem & celebrantem indignè, quòd primus unicum, secundus duo peccata gravia committat, unum conficiendo, & aliud sumendo Sacramentum Eucharistiæ in statu peccati mortalis. Undè non sufficit si talis Sacerdos in confessione dicat, se communicasse in tali statu, sed debet addere, se etiam consecrasse, vel simpliciter, se in mortali peccato Missam celebrasse, in quo utrumque includitur. Si tamen post consecrationem elicuisset contritionem perfectam, deberet exprimere se solùm in mortali consecrasse.

23. Adde præter statum gratiæ ad consequendum effectum Eucharistiæ, requiri intentionem actualem vel saltèm virtualem communicandi: qui enim comederet Hostiam consecratam præcisè ut famem extingueret, non communicaret, nec formaliter susciperet hoc Sacramentum: quidquid P. Franciscus *n.* 58. ostendat præter duo jam dicta, non requiri necessariò devotionem actualem.

Petes hîc fortè, an pollutio nocturna impediat communionem?

24. Respondet Bacho suprà *art.* 2. abstinendum esse si acciderit cum peccato mortali; addítque ante hujus Sacramenti susceptionem etiam à propria uxore abstinendum esse tribus, quatuor, quinque, aut etiam octo diebus, prout ait haberi *de consecr. d.* 2. *omnis homo*: verùm hoc intelligendum est, nisi alter conjugum debitum exigat, quo casu, ipsomet teste, reddens communicare poterit,

imò

imò & petens causâ procreandæ prolis. Item si quis exigat infirmitate ductus, quamvis meliùs sit abstinere simpliciter loquendo eodem die à communione; poterit tamen adhuc eam sumere, si ratio vel devotio specialis adsit: quia, ut idem Bacho testatur, glossa super dicto *cap. omnis homo*, docet, abstinentiam ab uxore consilii esse non præcepti. Ita etiam ferè loquitur Sylvius *in 3. par. quæst.* 80. *art.* 7. & Sancius ostendit, nullum peccatum mortale, si de eo peccator pœniteat & confiteatur, impedire communionem; qui se fundat in Tridentino *seß.* 13. *cap.* 7. dicente, illum dignè & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis sibi conscius est, aut si sit conscius, dignè accedet se per confessionem probando.

25. Nec gravabor hîc ad longum ponere, ad tollendos multos scrupulos, quæ habet Noster Franciscus *disp.* 7. *suprà num.* 18. *Culpa non est, etiam venialis, ad hoc Sacramentum accedere post pollutionem fluxu naturali, vel copulam conjugalem bene ordinatam, licèt fœditas corporalis, aut mentis distractio remanens, & devotionem ac attentionem debitam impediens, prout lacera ornamenta, facies & manus illota, &c. interdum ex decentia suadeat Sacramentum hoc differre; & propterea sit Regula Carthusian.* p. 1. cap. 24. *statutum, quo prohibetur, ne, qui nocte pollutus est, manè celebret, etiamsi citra culpam pollutus sit; quod, utpotè à summo Pontifice approbatum, reprobare non ausim, licèt non putem obligare, si à tali sub honesta excusatione, sinè nota, Sacrum omitti non poßit, ob dicenda* num. 53. *Imò, quia sæpè pollutiones illa à dæmone excitantur ad devotionem distrahendam, & aliundè Eucharistia, utpotè generans Virgines, multùm servit ad servandam omnem mentis* & corporis turpitudinem, *puto statutum illud non esse ex intentione obligandi, sed commendandi castitatem; alioqui esset impeditivum majoris boni; nam absolutè illis (quidni conjugatis post copulam, imò & voluntariè pollutis, quibus assuetis frequens communio, ut remedium singulare suadetur, & in variis efficax comprobavi, jam perfectè contritis & confeßis?) melius est communicare, quàm non communicare; imò ob rationem datam videtur consilium dandum, ut communicent, quidquid paßim dissuadeant Confessarii.* Ita ille. Vide etiam P. Gobat *in Alphab. commun. casu* 20. *num.* 350. *& seq.* qui adfert exemplum magni peccatoris, qui communicando ad mandatum sui Confessarii eo die, quo se polluerat, à pessima consuetudine liberatus est.

* * *

extrinseco priùs in illum quomodocumque immittentes. Sed

28. Quid dicendum de tabaccho? Respondeo ante communionem sumere tabacchum, sive per modum fumi, sive per modum pulveris aut folii quod masticatur & illicò expuitur, esse valdè indecorum: peccati tamen mortalis absolutè & per se damnare non audet Marchantius, citans Dianam *par. 5. tract. 13. resol. 1.* & alios; quidquid id meritò prohibeatur gravissimè in Diœcesi Tornacensi, in Synodo Mexicana III. & Limensi III. ex quibus colligitur, non adeò tutè quosdam id practicare quolibet prætextu. Ita Marchant. *in resol. Past. circa Sacram. tract. 2. in append. ad cap. 2.* qui parum antè excusat à fractione dicti jejunii degustantem aliquid juculenti ut percipiat saporem, si statim exspuit; licèt quid censeatur relinqui in palato, quod per modum salivæ postea deglutiatur. Vide etiam Lezanam *verbo Eucharistia num. 16.* ubi absolutè docet sumptionẽ tabacchi solvere jejunium naturale; quod dicit constare ex multis experientiis pluriũ, qui ex solo tabaccho sunt sustentati; undè ait, sibi non placere sententiam Dianæ, nisi intelligatur de sumptione tabacchi in tam parva quantitate, ut moraliter certum sit, nihil ipsius substantiæ ad stomachum pervenisse. Interim adhuc Tamburinus *opusc. 2. cap. 2. §. 6. num. 23.* hæc habet, *sumptio tabacchi per nares sive in folio, sive in pulvere, sive in fumo, non solvit jejunium, quia non est comestio vel potatio.* Idem de novo pluribus citatis docet Burghaber *Centur. 3. casu 45.* solùm excipiens sumptionem tabacchi extraordinariam, ut si quis tabacchi folium in os admissum deglutiret integrum; is enim frangeret jejunium naturale, inquit, cum in morali Ecclesiæ judicio comedisse censeretur. Particulariora resoluta invenies apud Franciscum Bonæ Spei *de Euchar. disp. 7. num. 20. & sequent.* qui & *num. 34.* invehitur meritò in D. Caramuelem *Theol. fund. fundamento 67. num. 1329.* dicentem; *Respondent aliqui levem comestionem posse esse irreverentiam: sed hoc falsò supponitur; comedere enim post Eucharistiam, non est irreverentia: ergò nec comedere ante Eucharistiam, &c.* Ac licèt idem Franc. *n. 37.* ostendat, Caramuelem valdè inefficaciter à se ipso allegata solvere *in sua Theologia resolutiva num. 2007.* ipse tamen omninò efficaciter ea refutat; sicut & alia, quæ à Caramuele in tota sua Theol. fundam. adferuntur, in suis propriis locis solidissimè reprobat.

29. Si petas an antè communionem necessariò præmittendus sit somnus? Respondeo negativè cum D. Thoma, nostro Bachone & aliis communiter contra Hostiensem, qui pro opposita sententia allegat illud *lib. 5. de accusationibus, si constiterit*; sed immeritò, ut ostendit Bacho, quia illud caput loquitur de Sacerdote, qui in taberna pernoctavit, sive totâ nocte mansit, bibendo scil. post mediam noctem.

30. Adverte tamen Eucharistiam posse sumi à non jejuno, primò ob necessitatem suscipientis, ut in periculo

mortis; quando etiam sæpiùs à non jejuno infirmo sumi potest si periculum perseveret, non tamen indies ob reverentiam, sed octo vel decem interjectis diebus, prout docet Lezana *suprà num.* 17. & Urbanus *lo. cit. in fine.* quidquid Diana cum aliis solùm requirat tres dies interponi; & aliqui velint, id licere singulis diebus; inter quos sunt Hurtadus, Layman, Leander, & Dicastillus apud Dianam *par.* 11. *tract.* 6. *resol.* 17. Quale autem, & quantum debeat esse hoc periculum mortis, medici aut aliorum prudentum judicio relinquitur, meliùs quàm aliundè determinetur: absolutè interim minus periculum requiritur, quàm ad extremam unctionem; eò quòd morti proximus non cum tanta devotione possit communicare. Neque est scrupulosè hîc agendum, inquit Tamburinus; adeòque incommoditas infirmi, vel ejus qui eum communicare debet, excusat à jejunio, ut si infirmus non possit manere jejunus, nisi parum post mediam noctem, poterit vesperi communicare non jejunus, ne Sacerdos teneatur mediâ nocte surgere: sic etiam excusatur Parochus, qui manè in Ecclesia impeditus, expeditiùs serò accedit ad ægrotum non jejunum communicandum. Hæc ille. Addo P. Gobat *in Alphab. commun. casu* 12. *num.* 191. citatis Authoribus docere, Capellanum Monialium pro communicanda ægra toties posse ingredi monasterium, quoties ipsa petet, vel ex vi Regulæ, & consuetudine monasterii, vel quoties solita fuit communicare sana: cave interim hîc aliorum offensas, & scandala.

Potest secundò quis non jejunus communicare ut servet integritatem sacrificii, de quo parum post, ubi *de Missa.* Tertiò, ad vitandam Sacramenti longè majorem irreverentiam, ut si esset periculum ne hostiæ consecratæ incidant in manus Judæorum vel hæreticorum v. g. Ita Lezana *num.* 17. *cit.* An verò sacerdos possit celebrare non jejunus, ad dandum viaticum infirmo morti proximo, dum non adest hostia consecrata? Variant DD. & quamvis communior sententia neget, affirmat tamen probabiliter Layman, cui favent Suarez & Granadus. Cæterùm modò quis sit jejunus, potest communicare quacumque horâ, ut omnes communiter docent, contra Pasqualigum volentem restringere tempus communionis ad tempus celebrationis, sed malè, nam si in odiosis communicans veniret nomine celebrantis, plùs hoc haberet locũ in favorabilibus, adeòque posset quis in festo natalis Domini tertiò communicare, quod à nullo admittitur. Quod enim D. Caramuel *Theol. Fund. Fundamento* 67. *n.* 1328. varia in contrarium adducat, quæ nec ipsemet in sua Theol. resolutiva benè solvit; nihil refert: quia ea soluta habes apud supradictum Franciscum *disp.* 7. *cit. num.* 13. ubi *num.* 16. D. Caramuelem magnæ levitatis meritò arguit, uti ipsum legenti constabit: monétque unumquemque his verbis: *Tu igitur attende ad rationes à nobis allatas, & si te non convincant, suppone tanquam filius obediens, non deesse Ecclesiæ fortiores, potiùs quàm dicas cum Caramuele,* rationem levem proponi; nullas esse causas vel fortè leves.

Petes

Petes primò, an aliqua infirmitas impediat communionem?

31. Respondeo nullam infirmitatem (nequidem fluxum menstruum, quem hîc exprimit Gobat) per se impedire communionem; nisi fortè timeatur vomitus statim post illam sumptam: nam si infirmitas ex se nullo sumpto cibo causet frequentem vomitum, infirmus non erit communicandus, nisi per aliquas horas vomitus cessaverit, & judicetur per horam vel circiter à communione eum non vomiturum. Quòd si fortè casu sacra hostia vomitu redeunte redderetur, deberet reponi in loco aliquo sacro, ac species, ubi corruptæ essent, in sacrarium recondi. Dixi *& judicetur per horam à communione eum non vomiturum*; quia post horam communiter censentur digestæ species, licèt stomachus validus citiùs quàm infirmus eas digerat. Imò Lugo *de Euchar. disput.* 10. *sect.* 3. *num.* 54. ex medicorum sententia, ut putát, docet minorem hostiam corrumpi in sexagesima parte unius horæ, hostiam verò majorem cum speciebus vini, spatio semiquadrantis vel saltem quadrantis: ex quo deduci posset, non esse contra reverentiam ante finitam horam à communione vomitum permittere aut procurare. Abstineatur tamen quantum fieri potest, quia hæc non certa; nam Tamburinus testatur, se novisse infirmum, qui hostiam sacram adhuc integram post mediam horam à sumptione evomuit. Interea si quis sentiret, vel à fide digno intelligeret species à se sumptas fuisse veneno infectas, posset statim à communione procurare vomitum, ne vita periclitetur. Sed quid de energumenis? Si irreverentiæ, vomitus & scandali periculum absit, illis sacra communio valde utiliter ministratur, sive ad vires dœmonis debilitandas, sive ad proprias ipsius energumeni, & in afflictione sua patientiam augendum, ac terrores minuendum. Ita Franciscus *disp.* 7. *num.* 8. remittens ad Concilium Eliberitanum *cap.* 18. & Arausicanum 1. *can.* 14.

32. Petes secundò, an statim à communione licitum sit spuere, & comedere? Respondeo & dico primò, quamvis decens sit aliquamdiu exspectare post communionem à spuendo, non est tamen illicitum, statim ac constat nullum ampliùs fragmentum in ore remansisse, exspuere; nullo namque præcepto hoc vetatur, neque est periculum irreverentiæ, quia sputum juxtà medicos ex capite in os defluit, species verò in stomacho continentur: ex quo Tamburinus infert, licere post communionem sputum sivè salivam Tabacho, pipére, &c. evocare sinè periculo irreverentiæ.

33. Dico secundò, etiam nullum exstat præceptum differendi comestionem ad certum tempus post communionem; licèt tamen reverentia tanto Sacramento debita exigere videatur, ut non statim ad comedendum accedatur, nisi necessitas urgeat. Nulla etiam lex jubet deponi gladium ante communionem, nec consuetudo videtur obligare, nisi fortè aliquando ratione scandali.

Petes fortè tertiò, an augeat mali-

tiam, quòd quis peccet ipso die communionis?

34. Respondeo in primis esse certum, id non posse mortaliter aggravare, si desit contemptus; non est enim ex quo cap. tanta gravitas oriretur: decens tamen est, & ad hoc fideles exhortandi sunt, ut eo die diligentiùs studeant se in piis operibus exercere.

DUBIUM SEXTUM.

De Ministro Eucharistiæ.

35. Certum est apud omnes Catholicos, Ministrum conficientem hoc Sacramentum esse solum Sacerdotem legitimè ordinatum, eumque omnem; unde Sacerdos excommunicatus, hæreticus, infidelis; imò & degradatus, validè semper conficit hoc Sacramentum, dum super debitâ materia profert formam à Christo institutam cum intentione consecrandi. Dixi *Ministrum conficientem*; quia quoad administrationem seu distributionem hujus Sacramenti, potest ea à Sacerdote quandoque committi Diacono si adsit necessitas; ut dum quis versatur in articulo mortis, nec adest Sacerdos, cui id possit committi; quod habetur ex Conciliis Nicæno, Arelatensi & Carthaginensi 4. Cæterùm ordinarius Minister distribuens etiam est Sacerdos, prout patet *ex cap. pervenit de consecr. dist.* 2. & quidem ille dumtaxat, qui habet potestatem jurisdictionis, vel ordinariam vel delegatam; quia dispensatio Sacramentorum de jure pertinet ad Pastorem spiritualem. Neque unquam potest hoc munus committi Subdiacono aut alteri Clerico; quod Lezana asserit constare *ex cit. cap. pervenit,* & Ecclesiæ consuetudine; quidquid Suarez, Coninck, Layman, & Præpositus apud Busenbaum, & ipse Lezana *verbo Eucharistia num.* 15. doceant, probabile esse, in extrema necessitate, etiam laico licere alium communicare, si desit periculum scandali. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tract.* 7. *resol.* 43. ubi recenter hanc difficultatem latè discutit, ac firmat sententiam affirmativam; quod & facit P. Gobat *casu* 22. *num.* 445. *& seq.* Nec non Burghaber *Centur.* 3. *casu* 69. qui & plures alios citat.

Petes primò, an quis possit communicare seipsum?

36. Posse quemcumque etiam laicum in extrema necessitate, saltem probabiliter, docent illi quinque statim citati; pro quo Lezana adfert exemplum celebris illius Reginæ Scotiæ in Anglia morti proximæ; & ulteriùs probat, quia licèt hoc Sacramentum non sit tam necessarium quàm pœnitentia, est tamen valde necessarium; & ex alia parte hoc non est contra Jus divinum, cum in eo stando olim fideles propriis manibus communicarent seipsos, ac sacras Hostias domum conferrent, prout historiæ referunt: nec jus humanum *cap. pervenit*, sicut nec con-

consuetudo videntur obligare in casu tam gravis necessitatis, vel saltem maxim æutilitatis. Ita Lezana & plures alii apud Dianam *par. 5. tr. 3. resol.* 47. ac *par. 3. tract. 4. resol.* 47. Ubi *resol.* 48. *seq.* superaddit; licitum esse Sacerdoti, etiam extra articulum mortis, sepsum communicare, si nequeat celebrare, & adsit causa rationabilis & desit scandalum; quia non debet hîc ex ullo cap. esse distincta persona ministrans & sumens, etiam extra celebrationem; cùm in die Parasceves Sacerdos se communicet & tamen non celebret: ita etiam docet Lezana; licèt uterque velit, debere potiùs Sacerdotem recipere Eucharistiam à Diacono si adsit; & Tamburinus dicat, utrumque æquè esse licitum. His omnibus etiam subscribit P. Franciscus Bonæ Spei *de Euchar. disput.* 8. à *num.* 7.

Petes secundò, an licitè Sacerdos alicui communicaturo det particulam suæ Hostiæ majoris?

37. Respondet Lezana *num.* 22. id non posse communiter fieri, eò quòd sit contra usum Ecclesiæ & cæremonias Missalis: si tamen casus rarus occurrat, ut cum persona notabilis vellet communicare, nec esset alia Hostia, tunc, inquit, id licitè fieri poterit. Verùm Diana *par. 1. tract. 14. resol.* 37. *par. 3. tract. 4. resol.* 34. & *par. 10. tract. 11. resol.* 70. pluribus ubique citatis (quibus ego jungo Burghaber *Centur. 1. casu* 73.) docet, non requiri, ut petens sit persona notabilis, sed sufficere, quòd sic communicaturus non habeat aliam Missam, vel cogatur diu exspectare donec aliud Sacrum celebretur: & Tamburinus asserit absolutè, id non esse inconveniens, ob ipsam Christi primariam institutionem, qui fregit panem & dedit. Ex quo Tannerus apud Gobat *in Alphabeto communic. casu* 21. *num.* 421. infert, in necessitate permissum esse, ut aliquam etiam magnam Hostiam in aliquot partes divisam præbeas accedentibus. Cave tamen, dum renovas Hostiam in Remonstrantia expositam, illius loco reponas eam, quam unicam consecrasti in tuo sacrificio; quia sic mutilares sacrificium. Vide cap. *Relatum de consecr. dist.* 2. Cæterum dum Hostiæ parvæ consecrandæ sunt, debent maturè præparari ut in altari exstent ante offertorium: quod ita exactè requirit Bonacina, ut nullô intuitu velit illas posse consecrari, si cum majori Hostia non fuerint suo tempore oblatæ; quia ad idem sacrificium pertinent, ad quod Hostia major. Verùm in hoc ipsi contrariatur Burghaber *Centur. 2. casu* 28. quatuor aliis citatis, volens, satis rationabiliter, posse Hostias parvas cum majori consecrari (oblatione earumdem prius mente conceptâ) licet post præfationem tantùm ad altare portarentur, si nimirum devotio aliquorum communicare desiderantium id postulet: nam oblatio parvarum Hostiarum, neque ratione sacrificii, neque vi præcepti conjungi debet cum oblatione Hostiæ majoris. Ita ille, reprehendens Gavantum volentem, id non esse licitum si parvæ Hostiæ afferantur post præfationem, benè si immediatè ante illam.

Petes tertiò, an aliis distribuens communionem teneatur esse in gratia?

38. Re-

38. Respondet Marchant. *in resol. Pastor.* affirmativè, dicens, eum mortaliter delinquere si sit in peccato mortali & non conteratur; ita, inquit, habet Rituale Leodiense & passim alia ritualia. Probaturque primò; quia hoc ministerium est dispensatio mysterii mysteriorum, quod passim SS. PP. vocant mysterium tremendum: sancta verò sanctè tractanda esse, jure divino constat. Secundò hoc Sacramentum sine comparatione excellentius est Arcâ veteris Testamenti, cujus tamen parum digna tractatio Ozam Levitam percussit. Tertiò SS. PP. summam puritatem in hoc ministerio semper requisiverunt: ergo, &c. Nec refert, quòd dictus distribuens non conficiat Sacramentum; quia etiam ut distribuens specialiter repræsentat personam Christi, ac consequenter ei se conformare debet; idque sub culpa gravi, cùm hujus Sacramenti administratio reputari debeat inter præcipuas functiones sacerdotii Christi. Hæc & alia per optimè congerit Marchant. *de Sacram. tract.* 4. *cap.* 10. subdens, sententiam oppositam esse contra totam scholæ antiquitatem. Verum his non obstantibus?

39. Respondet Vasquez cum pluribus recentioribus (quorum sententiam Diana reputat probabilem) prædictum distribuentem solùm peccare venialiter, eò quòd levem tantùm committat irreverentiam, cum ut sic non sit Dei Minister ad justificationem proximè, sed tantùm veluti applicans activa passivis, ut loquitur Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol*, 41. quam doctrinam repetit *resol.* 59. & iterum verbotenus, quæ dixerat *resol.* 41. habet *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 23. ubi addit, sententiam Vasquez etiam probabilem reputari à Sylvio, Cabrera, & multis aliis: tamen tu tene primam sententiam: quam absolutè tenendam esse tradit Franc. B. Spei *de Sacram. in genere disp.* 4. *num.* 97. *& seq.*

40. An autem prædictus toties mortaliter delinquat, quot personas diversas communicat? Affirmant Coninck & Bonacina apud Bassæum verbo *Sacramentum cap.* 3. *num.* 8. quia ponit tot actiones terminatas & completas. Ego contrarium judico probabiliùs cum Bassæo, & Marchantio *tract.* 1. *suprà*, ubi sic loquitur: *Ego rem moraliter considerandam opinor; unde licèt plures ministrandi actus physicè interveniant, moraliter tamen loquendo censetur idem ministerium, in quod unicâ etiam voluntate fertur Sacerdos: rectè ergo dicitur esse idem peccatum dum continuat, & quamdiu notabilis mora aut interruptio non intervenit; sicut licèt Corporis & Calicis sumptio diversa sint actiones physica, tamen non constituunt diversa peccata in Sacerdote indignè sumente; quia sunt una moralis sumptio & participatio ejusdem sacrificii: sic dicas esse in casu nostro, licèt interim ob continuationem non negem aggravari peccatum, sicut & meritum augetur dum multis simul piè administratur. Neque verò puto similiter judicandum de Sacramento Pœnitentiæ; quia quot pœnitentes absolvit in peccato mortali, toties censetur peccare mortaliter: ratio disparitatis adferri potest, quia quot personæ accedunt, toties variatur judicium, novumq; conficitur Sacramentum, & toties forma sacramentalis repetitur, animam sanctificans.* Hucusque

usque Marchant. quidquid Bassæus dicat oppositum quoad hoc ultimum etiam probabile esse, eò quòd etiam censeatur una moraliter Sacramenti administratio ad plures facta: quod idem antè docuerat verbo *Confessarius, cap.* 4. *num.* 2. citans Rodriguez, Henriquez, Fagundez, Sylvium & Dianam. Vide etiam P. Franciscum *loc. cit. num.* 100.

DVBIVM SEPTIMVM.

Quibusnam danda, vel neganda sit Eucharistia?

41. NEgandam esse pueris, omnes docent, donec actualiter usum rationis habeant. Diana tamen *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 36. ait, eam posse dari per modum viatici puero, de quo dubitatur, an ratione utatur, quod fieri potest circa ætatem 7 annorum; verùm consuetudo est in contrarium. Insuper neganda est communio perpetuò amentibus; quia neque hi seipsos probare possunt: potest tamen dari furiosis & amentibus in lucidis intervallis; sicut & stolidis, qui mentem habent debilem, modò sint docibiles in iis, quæ ad fidem & devotionem spectant. Potest item dari per modum viatici iis, qui in amentiam seu phrænesim inciderunt, quando constat eos illam desiderasse, prout colligitur ex Concilio Carthaginensi 4. *cap.* 76. & ratio est; quia cùm perceptio viatici illis sit perutilis ad salutem, non est, unde eis sit neganda. Observa tamen ex Lezana *num.* 20. ad hoc requiri, ut credantur esse in statu gratiæ, nec sit spes reditus ad usum rationis, & absit periculum vomitus, & alterius irreverentiæ: de quo in dubio experimentum capi poterit præbendo priùs hostiam non consecratam, ut post Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *res.* 44. docet Gobat.

Sed quid faciet Parochus vocatus ad ebrium, qui ob læsionem vel catharum est in urgente periculo mortis? Si ebrietas fuit voluntaria, non est ei dandum viaticum, quia non est mittendum canibus, ut canit Ecclesia: si verò constat illam fuisse prorsus involuntariam, potest & debet ei dari juxta P. Gobat *casu* 13. *num.* 196. quia ebrius comparatur furioso, addens, in dubio præsumi ebrietatem esse involuntariam, quando accidit illi, qui nunquam, aut vix unquam inventus est ebrius. Addit insuper in dubio, utrùm æger ille incurrerit perfectam ebrietatem, an solùm imperfectam, quæ mentem quidem ac linguam, & fortè pedes aliquantum turbarit, reliquerit tamen facultatem sat commodè distinguendi inter bonum & malum; in hoc, inquit, dubio est declinandum in partem mitiorem, prout docet Menochius *de probat. concl.* 579. Certum insuper est, communionem dandam esse damna-

tis ad mortem, adeo ut Bonacina *de Euchar. disp. 4. q. 7. p. 1.* post multos contra Navarrum asserat, Judicem sub mortali teneri iis ad hoc spatium dare, per se loquendo. Nec excusat P. Gobat omnes Colonellos & alios, qui milites in flagranti deprehensos, jubent absque Synaxi in prima arbore suspendi: quidquid dicat, non esse damnandos Judices, negantes ad hoc longius spatium illi, qui priùs datô uti noluit.

Cæterùm præcipua hîc est difficultas de peccatoribus, an scil. Eucharistia ipsis sit neganda? ad quam respondendo,

42. Dico cum Francisco B. Spei *de Sacram. disp. 4. num. 122.* & omnibus communiter; Eucharistia semper & ubique neganda est peccatori publico, tum ob manifestum periculum scandali, tum ob irreverentiam, quæ committeretur dando sanctum canibus. Unde negari debet publicis usurariis, hæreticis, meretricibus, excommunicatis, suspensis & interdictis, quando eorum flagitia sunt publica: item histrionibus, & scenicis; quod Bacho *dist. 9. quæst. 2. art. 1.* deducit ex cap. *cum Martha, de celebr. Miss.* & cap. *pro dilectione, de consecr. dist. 2.* Non gravabor tamen hîc apponere, quæ habet Caramuel *lib. 3. Theol. mor. num. 1393.* & ex ipso Tamburinus: usurarii publici, & communes peccatores aliquando tanguntur à Deo, & resipiscunt: unde, me consule, magno consilio & examine utaris, antequam publicè petenti Eucharistiam neges publicè; & quia in altari nec tempus examinandi suppetit; nec dantur quos consulere possis, ubicumque præviâ resolutione, antequam eò veneris, sanctè & coram Deo non statueris negare Eucharistiam tali personæ; si petet, concedito, nam negare est res gravissima, quæ non debet fieri impetu extemporaneo. Ego quidem primâ vice nemini mortalium negarem, quem non scirem certò esse in omnium opinione non baptizatum, delirum, aut arbitrii impotem. Si certò scirem, meretricem habitare in lupanari, usurarium in telonio, & ex altari ad has domos iterùm peccaturos, & populum scandalizaturos reverti (sed quando similia monstra actionum data!) audacter communionem negarem. Hæc omnia Caramuel: qui in hoc aliis videbitur nimis favere publicis peccatoribus: nam cæteri communiter volunt, ut publico peccatori publicè possit dari communio, necessarium esse, ut publicè constet de ejus confessione & pœnitentia, pro ratione sui mali status; sic nimirum, ut manifesta sit ejus conversio.

Quid si similis peccator publicus sit in periculo mortis? Respondeo cum Gobat *casu 21. num. 398.* Suarez, & Tannero, ut illi communio detur, sufficere, ut pro opportunitate temporis ritè confiteatur; aut si non valeat, certa contritionis signa ostendat. Sed quid, si gravis suspicio adsit magni peccati, quod pernegat se commisisse? Nihil refert, quia ipsi in tali articulo potiùs fides adhibenda est, quàm aliis.

43. Dico insuper, ob dictam irreverentiam neganda est etiam communio

munio peccatori occulto occultè eam petenti, secùs si petat publicè; hoc enim Eugenius IV. expressè inhibuit: quia omnis Christianus jus habet ad petendum panem filiorum in facie Ecclesiæ, quamdiu in facie Ecclesiæ non habetur nocens; quod & probat Bacho exemplo Christi, qui Judam à communione non removit, quem occultè noverat indignum: & aliàs, inquit Lezana, infamaretur graviter ipse petens, committereturque perturbatio, & grave scandalum in populo. Interea tenetur Minister omni meliori modo quo potest, vitare occasionem tali hoc Sacramentum ministrandi, ut v. g. differendo distributionem communionis, divertendo ad alia, quando id fieri potest, imò & monendo eum ad partem, ne se ingerat, ut vult Bacho; quod ultimum tamen puto rarò posse in praxim deduci, cùm supponatur peti publicè, seu coram populo.

44. Adde, si scientia occulti alterius delicti per solam confessionem sacramentalē ad distribuentem communionem pervenerit, non posse ei etiam occultè petenti negari. Ita P. Franciscus *disp.* 4. *cit. num.* 144. Ratio est; quia nemo uti potest scientiâ confessionis in ordine ad actus externos, idque in tantum, ut illicitum sit finitâ confessione, vel cum ipso pœnitente de ea loqui ipso invito, vel solo vultu occultè exprobrare: deinde quæ scit Confessarius per confessionem, scit ut Deus, quando verò negat communionem, facit ut homo. Ita Lezana, Diana, & alii communiter, contra quosdam volentes in absentia periculi scandali, esse in casu dicto denegandam Eucharistiam. Sed nunquid in prædictis casibus licitum foret dare hostiam non consecratam peccatori occulto, ut vitetur irreverentia simul & infamia petentis? Aliqui affirmant licere, si adstantibus ostendatur consecrata; verùm ego judico cum Francisco B. Spei, id absolutè esse illicitum ob periculum idololatriæ, saltèm materialis, quod semper adest.

Petes hîc fortè, quid debeat facere Sacerdos, distribuens multis communionem, si v. g. fœminam inter cæteras flectentem, videat S. Hostiam ex ore in strophiolum emittere ad inhonorandam illam, ut suspicatur?

Respondeo, illum debere omnibus modis similem fœminam tacitè observare, ut ex aliqua nota in ejus notitiam veniens, postea cum ea loqui, atque sic malum impedire valeat: quod si facere nequeat, rem Deo commendet. Ita Burghaber *centur.* 1. *casu* 35. qui absolutè docet, illam non esse publicè corripiendam, aut quomodocumque confundendam, nec S. Hostiam ei coram aliis eripiendam, si eripi non ita dexterè ac occultè possit, ut omnes lateat. Ratio est, quòd similis fœmina sit in possessione famæ suæ, nec nisi præsumptio sceleris stet contra ipsam; fortè enim non nisi phlegma ex ore emisit, vel S. Hostiam non ad inhonorandam, sed ne inhonoretur, per subitum vomitum pro tempore ex necessitate extraxit: præsumptio autem non sufficit, ut extrudatur ex illa possessione, cum

certa infamia talis cogitati sceleris. Accedit, quòd antea docuerimus, posse Eucharistiam ministrari, imò & debere, occulto peccatori publicè petenti: ergo & illud jam administratum potest ei relinqui, qui cum ea putatur peccaturus. Alias duas rationes adhuc habes apud Burghaber *loc. cit.*

DVBIVM OCTAVVM.

An Communio sit sub præcepto?

45. DIco primò, Communio est sub præcepto Divino cuilibet adulto, ita ut teneatur communicare aliquando in vita, maximè tamen in articulo mortis. Ita Urbanus *tract.* 1. *cap.* 36. fundans se in Scriptura: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad mortis articulum verò constat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, sacram Eucharistiam tunc recipiendi per modum viatici, ut notat Concilium Nicenum. Si tamen quis parum ante dictum periculum communicasset, esset disobligatus, ut docent Suarez, Diana, & Marchant. quod *parum* plures apud P. Gobat *casu* 12. *num.* 187. meritò non audent extendere ad octiduum, Quintanadvenna extendente ad quindenam, ut certò quis obligetur. Interea Marchant. dicit, quosdam docere, non exstare Divinum præceptum, nisi semel in vita communicandi; sicut D. Bonaventura, & plures alii apud Dianam *part.* 3. *tract.*4. *resol.*40. docent, non esse mortale omittere Eucharistiam in articulo mortis, nisi adsit contemptus. Videatur Mendo *in Statera benign. opin. differt.* 11. *quæst.*1. Vide etiam Franc. B. Spei *de Euchar. disp.* 7. *num.* 99. ubi dicit, clarâ ratione non evinci, Divinum esse præceptum de communione ab omnibus adultis reipsa sumenda: quidquid ob authoritatem ferè omnium (quæ ipso *num.*100 testante, in re morali est potissimum motivum) *num.*101. hanc defendat resolutionem: *Præceptum Divinum communionis obligat, saltèm in articulo mortis: an autem sæpiùs intra vitam præscindendo à declaratione pro singulis annis per Ecclesiam facta; videtur incertum.*

46. Dico secundò, vi præcepti Ecclesiæ tenetur quilibet adultus communicare singulis annis circa Pascha, intra tempus Dominicæ Palmarum, & Dominicæ in Albis: idque in Ecclesia propria, vel alibi, cum licentia Episcopi aut Pastoris. Ita omnes, ex cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* quidquid intra illud tempus Pasqualigus apud Dianam *part.* 11. *tract.*7. *resol.*14. includat unum aut alterum diem ante & post dictam quindenam, ac P. Franciscus *loc. cit. n.* 109. testetur, in plerisque locis Germaniæ, prædictum tempus extendi ab initio Quadragesimæ ad Dominicam in Albis, propter pauci-

paucitatem Confessariorum: & ego, in Conventu nostro Boxmeræ degens, expertus sum, plures communionem annuam usque ad Festum Corporis Christi differre, qui in aliquibus partibus Hollando subjectis domicilium habebant, quos ob absentiam Confessariorum negligentiæ arguere non poteram. Interea adverte ex P. Urbano, propriam Ecclesiam, quoad hoc punctum, non debere censeri solam Ecclesiam domicilii, sed etiam quasi domicilii, ubi quis immoratur aliquâ anni parte, vel quam elegit ad aliqua negotia peragenda, studia, lites, mercaturam & similia prosequenda: pro quo vide dicta *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 15. Adde etiam, nomine Ecclesię proprię, venire Cathedralem pro omnibus de Diœcesi, eò quòd in ea adsit Episcopus, totius Diœcesis Pastor. Ita plures satis probabiliter, & nominatim tres Eminentissimi Cardinales, quatuor Episcopi, & quinque alii, omnes Doctores præstantissimi, consulti circa factum cujusdam Domitillæ, quæ in Paschate communicaverat in Ecclesia Cathedrali, quos propriis nominibus adducit Timotheus de Timotheis *in principio sua nomophylachia*; quidquid P. Gobat se opponat cum Cardin. de Lugo, & pluribus aliis.

Nota insuper Tamburinum *opusc.* 2. *cap.* 4. §. 4. *n.* 50. sic loqui, puto quòd fidelis, qui paratus est suum Parochum recognoscere, & fortè in anno pluries recognovit, communicando in sua Parochia, non irroget injuriam gravem Parocho, semel aut iterum in sua vita se subtrahendo in hoc ab ejus jurisdictione, atque adeò non peccat mortaliter, si semel aut iterum in vita, modo dicto, in aliena Ecclesia communicat in Paschate. Hæc ille: quæ ex ejus sententia sint dicta. Addit Pourré *par.* 1. verbo *Eucharistia num.* 2. fideles ex privilegio satisfacere dicto præcepto accipientes communionem Paschalem in Ecclesiis Mendicantium, quod tamen non puto esse tutum practicare, quamvis illud privilegium conetur declarare P. Brunus Cassaing. apud Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 16. Vide etiam citatum Tamburinum *num.* 51. qui idipsum studet probare, solum Festum Paschatis ut summum excipiens.

Sed quid quoad hoc præceptum dicendum de Sacerdotibus sæcularibus? Respondeo cum Leandro, *tract.* 7. *de Euchar. disp.* 3. *quæst.* 26. eos satisfacere celebrando extra propriam Parochiam quocumque loco celebraverint; quia cap. *omnis utriusque sexus* solùm loquitur de iis, qui communicant de manu aliena. Idem etiam sustinet Dicastillo *tract.* 4. *disp.* 10. *dub.* 5. *n.* 99. dicens, esse de eo receptam consuetudinem, citansque pro se Henriquez, Sa, & alios communiter. Addiderat Leander, eos tamen teneri in propria Parochia communicare, si nec ibi, nec alibi in Paschate celebrare velint: quod omiserat Dicastillo, fortè quia Sacerdotes reputat per receptam consuetudinem absolutè esse liberos à dicto præcepto, vel quia insuetum est, quòd Sacerdotes alienâ manu communicent. Hôc scriptô reperio, Leandro in his duobus subscribere P. Gobat *in Alphabeto Communicantium casu* 5. *num.* 74.

Quoad ætatem, quâ incipiat hoc

præceptum obligare, puto id prudentum judicio esse relinquendum, maximè parentum & Confessariorum: quamvis enim communiùs inter annũ 10. & 14. soleant pueri rationis usum sufficientem habere ad se probandum, & dijudicandum Corpus Domini; quidam tamen citiùs, quidam tardiùs eum obtinent; subinde enim ruri in aliquibus grossioribus etiam anno vigesimo non elucet scintilla rationis quoad hoc Sacramentum, ut ait P. Urbanus ubi suprà; monens interea pro pueris bene institutis satius esse, eos maturè huic Sacramento suscipiendo initiare, modò vestigia rationis & judicii appareant: quod intelligi debet, *proportionaliter & accomodatè*, ad Sacramentum recipiendum: quia, licèt Tridentinum *sess.* 13. *can.* 9. eodem verborum tenore, omnes, annos discretionis habentes, ad confessionem & communionem obligare videatur, citiùs tamen ad illam quàm ad hanc obligantur. Vidé P. Franciscum *suprà num.* 107. Duas interea has regulas generales ponit Gobat *casu 6. num.* 88. *& seq. Potest differri communio Paschalis in unum, alterumve annum, postquam quis est satis intelligens rerum ad illam ritè obeundam spectantium.* Item, *Non delinquunt, qui sui territorii morem secuti abstinent Divino epulo usque ad annum ætatis decimum quartum:* citatque pro utraque DD. Sed an hæ regulæ etiam locum habent in pueris moribundis? Habent juxta Navarr. *capite* 21. *numero* 57. Vasquez, ac alios sustinentes præceptum Divinum non citiùs ad communionem obligare quàm Ecclesiasticum: contrà quos Suarez, Palaus, & alii volunt, omnes sacramentalis confessionis capaces pueros esse in extremis necessariò muniendos sacro viatico, apud dictum Gobat *num.* 92. quorum sententiam *num.* 93. vocat magis piam, dicitque in usum redigendam esse ubi commodè potest, maximè si puer, v. g. octennis, petat: quod & ego censeo. Pœnas statutas pro transgressoribus hujus præcepti, vide apud Bachonem *in* 4. *dist.* 9. *quæstione* 1. *art.* 3.

47. Petes primò, an qui in Paschate non communicavit, teneatur reliquâ anni parte communicare, sub novo peccato mortali? Respondet P. Urbanus affirmativè, dicens, duplex exstare præceptum Ecclesiæ; unum scil. quoad substantiam faciendæ communionis, alterum quoad tempus præscriptum: quia tamen id non probat, nec alia efficax ratio adfertur ab iis, qui hac in parte cum P. Urbano loquuntur; probabilem omninò reputo sententiam oppositam. Ita Sotus, Valentia, Armilla, Sa & alii plures, quos citat & sequitur Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 41. sicut igitur qui in Festo non audit Missam, non tenetur eam alio die audire, nec qui omisit recitare Horas, tenetur ad eas die sequenti recitandas; ita qui non communicat in Paschate, non tenetur ante sequens Pascha communicare; quia non minùs præceptum annuæ communionis videtur alligatum certo tempori, quàm illa alia præcepta. Vide de novo Dianam *par.* 11. *tr.* 7. *res.* 14. *post medium.*

Quia

Quia tamen pro illo Ecclesiæ præcepto virtualiter duplici satis fortia adferuntur argumenta à Franc. B. Spei hîc *num.* 111. sententiam Urbani in praxi sequendam consulo omninò, quam de novo reperio defendi à P. Gobat *casu* 3.*num*.34.

48. Petes secundò, an qui prævidet futurum impedimentum in Paschate, teneatur antè communicare? Respondeo sententiam negativam mihi esse satis probabilem ex statim posito fundamento. An verò hoc præcepto teneantur excommunicati, suspensi & interdicti? habes apud Dianam *part.* 11. *statim citatâ*, ubi ab omnibus communiter excusantur reclamante Aversa. Sed ego meliùs distinguo cum P. Francisco, dicente, excommunicatum excusari, si per eum non stet, quominus absolvatur: secus si per eum stet, sed ex malitia absolvi nolit.

Petes tertiò, an dicto præcepto satisfiat per communionem sacrilegam?

49. Respondeo affirmativè cum DD. communiter teste Busenbaum: quorum sententiam probabiliorem reputat Gobat *casu* 3.*num*. 44. Ratio est; quia dum præcipitur actus, sola ejus essentia præcipi solet, non verò modus, quo fieri debeat, nisi ut summùm, quando hic est ipsi essentialis: dispositio autem digna non est essentialis communioni sive susceptioni Eucharistiæ. Aliud est de confessione, cujus essentia non salvatur in confessione sacrilega; ut meritò damnata sit sequens propositio ab Alexandro VII. *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Nec contra nostram responsionem facit, quòd intentio & finis præcepti sit ut dignè communicetur: quia, ut habet commune adagium, finis præcepti non cadit sub præceptum. Vide iterum Dianam *p.* 11.*tract*.7.*resol*. 29. Sed maximè Franciscum B. Spei *suprà num.* 110. ubi sub distinctione respondet. Interea nota, accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, esse valde grave peccatum, quia peccatur in ipsammet humanitatem Christi; ideoque est atrocius peccatis contra homines admissis, habetque quandam similitudinem cum scelere, quo Judæi Christum crucifixerunt, & quo nefarius homo Eucharistiam objiceret canibus, aut projiceret in cloacam: non est tamen peccatum omnium gravissimum, nec tam atrox, quàm illa, quibus ipsa Divinitas immediatè offenditur, ut quando quis Deum negat, vel blasphemat. Ita Gobat *casu* 15. *num*. 211. ex D. Thoma.

Petes quartò, an expediat frequentiùs communicare?

50. Respondeo, quoad hoc non posse commodè tradi regulam generalem: poteris tamen observare sequentia. Primò, ut illis qui à peccatis mortalibus abhorrent & venialia evitare contendunt, concedas communionem bis in hebdomada: qui verò venialia evitare negligunt, semel in quindena & festis solemnioribus. Secundò qui subinde labuntur in mortalia & statim resurgunt, semel in mense. Tertiò qui mortalia evitare non curât, solùm

solùm in Paschate cogendi sunt. Pro quibus vide Bachonem *suprà art.* 1. ubi probat etiam quotidie communicare vel celebrare esse laudandum in bene disposito: de quo D. Thomas *in* 4. *dist.* 12. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. hæc ponit; *Si aliquis, experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.* Verùm hoc non accidere ordinariè satis insinuat sequentibus verbis, *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Nec desinam hîc ponere verba N. Urbani *tract.* 2. *cap.* 2. *regul.* 6. ubi ait: *Pium quidem est invitare suaviter fideles ad frequentem Communionem, sed etiam caveri debet abusus in usu nimio, unde sufficeret (ut ego quidem existimo) sæcularibus Communionem, ut summùm permittere octavo die, juxta id quod habent communiter DD. quantamcumque enim prætexent devotionem, certum est vix in sæculari reperiri posse dispositionem sufficientem ad sæpiùs communicandum, prout me semper praxis diuturna docuit.* Hucusque Urbanus: ex quo patet, meritò improbari sententiam aliquorum docentium absolutè: *Dum quis mortali culpâ non tenetur, præstare eum diebus singulis communicare quàm abstinere, quæcumque ipsius sit dispositio, velit nolit Confessarius.* Vide etiam Franciscum B. Spei *disp.* 6. *num.* 24. ubi sic loquitur: *Quamquam consuetudine, aut lege scriptâ, probibitum laïcis singulis diebus communicare non reperiatur, sed, per se loquendo, permissum sit & laudabile; eò quòd minus periculi sit in excessu, quàm in defectu, ut vel in ipsis Sacerdotibus patet. Attendendum tamen ad cujusque statum & dispositionem; sic nempe ut Religiosis, quàm laïcis devotariis; his, quàm matrimonio junctis, per se loquendo, frequentiùs à prudenti Confessario permittatur.* Subjungit, & bene: *Non ita esse bonum & utile plerisque mulierculis frequenter tempus familiæ & rei domesticæ curandæ destinatum, insumere templo frequentando &c. quàm quærere lanam & linum, ac operari consilio manuum suarum &c. ut dent prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Hæc & alia *loc. cit.*

DVBIVM NONVM.

Quinam sint Eucharistiæ effectus.

51. DIco, uti reliquorum Sacramentorum, ita maximè Eucharistiæ primarius effectus est gratia sanctificans sive habitualis. Constat ex Scriptura dicente, *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: & idem definitur in Florentino & Tridentino. Verùm multùm disputatur, an quandoque causet primam gratiam. Affirmativè respondet D. Thomas, quem sequitur Cornejo *tom.* 2. *tract.* 4. *circa quæst.* 79. *art.* 3. *disp. unicâ dub.* 2. Negativa tamen sententia apparet magis probabilis: quia neque Scriptura, neque Canones, neque SS. PP. talem virtutem Eucharistiæ concessam docent: deinde Eucha-

Eucharistia supponit, peccata mortalia remissa esse, vel per Confessionem, ut ordinariè, vel saltem per contritionem, ut in casibus suprà exceptis: denique sicut cibus corporalis nunquam mortuo confert vitam corporalem, ita nec cibus spiritualis mortuo spiritualiter videtur posse conferre vitam spiritualem. Interea non nego, aliquem posse mediatè, occasione communionis, dictam gratiam recipere in aliquo casu, in quantum scil. communio ei confert gratiam actualem (dum v.g. cum attritione, putatâ contritione eam suscipit) quâ hîc & nunc excitatur ad eliciendam contritionem perfectam.

52. Insuper Eucharistia habet vim præservandi communicantem à peccatis mortalibus; ideo enim Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. eam vocat antidotum contra peccata mortalia, partim ratione gratiæ habitualis, partim etiam vi gratiarum actualium, quibus mens à Deo illuminatur, & voluntas firmatur contra tentationes; sicut enim cibus corporalis confert robur ad opera corporalia exercenda, ita & cibus spiritualis ad exercitia spiritualia. Ubi adverte ex D. Thom. *q.* 79. *art.* 1. ad primarium positum effectum necessariam non esse actualem devotionem, seu exercitium quarumdam actionum spiritualium. Quomodo ergo tam multi Sacerdotes ex quotidiana, & tam multi laici ex satis frequenti communione tam parum in spiritu videntur proficere? Respondeo, quia minimam gratiam tantùm accipiunt, eò quòd sine actuali devotione accedant, & per voluntarias distractiones, & suam tepidam vitam obruunt auxilia gratiæ, eaque per intensos malos habitus inutilia reddunt; & aliunde in pœnam tantæ tepiditatis fiunt quasi insensibiles circa divina, ac propter contemptum levium peccatorum incidunt in gravia, per quæ omnis efficacitas Eucharistiæ, sicut & aliorum Sacramentorum enervatur.

53. Quoad tempus, quo Eucharistia gratiam causat, illud est, in quo est verum dicere quòd actu manducetur. *Qui manducat me & ipse vivet propter me*: item, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo.* Manducatur verò dum trajicitur per guttur ad stomachum; unde in cujus ore species consecratæ corrumpuntur, non recipit gratiam, nec dicendus est integrè communicare; quia non manducat verè Corpus Domini, quidquid aliqui sustineant contrarium. Vide Cornejo suprà *art.* 1. *disp. unic. dub.* 1. & Franciscum B. Spei *de Eucharist. disp.* 6. *num.* 2.

Petes, an Eucharistia sumpta à Sacerdote sub bina specie plùs gratiæ conferat, quàm sumpta à laico sub unica?

Respondeo probabiliùs negativè, saltem non ex opere operato. Ita D. Thomas: & colligitur ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 3. ac ratio est; quia efficax causa gratiæ non est symbolum illud externum, sed contentum, Corpus videl. & Sanguis Christi, quæ sub qualibet specie sunt totaliter, adeoque non est cur utrique simul plùs efficaciæ tribuatur quàm unicæ: nec

gratia promiſſa eſt præciſè ſpeciebus, ſed manducationi ſive ſumptioni; unde ubi una ſumptio moraliter, unus tantùm eſt effectus, quamvis plures diſtinctæ ſint ſpecies, vel plures etiam ſumptiones phyſicè loquendo: neque refert quod cibus & potus corporalis plus nutriant quàm cibus ſolus; quia cibus corporalis non continet in ſe totum quod continet potus corporalis, ſicut cibus ſpiritualis continet totum quod potus ſpiritualis. Hanc noſtram ſententiam pluribus citatis defendit nuperrimè etiam Mendo *in ſua Statera differt.* 11. *quæſt.* 3.

54. Dixi *ſaltem ex opere operato*; quia ex opere operantis poſſet fieri ut communicans ſub bina ſpecie plus gratiæ reciperet, ſicut plures actus devotionis elicere poteſt propter divinam præſentiam quâ diutiùs fruitur, quàm communicans ſub unica ſpecie tantùm. Imò P. Franciſcus *loc. citat. numer.* 6. hanc ponit reſolutionem: *Hujus Sacramenti effectus ſive gratia, ſimul & ſemel in principio tota non confertur, ſed ſenſim, quamdiu durant ſpecies incorruptæ in ſtomacho, & diſpoſitiones ad dignam ſuſceptionem neceſſariæ; ſic ut Deus determinarit tantum gratiæ proportionaliter ad has vel illas diſpoſitiones ſingulis diſtributive inſtantibus, quibus durant ſpecies incorruptæ in ſtomacho, producendum; & ita quidem, ut ſi illæ diſpoſitiones augeantur poſtmodum, augeatur & ipſa.* Hæc ille: qui & *num.* 13. contra nos defendit, ſpecies panis & vini majorem gratiam conferre, quàm ſingulas ſeorſim ſumptas: ac licet fateatur noſtram ſententiam eſſe valde communem, ſuam vocat magis piam. Quidquid tamen *diſputat.* 7. *num.* 124. defendat, Eccleſiam juſtè laicis uſum Calicis interdixiſſe; idque ſine hæreſi negari non poſſe: ubi varias, & bonas adfert rationes prædictæ inhibitionis. Sed quid ſi æger non poſſet etiam minimam hoſtiæ particulam, quantumvis vino mixtam deglutire? Reſpondet Ochagavia apud Dianam *part.* 5. *tractat.* 3. *reſol.* 34. tunc ipſi ſanguinem dandum eſſe. Nugnus *in quæſt.* 80. *art.* 12. dicit, eſſe rem difficilem, nec ſuſcipiendam ſine conſenſu Epiſcopi, qui tutiùs conſentiet, inquit. Verùm ego aſſentior P. Gobat *in Alphab. commun. caſu* 2. *num.* 28. qui, citatis Suario, Barboſa, de Lugo, & Georgio de Rhodes, negat etiam tunc licere, eò quòd tunc non obliget lex Divina de viatico propter varia incommoda: idem etiam negat Mendo *in ſua ſtatera differt.* 11. *quæſt.* 2. *num.* 27.

Sed quid de lampade, quam Paulus V. in ſuo Rituali mandat continuò ardere ante hunc ſanctiſſimum Sacramentum? Quintanadvennas damnat peccati mortalis Parochum (& conſequenter Superiorem alicujus monaſterii) ſi eò ſciente & conſentiente integro die non ardeat, nec leviter delinquere æditum, qui per tres aut quatuor noctes eam relinquit extinctam. Verùm cum pluribus locis partim ob inopiam, partim ob longam conſuetudinem, & etiam alicubi ob torporem non ita ſeverè obſervari hanc doctrinam ſciant, nec graviter arguant Epiſcopi, non admitto illam doctrinam univerſaliter in tanto rigore:

te: quod nec facit Gobat *casu* 21. *numero* 373. Hæc de Eucharistia pro- ut est Sacramentum; de ea imposterum ut est sacrificium.

DVBIVM DECIMVM.

Quid Missa, & an sit valoris infiniti?

55. SAcrificium juxta Theologos communiter, teste P. Francisco *de Eucharist. disp. 9. num. 9.* est oblatio externa substantiæ sensibilis, Deo facta à legitimo Ministro per realem & physicam sui immutationem, in agnitionem supremi ejus dominii, in hoc siti, quòd sit Author vitæ & necis, sive esse & non esse rerum: quo notato.

56. Dico primò, Missa est consecratio Corporis & Sanguinis Christi in memoriam cruenti sacrificii in cruce peracti: quamvis enim plures velint oblationem & sumptionem esse etiam de essentia sacrificii Missæ, probabiliùs mihi videtur quòd non, quia cùm per solam actionem consecrativam Corpus à Sanguine mysticè separetur, per hanc mysticè mactatur Christus ac consequenter immolatur ac Deo offertur. Ita D. Thomas *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3.* Lezana & alii plurimi. Quòd verò in rubricis Missalis strictè præcipiatur, ut de novo consecretur alia Hostia, eaque sumatur, si prior appareat venenosa, & similia, fit, quia etiam Christus præcepit fieri sumptionem, eò quòd consecratio sit quædam præparatio & confectio cibi spiritualis: si autem id alicubi videatur præcipi, ne sacrificium maneat imperfectum, sumitur sacrificium quatenus est præparatio convivii spiritualis; vel potiùs, quatenùs juxta ritum Ecclesiæ de facto censetur variis actionibus consummari. Dicitur hoc sacrificium Missa, à missione quâ Christus à Patre ad nos mittitur per consecrationem, ac à nobis ad Patrem remittitur per oblationem & sumptionem. Missa instituta est à Christo in ultima Cœna, cum discipulis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*; tunc namque totam essentiam Missæ posuit Christus; quamvis alia spectantia ad solemnitatem & ceremonias addita sint à summis Pontificibus. In Missa offertur idem modo incruento, quod in cruce modo cruento oblatum est, scil. ipse Christus: qui offertur Deo soli; quamvis enim Ecclesia in honorem Sanctorum Missas celebret, illis tamen sacrificium nullatenùs offert. Causæ oblationis hujus sacrificii sunt; primò, ut obtineatur gratia & remissio peccatorum venialium, ratione cujus hoc sacrificium vocatur *propitiatorium.* Secundò ut bona saluti propriæ vel alienæ congruentia à Deo postulemus, & ut sic dicitur *impetratorium.* Tertiò ut remittatur pœna peccatis in Purgatorio debita, & eatenus dicitur *satisfactorium.* Secundam hujus du-

bii partem latè & optimè discutit Lezana verbo *Missa*, cujus doctrinam placuit hîc compendiosè ponere. Igitur.

57. Dico secundò cum ipso *num.* 3. *&* 4. si Missa sumatur pro orationibus aliisque piis actionibus, quæ in illa exercentur, est finiti & determinati valoris: quia sanctitas & dignitas Sacerdotis, etiam prout est publicus Minister Ecclesiæ, est finita, à qua dictus valor sumitur: si verò Missa sumatur pro immolatione ipsa, sacrificio aut actione, in qua essentialiter consistit, valor ipsius est infinitus & indeterminatus: quia tam res oblata, quàm ipse offerens, utpote Christus, sunt infinitæ dignitatis, à quibus sumi debet dignitas oblationis, ut constat ex Scriptura *Genes.* 4. ubi dicitur, *Respexit Deus ad Abel & ad munera ejus*, & ex ipso cruento sacrificio Crucis, quod ideo fuit valoris infiniti. Pro hac sententia à Lezana citantur Authores innumeri, quibus favent ex Scholasticis antiquioribus Ordinis nostri, Joannes Bacho, Michael de Bononia, & Joannes Beetz infrà citandi. Vide etiam è recentioribus Franc. B. Spei *suprà num.* 74.

58. Nec hinc inferas, valorem cæterorum Sacramentorum etiam debere esse infinitam, cum Christus concurrat etiam ad eorum effectum; quia cum Sacramentis Christus solùm concurrit ut causa universalis sive communis, cum Sacerdote verò consecrante ut causa particularis, seipsum mediante Sacerdote immolans & sacrificans, ac proinde tali immolationi infinitam dignitatem ac valorem conferens. Adde etiam dici posse, Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ esse infiniti valoris extensivè & quoad sufficientiam; non quòd producant effectum actu infinitum, sed quia applicari possunt hominibus infinitis si tot essent, remittere infinita peccata & infinitas malitias, si tot & talia commissa essent, ac dare infinitam gratiam si esset infinita dispositio ex parte suscipientis. Neque nos volumus valorem Missæ esse infinitum quoad efficaciam, cùm nunquam actu infinitum effectum quoad efficaciam producat; sed solùm quoad sufficientiam, eò quòd, quantum ex se est, infinitum effectum produceret, si adesset dispositio infinita ex parte illius pro quo offertur; vel si adessent infiniti homines, pro quibus offerretur: Missa enim multis applicata, non minùs prodest singulis, quàm si pro uno in particulari applicaretur, prout colligitur ex *can.* 23. *non mediocriter de consecr. dist.* 5. Ita Lezana post S. Augustinum & Cajetanum: neque fuit Cajetanus primus hujus sententiæ Author, ut quidam volunt; sed ante ipsum per ducentos circiter annos eam tenuerunt Joannes de Bachone *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 3. *art.* 2. à Bononia *ibid. dubitat.* 2. *&* 3. referens Guidonem *Carmelitam* dictum, ac Joannes Beetz *in Decal. circa præcept.* 7. *exposit.* 2. *cap.* 4.

* * *

DUB. XI.

DUBIUM UNDECIMUM.

An licitum sit plura stipendia pro unica Missa accipere?

59. Dico cum eodē Lezana; quamvis fructus Missæ infinitus sit, non licèt pro una Missa plura stipendia accipere: Primò, quia offerentes stipendia sic privarentur aliquo fructu Missæ ex opere operantis, correspondente orationibus, cæremoniis, &c. qui indubiè minuitur, cùm pluribus applicatur. Secundò, sic facientes sunt infideles promissioni factæ; quia intentio dantis stipendium est, ut tota Missa, quantum ad totum ejus valorem, applicetur; cùm quilibet, maximè in spiritualibus, censeatur velle totum commodum, quod potest habere; idque omni meliori & certiori modo, quo haberi potest. Tertiò, quia opposita sententia scandalum generat in Ecclesia, eò quòd per illam retardentur fideles ab oblatione stipendiorum pro Missis, & arguit Sacerdotes improbæ cupiditatis seu avaritiæ. Quartò & præcipuè ob Decreta *de celebr. Miss.* sacræ Congreg. Concilii SS. D. N. Urbani authoritate edita 21 Junii, 1625. quæ habentur *in tom.* 4. Bullarii inter constit. Urbani *num.* 43. etenim in prooemio opposita sententia appellatur *teterrimus abusus ex Christiana Repub. convellendus, atque eradicandus.* Et §. 2. *verbis adductis num.* 5. expresse præcipit S. Congregatio sub obtestatione Divini Judicii, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioqui illi, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. His addit Lezana, Bachonem, etiam ante illa Decreta, contrariam sententiam vocare errorem, adducens & alias censuras veterum DD. subjungens; opusculum Dominici Montagnoli, contrariam sententiam tenentis, prohibitum esse à sacra Congreg. Indicis. Unde non video, quo fundamento Hieronymus Columbus absolutè in hoc contrarium audeat defendere contra praxim totius Ecclesiæ; quam, quia ipse improbare non veretur, cum dicit prorsùs rejiciendum esse Diana *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 43. qui *tract.* 1. *resol.* 24. ex Dicastillo latè probat, etiam Sacerdotem pauperem non posse plura stipendia pro una Missa accipere, quamvis taxatum stipendium pro una Missa non sufficiat ad honestam unius diei sustentationem; nisi fortè esset in extrema necessitate, vel saltèm valde gravi. Idem per plura folia facit Mendo *in sua Statera differt.* 13. *quæst.* 5. §. 2.

60. An verò unâ Missâ pluribus dantibus stipendia minora, quàm lege vel consuetudine taxatum sit, satisfieri possit? Negat idem Lezana: quia eo

ipso, quòd sunt à Sacerdote acceptata, tenetur ratione fidelitatis adimplere mentem dantium, quæ est, ut pro quoque stipendio integra dicatur Missa ad singulorum intentionem: ac pro se etiam hac in parte citat P. Lezana Decretum sacræ Congreg. in quo dicitur: *Plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua*, &c. atque Franciscus *de Euchar. disp.* 9. *num.* 92. dicit, Sacerdotem talem contractum sibi imputare debere.

61. Neque circa prædicta, inquit Lezana, excusantur Regulares ob privilegia illis antiquitùs concessa; quale erat illud, quod Julius II. concesserat Minimis; ut nimirùm ipsorum Generalis posset ob multitudinem Missarum in Conventibus repertam, dispensare cum ipsis, ut dicendo 7. vel 9. collectas, satisfacerent pro tot Missis: hæc enim & alia similia vacant his temporibus, ut docent Fraxinellus, Lugo & Bordonus propter adducta decreta: in illis namque §. 3. dicitur, sacra Congregatio eâdem authoritate revocat privilegia & indulta omnia quibuscumque personis, &c. tam sæcularibus, quàm regularibus cujuscumque Ordinis, &c. quamcumque ob causam concessa. Quare miror P. Urbanum, qui post Lezanam scripsit, *tract.* 2. *p.* 2. *dist.* 1. *cap.* 2. *reg.* 8. adhuc contrarium defendere: nam Diana, qui id etiam antè docuerat, modò *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 67. convictus per ea, quæ adducit citatus Lezana, lubens illud revocat, monens Regulares, ut caveant sequi aliam sententiam. Cæterùm tenentur Regulares applicare Missas suas ad mentem Superiorum suorum: ast applicandi intentio non debet necessariò esse actualis aut formalis explicita, sed sufficit virtualis, atque implicita; & ita quidem juxta Gobat *in Alphab. Sacrif. casu* 5. *num.* 162. ut si Religiosus nemini applicavit suam Missam, censeatur esse ejus voluntas, ut prosit illis, pro quibus sacrificari mandavit Superior; in quo pro se citat Gavantum & Dianam. Imò Layman apud eundem *num.* 164. sustinet sufficere, illam intentionem, seu inclinationem, quam explicares, si interrogatus diceres, te animo & voluntate ita affectum esse. His subdit idem Gobat: *Hæc cùm sint probabilia, nónne si dicam*: faciam pro te cras Sacrum, *vel* dono tibi meum crastinum Sacrum, *sequitur meum crastinum Sacrum fore tuum, licèt fortè cras non cogitem de te? Omninò sequitur.* Quid si ante decennium donavi tibi Sacrum, quod essem facturus hodierno die, qui est quadragesimus Natalis tuus? *Erit eadem ratio, modò non revocaveris donationem; quia licèt non sis Rex aut Papa, tibi tamen poteris applicare illam famosam regulam Iuris in* 6. Principis beneficium decet esse mansurum. Ita Gobat, & ante ipsum Paulus Quarti *in Commentariis rubric. circa finem Append. de sacrif. q.* 2. *p.* 10. qui & citat Lugo, & Tambur. ac rationem dat, quia applicatio fructus Missæ est quædam species donationis, seu distributionis, quæ potest fieri anticipatè, & sub conditione; ac proinde sortitur suum effectum, si habitualiter perseveret, sive si præcesserit, & non fuerit revocata. Gobat tamen meritò orat quemlibet, ut renovatio-

novationem similis intentionis non demittat, quandoquidem necessariam esse tradant Vasquez atque quidam alii, & ipsa renovatio augeat fervorem supplicantis. Cæterùm intentio formanda est ante consecrationem, ut habet communis sententia, quidquid Lugo apud dictum Gobat *num.* 168. cùm Tambur. velit sufficere, si formetur ante sumptionem, eò quòd adhuc duret substantialiter sacrificiū.

62. Pro alia quæstione, quam parum post præcedentia movet idem Lezana: an videl. Sacerdos saltèm possit duo stipendia accipere pro una Missa, si applicet uni partem solitam, fructum scil. illum, qui applicatur illi, pro quo specialiter Missa offertur; & alteri eam partem, quæ correspondet ipsi Sacerdoti?

63. Nota, fructum Missæ à DD. communiter dividi in generalem, qui ex intentione Christi & Ecclesiæ applicatur omnibus fidelibus; in specialem, qui applicatur ipsi Sacerdoti offerenti; & specialissimum, quem alii vocant medium, qui applicatur illi, pro quo specialiter Sacerdos offert sacrificium: cui si prodesse non possit, reservatur in thesauro Ecclesiæ: quare benè consulit Filliucius post alios, ut Sacerdos conditionatè intendat dictum fructum applicare sibi ipsi, aut suis amicis, vivis vel defunctis. Idem consulit Paulus Quarti *loc. cit. puncto* 12. Hoc notato, ad quæstionem positam

64. Respondeo negativè, quia in decretis suprà absolutè dicitur: *Tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint*: tum quia incertum est, utrùm Sacerdos prædictum fructum, utpote personalem, alteri applicare possit; nec scitur, qualis aut quantus sit: imò quidam cum Filliucio asserunt, solùm esse tertiam partem fructus illius, qui applicatur ei, pro quo Missa offertur; quapropter cùm aliunde dantes stipendium, valorem certum & non dubium intendant sibi applicari, id justè fieri posse non videtur. Ita cum cæteris communiter docet Lugo, qui dicit de hoc modo non esse ampliùs dubium; & eum peccare mortaliter, nec ullo modo satisfacere, docet P. Franciscus *loc. cit. num.* 93. quamvis tamen à Fausto, & Bordonus, teste Lezana (non obstantibus dictis decretis, ac aliis à nobis adductis) adhuc sustineant oppositum; de cujus omnimodâ certitudine ipse P. Lezana etiam dubitare videtur, cùm subjungat; vellem, ut eadem sacra Congregatio circa hoc suam mentem clariùs exprimeret: quidquid bene Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 77. in fine dicat, absolutè eliminandas esse ab Ecclesia Dei istas nundinationes cum sanguine Christi: prout illas eliminavit de novo Alexander VII. damnando in terminis sequentem propositionem: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

65. Adde, eundem Bordonum citatum à Lezana docere; posse etiam Sacerdotem accipere duplex stipendium, unum ratione applicationis ordinariæ, & alterum pro applicatione indulgen-

dulgentiæ v.g. Altaris privilegiati pro animabus Purgatorii: verùm & hæc sententia est contra communem sensum fidelium, qui dum pro aliquo defuncto petunt dici aliquam Missam cum indulgentia Altaris v.g. privilegiati, petunt applicationem tum indulgentiæ, tum fructus communiter applicari soliti. Ita P. Lezana, docens similiter nullatenùs excusari Sacerdotes plura stipendia pro una Missa recipientes, eò quòd in Ecclesia, in qua degunt, sit aliqua imago B. Virginis magnæ devotionis & concursus populi; tum quia decreta adducta generaliter loquuntur; tum quia in his eadem est ratio, ac in aliis. Quod enim dicitur Ecclesiæ cultum & devotionem, ac fidelium concursum diminuendum, si id non fiat, parum urget respectu gravis injuriæ, quæ fit illis, qui offerunt stipendia pro Missis ad suam intentionem dicendis. Concordat in hoc cum Lezana P. Urbanus *loc. suprà cit.* dicens, dum Cardinalis Borromæus in aliquibus suæ Diœceseos Ecclesiis urgente necessitate contrarium fieri permisit, se ignorare, quâ dispositione & authoritate id actum sit, utpote qui erat vir illustris, & summo Pontifici proximus, qui facilè potuit ab eo consequi, quidquid necesse erat potestatis ad sic disponendum.

66. Interea dantur aliqui casus particulares, in quibus, sine præjudicio dictorum decretorum, licitè possunt plura stipendia pro una Missa accipi. Primò, quando in id consentiunt dantes stipendia; tunc enim cessant motiva sacræ Congregationis: notant tamen Bordonus & Bonacina ex Possevino, hunc consensum non posse dare hæredes, aut testamentarios, cùm hi non sint domini, sed ministri. Secundò, quando Sacerdos est constitutus in extrema, vel valde gravi necessitate. Tertiò, juxta opinionem probabilem, dum Sacerdos ratione stipendii priùs accepti, beneficii, præbendæ, capellaniæ, &c. non est obligatus applicare sacrificium pro aliquo, sed solùm celebrare tali die, aut loco; tunc enim potest novum stipendium accipere pro applicatione Missæ. Ita Lezana & alii octo, quos citat, & sequitur Lugo, dicens, sacræ Congregationis mentem non esse prohibere, ne possint accipi duo stipendia, unum pro obligatione celebrandi tali tempore, loco, &c. cùm hæc sit pretio æstimabilis, & aliud in sui sustentationem pro applicatione Missæ: ac licèt Diana *part. 11. tract. 8. resol. 67.* contra hoc difficultatē moveat, *tract.* tamen *7. res. 27.* nostram sententiam dicit non esse improbabilem.

Addo, Burghaber *centur. 1. casu 27.* hoc idem de Parochis sentire, quærit enim, an Parochus, qui vi beneficii sui curati tenetur ter singulis hebdomadibus celebrare in Parochia, possit pro iisdem Missis dicendis stipendium accipere? Et respondet, illum Parochum absolutè nunquam teneri applicare fructū sacrificii pro Parochianis suis, adeoque id ei esse licitum, pro se citans septem probatos Authores: quia, inquit, officium curati est pascere oves verbo & exemplo, ac Sacramentorum administratione, sacrificiique dispensatione, quod fieri potest, etiamsi fructus sacrificii specialiter omnibus non applicetur, sed solùm illâ gene-

generali applicatione, quâ omnibus fidelibus, & præcipuè Sacrificio præsentibus applicatur: atque in hunc sensum, subjungit, intelligi debet quod dicitur *ad Hebræos* 5. *Omnis Pontifex* &c. *ut offerat Sacrificia pro peccatis*: & in Trident. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 1. Parochus præceptô Divinô tenetur pro ovibus Sacrificium offerre. Hanc sententiam sustinet etiam Gobat *in Alphab. Sacrif. casu* 16. *num.* 492. & ego illam probabilem reputo: quidquid in illis locis Scripturæ, & Tridentini Barbosa, & Bonacina velint contineri obligationem ad applicandum saltem aliquoties illum fructum Sacrificii sui pro subditis, qui solet intuitu stipendii offerri.

67. Cæterùm pro Regularibus degentibus in pauperibus Conventibus P. Lezana hîc notandum monet, sacerdotes ex stipendio obligatos ad celebrandum pro aliquo, posse, innitendo sententiæ probabilissimæ de valore infinito Missæ, suas Missas applicare simul illis, quos his suffragiis ex charitate, gratitudine &c. adjuvare tenentur, modò id faciant ex suppositione veritatis dictæ sententiæ, ne aliàs dantes stipendium periculũ subeant non suscipiendi totum fructum ex Missa intentum. Ita etiam docent Hurtadus & Coninc. Ast puto ego hîc diligenter cavendum esse, ne is, qui ex charitate aut aliunde gratìs à te postulat Missam ad suam vel alterius intentionem, ex stipendio obligatus sit per se vel per alium illã Missam dicere: tunc enim pro ea Missa non posses ab alio stipendium accipere, ne sic unâ Missâ verè satisfiat duplici stipẽdio accepto. Sed fortè hîc Petes, quid facietis, qui pluribus Missarum oneribus est obligatus, nec ullo modo per se vel per alios satisfacere potest, cùm expenderit pecunias, ac capellaniâ, aliisque obligationibus perpetuò sit astrictus.

68. Respondeo eum imprimis debere quotidianas suas Missas offerre pro iis, qui dederunt stipendia, conditionatè: deinde debet iisdem applicare eam partem fructus, quæ sine detrimento aliorum applicari potest juxta probabilitatem sententiæ allatæ: debet insuper iisdem applicare partem sibi Celebranti competentem: quæ omnia si non sufficiant secundùm numerum stipendiorum, etiam tenebitur illis applicare opera sua satisfactoria, jejuniorum videl. orationum &c. ac denique etiam debet audire Missas applicando fructum iis quibus debitor existit. Hæc omnia, teste Lezanâ, in simili consuluit Reverendissimus Stratius N. Ordinis Generalis.

An verò possint Generales Ordinum Mendicantium reducere Missas ad minorem numerum, & hanc potestatem subditis delegare? Vide Dianam *part.* 11. *tract.* 2. *res.* 4. ubi P. Brunus sustinet, quòd sic ex duplici privilegio: quæ tamen asserit Diana esse revocata jussu Urbani VIII. quare monet Regulares, ut caveant hanc doctrinam ad praxim deducere, saltem in Provinciis ubi decreta Sacræ Congregationis recepta sunt.

Cæterùm Religiosi celebrantes pro stipendio suæ obligationi satisfaciunt dum applicant fructum sacrificii juxta intentionem Superioris: quidquid Paulus Quarti *in Commentar. rubric.*

bric. Append. de sacrif. q. 2. p. 13. dicat ad tollendum omnem scrupulum tutissimum esse si applicatio remittatur in Divinam scientiam, dicendo, *Applico juxta ordinem justitiæ Deo notum*: vel ut vult Navarrus, *Applico sicut Deo consulente applicare deberem.* Atque hunc modum, utpote facilem, expedientem judico, ut superiores, vel rectores Ecclesiarum, vel quicumque alii, quibus incumbit cura satisfaciendi oneribus Missarum celebrandarum, à multis difficultatibus liberentur, qui sæpe non possunt determinatè in particulari, vel nosse personas, vel animas Purgatorii, quibus potiùs sit primum offerendum sacrificium. Quinam Prælati, & in quibus casibus habeant authoritatem pręcipiendi subditis applicationem Missarum, resolvit nominatus Paulus Quarti *lo. cit. puncto* 15.

DUBIUM DUODECIMUM.

An liceat differre celebrationem Missarum, pro quibus stipendium datum est?

69. Dico, est peccatum mortale per notabile tempus dictas Missas differre, si id fiat per negligentiam. Probatur, quia per similem dilationem aliis creatur grave damnum; fortè enim plures animæ essent liberatæ à Purgatorio; illique, qui eas curarunt fieri, bono spirituali vel corporali carent, quod aliàs fuissent consecuti. Ita DD. communiter testibus Dianâ & Lezanâ. Interea si dilatio tantùm fiat ad modicum tempus, non erit mortale; tale autem tempus modicum Ledesma, Villalobos, Diana, & Lugo vocant illud, quod consistit intra 40. aut 50. dies, quod ego puto meliùs prudentum judicio relinqui determinandum, inspectis circumstantiis loci, temporis, Missarum dicendarum, & Sacerdotum, qui illas dicere obligantur. Addit tamen bene P. Lezana, si Missa dicenda sit pro aliqua necessitate, quæ non patitur moram; v. g. pro præsenti infirmitate, tribulatione, litis expeditione &c. tunc nullo modo posse differri.

Petes primò, an sit licitum dicere Missas pro illis, qui postea primi per stipendia illas exigent?

70. Affirmativè respondent varii apud Dianam *loc. cit. resol.* 15. quia cùm apud Deum omnia sint præsentia, æquè sic ac aliter prosunt. Verùm ego veram reputo sententiam negativam, quam apud eundem Dianam sustinent decem alii præstantes DD. quibus addo Lezanam, Mendo, & Gobat *in Alphab. Sacrif. casu 5. num.* 169. Ratio est, quia Missa consistit in actione transeunte, cujus fructus si particularibus personis de facto non applicetur, aut applicatio de facto non prosit, in Ecclesiæ thesauro reponitur, in quem ultra nihil juris habet Sacerdos

cerdos sed solus Pontifex: dicere autem cum Burghaber & aliis, fructum Missarum, dum fiunt, applicari iis, quos Deus novit proximè daturos stipendia, adeoque intentione absolutâ, non satisfacit; quia sæpè de facto, dum sic celebratur, non potest applicatio prodesse intentioni ejus, qui postea petet Missam fieri, cùm fortè tempore, quo Missa est celebrata, non extiterit motivum, ob quod postea Missa postulatur: quare non est hîc idem ac si Sacellanus obligatus ad sex Missas per quindenam dicendas, eas diceret spatio octo dierum, quidquid id asserat Burghaber *Centur. 2. casu 98.* quia supponitur motivum omnium illarum Missarum dicendarum ab initio adesse, quod non fit in casu nostro. Unde meritò sacra Congregatio sub Paulo V. prohibet contrariam sententiam practicari ut observat P. Lezana verbo *Missa num.* 51. quidquid Diana cum aliis dicat, dictam declarationem factam esse ex mandato Clementis VIII. dicti Pauli V. prædecessoris.

Petes secundò, an is, cui datur summa major pro Missa, possit alium minori summâ conducere?

71. Respondeo per se loquendo id non videri illicitum, si detur alteri stipendium justum: neç enim perdit qui jussit Missam fieri, neque ipse sacrificans, ut clarum est: quod verò P. Franciscus dicat, illud majus stipendium dari, ut Sacerdos celebret alacriùs, libentiùs, & minùs obliviosè: non videtur adeò certum, aliàs enim deberet Sacrista Regularis v. g. monere celebrantem de excessu stipendii accepti pro Missa, quam ei dicendam assignat, quod non fit. Puto igitur excessum stipendii dari ex liberalitate potiùs; vel quia unus, plùs altero, æstimat statum sacerdotalem, aut ei plùs afficitur. Dixi tamen *per se loquendo*; quia cùm hoc contineat speciem turpis lucri, sacra Congregatio sub Urbano VIII. declaravit, id nullo modo esse licitum: quare jam illicitum est id practicare. Ita Lezana *to.1.cap.21.n.7.* & verbo *Missa n.* 35. ubi citat Lugo & Bordonum; quorum ultimus videtur velle, id solùm esse peccatum veniale, imò id esse absolutè licitum docet Lugo si Sacerdos omninò sponte, nec vi nec metu nec aliter coactus, contentus sit parte stipendii, nam volenti & scienti non fit injuria: nec dicta Congregatio id inhibere videtur; quidquid rectè Diana *part.10.tract.16. resol.68.* moneat, id in praxi vel nunquam vel nimis circumspectè reducendum esse; nam prudenter timeri potest, ne celebrans non omninò liberè, sed potiùs aliquo metu cedat juri suo, quia fortè non darentur sibi tales Missæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid simile veretur. Ita Diana *lo.cit.* ubi *resol.69.seq.* cum Aversa, Peyrino: & Lugo reprobat sententiam Bordoni de solo peccato veniali, dum sic quis plures Missas minori stipendio curat per alios fieri, quàm ipse receperat: & meritò; quia aliàs sequentem propositionem; ***Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collatô illi minori stipendiô, aliâ parte stipendii sibi retentâ***, non absolutè ut

scandalosam damnaret, nec illius praxim sub tam gravi pœna inhiberet Alexander Papa VII. prout fecit per decretum recenter editum. Unde malè monet Gobat *in praxi Clement. Iudic. Decade* 5. *num.* 298. ut Confessarius se accommodet sententiæ à noxa mortali censenti immunem illum, qui accepit pro decem Sacris tres aureos, quorum unum sibi reservavit, duos dedit alteri Sacerdoti, ut faceret illa decem sacra. Appono interea ea quæ habet Mendo *in sua statera differt.* 13. *quæst.* 6. *num.* 74. & *to. de Ordin. militar. Disquis.* 9. *quæst.* 5. *num.* 43. tenendum est, quòd Capellanus, aut Beneficiarius, quorum Capellaniæ, aut Beneficio annexæ sunt Missæ ex obligatione per se vel per alium celebrandæ, possit committere eas alteri Sacerdoti, persolvendo dumtaxat stipendium justum commune, quamvis ipse plùs percipiat. Ratio est, quia ille excessus non conceditur ei præcisè in stipendium Missæ, sed titulo Beneficii aut Capellaniæ, ac propter obligationem, & onus in se susceptum curandi ut illæ Missæ dicantur per se, vel per alium. Et postquam sex probatos Authores pro se attulisset, dicit eam esse sententiam communem, praxi frequenti confirmatam, ac à Congregatione Cardinalium declaratam, quam refert *Diana part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 11. additque idem Mendo (cui in hoc subscribo) id non militare contra Decretum Pontificis, utpote quod non intelligitur de ejusmodi Capellanis, aut Beneficiariis. Ille idem *num.* 80. *suæ Stateræ* etiam apponit sequentia. Si erogans eleemosynam solitâ majorem pro Missa, eam præstet non solùm intuitu suffragii Missæ, sed ex affectu speciali ad personam, cui erogat, seu ad Monasterium, cui Missas commendat, seu ut inde persona, aut Monasterium percipiant majus emolumentum ad sublevandam suam necessitatem, quâ laborant, sanè poterunt Missæ committi aliis Sacerdotibus, tribuendo eis justum stipendium solitum, sed sibi reliquam partem retinendo. Ita ille, dicens nec hunc eventum cadere sub Decreto summi Pontificis, siquidem in eo non est turpis lucri species. Judico tamen ego per hoc facilè posse palliari turpem lucri speciem, adeoque id puto comprehendi sub propositione generali damnata suprà ab Alexandro VII. nisi ille erogans hanc suam specialem intentionem verbis expresserit.

Petes tertiò, an sit mortale omittere unum sacrum, ad quod datum est stipendium?

72. Respondetur communiter affirmativè, eò quòd fructus sacri, quem intendit dans stipendium, quemque consequeretur etiam per unicum sacrum, sit inæstimabilis; ad quem applicandum ex pacto se obligavit sacerdos; unde videtur alterum defraudare in re notabili, si illud sacrum non dicat. Attamen aliqui adhuc contrarium sustinent; quia acceptum stipendium non est materia peccati mortalis. Inter hos sunt Pellizarius *tract.* 6. *c.* 3. & P. Herincx *disp.* 8. *num.* 180. quibus se opponit Fran. B. Spei *de Euchar. disp.* 9. *n.* 97. Sed quanta est obligatio Sacerdotis initiati ad tres illas Missas ab Episcopo in ordinatione injunctas?

Illam

Illam esse sub mortali culpa docent probabiliùs Azorius, Suarez, & Layman apud Burghaber *Centur. 1. casu* 93. qui tamen non improbabiliter cum pluribus sustinet oppositum, tum quia ex nullo jure hęc obligatio clarè ostenditur: tum quia Episcopi illam non intendunt, vel saltem necdum expresserunt se intendere.

73. Adde primò ex Lezana, Dianâ & aliis, Sacellanum v.g. obligatum ad certum numerum Missarum per annum, si ad breve tempus ægrotet, non teneri Missas illorum dierum per alios dicere; quia ita prudenter existimatur esse intentio pii institutoris. Tale autem breve tempus dicunt aliqui esse quindenam, aliqui mensem, & aliqui duos menses apud Gobat *in Alphabeto Sacrif. casu* 17. *numer.* 582. atque omnes (ipsô & Tamburino attestantibus probabiliter.

74. Adde secundò, obligatum ad quotidie Missam dicendam pro altero, posse in anno quartò vel sextò celebrare pro seipso vel sibi valde conjuncto, qui v. g. obiit vel versatur in valde gravi necessitate, idque ob permissionem pii institutoris ut ante. Ita idem P. Lezana cum variis. Verùm tunc tutiùs foret, meo quidem consilio, modo supra assignato practicare sententiam de valore infinito Missæ: quia puto quòd institutor negaret facultatem dicendi Missam pro amico solo &c. si sciret eandem Missam sibi simul ac necessitati amici æquè prodesse posse, ac si pro amico solo diceretur.

75. Adde tertiò, Capellanum obligatum ad quotidiè celebrandum posse semel in hebdomada à celebrando vacare juxta *cap. significatum de prabendis*: idque ob honestatem & debitam devotionem: minimè tamen poterit isto die celebrare ad intentionem alterius stipendium dantis. Ita DD. communiter teste Dianâ *part. 2. tract.* 14. *resol.* 28. qui *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 27. *in fine* hæc ponit; *tandem nota, quod aliqui asserunt, debere sacerdotem sigillatim dicere Missas pro singulis, qui petierunt illas. At Bonacinas & Aversa posse Missas applicare conjunctim & in confuso: si nimirum sacerdos, qui recepit à quatuor personis quatuor stipendia, dicat totidem Missas pro cunctis, dummodò omnes Missæ dicantur intra latitudinem temporis concessi. Ego autem existimo hanc secundam sententiam in rigore sufficere; prima tamen magis mihi placet, & ejus modus accomodatior & usitatior est.* Ita Diana & ego, nisi fortè eidem sacerdoti dentur plura stipendia simul pro pluribus Missis dicendis ad intentiones diversas, quibus hîc & nunc debet satisfieri.

Addo Sacellanum obligatum quotidiè celebrare in certo sacello non peccare graviter quinies vel sexies alibi celebrando, secùs si id sæpè faciat: quia contravenit menti fundatoris in re gravi. Non tenebitur tamen ad restitutionem si alibi non celebret ad intentionem fundatoris, eò quòd huic non adveniat damnum notabile. Ita post varios Burghaber *Centur.* 3. *casu* 98. addens in casu quo similis Capellanus non posset in isto loco celebrare propter im-

impedimentum v. g. violationis, inundationis, &c. non teneri ipſum alibi celebrare, ſaltem ſi fundator ſolùm intenderit venerationem talis loci aut Sancti qui ibi colitur, & non ſpecialiter fructum ſacrificii: pro quo citat Barboſam; rationemque deſumit à pari; nam qui vovit jejunare in vigilia talis Sancti, ſi eo die non poſſit, non tenetur alio die jejunare.

DVBIVM XIII.

Vbi, quando & quoties ſit celebrandum.

76. DIco primò, Celebrandum eſt in loco ab Epiſcopo conſecrato, vel alibi cum altari portatili ex diſpenſatione ſufficienti. Vide Bachonem *in 4. diſt.* 10. *quæſt.* 2. *art.* 1. ubi adfert diverſa capita, quibus ab Eccleſia illud præcipitur, vel per diſpenſationem aliud permittitur; prout Carmelitis per privilegium conceſſum eſt à Clemente IV. Urbano IV. Nicolao IV. & Sixto IV. ut in quibuslibet locis honeſtis, in domibus vel extra, v. g. in caſtris, divina celebrent cum altari portatili. Pro quo vide Franciſcum B. Spei *de Euchar. diſp.* 9. *num.* 106. ubi dicit, Regulares iſtis privilegiis uti non poſſe, niſi Epiſcopis non contradicentibus: &, cùm conſtet Epiſcopos rogatos id nolle, quidem rationabiliter putat eos id non poſſe: Unde omninò conſulo, ne id fiat: maximè cùm dictus P. Franciſcus *loc. cit.* doceat, cum aliis communiter: *celebrare extra Eccleſiam abſque gravi cauſa, eſſe mortale peccatum.* Idem *n.* 110. addit, ſex crimina in jure enumerari, quorum quodlibet Eccleſiam ſacratam polluit, & Miſſam ac officia divina in illa celebrari impedit. Primum eſt homicidium culpabile. Secundum effuſio ſanguinis humani injurioſa. Tertium illicita effuſio ſeminis humani: quæ crimina, dicit, debere eſſe publica. Quartum ſepultura excommunicati declarati. Quintum ſepultura pagani, ſeu infidelis non baptizati; comprehendendo ſepulturam parvulorum non Baptizatorum. Sextum denique deſtructio parietum Eccleſiæ pro majori parte. Pro his, quoad particularia, ipſum conſule *lo. cit.* & recole à nobis dicta *tr.* 1. *diſp.* 5. *n.* 59. 60. & 61.

77. Dicò ſecundò, tempus, quô licitè celebratur, incipit ab aurora & durat ad meridiem, quamvis jam in multis locis uſus obtinuerit, ut celebretur unâ horâ ante auroram vel parum poſt meridiem. Imò nobis Carmelitis eſt conceſſum à Sixto IV. privilegium celebrandi ante & poſt horam ab Eccleſia ſtatutam. Addunt aliqui aliud privilegium conceſſum à Julio III. ut ante recitatum matutinum ex cauſa juſta liceat Miſſam dicere; verùm id omnibus licitum puto cum Franciſco B. Spei *de Relig. diſputat.* 2. *num.* 55. quia Miſſa celebranda, & matutinum cum laudibus lectum, non vi-

videntur majorem connexionem inter se habere, quàm Missa audienda, aut communio facienda cum eodem matutino lecto. Atque Palaum culpæ venialis damnantem eum, qui celebrat matutinô necdum lectô, asserit Gobat bene refutari à Tamburino; quô à se dictô *in Alphabeto Sacrif. casu* 11. *num.* 388. miror eum immediatè subjungere sequentem monitionem: *Verùm ne sequere hanc sententiam sine rationabili causa*; cùm & ipse secutus Suarem absolutè doceat, id ne quidem esse veniale peccatum.

78. Cæterùm de præcepto obligante sacerdotes ad celebrandum, controvertitur; quidam enim volunt nullum de eo exstare præceptum; alii dicunt involvi pręceptum in his Christi verbis, *hoc facite in meam commemorationem.* Interim incertum manet an & quoties sub mortali teneantur: in quo satis existimo probabile, simplicem Sacerdotem ter aut quater celebrantem in anno, maximè in Festis solemnioribus, omninò satisfacere: nam cap. *dolentes de celeb. Miss.* solùm arguit sacerdotes delicti, qui vix quater in anno celebrant: imò Fuliensis *lib. de Euchar. cap.* 12. *res.* 1. dicit, probabiliter satisfacere Sacerdotem, qui aliquoties in vita sacrificat. Vide supradictum Franciscum *de Euchar. disp.* 8. *num.* 5. ubi eum obligat ad aliquoties in anno celebrandum, allegans Trident. *ss.* 23. *cap.* 14. *de reform.* & scandalum, quod viri probi alioqui accipiunt. Vide eum iterum *disp.* 9. *num.* 103. ubi dictam obligationem determinat ad ter aut quater in anno.

Petes primò, an sit licitum dicere in die plures Missas?

79. Respondeo hoc maximè licere duobus casibus (alii enim à variis adducti non videntur esse in usu:) in Festo scil. Natalis Domini; quando cuilibet Sacerdoti est licitum dicere tres Missas, sed non duas & semel communicare more laicorum, quia consuetudo Canonem *consuluisti de celeb. Miss.* dantem prædictum privilegium, intelligit propriè, & rigidè de celebratione ipsa sola. Alius casus est, quando quis habet duas parochias administrandas; tunc enim de licentia Episcopi potest singulis Dominicis & Festis bis celebrare, sive *binare,* ut vocant. Alios casus raros videre poteris apud Bachonem *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. ubi etiam tradit modum, quo tunc Sacerdos se gerere debeat.

Petes fortè secundò, an Feriâ quintâ ante Pascha licitè dicantur Missæ privatæ?

80. Communis DD. sententia, teste Dianâ, est affirmativa; quia consuetudo in contrarium est solius devotionis; imò eam Diana dicit esse abrogatam, eò quòd passim, etiam Romæ, videatur isto die Missa celebrari: quoad declarationem verò Cardinalium in contrarium, quam adfert Saussaii Doctor Parisiensis, dicit Garsia, de ea non constare authenticè. An autem liceat similes Missas dicere post, an solùm ante finitam summam Missam? Primum sustinent Præpositus & Dicastillus: secundum cæteri communius cum Vasquez; à cujus sententia dicit Diana *part.* 11. *tr.* 5. *resol.*

*resol.*32.se non audere recedere. Quid autem faciendum sit Pastori duarum Parochiarum in Cœna Domini; an videl. possit binare & quomodo? Habes apud eundem Dianam *ibid. resol.* 33.*& seq.*

Petes tertiò, quid dicendum sit de Sacris in Altari privilegiato celebrandis?

81. Respondeo illa debere esse *de Requiem*, uti habet declaratio Cardinalium apud P. Lezanam *in summa* verbo *Altare:* Limitat tamen Franciscus *disp.* 9.*num.*102. alio die, quàm Festo duplici & de præcepto; quando putat Sacrum debere dici de die, ita ut maneat privilegium, ne Pontifex minuat gratiam animabus concessam. Idem sustinet Burghaber *Centur.* 2.*casu* 5. ex communi DD. ut ait, etiam extra Festa duplicia & de præcepto, nisi nominatim Missa pro defunctis in indulto exprimatur, quod dicit communiter non fieri. Respondetque ad rationem à nobis allatam, ex Pellizario, Declarationem Cardinalium non facere legem universalem, sed solùm sententiam probabilem: quod ab ipsis sit dictum. Insuper Franciscus arguit nimiæ laxitatis Leandrum, qui ponit Altare D. Virginis privilegiatum perpetuum in dispositione cujuslibet Superioris Regularis; qui tamen adhuc monet, attendendum, quòd Peyrinis *in tract. de Privilegiis con stit.*10. Clementis VII. referat, Privilegium esse Altaris privilegiati Feriis secundis & quartis, pro quocumque Superiore & socio Conventus seniore quoad professionem, ubicumque celebraverint.

DVBIVM XIV.

Quid faciendum, dum in Missa occurrit aliquis defectus?

82. Dico primò, dum Sacerdos existens in Altari sentit se adeò malè habere, ut ex integro Missam perficere non valeat, si necdum consecrarit, desistat; si verò consecrarit, Missa compleatur per alium Sacerdotem, etiam non jejunum, vel per eum, qui eodem die adhuc semel celebravit, si alius desit: quia præceptum & jus Divinum præcipiens perfectionem sacrificii, strictiùs obligat, quàm ecclesiasticum de communicando ante sumptionem alterius cibi, & de non celebrando bis in die. Ita omnes communiter. Nec refert, quòd factâ consecratione sit completum sacrificium juxta dicta suprà; quia sumptio adhuc est de perfectione sacrificii latè sumpti, prout sumitur quando præcepto Divino jubetur perfici dum est possibile; quatenus videl. juxta Ecclesiæ ritum, & Christi

sti institutionem est confectio cibi spiritualis, & quædam convivii præparatio, de cujus perfectione est ipsa sumptio: deinde dum Christus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, non tantùm consecravit, sed verè etiam sumpsit corpus & sanguinem suum; quare consecrationem debet sequi sumptio, dum fieri potest.

83. Dico secundò, si aranea v. g. incidat in calicem ante consecrationem, effundatur vinum & aliud infundatur: si post consecrationem, & ob horrorem animal & sanguis sumi non possint, animal comburatur & sanguis exsiccetur panno vel stupâ, quæ deinde comburatur, & cineres omnes in sacrarium reponantur. Interea sumatur alius calix, & fiat ut statim dicêtur. Quid autem fieri debeat cum corporali, linteaminibus, lapide altaris consecrato, &c. dum super ea sanguis effusus est? Habes in rubricis Missalis ad quas recurre, dum necessarium fuerit.

84. Dico tertiò, si sumpto corpore Christi deprehendat Sacerdos, in calice esse solam aquam, quam vel ex parte vel ex toto jam bibit; accipiat vinum cum aqua & de novo consecret incipiendo à verbis, *Simili modo, &c.* usque ad *unde & memores*; sicque aliis omissis dicat, *Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat, &c.* ac ita calicem sumat: quòd enim S. Thomas doceat, tunc aliam hostiam & aliud vinum sumendum esse ac consecrandum à principio, solùm intelligo dum Missa dicitur privatim & non coram populo; quia aliàs daretur occasio scandali. Ratio autem omnium horum est, quia integritas hujus sacrificii per modum perfecti convivii non habetur, nisi post sumptionem corporis & sanguinis Domini per modum cibi & potus. Hinc P. Cornejo post D. Thomam & alios communiter docet, in nullo casu posse sacerdotem unam tantùm speciem sine alia consecrare. Sed quid si Sacerdos post consecrationem animadvertat, se non apposuisse aquam vino? Non apponat, quia id non est de necessitate: deberet tamen apponere, si id deprehenderet antè consecrationem, nisi aliàs timeret magnum scandalum,

85. Dico quartò, si Hostia consecrata è manibus in calicem labatur, doleat & Missam prosequatur, ita se accommodando, ut scandalum, quantùm fieri potest, evitetur. Quod si verò Hostia consecrata dispareat, vel deprehendatur venenata, præcipitur in rubricis de defectibus, ut alia Hostia consecretur & sumatur: ex quo Paulus Quarti *in Commentariu circa rubricas par. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 5.* deducit bene, celebrantem teneri sumere Hostiam à se consecratam; quia aliàs facilè posset sumere unam aliam præconsecratam. Verùm per hoc non satisfaceret integritati sacrificii, cum aliæ Hostiæ præconsecratæ non pertineant propriè ad idem sacrificium. Ita plures apud dictum Authorem *loc. cit.* quidquid alii tres ibidem citati doceant, dum Sacerdos de-

Bbbb puta-

putatus ad consecrandam Hostiam majorem exponendam in remonstrantia, eam omisit adferre, posse eum reservare suam Hostiam majorem, & unam præconsecratam ex pyxide sumere, dum non suppetit aliud remedium ad scandalum impediendum: quia (inquiunt illi) talis verè dicitur participare de suo sacrificio, dum participat de eodem Christo, qui idem est in omnibus Hostiis. Ego autem ob rationem allatam in contrarium, judico in illo casu potius exponendam esse unam ex parvis Hostiis præconsecratis sumendam ex pyxide. Quod si prædictus Sacerdos simul cum sua magna Hostia consecrasset & alias parvas, posset illam reservare, ac unam ex his sumere, quia sic verè participat de suo sacrificio. Ex his infero Baucium *in miscellaneis practicis opusc. 4. pet. 75.* non rectè generaliter docere, licitum esse Sacerdoti consecranti sumere Hostiam à se non consecratam, & suam reservare; quidquid pro se citet Faustum. Cæterum si sumpto sanguine particula Hostiæ maneat in calice, adducatur digito ad labrum calicis, & sic sumatur, antequam imponatur vinum pro ablutione: nulla tamen committeretur culpa, si vinum infunderetur, & simul cum vino dicta particula sumeretur; quia est moraliter una sumptio. Imò posse Sacerdotem sumere reliquias in patena repertas, etiam post sumptam integram ablutionem, docent DD. satis communiter, quia id pertinet ad idem sacrificium: quidquid tamen in rubricis præcipiatur, ut illæ particulæ colligantur, & sumantur ante sumptionem calicis. Sed quid si aliquis purgando pyxidem intendat sumere particulas in ea adinventas? Judico illas sumendas esse post sumptum calicem; tum quia non sunt de eodem sacrificio; tum quia sic sumi poterunt simul cum vino in pyxidem infuso ad melius mundandum. Nec in his omnibus locus est scrupulo, ne fortè particulæ deglutiantur post sumptum vinum: quia, ut Paulus Quarti *loc. cit. dub. 7.* post varios ait, præcepto jejunii naturalis solùm præcipitur, ut quis accedat jejunus ad integram communionem, & sumptionem Sacramenti absolutè, & per se: quod patet ex eo, quòd permittatur iteratis ablutionibus Hostiam dentibus vel palato adhærentem extrahere & trajicere.

86. Dico quintò, si post consecrationem Sacerdos in manibus reperiat duas hostias, utramque sumat; quia utramque consecravit, cum quisque intendat consecrare, quod habet in manibus.

87. Dico sextò, si vinum in calice congeletur ante consecrationem, prius resolvatur antequam consecretur: quia consecrare vinum congelatum esse peccatum mortale, docet Burghaber *Centur. 2. casu* 37. imò & alii Doctores ferè omnes teste Palao *tract. 21. D. unic. punc. 4. num. 8.* quia, hoc est recedere à communi Ecclesiæ consuetudine in re gravi, & Sacramentum exponere periculo nullitatis, cum plures probati Authores doceant, vinum congelatum non esse mate-

materiam calicis; quidquid contrarium nos judicemus esse verum. Nec enim video cur minus sub vino concongelato possit primò produci sanguis Christi, quàm possit sub speciebus vini congelati conservari, quod ultimum affirmavit Pius V. *in Rubr. Miss. de defect. Missæ* §. *in hyeme*. Quare si congelatio fiat post consecrationem, resolvatur ante sumptionem, ut habeat actualem rationem potus. Si verò totus sanguis casu simul effundatur, fiat ut dictum est *resol.2. & 3.* si tantùm pars, reliquum sumatur, & de effuso fiat ut ibidem resolutum est.

88. Dico septimò, dum celebrans non recolit se aliqua dixisse aut fecisse, quæ dicenda vel facienda erant, non idcirco turbetur; quia qui multa dicit aut facit, non recolit omnia: si tamen probabiliùs constaret aliquid omissum esse, quod est de necessitate Sacramenti, resumi deberet; secus si sit tantùm aliquid spectans ad cæremonias aut orationes, licèt esset pars Canonis. Quòd si tamen defectus, etiam accidentalis, magni momenti occurreret, subinde esset supplendus, subinde non: si enim Sacerdos ante consecrationem advertat panem præsentem non esse azymum, debet curare ut adferatur azymus; imò & ab incepta Missa desistere, si obtineri non possit & desit periculum scandali: similiter dictum est debere vino apponi aquam si ante consecrationem advertatur eam non esse appositam: ratio est, quia major videtur esse irreverentia perficere Missam cum adeo gravi defectu, quàm eam necdum substantialiter inchoatam deserere. Contrarium dic, si quid simile advertatur solùm post consecrationem ob dicta supra. Vide de his Bachonem *dist.* 10. *quæst.*1. Cornejo *tom.* 2. *tract.* 4. *circa quæst.*74. *disp.*1. & rubricas Missalis: ad quas pro his omnibus remittit P. Franciscus.

Cæterùm debet celebrans accuratè omnia observare, quæ habentur in Missali, & maximè esse attentus cum ad Canonem pervenerit: quidquid nimis rigidè judicem aliquos locutos esse apud Suarez, qui volunt vel unicum verbum in Canone omittentem peccare mortaliter: ac quamvis Tamburinus apud Gobat *in Alphab. Sacrif. casu* 23. *num.*822. doceat, non vacare culpâ mortali in Canone diu voluntariè mente evagari; nihil tamen ipse circa hoc resolvit. Diximus autem nos supra *tract.* 1. *disput.*5. *num.ult.* esse mortale, voluntariè distrahi tempore actualis consecrationis. Nota Canonem incipere secundùm communiorem sententiam à, *Qui pridie*, & olim desinebat ad *Pater noster*, modò verò juxta Suarez ad consumptionem Sacramenti.

* * *

DUBIUM XV.

De Vestibus Sacris, & aliis ad celebrandum requisitis.

89. Dico primò, quoad vestes Sacerdotales, necessariæ sunt, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola & planeta seu casula: si tamen in casu necessitatis aliquid ex minoribus, amictus v.g. cingulum vel manupulus deesset, non esset mortale sine eo celebrare. Debent autem omnia prædicta esse benedicta; quamvis non putem esse mortale uti cingulo non benedicto; nam in aliquibus Regionibus non benedicitur, ut testantur Schotus & Richardus, & consuetudine videtur introductum, quòd partes cinguli fracti passim connectantur sine nova benedictione, cùm tamen juxta DD. communiter vestes sacræ suam benedictionem amittant, quando desinunt esse integræ, ac ordinariam suam formam & usum perdunt. Pro quo vide Lezanam verbo *vestes Sacræ num.5.& 6.* & Franciscum *de Eucharist. disp.9. num.116. & 117.*

90. Dico secundò, præter dictas vestes, requiruntur insuper corporale, calix, patena (quæ necessariò debent esse benedicta) palla, quæ non necessariò requirit benedictionem, & purificatorium; quod cum etiam nullo jure statuatur, ut benedicatur, poterit in casu necessitatis adhiberi strophiolum, quo tamen non amplius erit tergendus nasus. Ita post Suarez docet Gobat. Debet insuper calix esse aureus, argenteus vel stanneus, sicut & patena, nec possunt esse ex ære aut cupro; quia hæc propter æruginem provocant vomitum, quamvis Lugo testetur Romæ esse plures ex ære, & nullos ex stanno. Neque etiam possunt esse ex vitro propter periculum: nec ex ligno; nam cum hoc sit porosum, aliquid sanguinis subintraret. Vide eundem Lezanam verbo *Calix*, ubi docet à quibus possit benedici, & quando suam amittat benedictionem: addens calicem, patenam, & alia immediatè attingentia corpus & sanguinem Christi, non posse tangi à laicis absque peccato; licèt non videatur mortale, si desit scandalum & contemptus. Dum autem corporalia & purificatoria tradenda sunt lotrici, ut laventur, debent priùs à Sacerdote vel Diacono ablui, & lotio mitti in piscinam. Addo probabile esse, calicem, & corporale sufficienter censeri benedicta dum in iis aliquis sacrificavit, ut post plures docet Burghaber *Centur. 2. casu 68.* idque ex contactu Sanctissimi Corporis Christi à quo omnis benedictio promanat: quia tamen ille contactus non reperitur in usu sacrarum vestium, de his oppositum est dicendum.

91. Insuper etiam requiritur lumen, idque sub culpa mortali: sufficit tamen una candela vel etiam lampas, si adsit gravis necessitas celebrandi, & haberi nequeat lumen ex cera, desitque periculum scandali. Peccati gravis venialis damnat Suarez *disp. 72. sect. 4.* eum, qui sine lumine ministrat sacram Eucharistiam: quod intellige extra sacrificium Missæ, quia in illo sufficit lumen ardens pro ipsa celebratione. Requiritur item missale, ut minùs continens integrum Canonem: & Crucifixus; quamvis Lezana cum P. Francisco dicat, hoc ultimum non requiri sub mortali, cùm res non videatur adeò gravis. Imò nequidem sub veniali requiri crucem si nequeat facilè haberi, vult Gobat post Vasq. & Fagund. *in Alphab. sacrif. casu* 10. *num.* 296. qui & *num.* 299. docet sufficere crucem sinè crucifixo, quia Missale de sola cruce loquitur: adfértque Tamburinum docentem satis esse si crux sit depicta in tabernaculo aut pariete: & culpat Gavantum requirentem crucem dum prostat venerabile Sacramentum. Item debet Altare cooperiri tribus mappis benedictis; duabus quidem brevioribus, quibus cooperiatur tota ara; & alia superiori, quâ tota mensa altaris. Ita, teste Francisco, colligitur ex cap. *Si per negligentiam de consecr.* quidquid Gobat *in Alphab. Sacrif. casu* 10. *num.* 289. pluribus citatis dicat usu introductum esse, ut hâc ætate sufficiat una mappa duplicata, esto non tegat totum altare; imò & unam simplicem in casu necessitatis sufficere & quidem non benedictam, quæque possit mox iterum ad mensam profanam adhiberi, docent apud eundem Azor. Sylvest. Suar. Tãner. & Pax Gordanus.

92. Adde, prædicta omnia, excepto calice, posse benedici à Superioribus Regularium, ut sunt Priores & Vicarii in eorum absentia: imò id posse omnes Sacerdotes Regulares dempto corporali, tradit Pourrè *par. 1. verbo benedictio num. 7.* ob privilegium concessum Minoribus à Sixto IV. quod adfert etiam Rodriguez *resol. 13. num. 1.* & Portel, qui testatur apud PP. Dominicanos istam concessionem esse in usu. Addo, omnia prædicta, quibus in illo tremendo sacrificio utitur Sacerdos, debere esse munda: aliàs qui Sacristiæ præsunt, graviter delinquunt, si culpa ipsorum non mundentur dum sunt valdè immunda, antequam in iis sacrificetur. Non ita tamen Sacerdos illis utens, quia hic non potest facilè obtinere munda.

93. Dico tertiò, requiritur præterea lapis chrismatis unctione ab Episcopo consecratus, fixus vel portatilis; extra quem celebrare, vel formulas extra illum positas consecrare, graviter prohibetur cap. *altari de consecr. dist. 1.* ac proinde est peccatum mortale. Prædictus autem lapis fixus consecrationem amittit, per enormem fractionem aut remotionem à suis fulcris; portatilis, per solam fractionem, non per separationem à theca sua lignea, cum præcisè sit ad ornatum. Ita P. Franciscus *disp. 9. num.* 111. & alii communiter.

94. Dico quartò, etiam requiritur minister, qui inserviat celebranti, quique sit vir & non mulier: ut constat ex cap. *Inhibendum.* Imò esse mortale, si mu-

mulier in missa ministret, docet P. Lezana verbo *Missa num. 63.* addens magìs expedire, Sacerdotem in casu magnæ necessitatis, dicere Missam sine ministro quàm ministrante muliere; quod idem docent Sotus, Azorius, Bonacinas, Diana & alii. Verùm teste Marchantio, quibusdam in locis jam consuetudine receptum est, ut apud Moniales puellæ 10. aut 12. annorum ad id instructæ ministrare permittantur ibi celebrantibus, quod quidam sinè scrupulo practicant in Provinciis Belgicis ipsis Episcopis scientibus. Scio etiam ego in quodam loco consuetudine introductum, ut ipsæ Moniales ministrent Sacerdotibus in earum Ecclesiis celebrantibus. Legatur interim circa hæc Diana *par. 10. tract. 15. resol. 26.* ubi ut summùm permittit, ut in casu necessitatis mulier à longè respondeat: minimè tamen ut immediatè & proximè Sacerdoti ministret. Imò acriter insurgit contra Nugnum contrarium docentem, prout etiam facit Mendo *in statera benignarum opinionum dissert. 7. quæst. 1. num. 7.* & ferè omnes, qui in Italia composuêre: sed eos non audit Marchantius pro locis Belgii, dicens, Hispanos & Italos hac in re severiùs loqui, eò quòd in illis Regionibus majus periculum aut inordinatio judicetur in similibus.

DVBIVM XVI.

De præcepto audiendi Missam.

§. I.

An exstet tale præceptum; & quæ attentio in Missa requiratur?

95. DIco primò, exstat præceptum Ecclesiæ obligans omnem adultum ad Missam audiendam diebus Dominicis ac Festis: idque sub peccato mortali, sive toto die, sive tantùm mediâ sui parte festa celebrentur, quia semper pro illa parte urget obligatio Missam audiendi. Ita P. Urbanus *tr. 1. cap. 35.* Addo tamen, dictum præceptum non obligare in festo, quod solus Episcopus sine consensu populi instituit: quia is non habet potestatem instituendi festa sine consensu & Cleri & populi. Ita statuitur *cap. conquestus de fer.* ac sæpe etiam sic resolvit Rota Romana, ut ex Barbosa, Pace Jordano, & Gavanto ostendit Gobat *in Alphab. Audient. sacr. casu 3. num. 72.* Ratio est aperta, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari *cap. quod omnes de jure in 6.* Hâc tamen lege non ligatur Papa. Porrò censetur populus con-

consentire, quando consentit Magistratus.

Præceptum de audienda Missa incipit obligare pueros dum perfectum usum rationis obtinent circa Divina mysteria; quod fit, juxta Marchantium, dum capaces judicantur ad sumendam Eucharistiam; quidquid alii communiter illi se opponentes, velint eos prædicto præcepto ligari quàmprimùm fruuntur usu rationis circa alias res, quod contingit circa 7. vel 8. annum: & Francisc. B. Spei *de Euchar. disp. 9. num.* 104. dicat illam obligationem incipere cum obligatione confitendi. Probat suam sententiam Marchantius, quia pia Mater Ecclesia non videtur velle eos priùs obligare, nisi sub peccato veniali ob apprehensionem imperfectam, tum mysteriorum, tum etiam obligationis præcepti; ex qua fit, ut facilè negligant observare modestiam & attentionem requisitam, magisque ibi sint corpore quàm mente præsentes. Ita ille: addens tamen pueros septennes, vel etiam infra, assuefaciendos esse ad Missam audiendam.

Petes hîc fortè an Sacerdos simplex teneatur celebrare, dum non adest alius à quo Missam audiat? Respondeo absolutè quòd sic: quia vi præcepti audiendi missam tenetur quilibet sibi providere de celebrante ubi commodè potest, cum per solam impossibilitatem, saltèm moralem, illud præceptum desinat obligare: ergò tenetur Sacerdos per se celebrare dum non potest aliò modô sibi de celebrante providere. Alias rationes vide apud Pasqualigo *to. 1. de Sacrif. nova leg. q.* 843. per quas, sicut & per nostram, solvitur fundamentum oppositæ sententiæ, quam immeritò sustinet Fernandez. *par. 3. exam. theol. moral. c. 5. §. 8. num. 2.* non enim est dubitandum, quin Ecclesia intenderit obligare Sacerdotes ad alterutrum, scil. ad celebrandum, vel Missæ alterius interessendum, prout etiam habet timoratorum omnium praxis. Ita etiam docet Gobat *in Alphab. sacrif. casu 16. num.* 484. & per plura *in Alphab. Audient. sacr. casu 1. n.* 40. *& seq.* Sed quid si prædictus Sacerdos esset in statu peccati mortalis? Teneretur præmissa confessione se reddere aptum ad celebrandum si adesset Confessarius; si non, teneretur à celebrando abstinere: plus enim præceptum Divinum de non celebrando post mortale peccatum commissum nisi præmissâ confessione obligat, quàm ecclesiasticum de audienda Missa die festo aut Dominico.

96. Dico secundò, non sufficit interesse Missæ merè Physicè & materialiter, sed requiritur ut quis adsit devotè per actum humanæ præsentiæ: quia, ut bene P. Urbanus *lo. cit.* hominibus lex illa lata est, non belluis, ideòque servanda est per rationem & cum intelligentia: unde juxta omnes non satisfacit, qui sub Missa dormit, pingit, docet, &c. Insuper vi præcepti divini & naturalis sub veniali obligantis debet quisque etiam adesse cum attentione & devotione interna: quod, inquit Urbanus, potest similiter tribui juri Ecclesiastico, quod saltèm indirectè potest præcipere actus internos, ac dum præcipit orationem vel Missæ auditionem, jubet Christianam & devotam, qualis esse nequit sine attentione in-

interna. Vide Franciscum B. Spei *loc. statim cit.* ubi dicit, Ecclesiam, ut interpretatricem legis divinæ, auditionem Missæ præcipere sub peccato scil. mortali; ac ideo ad præsentiam per internam devotionem obligare: quod *in tract. de legibus* fusè probat.

97. Verùm etiam contrarium existimo probabile quoad præceptum Ecclesiæ, conformiter ad à nobis dicta *supra de Horis Canonicis*; ubi diximus, probabiliter satisfieri per devotam recitationem externam: quam doctrinam communiorem esse fatetur ipse P. Franciscus *lo. cit.* Vide etiam Dianam *par. 2. tract. 12. res. 2.* ubi dicit, eum satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, dummodò assistat cum reverentia externa, ita ut verè possit dici hîc & nunc actum externum religionis exercere, ac cum celebrante, propter illam externam attentionem, communicare: si tamen aliter faceret, puta confabulando, ridendo, &c. non posset dici decenter ac humano modo & religioso audire Missam. Hæc Diana: quod & de novo confirmat *par. 10. tr. 15. resol. 2.* argumento desumpto ex Dicastillo; quia, si interna attentio esset materia ab Ecclesia præcepta, quantumvis involuntariè & sine advertentia attentio deesset, adhuc suppleri deberet per attentionem novam in alia Missa audita; quod tamen etiam DD. oppositæ sententiæ negant esse necessarium. Probatur sequela; quia sic distractus non exhiberet actum præceptum plus quàm ille, qui tempore sacri dormiret involuntariè: quare subdit Diana, videant, qui nostram sententiam impugnant, in quibus tricis se misceant. Hanc Dianæ sententiam etiam tenent Conink, Layman; eámque probabilem fatetur P. Urbanus. Docent varii hîc requiri intentionem satisfaciendi præcepto: sed contra illos insurgit Rodriquez *in summa c. 123. num. 2.* dicens, hanc responsionem esse nimis scrupulosam, & in rebus moralibus oportere loqui taliter, ut non detur ingressus scrupulis, præsertim in hoc præcepto, quòd tam continuò obligat. Ita etiam loquitur Gobat *in Alphab. Audient. sacr. casu 5. n.* 162. Atque hoc de novo repetit *casu 7. num.* 199. ac consequenter ad hæc *num.* 201. dicit, si die Dominicâ audiens manè sacrum dicas, *nolo hujus sacri auditione satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed ut satisfaciam, decerno interesse adhuc uni alteri,* nihilominus tamen explesti præceptum: quod & nos in simili asseruimus *tract. 2. disp. 6. num.* 10. de sic legente horas canonicas. quidquid tamen idem Gobat *casu 7. num.* 194. absolutè requirat intentionem interessendi Missæ tanquam rei sacræ, seu cum intentione exhibendi Deo cultum: dicens *num.* 198. hanc non necessariò esse expressam seu explicitam, sed sufficere implicitam; qualem habent, inquit, qui soliti interesse sacro tanquam actioni sacræ eunt ad templum præcisè cogitando audire Missam, seu facere officium boni Christiani: nisi enim constet de contrario, præsumuntur accedere cum indicata intentione. Attamen non audeo approbare, quod docet Bonacinas apud Marchant, nempè eum præcepto Ecclesiæ de audienda Missa satisfacere, qui magnâ parte garrit, ita ut simul attendat sciendo quid

in

in sacro fiat, surgendo ac flectendo ubi opus est: quod idem docet Busenbaum. Non audeo, inquam, id approbare; quia talis non potest dici exteriùs decenter & religioso modo audire Missam, quod in omnium sententia Ecclesia præcipit. Interea Marchant. dicit, eam sententiam multùm favere aulicis & nobilibus; quidquid mihi (& indubiè Deo & Ecclesiæ) multùm displiceat mos curiæ ita Missam audiendi.

98. An dicto præcepto satisfaciat qui tempore Missæ confitetur? Variant DD. affirmante Reginaldo, negant Suarez & Azorius, cum quibus id puto ordinariè esse improbandum, si requiratur notabilis pars temporis, quo Missa durat. Excusat Marchant. eos, qui id faciunt ex necessitate, ut subindè foris contingit adveniente aliquo ex Mendicantibus ratione concionis habendæ, qui statim post recedit. Verùm Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 45. solùm excusat eum, qui à principio Missæ usque ad Evangelium inclusivè confiteretur: quare tenetur audire aliud sacrum si audiri possit, casu quo per majorem partem Missæ confessio fiat; quidquid P. Gobat *in praxi clement. Iudic. decade* 4. *num.* 283. contra communem dicat, in contrarium facere rationem, quia scil. confessio non videtur esse incompossibilis cum attentione ad Missam requisita: Judico enim ego confessionem plus esse incompatibilem cum illa attentione, quàm lectionem libri profani, litterarum, aut novellarum, & tamen hanc impedire auditionem Missæ ipsemet, & benè, asserit *in Alphab. Audient. sacr. casu* 9. *n.* 245. Meritò interim cum communi recentiorum docet *num.* 246. non impedire auditionem Missæ, si quis legat preces debitas, ut v.g. horas Canonicas; neque etiam si legat pios Historicos, magistrósque rerum spiritualium, tum propter similitudinem inter hos & legentes Breviarium, tum quia ejusmodi lectio est de se apta ad excitandos tam pios motus animi, quàm exigat Ecclesia præcipiens auditionem Sacri. Ita ille: bene addens *n.* 253. non esse imitandos, qui hos ultimos legunt toto tempore sacri, cum præstaret ejusmodi lectionem interrumpere actibus adorationis, gratiarum actionis, & similibus versantibus directè circa mysteria sacrificii: quidquid in consequentibus dicat, omnes prædictos à mortali excusari si illos libros legant causa addiscendi memoriter; observandi, colligendíque sententias concinniores; studendi, &c. quia ex opposito dicit manifestè sequi, posse ab Ecclesia præcipi directè & immediatè actus purè internos. Vide dicta *tract.* 4. *disp.* 12. *n.* 25. *& seq.*

Cæterùm Missæ verè corpore præsens est, qui est in templo, licèt sit retro columnam, aut ad latus ubi nec videt nec audit sacrificantem, imò licèt sit extrà templum vel sacellum, modò immediatè vel mediatè per actiones aliorum possit percipere quid agatur, dicique possit esse pars multitudinis, cujus plures sunt propè videntes & audientes Sacerdotem.

§. II.

An partes diversarum Missarum connecti possint, & quæ pars omissa causet mortale peccatum?

99. DIco primò, audiens duas medietates diversarum Missarum, conficientes simul integram Missam, successivè, satisfacit præcepto de audienda Missa: sic enim Urbano teste DD. illud Ecclesiæ præceptum interpretantur, cum talis intersit integræ Missæ. Imò Diana *par. 2. tract. 3. resol.* 18. probabilem reputat sententiam Molfesii, Azorii, & aliorum docentium, dicto præcepto satisfieri audiendo simul & semel duas tales partes Missæ in diversis Altaribus: ac pro eadem de novo *par. 10. tract. 15. resol.* 3. citat novem celebres Authores: quibus ego jungo Burghaber *Centur. 1. casu* 96. Urget in contrarium Lugo dicens, si posset quis audiendo à duobus Sacerdotibus primam & secundam partem Missæ, conflare unam Missam; posset simul à tribus, vel à sex, vel à decem audiendo simul decem partes diversas Missæ, ita ut intra duo vel tria minuta integram Missam audiret & præcepto satisfaceret. Idem argumentum format Caramuel *Theol. fundam. folio* 225. in quo multa ulterius deducit quoad Horas Canonicas, addens, jam positum argumentum solvi non posse ad attentionem recurrendo, quia interna attentio satis probabiliter non est necessaria. Sed

100. Optarem scire, quare Diana non posset ad attentionem recurrere, ut vitet dictum absurdum? *quia*, inquit Caramuel, *attentionem internam non esse necessariam putamus.* Ast Diana ad attentionem merè internam non recurret, quæ ideo ab Ecclesia non præcipitur, quia de ea Ecclesia non potest judicare: sed recurret ad constitutionem externam, quæ sit compossibilis cum attentione interna, de qua judicat Ecclesia, & consequenter secundùm omnes præcipere potest. Vetat ergò Ecclesia, inquiet Diana, ne tot partes sacri simul audiantur, ut ad singulas attentio haberi non possit. Examinet igitur Caramuel ad quot partes simul possit haberi attentio, nec inferat ex Dianæ sententia, plures simul audiri posse; caveátque excessum, quia fortè Diana negabit id fieri posse ad plures quàm ad duas vel tres: prout facit *in sua par.* 11. eò quòd quis humano modo debeat assistere sacrificio Missæ, & moraliter audire integram Missam. Interea tamen apud ipsum *par. 10. tract. 15. resol.* 3.

Men-

Mendoza & Gesualdus consentiunt de quatuor. Verùm pro praxi teneo ego sententiam docentem, non posse plures partes Missæ audiri simul: quam mordicus defendit noster Franciscus *tract.* 2. *de Act. hum. disp.* 4. *dub.* 7. rejiciens ea, quæ ex Diana & Caramnele adducta sunt: dicit enim, per se & ex terminis manifestum esse, eodem tempore & eâdem actione satisfieri non posse duabus præcepti partibus obligantibus ad diversum tempus determinatum, quales vult esse diversas partes Missæ audiendæ die Dominico & Festo. Vide eum *loc. cit.* præsertim *num.* 221. 222. *&* 246. Idem etiam defendit Nugnus dicens; cum actio audiendi Missam sit successiva, non posse duas differentes partes simul auditas, reputari tanquam partes ejusdem Missæ, etiam moraliter loquendo.

101. Dico secundò, juxtà communiorem, pars notabilis sacri omissa causans mortale peccatum, est initium usque ad Evangelium inclusivè, & à communione usque ad finem. Ita Franc. B. Spei *de Euchar. disp.* 9. *num.* 104. quamvis juxtà aliquos, quos tacitis nominibus refert Marchant. à mortali excusari possit, qui venit statim post finitum Evangelium si usque ad finem persistat, etiam Evangelium Joannis audiendo; quod, hoc ultimo omisso, docent etiam Hurtadus, Lugo, Henriquez, Filliucius & alii apud Pourrè *par.* 1. *verbo Missa num.* 17. Talis item pars notabilis Missæ est tempus utriusque consecrationis; hæc enim est tota essentia Missæ quà sacrificium est. Hæc DD. satis communiter: quidquid P. Urbanus excuset rusticos à mortali propter bonam fidem, qui statim recedunt post secundam elevationem ante Orationem Dominicam; monens tamen tales instruendos esse à Parochis quia est crassa illa ignorantia. Dixerat autem parum antè, quòd si quis accedat ad sacrum immediatè ante consecrationem, debere eum interesse quamvis nullum aliud postea sit auditurus usque ad illam partem; nam ab illa principaliori parte satis denominatur audisse sacrum quantum in ipso est, quod sufficit in moralibus. Verùm quidquid de his sit, non audeo approbare, quod, teste Pourrè, docet Joannes Lugo *de Euchar. d.* 22. *S.* 1. *num.* 3. nempè, eum absolutè loquendo satisfacere, qui consecrationi & communioni assistit; eò quòd in illis duobus essentialiter consistat substantia sacrificii: quinimò, addit Pourrè, quia sub opinione est, an essentia sacrificii consistat in consecratione vel communione, ut ait idem Lugo, potes in praxi amplecti hanc vel illam sententiam; adeò ut satisfacere præcepto Ecclesiæ sit censendus, qui substantiæ sacrificii assisteret, hoc est consecrationi vel communioni: non approbo inquam hæc; sed puto esse prorsus improbabilia cum Francisco Bonæ Spei *lo. antè cit.* tum quia Ecclesia non præcipit auditionem Missæ prout est præcisè sacrificium strictè sumptum, sed prout conflatur ex variis precibus & actionibus, quæ ex præcepto Ecclesiæ sunt adhibendæ in Missa; tum etiam quia

communis Ecclesiæ & fidelium praxis hucusque habet oppositum; tum denique quia non video, quomodo Ecclesia sub peccato mortali possit præcipere, ut homo per spatium brevissimum se sistat præsentem in templo, dum scil. fit consecratio vel communio, vel maximè cùm non possit præcipere nisi præsentiam exteriùs decentem & humanam, non verò ut quis teneatur mente attendere ad id quod illo modicismo tempore ibi agitur. Videant igitur Lugo & Pourrè, an excusari possit à mortali, qui se sponte absentat à tota Missa. Certè communis Ecclesiæ sensus, & omnium Doctorum firma doctrina in contrarium deberent nos à similibus sententiis cohibere.

Addo cum Gobat *in Alphab. Audient. sacr. casu* 4. *num.*156. post Suarez, multos coram Deo peccare mortaliter (præsertim in pagis aut locis ubi unica Missa celebratur) circa accessum ad Missam, qui se judicant tantùm venialiter peccasse: illi videl. qui veniunt quidem à parte rei maturè ut v.g. circa *Gloria* aut initium Epistolæ; sed merè casu eò quòd Missa solitò seriùs incepta sit, vel prima pars ob cantum, aut prolixitatem Orationum & Epistolæ diutiùs duraverit quàm ipsi putarent; adeò ut scienter se exposuerint voluntario periculo negligendi partem notabilem. Et quia hoc sæpe fit, monet opportunè Suarez, esse tales serovenientes, qui non nisi se in confessione accusant de peccato veniali serovenientiæ post inceptam Epistolam, quandoque à Confessario interrogandos de illo periculo.

§. III.

Quænam excusent ab audienda Missa.

102. RESpondeo inprimis excusare damnum rei mediocris æstimationis, gravem item laborem aut difficultatem in audienda Missa. Hinc excusantur infirmi & alii nimiùm distantes à templo, vel qui aliàs audiendo Missam privarentur sociis in via periculosa: item excusantur rustici, qui simul nequeunt Missam audire, quin domus exponatur militibus aut furibus; nec non famuli qui prohibentur à dominis cum periculo sui famulatus; qui tamen tenentur manè ire vel diligentiùs sese ab onere expedire, si fieri possit: non tamen cum labore extraordinariò, inquit Urbanus, neque etiam somno se notabiliter privando; quia cùm hoc præceptum sit humanum, videtur latum cum tali moderatione, ut labor aut difficultas prudenti judicio æstimata rationabilis, aut jactura mediocris censeantur excusare. Si quis tamen passim à domino suo illicitè impediretur ab observatione festorũ, judico eum teneri quamprimũ cõmodè poterit ab illo discedere & aliũ dominum

num quærere: quidquid illum ad hoc absolutè non teneri velit Gobat post alios, ante tempus constitutum; quia communiter negaretur ei stipendium. Addo hîc consilium pro locis hæresi infectis, ut nimirum antequam quis operam suam addicat domino hæretico, apponat conditionem de Missa audienda diebus Dominicis & Festis. Sicut & consulo famulo, qui se vult locare villico, cujus villa ob distantiam à reliquis domibus semper ab aliquo custodienda est, ut addat conditionem de interdum audienda Missa, manente villico, vel ejus uxore domi, ad quod aliàs hi non tenentur, licèt ex charitate id facere valeant. Sed quid si villicus hâc conditione non appositâ mittat quandoque famulum ad Ecclesiam, & ipse non ex charitate, ast carnalitate seu acedia aut pigritia velit domum custodire? Eum non peccare mortaliter docet Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 20. *num.* 495. quia utile non debet per inutile vitiari: quia ergo habet jus mittendi famulum, prava intentio non efficiet culpam mortalem ex hoc solo capite. Ita ille. Cæterùm in hac materia plurimùm facit bona fides existimantis se habere justam causam; per illam enim fit, ut à mortali excusentur aliqui in casibus alioqui dubitationi aut disputationi obnoxiis. Ita Marchantius. Quanta autem distantia à templo excuset? Respondet Franciscus B. Spei sufficere distantiam unius milliaris, tempore valde aspero; etiam pro rusticis. Imò Burghaber vult per se sufficere distantiam unius milliaris, seu unius horæ, si omissio intra annum subinde tantùm fiat; sicut & vult per accidens excusare posse minorem distantiam quàm unius horæ, si videl. asperitas viæ, cœli pluvia, aut simile quid accedat. Vide illum *Centur.* 3. *casu* 1. An liceat pietatis studio ædificare Eremitorium tam procul, ut non nisi rarissimè templum adiri possit? Respondeo cum Gobat *in Alphab. cit. num.* 520. Quandoquidem tale vitæ institutum non sit suscipiendum sinè authoritate Prælatorum, his autem suppetant justissimæ causæ non permittendi, id esse illicitum omnibus circumstantiis in concreto expensis.

103. Insuper excusantur qui assistunt infirmo si alioqui timeatur detrimentum vel incommodum infirmi. Ita omnes. Item, juxtà Urbanum & Franciscum excusantur viduæ nobiles quæ certo tempore domi clausæ permanent post obitum mariti: meliùs tamen hæ procurant missam domi fieri dominicis & festis, si fieri possit. Ulteriùs excusat Marchantius eos, qui sinè jactura honoris non possunt sacro interesse, ut si vir honestus nequeat cum decenti veste in publicum prodire, puta quia ei deest pallium. Videndum tamen est, inquit, ne hæc licentia nimium extendatur, item & an manè secretò Missa nequeat audiri: quam monitionem non addit P. Franciscus; qui etiam meritò excusat nutrices aut matres, quæ non possunt deserere infantes quos lactant; quia ad Ecclesiam eos afferendo videmus ordinariò, quòd non solùm suam sed & aliorum devotionem impediant: Quare Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 15. *num.* 318. di-

318. dicit præstare, quin & opus esse, ut similes se domi cum suis pueris contineant.

104. Etiam excusantur à Marchantio coci, qui tempore missæ impediuntur, quia sinè incommodo suum ministerium differre vel prævenire vix possunt: undè ait pro his & similibus casibus advertenda est regula generalis ex Cajetano; *sinè rationabili causa omittere missam in festo, reputatur peccatum mortale.* Aliqui inter causas rationabiles numerant auditionem Concionis, aut Catechismi, si non possit simul Missa audiri, ob majorem scil. utilitatem spiritualem; sed meritò cæteri omnes hanc doctrinam explodunt, eò quòd unum solùm sit consilii & aliud præcepti: quidquid tamen Gobat *in Alphab. cit. casu* 20. *num.* 516. conetur defendere, eum qui est in statu mortalis peccati posse confiteri, licèt confessio cum auditione Missæ consistere non possit: quia valde periculosum est hærere in mortali crimine. Hinc, inquit, ego videns à DD. admitti tam facilè excusationes ob avertendum damnum temporale, minimè comparandum miserabili statui hominis tradentis se somno nocturno in statu peccati mortalis, censeo id esse probabile. Verùm ego dicerem isti esse eliciendam potius contritionem perfectam, quod sub ipsa auditione Missæ commodè facere poterit. Cæterùm hîc esto prudens, admittendo pro rationabili causa omne motivum rationi humanæ consentaneum, etiamsi non fuerit urgens: quoniam subsistente ratione, quæ illius conditionis personas libenter ad Missam euntes, inducere videtur ad omissionem Missæ, non incurritur peccatum mortale; quamvis, si minùs sufficiens est ratio, peccetur venialiter. Et universaliter sic est, juxta Cajetanum, quando quis bonâ fide putat, se excusari, & ideo omittit Missam: quæ juvabunt anxios in hoc negotio. Vide insuper P. Franciscum *de Euchar. disp.* 9. *num.* 104. ubi etiam nominatim excusat Aurigas & Nautas, qui res magni momenti vehunt, & vecturam suam sinè notabili prædonum, aut equorum, aut hospitii periculo differre non possunt. His junge custodes pecudum, qui extra hiemem vix sacro ulli interesse possunt: sicut & milites: nec hi enim statum, nec illi servitium immutare tenentur, ut melius festa colere valeant, ut passim omnes fatentur. Excusat etiam Azorius (cum communi ut loquitur(eum qui se à Missa absentat ad faciendum lucrum notabile, quod & facit Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 20. *num.* 492. quia notabile lucrum amittere, est damnum grave.

Petes hîc fortè, an sæculares obligentur audire missam in templo parochiali?

105. Respondeo negativè: quia Leo X. in bulla quæ incipit, *intelleximus*, expresè declaravit, sæculares diebus festis & dominicis audientes Missam in Ecclesiis Mendicantium, plenè satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa. Neque ullatenùs id in dubium revocatur ab aliquibus recentioribus allegantibus Tridentinum; quia in eo solùm dicitur, ut parochi suos Parochianos moneant frequenter adesse suis Parochiis, non

autem

autem ut præcipiant; prout benè advertit P. Urbanus *tract.2.cap.2.reg.7.in fine*: addens neque Episcopos compellere posse sub aliqua mulcta vel pœna suos diœcesanos ad id præstandum: quod declaravit S. Congregatio Cardinalium, testante Zerola, in praxi Episc.*par.1.verbo Missa*; etiam, quamvis id fieret ob notabilem negligentiam vel contumaciam aliorum: quia nimirum illud est res pertinens ad statum universalis Ecclesiæ, circa quam proindè solus Papa, vel ex ejus commissione Concilium generale potest disponere. Ita Urbanus *loc. cit.* vide etiam Busenbaum *lib.3.tract.3.cap.1.dub.4.* & recenter Burghaber *Centur.3.casu 60.* qui post Barbosam (ac hoc teste communem Theologorum) docet, quemlibet satisfacere præcepto de audienda Missa, qui illam audit in domo sæculari, ubi tantum permisit Episcopus Missam dici *eâ lege, ut nullus præter domesticos illi assistendo satisfacere dicto præcepto possit*: quæ verba Bullæ, ne frustra sint posita, putat Palao apud Burghaber *loc.cit.* debere intelligi, non de audiente, sed celebrante, ne scil. aliquis Sacerdos in illa domo celebret, ut aliquis externus audiendo ibidem Missam ipsius, præcepto Ecclesiæ satisfacere possit, cum ad hoc nulli Sacerdoti facultas concedatur. Nec dicas cum Bonacina, sæcularis non satisfacit Communioni Paschali extra Parochiam; ergo nec præcepto audiendæ Missæ: negatur enim consequentia; quia ex communi jure Communioni Paschali satisfieri debet in Parochia, aut saltem in Ecclesia privilegiata: secus Missæ audiendæ die festo. Conformiter ad ex Burghaber allata docet Gobat *in Alphab. Sacrif.casu 8.num.254.* esse usu jam receptum, ut satisfiat præcepto Ecclesiæ audiendo sacrum quocumque in loco, remittens ad supradictum Pallaum *tract.22.p.16.num.15.* & *in Alphab. Audient. Sacr. casu 5.num. 116.* dicit pro consuetudine audiendi Sacrum in Ecclesiis Mendicantium à Georgio de Rhodes tot Pontifices, Cardinales, Episcopos, Doctores, & rationes congeri, ut improbabile sit, cum hoc tempore delinquere per se loquendo, qui non solet diebus festis, aut dominicis interesse seu privatæ seu publicæ Missæ, quæ fit in ejus Parochia. Addo cum eodem Gobat *in Alphab.Sacrif.casu 8.num. 255.* licèt habeat quis privilegium curandi Missam legi in Oratorio suæ domus, & ob ægritudinem nequeat die festo domo exire, non teneri eum curare sibi domi Missam fieri: quia nemo tenetur uti suo privilegio: atque hoc iterum defendit Gobat *in Alphab. audient.Sacr. casu 16.num. 350.* Hæc ad intentum nostrum de Eucharistia & Missâ dicta sufficiant.

* * *

DIS-

DISPVTATIO V.

De Pœnitentia.

DVBIVM I.

Quid Sacramentum Pœnitentiæ, quam sit necessarium, & quæ eius materia?

106. NOta primò, Pœnitentiam à DD. comuniter distingui in Pœnitentiam ut virtus est, & Pœnitentiam ut est Sacramentum. Primò modo sumpta, est virtus detestativa proprii peccati commissi, ac reparativa injuriæ & offensæ per peccatum proprium erga Deum perpetratæ. Habitus autem infusus Pœnitentiæ est in omnibus viatoribus justis, & animabus Purgatorii; in his enim omnibus est permanens facultas supernaturalis inclinans ac facilitans ad servandum jus divinum illæsum. Pœnitentiam virtutem esse, eamque specialem à cæteris distinctam, & à Deo infusam, probat Franc. B. Spei *de Pœnit. disp.* 1. *dub.* 1. & 2.

107 Nota secundò, de fide esse; primò, omne peccatum in hac vita per veram Pœnitentiam posse remitti; quod patet ex variis locis Scripturæ; estque definitum in Concilio Lateranensi c. *firmiter*. Secundò etiam de fide est, non posse, juxta præsentem Dei ordinationem, remitti peccatum mortale actuale sinè Pœnitentia actuali ac formali, vel saltem virtuali, inclusâ v. g. in amore Dei super omnia. Ita Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. & 4. Vide Franc. B. Spei *disp.* 3. *dub.* 1. *per totum*. Imò in memore peccatorum mortalium plures volunt, necessariò requiri Pœnitentiam formalem prout dicunt docere S. August. *homil.* 50. *cap.* 5. & D. Thomam *par.* 3. *quæst.* 86. *art.* 2. quidquid dictus Franciscus *disp.* 2. *num.* 24. cum Doctoribus modernis communiùs, ut ait, contrarium defendat, propter innumera Scripturæ loca, quæ actui charitatis præcisè, ut dolori virtuali vim justificandi tribuunt, licèt tamen fateatur, dolorem formalem ex natura rei sequi in memore peccatorum, per quod salvat Tridentinum. Vide eum *loc. cit.* & *num.* 29. ubi ab opposito ostendit, dolorem peccati commissi, sinè expresso Dei amore non esse ad justificandum per se, sive extrà Sacramentum sufficientem, quibus notatis.

108. Dico primò, Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum, quo relapsis verè Pœnitentibus & confessis impenditur absolutio à peccatis. Ita Sylvius *in additionibus Binsfeldii*. Hoc

Sacra-

Sacramentum juxtà DD. communiter institutum est, dum Christus post resurrectionem dedit Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata; quod factum legimus *Ioannis* 20. Ita etiam post S. Augustinum sustinet Bacho *in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 1.* postquam rejecisset duas falsas aliorum opiniones.

109. Dico secundò, Sacramentum pœnitentiæ est necessarium necessitate medii relapsis in peccatum mortale post susceptum Baptismum: nam Tridentinum *loc. cit. cap.* 2. dicit hoc Sacramentum eo modo esse necessarium relapsis quo Baptismus nondum regeneratis. Non est tamen necessarium relapsis Sacramentum pœnitentiæ in re ipsa; quia conformiter ad dicta de Baptismo, potest quandoque sufficere votum illius: vel explicitum, ut dum quis elicit contritionem cum proposito expresso confitendi dum potuerit; vel etiam implicitum, ut quando quis elicit contritionem aut amorem Dei super omnia, non attendens hîc & nunc ad necessitatem confitendi. Pro quo vide Tridentinum *suprà cap. 2. & 5.* Adde etiam ante institutionem hujus Sacramenti, statim post Adæ peccatum, omnibus in mortale lapsis necessariam omninò fuisse Pœnitentiam ut virtus est; prout patet ex innumeris Scripturæ locis, in quibus dicitur, *nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis,* & similia.

110. Dico tertiò, materia hujus Sacramenti duplex est, remota scil. & proxima; remota sunt peccata post Baptismum commissa ut destruenda; quæ si sint mortalia nondum confessa, sunt materia necessaria, licèt per contritionem directè, vel per præcedentem confessionem (in qua inculpabiliter omittebantur) indirectè fuerint remissa, prout omnes DD. docent: & ratio est, quia sic illa peccata non remittuntur, nisi cum onere ea postmodum directè subjiciendi clavibus Ecclesiæ si possibile fuerit: & id quidem quoad peccata oblita maximè fit ex intentione Ecclesiæ volentis per præceptum confessionis unumquemque obligare ad omnia mortalia actualia directè clavibus subjiciendum: quòd verò Ecclesia tale onus fidelibus imponere possit, patet ex verbis Christi *Ioannis* 20. *quorum retenueritis peccata, retenta sunt.* Ubi adverte, in casu, quo quis similia peccata postea confiteri nollet, ea non redire, sed committi novum peccatum mortale inobedientiæ contra Ecclesiæ præceptum, quo nisi amoto, nulla poterit fieri bona confessio; ut bene docet Bacho *in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3.* ubi inter varia dicit, ideo servari confessionem postquam peccata sunt indirectè remissa, ut justitia servetur erga Deum & Prælatos Ecclesiæ, qui sunt ejus membra.

111. Materia proxima Sacramenti pœnitentiæ sunt ipsi actus pœnitentis; contritio scil. confessio & satisfactio. Colligitur ex Tridentino *sess. 14. cap. 3.* quidquid tamen satisfactio non sit materia seu pars essentialis; sed solùm integralis, quatenus judicium non censetur undequaque integrum seu perfectum, nisi à Judice imponatur pœna ob crimen perpetratum. Hinc dum petitur simplici-

ter, quot sint partes Sacramenti Pœnitentiæ? Responde, esse quatuor; tres videl. materiales jam allatas, & unam formalem, scil. absolutionem. Dum verò petitur quot sint ejus partes essentiales? Dic esse tres nimirum, contritionem, confessionem & absolutionem. De quibus omnibus distincta dubia instituemus.

DVBIVM SECVNDVM.

De Contritione.

§. I.

Quid Contritio, & qualis in hoc Sacramento requiratur?

112. Dico primò, contritio in genere, prout scil. comprehendit contritionem perfectam & imperfectam seu attritionem, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Ita Trident. Ubi nota, in omni contritione salutari necessariò requiri votum confitendi; quod etiam clarè colligitur ex Sixto IV. damnante hanc propositionem Petri Oxoniensis, *Peccata mortalia delentur per cordis contritionem sine ordine ad claves.* Ratio est, quia vera contritio includit voluntatem servandi omnia præcepta graviter obligantia; adeoque & præceptum confessionis: non debet tamen hoc propositum sive votum esse formale prout *dub.*1. dictum est; quamvis putem probabilius cum D. Thoma contra Tamburinum & alios, propositum non peccandi de cætero, necessariò debere esse formale; aliàs enim frustra videretur à Tridentio addi *cum proposito, &c.* si nempe sufficeret hoc esse virtuale & implicitum: quia hoc reperitur & includitur in ipsa detestatione peccati: si tamen ignorantia invincibilis, oblivio naturalis, aut temporis brevitas intercederet, putarem probabiliter sufficere posse propositum virtuale, prout docent Navarrus, Suarez, & Sylvius: nam qui cum veritate dicit, peccatum mihi displicet, & omittit dicere, nolo ampliùs illud committere, præcisè quia hîc & nunc non potest exprimere dictam voluntatem, censetur id sufficienter velle implicitè. Vide circa hoc P. Franciscum hîc *disp.*2.*num.*60. Ubi insuper adverte ex Sylvestro apud Tamburinum *p.*1.*lib.*1.*cap.*1.§.3. posse contingere, ut quis absolutè proponat, se de cætero non peccaturum, & tamen timeat, imò certò persuadeat, se propter fragilitatem iterum lapsurum; quia velle

velle ac proponere, est actus voluntatis, existimare verò se lapsurum, est actus intellectus, qui simul stare possunt. Interea certum manet ad Sacramenti valorem non sufficere dolorem virtualem contentum in amore Dei super omnia, vel actu simili, excludente omnem affectum ad peccatum; sed requiri dolorem formalem; quia contritionem, prout est hujus Sacramenti pars, ita Doctores omnes accipunt; ab his autem in materia Sacramentorum non est facilè recedendum; idque sonat ly *dolor,* quem omnes ex Conciliis & Patribus ad hoc Sacramentum requirunt. Ita P. Franciscus *disp.5.num.3.*

113. Petes an in confessione venialium requiratur propositum non peccandi amplius venialiter? Respondeo cum omnibus affirmativè respectu eorum venialium, quæ quis confitetur; aliàs non remittentur ea, de quibus simile propositum non habetur. Difficultas est, quomodo verum tale propositum elicere possit, qui confitetur omnia venialia, cum sciat se ab omnibus abstinere non posse: ait Sfortia sufficere, si propositum fit in ordine ad totum aggregatum, ita ut quis statuat non committere impostetum æquali tempore tot & tanta venialia: quod indicat D. Thomas 3. *par.quæst.87.art.1.* ubi tantùm requirit propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda; & Concilium *sess.14.can.4.* requirit propositum melioris vitæ: in quo casu, inquit, tantumdem peccatorum remittitur, quantum emendationis pœnitens, vel explicitè, vel implicitè proponit. Suarez verò dicit, sufficere propositum faciendi quantum in homine fuerit ad vitanda omnia peccata venialia; vel propositum conditionatum, seu desiderium cavendi totam collectionem venialium si esset possibile; quia reverà tota displicet ex vi pœnitentiæ. Dixerat autem ante, hominem posse habere propositum efficax abstinendi ab iis peccatis venialibus, quæ plenâ libertate committuntur; quia possibile est cum gratia Dei ordinaria ea vitare; circa alia autem, quæ ex subreptione seu imperfecta deliberatione fiunt, sufficere, si proponat quis omnem diligentiam adhibere quantum humano modo potuerit.

114. Adde, dictum propositum, per se loquendo, etiam extendi debere ad peccandi occasiones proximas vitandum, cum sint etiam peccatum ob recidivæ proximum periculum. Dixi *per se loquendo*; quia per accidens, quando deseri non possunt absque gravi scandalo, notabili infamia, vel detrimento magno spirituali aut temporali, ad eas extendi non debere DD. communiter docent, modò aliunde appareat firmum de cætero non peccandi propositum, siquidem sub illo, recidiva non censetur voluntaria causaliter in occasionibus illis, licèt ex his recidivæ longum factum sit experimentum; quia nulla frequentia lapsus sufficit ad colligendum, quòd pœnitens careat firmo proposito; nam sæpè frequentiam illam emendatio sequitur; unde hinc præcisè absolutio negari non debet; fortè tamen tû consulto, sub hac limitatione negabitur, si ex negata emendæ fructus prudenter spere-

tur cum dubium esse possit, an tale propositum tunc sit firmum: sed cum hinc pœnitens in mortali subito mori possit, hoc periculum sæpe præponderandum est: unde Confessarius suo tempore interrogabit de occasionibus, & peccandi consuetudine, potius ad seriam monitionem, quàm ad negandam absolutionem. Hæc omnia P. Franc. *d.5. num.* 24. quæ ad longum volui ponere; quia ab ipso sunt dicta.

115. Dico secundò, contritio, pars Sacramenti pœnitentiæ, non debet necessariò esse perfecta, sed sufficit attritio salutaris sive supernaturalis. Ita idem P. Franc. *de Pœnit. disp.5. num.*4. dicens, hanc esse communem, & veram sententiam. Ubi nota, contritionem perfectam esse animi dolorem, &c. ortum ex amore Dei super omnia, sive ob Deum summè dilectum: imperfectam verò, sive attritionem, ex turpitudine peccati, horrore inferni, amore gloriæ æternæ, &c. Atque hæc ulterius alia est attritio naturalis, quæ solius naturæ viribus ob motivum naturale elicitur; quia v.g. peccatum est causa damni temporalis, infamiæ, &c. Alia est supernaturalis seu salutaris, quæ elicitur ex motivo supernaturali, videl. ob pœnas æternas à Deo peccatori infligendas, ob amissionem regni cœlestis, quo Deus peccatorem privat, vel ob turpitudinem peccati à Deo ipsi peccato inditam: & de hac contritione agens Tridentinum *sess.*14. *cap.*4. dicit, eam Dei donum esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis: ac de hac nos in resolutione agimus. Igitur

116. Probatur resolutio ex Tridentino *sess.* 14. *cap.*4. & *can.*5. ubi per attritionem, quæ vel turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, quamque vocat verum & utilem dolorem, dicit hominem disponi ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam: per quæ verba clarè insinuat, dictam attritionem sufficere, ut cum Sacramento pœnitentiæ gratia obtineatur; maximè, si verba immediatè præcedentia attendantur; dicit enim, *& quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Per quæ ultima verba intendit affirmare oppositũ ejus, quod per priora negavit; nempè illam attritionem cum Sacramento pœnitentiæ ad justificationem perducere; quod mihi videtur certum: & ulterius probo; quia aliàs dicta attritio ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam non disponeret; nam per contritionem perfectam, quæ ante absolutionem in aliorum sententia haberi debet, gratia antecedenter ad Sacramentum semper obtenta foret: adeoque hoc Sacramentum non posset vocari mortuorum, cum semper à vivis, sive in gratia existentibus suscipi deberet. Nec dicas, te non requirere contritionem nisi remissam sive imperfectam, quæ sine Sacramento non justificat: quia id est tantùm fingere perfectionem & imperfectionem contritionis: cùm nullus gradus vehementiæ

mentiæ & intensionis istiusmodi contritionis à Scriptura vel Conciliis ad prædictum effectum determinetur aut exigatur. Deinde deberet Christus à contritione perfecta abstulisse efficaciam, quam in antiqua lege habebat sic justificandi impium, quocumque casu, & in quacumque gradus remissione eliceretur : quod est merè fictitium, cùm ejus nulla vel apparens ratio dari possit. Vide & alia inconvenientia apud Franc. B. Spei *lo. cit. n.* 9. item quæ habet *n.* 46.

117. Certum igitur mihi est ex Tridentino, & ex à nobis ac P. Francisco allegatis , omnem contritionem includentem charitatem Dei super omnia sive sit intensa sive remissa, esse cõtritionem verè perfectam , & justificare extra Sacramentum : sic enim loquitur Tridentinum lo. cit. *Docet præterea,* scil. Concilium, *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare , priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur,&c.* Peto an charitas remissa sit vera charitas necne: si sic, ergo contritio eam includens perfecta est charitate, licèt perfectâ seu intensâ charitate perfecta non sit; adeòq; juxtà Tridentinum hominem Deo reconciliat priusquam &c. si verò charitas remissa non sit charitas, jam destruis tuam sententiam : ut clarum est. Interea contra nostram resolutionem secundam supra datam.

118. Objicies primò, 1. *Ioan.* 3. dicitur, *Qui non diligit, manet in morte*: Item 1. *Cor.* 13. opera misericordiæ, fidei, &c. nihil prodesse dicuntur sine charitate : deinde Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. agens de dispositione peccatoris ad justificationem dicit, quòd Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat : & Augustinus *serm. de Nativitate Domini*, expressè ait : *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Ergò contritio ab Ecclesia Dei agnita sufficiens, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, ad justificationem, necessariò includit saltèm imperfectum amorem Dei super omnia.

119. Respondeo his omnibus ab aliquibus satisfieri dicendo, ea intelligenda esse de amore seu charitate habituali, quæ semper infunditur cum gratia habituali : atque id puto certum quoad locum *Ioannis* & *Corinthæorum*: aliàs enim essemus in morte, & nihil nobis prodesset omni momento vitæ nostræ, quo actualiter non eliceremus actum amoris Dei super omnia: quod nullus dixerit. Idem responde ad Tridentinum & Augustinum : vel si velis, prædicta loca intelligenda esse de amore actuali ; dic in omni contritione includi amorem actualem concupiscentiæ Dei super omnia, in quantum omnis verè contritus & attritus debet habere actualem spem veniæ peccatorum & Dei summi boni possidendi : & Tridentinum (quod solum hîc urgeri potest; quia loca Scripturæ possunt commodè interpretari de justificatione extra Sacramentum Pœnitentiæ) loqui de amore concupiscentiæ, patet ex verbis immediatè præcedentibus ; dicit enim : *Dum peccatores se esse intelligentes,*

à divinæ justitiæ timore, quo utiliter con-cutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; quibus immediatè subdit, *illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Paulò aliter, dicit P. Franciscus *num.* 18. ly *diligere incipiunt*, dicere dilectionem moventem & præparantem ad contritionem perfectam, uti ex ly *ac propterea moveatur, &c.* patet, alioqui non diligere inciperent, sed perfectè diligerent: undè, inquit, ly *Justitiæ fontem diligere incipiunt*, intelligi debet dispositivè per dilectionem honesti, videl. actus fidei, spei, &c. juxtà quod Augustinus *lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. Quid est boni cupiditas, nisi charitas.* Vide P. Franc. *loc. cit.* ubi subtilissimè pergit: & hanc Tridentini mentem clarè percipies, maximè si volueris locum Tridentini, supra à nobis in probatione allatum, in vero sensu salvare. Nec ultrà difficultatem faciunt verba Augustini; quia cùm hæc quæstio controvertatur inter DD. ideo dicit, *Pœnitentiam certam non facit, &c.* id est omninò indubitatam, saltèm inspectâ authoritate quorundam DD. Vel meliùs dic cum Francisco *num.* 19. illum ibi, & alibi, ubi expresè docet, nihil prodesse sine charitate, non esse veram pœnitentiam, &c. loqui de eo, quod accidit extra Sacramentum; idem applicans aliis Patribus. Vide eundem Franciscum *disp. 5. n. 9. & 11.*

120. Objicies secundò, cum dicta attritione præcisè non consistit verum propositum non peccandi de cætero: ergo non est sufficiens. Probatur antecedens, quia qui dolet se peccasse præcisè, quia per peccatum meritus est infernum, æquivalenter dicit, *si per peccatum non mererer infernum, adhuc peccarem.*

121. Respondeo similem omninò abstrahere ab eo, quòd peccaret vel non peccaret si peccatum dictas pœnas non mereretur: quod fieri posse clarè constat ex Tridentino *loc. sæpius cit.* dicente: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis &c. si voluntatem peccandi excludat &c.* per quæ ultima verba supponit, quod nos dicimus. Vide Dianam *par. 11. tract. 8. resol. 42.* ubi sententiam nostræ oppositam vocat plùs quàm improbabilem, non obstante, quòd pro ea ibidem citentur septem celebres Authores: & addit, notandum esse obiter, quòd qui detestaretur peccata ob ægritudinem, infamiam, nimiam paupertatem, prout à Deo infligi solent propter peccata, veram attritionem conciperet; quia ille dolor est ex timore Dei tanquam ultoris peccatorum, & in hoc pro se citat Diana tredecim Authores.

* * *

§. II.

§. II.

Quantus debeat esse dolor in Sacramento Pœnitentiæ?

122. DIco primò, quoad extensionem debet pœnitens excitare dolorem de omnibus peccatis mortalibus, iisq; distinctè recogitatis quantum fieri potest; quod patet ex obligatione, quam habet ad examinandam conscientiam. Nec debet tantùm dolor extendi ad peccata, quæ in confessione hîc & nunc exponuntur; sed & ad alia, quæ fortè invincibiliter ignorantur: sive debet formaliter, vel saltèm virtualiter extendi ad omnia mortalia de facto commissa, & nondum per absolutionem sacramentalem remissa. Non est tamen necesse de singulis peccatis mortalibus singulariter conteri; sed sufficit quòd contritio simul & semel extendatur ad omnia: prout de contritione perfecta probat P. Franciscus *de Pœnit. disp. 2. num. 52.* Debet item contritio seu dolor extendi ad omnia venialia, quæ quis confitetur: an tamen sit mortale confiteri aliquod veniale sine dolore? affirmativè respondent aliqui apud Dianam *par. 11. tr. 5. resol. 22.* quia talis pro materia absolutionis apponit id, quod reverà non potest esse materia; prout facit, & mortaliter peccat secundùm omnes, qui inter Hostias consecrandas apponit unam non triticeam: verùm ratione communis authoritatis Dicastillus contrariam defendit sententiam, disparitatem assignans, quòd in consecratione Hostiarum tot fiant Sacramenta, quot sunt Hostiæ, & unaquæque illarum sit materia æquè gravis; in Sacramento verò Pœnitentiæ unicum sit tantùm Sacramentum.

123. Petes, an, qui cum dolore universali se accusat in confessione de venialibus, non determinando numerum, dicendo v. g. *sæpiùs fui mentitus, aliquando garrivi in templo, fui ordinariè distractus in oratione &c.* remaneat absolutus ab omnibus? Respondeo affirmativè si dolor & propositum emendationis se extendat ad omnia.

Insuper docet Dicastillus, ut peccata venialia sint materia Sacramenti directè & sufficienter proposita, non esse necessarium, quòd Confessarius, vel ex modo confitendi, aut ex persona confitente, aliisque circumstantiis cognoscat quot sint, saltèm in confuso, talia peccata; sed satis est, inquit, quòd illa exponantur in communi absque ulla determinatione, ita ut si nec pœnitens ex sua parte, nec Confessarius ex sua restringant intentionem ad aliqua determinata, omnia ad quæ legitimus dolor se extendit, remittantur. Ratio est, quia nisi necessitas, saltèm ex præcepto, in Sacramento postulet determinatam cognitionem

(quæ

(quæ non requiritur in venialibus) sacramentalis virtus ad omnia peccata potest se extendere. Ita Dicastillus: probans id à pari ex eo, quòd etsi quis nesciat quot sint Hostiæ consecrandæ sibi propositæ, consecret omnes: de hoc tamen aliis relinquo judicium.

124. Dico secundò, non debet contritio esse dolor summus intensivè, aut comparativè, ita ut conterens magis intensè doleat de peccatis, quàm de omni alio malo: quia id nullibi à Scriptura vel Conciliis exigitur: sed sufficit quòd sit dolor summus appretiativè, id est talis, ut per eum homo plus detestetur peccatum, quàm quodcumque aliud malum, ita ut malit quodcumq; aliud malum pati quàm Deum offendere. Ubi tamen adverte, non esse hîc necessariò ad particularia descendendum dicendo, mallem hoc vel illud perpeti, quàm peccare mortaliter: imò nec id semper expedit; quia in multis id periculosum esset, ut plures notarunt, & nominatim Franc. B. Spei *de Pœnit. disp. 2. n. 38.* qui *num. 47. & seq.* ostendit, ad contritionem perfectam sufficere doloris & amoris durationem minimam.

125. An auten quis non potens elicere attritionem salutarem, satisfaciat dolendo quòd non doleat de peccatis? Aliqui affirmant; sed alii meritò communiter negant: quia attritio debet esse dolor de peccatis, qualis ille non est, cum tantùm sit dolor de negatione doloris. Hinc P. Franciscus reprobat nonnullorum Confessariorũ consilium, *doleas saltem te non dolere.* Adde tamen pro praxi in timoratis conscientiis nullum actualem affectum ad peccatum habentibus; optare se dolere, vel dolere quòd non doleant, esse signum veri doloris, quamvis pœnitens eum non dignoscat. Vide dictum Franciscum *disp. 5. n. 2.* ubi dicit, quod dolor existimatus tantùm, desiderium vel conatus verum dolorem habendi, & similia, ob bonam fidem excusent quidem à sacrilegio, quod alioqui committeretur: sed partem essentialem deficientem non supplent: adeòque defectus ille stat pro obice, licèt inculpabili, ad valorem & effectum Sacramenti.

126. Petes quandonam debeat contritio elici? Volunt Coninck & Layman, eam debere necessariò tempore præcedere confessionem: verùm contrarium habet praxis prudentum Confessariorum, qui sæpè pœnitentem monent post confessa peccata ad eliciendum verum de illis dolorem absque eo, quòd jubeant de novo eadem peccata confiteri. Nec est ratio contrarium faciendi, cùm per dolorem ita subsequentem sufficienter confessio reddatur lachrimabilis; dictus enim dolor dicit *doleo de peccatis jam in confessione narratis*: quod æquivalet virtuali reconfessioni. Adde dum quis est oblitus alicujus peccati mortalis, cujus recordatur immediatè post absolutionem non debere eum elicere novum dolorem si tunc confiteatur illud; quia prior dolor formaliter vel saltèm virtualiter extenditur ad omnia mortalia, quæ priùs habebat. Ita docet Dicastillus *de Sacram. to. 2. tract. 8. disp. 6. dub. 12.* citans Ledesmam, Dianam & Lugo: quia tamen solet communiter contritio elici formaliter ante confes-

sio-

sionem, quoad quantitatem temporis quo potest confessionem & absolutionem præcedere, quæ res non est adeò facilis; ponam hîc quæ habet Tamburinus *par.1.lib.1.cap.* 4.§. 4.ubi sic loquitur.

127. Quanto tempore contritio præcedere potest confessionem? Dico, quantum moraliter potest censeri unũ actum imperari ab alio & facere unum moraliter cum illo. Hæc est doctrina Theologorum communis: sed quoad praxim difficultas est, quantum sit illud tempus, quo id censeatur moraliter in re nostra? Respondeo qui manè dolet & actu non revocato post tres vel quatuor horas cõfitetur sinè novo doloris actu, non est dubium, quòd benè satisfaciat. Rursus si quis vesperi examinans conscientiã elicit actum doloris, proponens sequenti die confiteri, abundè est. Idem puto si non solùm præcedente vesperi, sed etiam præcedente die id fecerit; actu semper, ut dixi, non revocato. Longiorem temporis extensionem nondum inveni apud Theologos. Si quis inveniat vel longiorem satis esse autumet; hîc oro subscribat. Illud ad solamen timoratorum tacere non debeo. Si in hoc Sacramento unum quid moraliter faciunt confessio nunc v. g. exhibita, cum satisfactione, quæ fortè hinc ad plures dies, & aliquando menses exhibebitur; imò si esset certus Confessor, quòd pœnitens, quem abhinc quatuor diebus v.g. audivit, bene esset dispositus, illum nunc liceret absolvere, & sic illa confessio cum præsenti absolutione unum moraliter facere posset, & meritò; quia similis propinquitas satis supérq; est ad judicia profana constituenda, ad quorum normam hoc Ecclesiæ judicium à Christo Domino est institutum: si hæc, inquam, ita se habent, cur etiam non poterit dolor abhinc quatuor vel quinque diebus animo conceptus, nec revocatus, unum quid moraliter cum præsenti confessione constituere? Actus autem doloris revocatur, vel per actum contrarium, id est per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale. Ita verbotenùs ille *loc.cit.* Vide etiam Dian.*par.11.tr.5.resol.21.&25.* ubi inquirit, an dum quis dolet circa omnia venialia ex motivo universali offensæ divinæ, per unicum veniale subsequens totus dolor & propositum tollatur circa alia? Videtur quòd sic, nam censetur revocatum propositum non peccandi mortaliter propter pœnas inferni v. g. eo ipso, quòd vel unicum mortale admittatur. Respondent Lugo & Dicastillus, speculativè loquendo videri, esse paritatem in utroque casu venialis aut mortalis admissi: quare monent, ut confitens doleat seorsim de peccatis venialibus, quæ confitetur, vel de aliquibus eorũ propter specialem eorum gravitatem & specialem offensam divinã, quam continent: quidquid practicè non velint in dubium revocari valorem Sacramenti, etsi cautela illa non adhibeatur propter communem praxim Confessariorum & pœnitentium, ex qua colligitur non ita revocari tunc dolorem & propositum, quin maneat dispositio sufficiens ad valorem & effectum Sacramenti.

§. III.

De Præcepto Contritionis.

128. Dico primò, exſtat præceptum divinum contritionis. Patet ex Scriptura *Iſaiæ* 1. *Hieremiæ* 18. *Ezechielis* 18. *Actorum* 2. *&c.* ubi dicitur, neceſſariò eſſe agendam Pœnitentiam: item ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *&* 4. Undè de hoc præcepto nullus dubitat. Exſtat etiam de ea præceptum naturale, nam cùm Deus ſit ſupremus Dominus ac ſummum noſtrum bonum, tenemur ejus honorem, per peccata noſtra læſum, reſarcire, ac cum tanto bono colere amicitiam ac charitatem.

129. Dico ſecundò, non tenetur peccator ad contritionem ſtatim ac peccavit, aut quamprimùm conteri poteſt. Probo; quia pœnitentes non ſolent ſe de Pœnitentiæ dilatione accuſare, niſi tempus annuæ confeſſionis, ſub qua obligat Pœnitentia, per accidens exceſſerint; nec Confeſſarii deſuper pœnitentes interrogant; totúmque diſſimulat Eccleſia. Ergò &c. Ita Franciſcus B. Spei *de pœnit. diſput.* 2. *num.* 74. & aliàs Sacramentum Pœnitentiæ dici deberet per ſe Sacramentum vivorum; eò quòd regulariter præſupponeret elicitam contritionem juſtificantem, ex obligatione ejuſmodi præcepti.

130. Sed quid dicendum de ſententia P. Franciſci, quâ docet; præceptum contritionis obligare quamprimùm peccator datam Sacramenti commodam occaſionem negligit? Reſpondeo illam ſpeculativè verè eſſe probabilem, ob prægnantes rationes, quas adfert: neminem tamen abſolutè poſſe cogi, ut eam in praxi ſequatur. Et quare aliqua ſententia conſcientiam reſtringens non poſſet dici verè ſpeculativè probabilis, quæ tamen in praxi non ſit neceſſariò ſequenda; cùm hodiè toties audiamus, aliquam ſententiam laxantem eſſe ſpeculativè omninò probabilem, quam tamen in praxi nemo poteſt ſequi? Quòd igitur dicam, neminem poſſe cogi ad ſequendum prædictam ſententiam, eſt; quia communis praxis Confeſſariorum, & Authores communiter docent oppoſitum, quod in moralibus, ipſo Franciſco alibi atteſtante, motivum fortiſſimum eſt: quidquid aliqui apud ipſum citati, adhuc magis conſcientias hac in parte reſtringant. Ad argumentum verò practicum, quo dicit; *votum tempore executionis non determinato, ex communi Theologorum obligat cùm primùm vovens illud implere poteſt; ergò & jus Deo acquiſitum ob peccatum, obligat ad pœnitentiam &c.* non videtur, meo quidem judicio, tam efficaciter concludere, ut omnes ſtatim in praxi ſenten-

ten-

tentiam allatam teneantur sequi: existimarem enim, salvo meliori, obligationem illam in voto dicto, non ita provenire à Dei benevolentissimi creditoris exactione, quàm ab ipsa intentione voventis; quia nimirùm Theologi communiter judicant, mentem prædicti voventis, tempore executionis non determinato, esse, se obligare cùm primùm commodè suum votū exequi poterit. Cur enim minùs in hoc, quàm in omnibus cæteris, mēti seu intentioni explicitæ, vel implicitæ ipsius voventis standum esset? Manet interim dicta sententia speculativè valdè probabilis: cujus rationes vide apud Authorem *disput.* 2. *num.* 75.

131. Dico tertiò, præceptum contritionis perfectæ, obligat in articulo mortis, etiam cum Pœnitentiæ Sacramento, dum pœnitenti occurrerit incertitudo, & fallibilitas intentionis & jurisdictionis Confessarii. Probo; quia cùm non constet, an Sacerdos absolvens habeat verè intentionem absolvendi; uti nec, an ipse & omnes alii per lineam rectam prædecessores Episcopi sint legitimè baptizati, consecrati, &c. quod ad validam absolutionem requiritur; periculum, quod citra contritionem perfectam (physicum sit aut morale, perinde est) talis incurreret, omninò sufficiens est, ad fundandum à jure naturæ gravem charitatis obligationem ergà seipsum, vitandi scil. summum damnum alioqui irreparabile, per tam suave remedium; ne aliàs censeatur moraliter prædictum periculum amare, salutem suam spernere, &c. undè judico, quòd Confessarius pœnitentem in articulo mortis ad contritionem perfectam excitare teneatur.

132. Dices, Tridentinum docet ad remissionem peccatorum, & salutem, sufficere attritionem cum Pœnitentiæ Sacramento: ergò nos nihil aliud possumus requirere. Respondeo, nos tantùm illud aliud requirere, ubi concomitanter aliud præceptum graviter obligat, præter præceptum confessionis; quod non tangit Tridentinum. Quia tamen hoc antecedens adeò verum est, ut id *ferè fidei esse*, præcisè attentâ Sacramenti essentiâ, asserat Franciscus (pro quo vide dicta §. 1. *resol.* 2.) non existimo, in articulo mortis requiri contritionem perfectam cum Sacramento Pœnitentiæ ex necessitate Sacramenti. Quare si Confessarius, etiam in articulo mortis, non impetret à pœnitente contritionem perfectam, debet attritum ignorantem obligationem contritionis perfectæ eliciendæ absolvere. Vide pro his omnibus Francisc. B. Spei *lo. cit. n.* 83. *& seq.* Sed,

133. Quid de eo, qui contrariam sententiam edoctus, ob authoritatem suorum Professorum v. g. non posset sibi tantam certitudinem hujus nostræ doctrinæ persuadere? Aliqui fortè (juxtà ea quæ habentur *suprà num.* 117.) responderent; ipsum teneri in tali casu ad contritionem perfectam ex necessitate Sacramenti, *ob temeritatem*, aut *conscientiam ut minùs*

erroneam; sed ego contentor dicere, similem non nisi ex ignorantia ad hoc obligari; vel quia non legit rationes in contrarium à dicto Francisco & aliis præstantissimis Authoribus allegatas, vel certè earum efficaciam non penetravit, præventus à nimio affectu ad doctrinam suorum Professorum, aut aliundè.

134. Dico quartò, præceptum contritionis, in absentia Sacramenti Pœnitentiæ, omninò videtur graviter obligare, ad illam non notabiliter differendam post peccatum mortale commissum. Ita plures probati Authores; volentes loca Scripturæ, ut Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, &c.* & Patres increpantes peccatores impœnitentes, debere intelligi de simili notabili dilatione. Sed nunquid quoad praxim dici posset huic præcepto satisfacere, qui singulis annis confitetur, & dum non potest, isto anno elicit contritionem perfectam? Lego apud Franciscum *lo. sæpè cit. num. 74. Pœnitentes non solent se de pœnitentiæ dilatione accusare, nisi tempus annuæ confessionis, sub qua obligat pœnitentia, per accidens excesserint: nec Confessarii desuper pœnitentes interrogant, totúmque dissimulat Ecclesia.* Nunquid posset similiter dici, eum, sicut tenetur intra annum confiteri, sic & teneri perfectè conteri intra annũ, si confiteri nõ valeat? Nunquid posset Summus Pontifex, dum determinat annum, intra quẽ teneamur confiteri, dici unà, ut interpretator legis divinæ aut naturalis, determinare simile tempus, ut in absentia confessionis teneamur perfectè conteri? nunquid enim meliùs huic illius determinationi videtur quoad praxim acquiescendum, quàm determinationi aliorum hac in parte tam enormiter discrepantium? Intereà

135. Dico quintò, sunt & alii casus, in quibus dicitur per accidens obligare præceptum contritionis. Primò, quando exurgit advertenter talis tentatio trahens ad aliud peccatum, ut superari nequeat, nisi contritio eliciatur. Secundò, quoties quis erroneè existimat, se hîc & nunc teneri elicere actum contritionis. Tertiò, in valde gravi necessitate communi Reipub. quæ præsumitur à Deo immitti ob peccata membrorum ejusdem. Quartò dum quis in peccato mortali existens debet ex officio Sacramentum aliquod ministrare, vel unum è quinque vivorum in se suscipere.

* * *

D II-

DUBIUM TERTIUM.

De Confessione.

§. I.

Quid Confessio, & quando sit integra.

137. Dico primò, confessio est accusatio suorum peccatorum coram Ministro idoneo, ad obtinendam eorum remissionem virtute clavium. Præcipuæ ejus conditiones sunt, ut sit integra, secreta, & lachrymabilis: hanc ultimam habet à contritione, de qua ante: secundam habet à sigillo, de quo postea; nec enim omninò necessarium est, ut confessio fiat secretè; quia passim contrarium in bello à timoratis practicatur, ubi multi simul confitentur eidem Ministro; quod & fieri solet in naufragio. Quoad primam verò conditionem;

138. Dico secundò, ut confessio sit integra, necessariò sunt confitenda omnia peccata mortalia antea non confessa, quoad numerum & speciem. Ita omnes ex Tridentino: attamen summa est inter DD. controversia, utrum etiam debeant explicari circumstantiæ notabiliter aggravantes in eadem specie. Pro qua

139. Nota circumstantiam in genere esse accidens actus moralis, quod est quidem extra substantiam actus, sed tamen aliquid confert ad ejus bonitatem vel malitiam moralem; pro quo vide dicta *tract.1.disp.3.dub.1.* Ut verò circumstantia sit mutans speciem, debet includere notabilem differentiam difformitatis ad legem Dei condistinctæ à difformitate, quam habet substantia actus: pro quo etiam consule dicta ibidem *disp.4. dub.4.* hoc notato

140. Dico tertiò, ut confessio censeatur integra, puto, non esse necessarium, explicare nisi circumstantias speciem mutantes. Ita D. Thomas, Bonaventura & alii plurimi probatissimi Doctores se fundantes in Tridentino *sess.14. cap.5.* & *can.7.* ubi Concilium expresse dicit, jure divino necessariam esse confessionem omnium peccatorum & circumstantiarum mutantium speciem peccati. Per quod mihi sufficienter videtur indicare, non necessariò confitendas esse alias circumstantias peccati speciem non mutantes: non enim invenio rationem, quare de his tacuisset, cùm ibi agat expresse de materia necessaria confessionis; & cùm facillimum ei fuisset hoc addere, ac clara notitia hujus obligationis sit res summi momenti: imò cum dixisset, circumstantias, quæ speciem peccati mutant, explicandas esse, expresse addit, nil aliud ab Eccle-

ſia à pœnitentibus exigi : ex quo puto à nemine poſſe negari, quin ut minùs dubium ſit, an circumſtantiæ, de quibus agimus, ſint revera confitendæ necne; in dubio verò odia ſunt reſtringenda. Deinde Chriſtus ſolùm præcepit confeſſionem omnium peccatorum mortalium, quod ſit dum explicatur numerus, ſpecies, & circumſtantiæ ſpeciem mutantes. Nec dicas Confeſſarium, utpote Judicem, debere habere plenam notitiam ſtatus pœnitentis; vel maximè, ut ſervet proportionem inter culpam & pœnam: quia illa notitia ſufficienter obtinetur per ſcientiam numeri & ſpecierum peccatorum mortalium, ut ex Tridentino colligitur. Neque eſt neceſſariò hîc ſervanda omninò rigoroſa proportio inter culpam & pœnitentiam, prout infra videbimus.

141. Dices, Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. contrarium inſinuat per hæc verba: *Oportet à pœnitentibus omnia peccata mortalia, &c. in confeſſione recenſeri, etiam occultiſſima, &c. quæ nonnunquam graviùs ſauciant*: ubi videtur Tridentinum inſinuare, omnia peccata, quæ graviùs ſauciant, eſſe confitenda: ſed circumſtantiæ notabiliter aggravantes graviùs ſauciant; ergo ſunt explicandæ.

142. Ob hoc argumentum & alia, quæ adfert Franciſcus Bonæ Spei ſuæ Noctuæ *dub.16.per totum*; judico probabilem eſſe ſententiam noſtræ oppoſitam; quam miror à Catamuele vocari erroneam. Attamen illa Tridentini verba, *quæ nonnunquam graviùs ſauciant,* videntur, meo quidem judicio, commodè referri poſſe ad *occultiſſima*, nec debere neceſſariò referri ad *oportet in confeſſione recenſeri*; quo poſito, locus Tridentini nihil convincit contra noſtram ſententiam. Interea Marchant. *in reſol. Paſtor.* abſolutè vult, magnum exceſſum in furto, & gradus conſanguinitatis in inceſtu, debere neceſſariò in confeſſione explicari: quod ego etiam cuilibet in praxi ſuadeo, non tamen obligo abſolutè; licèt enim illa multum immutent judicium Confeſſarii, non vult ea Deus neceſſariò eſſe aperienda, ut patet ex ante allatis. Neque hoc debet abſurdum apparere noſtris adverſariis; quia in iis Chriſtus habuit pleniſſimam libertatem diſponendi: ſicut igitur ſine abſurdo voluit neceſſariò debere explicari actum externum junctum interno, licèt ille nihil malitiæ ſuperaddat, & conſequenter judicium Confeſſarii non immutet, ſaltem notabiliter; ita ſine abſurdo voluit circumſtantias ſolũ aggravantes non debere aperiri, quamvis in multis judiciũ Confeſſarii notabiliter immutent.

143. Sed quid de doctrina ſubtiliſſima P. Franc. Bonæ Spei *in tract.2. de actib. human. diſput.4.num.67.* ubi ſic ait: *Puto nomen ſpecies in pleriſque inſignis notæ Theologis magnam cauſaſſe hallucinationem, circa peccatorum mortalium circumſtantias, in confeſſione ſacramentali explicandas, aut non explicandas; eò quòd, juxta entitatem phyſicam individuorum, de quibus prædicatur, communiter eam ſpectent, & non ſecundùm moralem, ac per converſionem eorum ad Deum offenſum & confeſſionem ſacramentalem, quomodo hic conſiderari debet.* Atque conformiter ad hæc reſolvit *num.77. Non datur circum-*

cumstantia notabiliter aggravans, quæ mortalis peccati speciem, sumptam ex parte aversionis à Deo, aut conversionis ad objectum, prout subest prudentum æstimationi morali, non mutet. Quia, ut loquitur *num.*78. illud peccatum, ut minùs, *tam distinguit, juxta prudentum æstimationem moralem, ab eo, in quo reperitur, quàm furtum unius floreni (dato quòd hîc sit sufficiens ad peccatum mortale) à furto unius assis distinguatur*: & quare unus florenus, ablatus ultra unum assem, plùs furtum unius assis ad aliam speciem furti transferret, quam secundus florenus ablatus ultra unum florenum, furtum unius floreni ad aliam speciem transferret, juxta prudentum æstimationem moralem, ex parte aversionis, &c. quod autem furtum unius assis & unius floreni supra assem ad aliam speciem pertineant, ostendit ex D. Thoma 1.2. *quæst.*72. *art.*5. *ad* 1. ubi ait, *dicendum, quod peccatum mortale & veniale differunt in infinitum ex parte aversionis.* Hæc firmat dictus Franciscus per multa argumenta, ut videre est *lo. suprà cit.* illa autem hîc adferre esset contra intentum. Interim.

144. Ego isti doctrinæ lubens subscribo; quia est omninò rationi conformis, secùs communis opposita: videtur enim quod Christus irrationabiliter processisset, si materiam confessionis ita instituisset, ut minùs gravia tantùm, & non gravissima, v.g. furtum mille aureorum, præcepisset confiteri: quod enim hujus furti gravitas sit supermortalis, furti verò unius floreni sit mortalis præcisè, nil immutat in ipsa malitia, quare ergo illa non esset apertâ & verecundâ confessione exprimenda tam benè quam hæc? aut tam benè quàm duæ malitiæ duorum furtorum unius assis; cum illa æquivaleat incomparabiliter pluribus similibus malitiis? Scio quidem communiter responderi, & ego etiam superiùs viâ communi incedendo sic respondi; nimirum illud non deberi fieri; quia Christus sic fieri non voluit, ut constat ex Tridentino. Sed quare non dicimus Tridentinum locutum esse ad sensum doctrinæ P. Francisci jam allatæ, ut clarè appareat rationi manifestæ non contravenire? Item ut infinitas evadamus difficultates, quæ aliàs incurruntur? In sententia enim opposita quot figmenta non excogitaverunt Authores, ut ostenderent, quomodo quis teneretur malitiam sui peccati aperire, qui unico ictu occidisset decem homines; unâ captione abstulisset diversorum bursas, &c. Imò eò usque res devenit, ut quidam videantur dubitare, an qui se manu polluit, sodomiam aut bestialitatem commisit, &c. non satisfaciat confitendo, *in materia luxuriæ contra naturam graviter deliqui.* Item volunt plures ex eadem doctrinæ consequentia, eum, qui habuit rem cum cognata, cum avia, cum sorore, imò cum matre, sufficienter suum peccatum confiteri, dicendo, *gravem luxuriam cum consanguinea commisi*: quæ & similia certè nimiùm laxant mores ac disciplinam moralem; nimis notabiliter mutant judicium Confessarii; ac apertam & verecundam confessionem, à Tridentino *sess.*14. *cap.*5. ita commendatam, nimiùm dissimulant: quæ omnia clarè & faciliter in alia P Fran-

Francisci doctrina declinantur: vide illum, & vix quidquam contra illam excogitare poteris, quin ibidem ad longum solutum reperias. Quia tamen ante examen, & aliorum Doctorum approbationem, nemo tam cito cogi potest, ut doctrinam unius, licèt alioqui maximè in ratione fundati, Authoris in praxim deducat: volui quæstionem hanc, de circumstantiis aggravantibus, independenter ab hac Francisci doctrina, prius agitare.

Petes, an circumstantiæ mutantes speciem, possint seorsim à substantia actus explicari in confessione, ut v. g. si Sacerdos fuerit fornicatus, an dicere possit, fui fornicatus & peccavi contra votum meum in materia gravi?

145. Respondeo negativè; quia talis non explicat peccatum quod commisit, sed ex modo loquendi significat, se duo peccata distinctim commisisse, quod falsum est, cum tantùm unicum numero peccatum cum duplici specie malitia commiserit. Addo tamen, quòd si quis in simili casu ex oblivione inculpabili omisisset ambas speciei malitias exprimere, satisfaceret solam speciem omissam postea aperiendo si seorsim explicari queat, prout contingit in casu posito. Dico *si seorsim, &c.* quia si quis commisisset adulterium & solùm confessus esset, se fuisse fornicatum, adhuc deberet postea confiteri se commisisse adulterium, eò quòd injuriam factam conjugi & Sacramento Matrimonii non possit aliter seorsim à fornicatione explicare: nec enim satisfaceret dicendo, commisi gravem injuriam; quia injuria in bonis temporalibus, in membris corporis, in fama, & in materia matrimonii specie distinguitur: neque hæc videtur aliter posse explicari nisi dicendo commissum esse adulterium. Hæc bene firmata habes in Noctua Francisci *dub.* 12. *resol.* 1. & *disp.* 4. *suprà num.* 169.

§. II.

An peccata dubia sint confitenda?

146. Dico primò, cum Franc. B. Spei & aliis DD. communiter, peccata mortalia dubia, ut dubia in confessione aperienda sunt. Probatur, quia ante institutionem confessionis erat necessariò pro peccatis dubiis recurrendum ad tribunal Dei per contritionem: ergo & post pro iisdem recurrendum est ad tribunal Sacramenti Pœnitentiæ; cum hoc tribunal institutum sit à Christo, ut absolvatur & liberetur pœnitens omni eo casu, quo ante legem gratiæ de peccato perfectè conteri debebat, ut loquitur P. Franciscus *de act. hum. disp.* 6. *num.* 181. Neque hinc accedit onus ipsi Pœnitenti magis, quàm tunc; sed sicut tunc erat favorabilius, pro illa necessitate præsumere, ita & nunc pro confessione. Non enim confessionis tribunal est institu-

tum

tum in Rei odium sicut forense (propter quod in hoc onus esset sua delicta confiteri, & in hoc proinde rectè observantur regulæ Juris, *Odia restringenda; in dubio delictum non præsumitur;*) sed in favorem, prout magni favoris est absolvi & liberari; quare locum hîc obtinet regula contraria, *favores ampliandi.*

147. Deinde optimus mentis Christi quoad hanc difficultatem interpres, sicut & Tridentini, quod ab utriusque partis authoribus in favorem adducitur, est hoc axioma, *dubia mortalia, ut dubia sunt confitenda, usu immemoriali Ecclesiæ, & verò similius Apostolorum, qui materiam confessionis certò noverant, inductione receptum. Accedit, quòd dici possit, peccatum mortale dividi in certum & dubium, prout actus intellectus in certum & dubium: & consequenter mortale dubium esse annumerandum mortalibus; de quo quispiam habet conscientiam certam, ad eum sensum, quo docuimus disp. penult. Logicæ, quòd de re dubia dari possit scientia.* Ita P. Franciscus *loc. citato num.* 284. ex quibus erui potest responsio ad omnia argumenta Caramuelis contra nostram sententiam adducta; quamvis tamen idem Franciscus illa sigillatim proposita ad longum solvat. Quæ omnia cùm Diana ad litteram adduxisset *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 2. subdit; *His non obstantibus, puto omninò non esse recedendum à sententia affirmativa usque adhuc practicata in Ecclesia Dei, & quam communiter docuerunt Theologi omnes cum eorum Magistro D. Thoma in 4. sent. distinct. 21. quæst. 2. art. 3. ad 3.* Ac paucis interjectis, iterum repetit, *Non est igitur, recedendum à praxi omnium fidelium, & totius Ecclesiæ, cujus initium credendum est ab Apostolis emanasse.* Et Urbanus ab Ascensione *tract.* 1. *cap.* 10. *fol.* 19. hanc regulam generalem statuens tanquam possessionis privilegium, *melior est conditio possidentis*, ab ea excipit (quamquam eò recurrendum non sit, ut constabit ex solutione argumenti adferendi) peccata dubia, quæ ut dubia confiteri tenemur, licèt dubitemus, an ea commiserimus; nam, inquit, in hoc tutior pars est eligenda propter animæ periculum: quia non remittitur peccatum mortale, etiam dubium, nisi per confessionem debitam etiam in lege Evangelica: quasi vellet dicere, potiùs oppositum istius regulæ esse privilegium seu favorem pœnitentis; eò quòd aliàs, in casu non confessionis peccati mortalis dubii, maneret in manifesto periculo damnationis æternæ, imò & novi peccati sacrilegii. Hujus exemplum clarum adfert P. Franciscus *n.* 307. si fur, dicendo, præcisè *peccavi* de furto dubio, certò à suspendio liberaretur, & non dicendo, se suspendii periculo exponeret, indubiè putaret, id dicere, sibi esse valde favorabile; ergo idem est dicendum in casu resolutionis; quia licèt ex illa confessione sit aliquid confusionis & oneris, hoc tamen respectu favoris, quo certò à gehenna & mortis æternæ damnatione liberatur, pro nihilo reputatur. Sed

148. Quid ad illud argumentum Caramuelis; *qui habet leves rationes, aut etiam nullas ad credendum se peccasse mortaliter, non tenetur confiteri; atqui de pecca-*

tom mortali dubius est talis: ergo &c. Respondeo cum eodem Francisco distinguendo majorem, si aliundè habeat gravem rationem ad credendum, se non peccasse mortaliter, concedo majorem: si simul nullas aut solùm leves habeat rationes ad credendum se non peccasse mortaliter, prout verus dubius ut summùm dicendus est habere, nego majorem: quia hoc casu non est ratio, cur potiùs ipsius innocentia sit in possessione, quàm legis obligatio & ipsius nocentia; pro hac autem (cùm id sit favorabilius, ut vidimus) potiùs, quàm pro innocentia hic & nunc præsumendum est; ac proinde possessio potiùs dicenda est stare pro obligatione, *quia magis favendum reo quàm actori.*

149. Quid ad aliud argumentum Caramuelis; *scrupulosis suadetur, ne confiteantur peccata dubia; ergo hæc non sunt materia certa confessionis.* Respondeo scrupulosos hac in parte ab omnibus communiter excusari, eò quòd rarò dubitent prudenter; & licèt prudenter dubitarent, quod aliis favor est, ac quod unico confessionis actu illis confert absolutionem & libertatem, scrupulosis continua esset torsio, ob continuam apprehensionem dubiorum peccatorum & ea confitendi obligationis: unde aliter de his, aliter de illis judicant Doctores. Ita idem Franciscus *num.* 296. Deindè scrupulosorum dubia frequenter sunt antecedentia ipsum actum, de quo dubitatur, sitne mortale peccatum, adeoque & antecedunt ipsam legem; qualia dubia, etiam in non scrupulosis, non sunt necessariò confitenda; cùm enim lex, dictans sub dubio, actum committendum forè peccatum mortale necessariò confitendum, nec-dum sit in possessione; & favorabile omninò sit illum non esse talem, ut per se patet; possessio stat pro innocentia: quia tunc maximè locum habet, *in dubiis quod minimum est sequimur; magis favendum reo quàm actori.* scil. in favorabilibus; ac consequenter ad hæc, conscientia invincibiliter resolvit, se non peccaturam; sub qua invincibili resolutione, impossibile est fore peccatum, ut loquitur Franciscus *n.* 280. neque de his dubiis intelligitur nostra resolutio. Ex his igitur, & aliis, quæ locis citatis, & in sua Noctua *n.* 89. & 91. à P. Francisco adducuntur, patet quàm temerariè dixerit Caramuel, quòd hæc sententia sinè errore clarissimo teneri non possit, ac sua ferè de fide sit: quin potiùs Hurtadus apud Dianam *part.* 11. *tract.* 1. *res.* 25. dicere possit, sententiam Caramuelis, neque speculativè esse probabilem, & practicè esse temerariam: quidquid tamen eam defendat Marchant. *in Tribun. Sacram. tr.* 4. *tit.* 6. *q.* 5. & Burghaber *Centur.* 1. *casu* 39. non audeat illam improbabilem vocare. Videatur circa hanc materiam P. Mendo *in sua statera differt.* 10. *quæst.* 1. ubi bene & latè illam pertractat.

Petes an in confessione, peccato dubio semper addi debeat aliud certum?

150. Resp. affirmativè cum P. Franc. & aliis ferè omnibus; ob quorum authoritatem dicit, id se malle, in ordine ad absolutionem absolutam necessarium asserere, cùm sit res valdè notabilis, quàm sua speculatione Pœnitentiæ

tiæ Sacramentum periculo exponere: quia non obstante illo onere, adhuc Pœnitenti est favorabiliùs obligari ad peccatum dubium sic confitendum, quàm non obligari, ut suprà demonstratum est. Addatur ergo peccatum certum, ut clarè possit certa Pœnitentia imponi, & absolutio sinè conditione proferri. Aliàs sistendo in ratione præcisè, diceret Franciscus, id non esse necessarium absolutè, quia peccatum secundùm se dubium aliundè (nempe quia pro eo stat possessio; nam *favores ampliandi, magis favendum reo &c.*) videtur satis certum, cùm pro eo præsumendum sit, ut ab eo absolutè absolvi possit: confitens enim peccatum dubium æquivalenter dicit, *circa dubium an peccaverim* (quidquid sit in foro Dei) *Prudenter præsumo, me peccasse, ac ideo confiteor me peccasse.* Neque absolutio absoluta requirit materiam certam & absolutam physicè; cùm nullus physicè certus sit, an habeat contritionem supernaturalem: sed moraliter tantùm, sive ex prudenti præsumptione, quæ certitudo hìc habetur. Ita Franciscus, speculativè tantùm, ut monuimus.

151. Dico secundò, dum quis confessus est peccatum dubium ut dubium, quod deinde comprehendit fuisse certum, tenetur id ut certum iterum confiteri secundùm communem DD. sententiam & fidelium praxim. Sed quia Caramuel dicit. *An praxis ex scrupulo, an ex ratione orta; non disputo: videtur enim homo Pœnitens non velle disputare nec librare rationes, sed sequi securissimam partem.* Probo ego resolutionem hanc eo modo, quo primam suprà probavi. Ante institutionem confessionis, si quis de aliquo peccato dubio ut dubio contritus, postea comprehendebat fuisse certum, de novo tenebatur de illo ut certo conteri: ergo &c. ut ibi. Et nonne hæc verba Tridentini *sess. 14. cap. 5. postquam quisque se diligentiùs excusserit, conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploravit, ea peccata confiteatur* (juxta conscientiæ sinum videl. in quo deprehenduntur) *quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit*: Hoc modo accommodè intelligerentur, ut teneatur peccata mortalia, quorum, juxta conscientiæ sinum peccatorum dubiorum, meminerit, inter peccata dubia confiteri, & quorum, juxta conscientiæ sinum peccatorum certorum (eadem sint sive diversa, ea confessus sit ut dubia nec-ne, nihil refert) meminerit, inter peccata certa? Dico *sic accommodè intelligerentur*; quia videtur clarè per illa verba indicari, quòd quilibet teneatur sua peccata confiteri omni eo modo, quo eorum ut mortaliter commissorum meminerit.

152. Scio D. Caramuelem *suæ Theol. mor. lib. 3. disp. 4. num. 1539.* absolutè docere sententiam oppositam, quam ut probabilem admittunt Lugo & Tamburinus. Ratio est, quia cùm exposuerit dictum peccatum dubium prout erat in conscientia, fecit quod à Tridentino exigitur: estque ab eo directè absolutus sub conditione à mortali, si revera in se peccatum esset mortale, undè & semper absolutus manet; prout absolutus manet à voto, excommunicatione &c. qui ab iis anteà dubiis absolutionem vel dispensationem im-

petravit, licèt postea deprehendatur votum v. g. fuisse certum; quia nimirùm absolutio absolutè data fuit sub conditione quòd votum verè adesset, sicut & revera aderat. Sed ad hanc rationem facilis est responsio ex jam dictis; nempe prædictum fecisse quidem quod à Tridentino exigitur pro eo tempore, quo tantùm dictum peccatum erat in ipsius conscientia ut dubium, non verò pro tempore subsequente, quo est in ipsius conscientia ut certum: unde nec absolvitur à peccato mortali confesso ut dubio, nisi cum onere illud ut certum postea confitendi, si ut certum occurrat, sicut ante institutionem Sacramenti dicitur de eo, qui eliciebat contritionem perfectam de peccato mortali dubio, quod postmodum &c. Deinde dum aliquis confitetur inter multa mortalia, unum ut veniale, prout pro tunc est in ipsius conscientia, nunquid ab eo, etiam ut mortali, sub conditione tacita absolvitur? indubiè, quia unum mortale sine alio remitti non potest: tamen sub onere postea confitendi ut mortale, dum ut tale innotuerit. Nec in priori casu plus directè datur absolutio à mortali certo, quàm in secundo à mortali simpliciter. Quod autem dicitur de voto & excommunicatione, non est ad rem, quia hæc sunt odiosa.

153. Nec dicas, in communi DD. sententia, qui confitetur se aliquod peccatum commisisse decies v. g. *plùs minùs*, non tenetur quidpiam repetere, licèt postea cognoscat se id undecies commisisse, vel etiam duodecies, quamvis illud unum vel duo peccata non fuerit confessus ut certa; atqui idem est de casu nostro; ergo &c. Ne id dicas, inquam, quia respondebo cum Francisco B. Spei *hic disp. 6. num. 13.* particulas illas nullum peccatum mortale comprehendere, postmodum secundùm numerum certum & determinatum, si occurrat, non confitendum: puto enim illas particulas solùm servire, ut pœnitens numerum peccatorum suorum, saltem quoad aliquot peccata plura vel pauciora, prout numerus verò-similis est magnus vel parvus, esse sibi dubium manifestet, ne in materia gravi confessionis perniciosè confessarium, & judicium Sacramentale fallat. An, si quis sciens numerum certum suorum peccatorum mortalium, incertum confiteatur, addendo *plùs minùs* non committat sacrilegium? omninò, & tenetur indubiè postea numerum certum simul cum hoc sacrilegii peccato in confessione aperire, prout omnes debent fateri: & hoc non, nisi quia peccata sua non confitetur formaliter integrè quoad numerum. Infero; ergo, qui bona fide procedens, numerum taliter incertum aperuit, licèt non peccet, tenetur postmodum numerum certum, si resciat, aperire, quia non fuit antea peccata sua confessus materialiter integrè quoad numerum. Hæc videntur mihi omninò solidâ ratione firmari: ex quibus patet, quàm exorbitanter ab aliquibus doceatur, eum, qui in confessione dixisset, *fornicatus sum decies plùs minùs*, & reperiret postmodum se fornicatum

esse

esse decies quinies; vel si dixisset, *vigesies plùs minùs*, & reperiret trigesies, manere liberum ab ulteriori confessione numeri exactioris. Plus adhuc exorbitat Coninck, qui teste Burghaber *Centur.* 2. *casu* 55. docet, neminem teneri ad repetitionem, nisi recordetur, se fermè mediâ parte sæpiùs peccasse, quàm dixerit; quidquid hic illum in eo non reprehendat, volens saltem nullam repetitionem esse necessariam, dum solùm reperitur excessus viginti ad centum, pro quo & alios citat.

154. Adverte Lugo & Tamburinum docere, rusticos, mulierculas & pueros, qui bonâ fide Parocho indocto peccata sua grosso modo confessi sunt, quamvis postea doctiores effecti cognoscant, se in multis defecisse, confitendo nimirum dubia pro certis, & quæ in se certa erant pro dubiis, dicendoque unum numerum pro alio, non esse cogendos repetere confessiones: quia saltem in confuso Confessarius sufficienter peccata intellexit, eaque directè absolvit prout erant in se: & certè si ad hoc fideles obligarentur (quamvis praxis fidelium sit in contrarium) omnia essent plena scrupulis. Ita illi & alii multi. Adde tamen, si dicti defectus fuissent ex grossioribus, ut si nullum prorsus expressissent numerum, neque omnes species peccatorum, tunc eos debere postea numerum & speciem explicare; quia ab his utpote omninò Confessario incognitis nullatenùs sunt directè absoluti. Imò P. Franciscus *de act. hum. tract.* 2. *disp.* 4. *n.* 64. dicit illos authores contra evidentem rationem fuisse locutos: *quasi verò*, inquit, *bona rusticorum fides possit supplere materiam Sacramenti Pœnitentiæ essentialem; & interea cives benè educati, qui bonâ fide, sub uno plùs minùs, sex mortalia ex decem invincibiliter oblitis, comprehenderunt, potiùs ea, si postmodum occurrant, confiteri debeant, quam rustici: vel enim hi tunc peccatum aliquod debitè confitentur; & tunc à cæteris non nisi indirectè absolvuntur sub onere &c. vel non; & tunc confessio est moraliter nulla.* Ita ille, & ego: quidquid Burghaber, plures citans, velit *Centur.* 2. *casu* 74. rusticum, qui confitendo bonâ fide Parocho nunquam addidit ullum numerum in mortalibus, non debere repetere confessiones suas: quia cùm hujusmodi homines uniformem ferè vivendi rationem teneant, facilè prudens Confessarius, illum errorem percipiens, conjiciet ex confessione unius anni, quantum in aliis annis peccaverit, ut ita virtualis numeri explicatio interveniat. Hæc ille: meritò addens, magnâ prudentiâ Confessarii opus esse tum circa bonam fidem, tum circa hanc vitæ uniformitatem; sæpe quippe fieri potest, ut non sine remorsu conscientiæ sic obiter confiteantur, & pro diversis occasionibus sit magna inæqualitas numeri in uno & reliquis annis; quô casu, inquit, repetitio confessionum instituenda, & numerus apertè explicandus est.

* * *

§. III.

Quandonam liceat non servare integritatem materialem Confessionis?

155. Dico *integritatem materialem*, id est, in qua non explicantur omnia peccata mortalia, quæ sunt materia necessaria confessionis, quia certum est, omnem confessionem debere esse integram formaliter, sive in ea debere explicari omnia peccata mortalia, quæ moraliter loquendo explicari possunt; quo servato, dicitur confessio integra formaliter; eò quòd formalis intentio Pœnitentis sit, omnia peccata in confessione explicare, nisi adesset justum impedimentum: igitur,

156. Dico primò cum communi omnium, ex parte Pœnitentis ab integritate confessionis excusat inprimis impotentia Physica vel moralis: ut dum quis ita infirmatur aut cadit in phrænesim, ut non nisi unicum, vel saltem non omnia mortalia declarare possit; item in casu conflictus belli, incendii, naufragii &c. in quibus etiam signum contritionis, si quis nequidem unicum peccatum valeat verbis expresse confiteri, sufficere potest. Hinc Burghaber *Centur.* 3. *casu* 41. docet rusticam, dicentem se valde de peccatis commissis & offensa Dei dolere, verèque emendare se velle, posse absolvi, licèt nullum peccatum etiam veniale in specie exprimat, vel Confessarius examine deprehendat: & in hoc pro se citat quinque celebres Authores, qui licèt ferè loquantur de infirmo ipsomet teste, probat tamen absolutè. Quia integritas confessionis non urget ex à nobis adductis ubi adest impotentia ratione infirmitatis, aut defectu temporis aut loci commodi; ergo nec ubi adest alia quacumque de causa. Tum quia si illa sic disposita absolvi nequeat, non erit obligata ad annuam confessionem, quod non est admittendum. Ita ille. *Scio ego DD.* communiter contrarium docere ob Trident. *sess.* 14. *c.* 5. requirens talem confessionem, per quam status confitentis agnoscitur: & quia in illo casu non datur determinata materia Sacramenti. Sed quia hæc etiam militant in casu conflictus, videtur aliquo modo rationabilis istius Authoris deducta consequentia. Ipse ad Trident. respondet ibi requiri tam integram confessionem quàm hìc & nunc à pœnitente fieri possit; additque dolorem & confessionem in casu posito, quæ sunt intrinseca materia Sacramenti, esse actus singulares & omninò determinatos, versarique circa peccata determinata, quæ ipse pœnitens commisit, licèt ob ruditatem suam exprimere nequeat. Ad id verò quod adhuc objici posset, debere nimirum absolutionem sacramentalem cadere saltem super aliqua

liqua peccata directè (præterquam quòd id æquè militet in casu conflictus:) Respondet absolutionem cadere directè super offensam Divinam, in qua omnia peccata in specie conveniunt, ideoque remittuntur etiam aliquo sensu indirectè, quare postea explicitè confitenda sunt, si in specie occurrant, quod sufficit ad essentiam Sacramenti. Ob hîc adducta concedunt Suarez, Coninck, & Layman sententiam à Burghaber defensam speculativè veram esse, non tamen practicè: quia fortè judicabant casum in praxi non posse occurrere; verùm mihi plus quàm semel occurrit. Dico *quia fortè judicabant* &c. eò quòd in re morali, meô quidem judiciô, tantùm dicatur speculativè verum & non practicè, quod in speculatione consideratum non potest in praxim deduci, quin aliqua fiat variatio.

157. Secundò ab integritate confessionis excusat etiam ignorantia invincibilis, & inculpabilis oblivio sui peccati: de qua nos alibi. Tertiò periculum gravis damni spiritualis aut temporalis, quod sibi vel alteri prudenter timetur ex malitia Confessarii, casu quo omnia peccata mortalia ei aperiantur. Dixi, *prudenter timetur* &c. quod non tam facilè est præsumendum: undè ego meritò reprehendi unum, licèt aliàs satis doctum, qui volebat se excusatum haberi, quod post peccatum mortale commissum, in proprio Monasterio aliquoties celebrasset præmissâ contritione perfectâ; dicens se non habuisse copiam Confessarii, eò quòd Confessarii constituti passim uterentur scientiâ confessionis: hunc & similes indubiè omnes reprehenderent; quia, quod allegabat, nulli potest videri verosimile: volui tamen hîc ponere, ut omnes Confessarii sint prudentes & accurati in observantia eorum, quæ nos dicemus circa sigillum confessionis, ne ex garrulitate aliqua pœnitentes in similes angustias conjiciant.

158. Quartò excusatur mutus nesciens scribere aut signis sua peccata explicare; sicut & is, cujus idioma Confessarius ignorat: quia juxta satis communem, nemo tenetur interpretem adhibere: imò controvertitur, an quis teneatur scribere sua peccata, casu quo nec ore nec signis explicari queant: verùm puto ad hoc eum obligari, si moraliter certum sit, scriptionem statim à Confessario lacerandam aut comburendam fore, vel ipsi pœnitenti reddendam; tunc enim nullum est periculum publicationis peccatorum. De interprete tamen contrarium sustineo cum P. Francisco *de Pœnit. disp. 5. num. 96.* scil. neminem teneri hunc adhibere, etiam in articulo mortis: quia quamvis Deus absolutè loquendo possit nos ad aliquid obligare cum gravi detrimento nostri honoris aut famæ; non constat tamen id hîc esse factum; sed potiùs oppositum eruitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* & ex cap. *Omnis utriusque sexus,* nec ibi fit ulla distinctio quoad articulum mortis. Sed

159. Quid si in articulo mortis pœnitens, & probabiliter, & prudenter timeat de insufficientia suæ contritionis seorsim à pœnitentiæ Sacramento; an saltem tunc, ex præcepto charitatis

ritatis erga seipsum, per interpretem confiteri non tenetur? Affirmant varii apud Franciscum *loc. citato num.* 97. Sed ipse subtiliter respondet dicens: *Cùm in isto articulo confeßio necessaria non sit, nisi quantum ad absolutionem Sacramentalem requiritur, tum veniale confiteri sufficit*; ut vel sic stante integritate formali confessionis, ab omnibus etiam mortalibus absolvatur. Nullatenus etiam existimo quemquam obligari ad peccata sua scribenda, eò quòd debilem habeat memoriam: quia solùm exstat præceptum præmittendi diligens examen ante confessionem, non verò modo extraordinario conservandi memoriam peccatorum. Vide Dianam *part.* 2. *tr.* 3. *ref.* 46. dixi *diligens examen*, nempe pro ipsius pœnitentis capacitate, temporis mora, multitudine peccatorum &c. Ita tamen ut mediocris diligentia sufficiat, qualem ordinariè vir prudens in rebus arduis adhibere solet, quamvis fortè quis putet, majore diligentiâ plura se reperturum, ut loquitur Busenbaum. Imò Diana *lo. cit.* notandum monet pro scrupulosis, quòd in perscrutanda conscientia & numero peccatorum ante confessionem peccari possit venialiter, nimiam adhibendo diligentiam & curam majorem quàm oporteat; quia juxta D. Thomam in omni virtute morali peccatur etiam per excessum: vide Urbanum ab Ascensione *tr.* 2. *c.* 6. *circa finem*, & Fran. B. Spei *disp.* 6. *n.* 2. Maxima difficultas quę mihi hac in parte occurrit est, an aliquod peccatum mortale reticeri possit ad tempus, ne Confessario innotescat complex criminis: circa quam;

160. Dico secundò, certum est, pœnitentem teneri accedere alium Confessarium cui complex non est notus si omninò commodè fieri potest; aliàs committit peccatum detractionis: ac Confessarius est detractionis causa dum perquirit nomina complicum, vel alia indicia, quibus deveniat in notitiam eorum vel alicujus communitatis ad quam pertinent, ut rectè docet P. Urbanus *tract.* 3. *cap.* 2. *in fine.* Deinde etiam certum est ex antè dictis, si præter infamationem complicis timeatur ejus grave damnum, non posse tale peccatum aperiri huic Confessario: quia cùm præceptum confessionis sit valde benignum, non obligat, nec exerceri potest cum gravi damno proximi. Tertiò etiam plures volunt cum Diana *part.* 11. *tract.* 4. *ref.* 41. & alibi, pœnitentem non teneri explicare tale peccatum, licèt sola sequatur infamatio complicis apud discretum Confessarium; quia cùm præceptum de non infamando proximo sit naturale, videtur huic cedere debere præceptum positivum de integritate materiali confessionis. Sed quia detrimentum famæ complicis videtur parvum, cùm Confessarius id non sciat ut homo, sed ut Deus; tum quia in hoc implicitè consentit complex dum peccat cum eo, quem novit peccatum secum perpetratum non posse aperire, nisi complicem manifestet; tu contrarium sustine cum Urbano ab Ascensione *tract.* 2. *cap.* 8. & Francisc. B. Spei *loc. cit. disp.* 6. *num.* 18. quidquid P. Lezana verbo *Confeßio num.* 7. *in fine*, contrarium sibi arridere insinuet. Ponit ergo

ergo Franciscus *lo. cit.* hanc resolutionem, *est contra Confessionis integritatem, reticere peccatum, cujus manifestatione, Confessarius necessariò venire debet in notitiam complicis*: ac pro ea citat D. Thomam, Bernardum, Bonavent. & 43. Doctores citatos à Leandro.

161. Probatur, quia præterquam quòd liceat Confessario, vel alteri amico prudenti, alterius peccatum aperire, ad consilium petendum, vel dolorem leniendum, ut ipse Diana fatetur (propter quod docet Burghaber *Centur. 1. casu* 63. posse pœnitentem ob solam consolationem animi & bonum spirituale in casu posito confiteri Confessario noto, licèt alium ad manum habeat:) complex simili peccato amisit jus famæ in ordine ad confessionem tam benè quàm pœnitens: nec apparet aliunde, cur Christus famæ author, minùs præceperit complicem illo casu revelare, quàm seipsum, aut proprium peccatum. Ita P. Franciscus. Nec hîc in tantum obstat præceptum charitatis de vitanda infamia proximi, quam in duobus casibus statim allatis, ut per se patet. Non igitur censetur complex rationabiliter invitus, si peccatum ejus reveletur in foro tam secreto, ut servetur præceptum Divinum de integritate Confessionis, & certò percipiatur remissio omnium peccatorum cum aliis fructibus spiritualibus. Et ne id, quod in initio numeri præcedentis ex P. Urbano adduximus, adhuc fortè scrupulosos reddat Confessarios; hîc addo, Fagundez apud Burghaber *lo. cit.* absolutè docere, in tali casu non esse præceptum, sed tantùm consilium, ut pœnitens alium Confessarium quærat. Insuper; pono hîc breviter quæ habet Franciscus *lo. cit. n.* 24. *& seq.*

162. Primò, potest Confessarius, etiam quando habet omnes unius familiæ notas personas pœnitentes, pœnitentem interrogare ut sciat, an sit in occasione proxima peccandi, licèt sit venturus in notitiam complicis. Si tamen pœnitens possit vocem &c. fingendo efficere, ut ipsemet non agnoscatur, ad id tenetur: sicut & ignoto Confessario confiteri si possit (*fortè de consilio, & non de præcepto ut vult Fagundez.*) Secundò, Confessarius potest pœnitentem cogere ad revelandum alterius peccatum iis, ad quos spectat, dum pœnitens per se extra confessionem illud revelare tenetur: ac potest pœnitens Confessario, ut talis persona est, suas vices hac in parte committere, si per se revelare non possit: imò ad id tenetur, si nec per se, nec per alium possit: sed in tali casu cum pœnitente agendum esset potiùs extra confessionem, ut omnis species fractionis sigilli removeatur. Talia autem peccata sunt v.g. pernitiosa dogmatizatio occulta, revelatio confessionum, celebratio à non Sacerdote, venditio medicinarum venenatarum, sollicitatio uxoris ad turpia ab amico mariti, hæresis occulta, traditio civitatis, pravi mores alicujus Religiosi, ex quibus Religio periclitetur & similia. Quid hac in parte possint uxores, in quantum scil. licitè tangere possint in confessione peccata maritorum aut filiorum: habes *suprà tract. 4. disp. 6.*

ritatis erga seipsum, per interpretem confiteri non tenetur? Affirmant varii apud Franciscum *loc. citato num.* 97. Sed ipse subtiliter respondet dicens: *Cùm in isto articulo confessio necessaria non sit, nisi quantum ad absolutionem Sacramentalem requiritur, tum veniale confiteri sufficit*; ut vel sic stante integritate formali confessionis, ab omnibus etiam mortalibus absolvatur. Nullatenus etiam existimo quemquam obligari ad peccata sua scribenda, eò quòd debilem habeat memoriam: quia solùm exstat præceptum præmittendi diligens examen ante confessionem, non verò modo extraordinario conservandi memoriam peccatorum. Vide Dianam *part.* 2. *tr.* 3. *res.* 46. dixi *diligens examen*, nempe pro ipsius pœnitentis capacitate, temporis mora, multitudine peccatorum &c. Ita tamen ut mediocris diligentia sufficiat, qualem ordinariè vir prudens in rebus arduis adhibere solet, quamvis fortè quis putet, majore diligentiâ plura se reperturum, ut loquitur Busenbaum. Imò Diana *lo. cit.* notandum monet pro scrupulosis, quòd in perscrutanda conscientia & numero peccatorum ante confessionem peccari possit venialiter, nimiam adhibendo diligentiam & curam majorem quàm oporteat; quia juxta D. Thomam in omni virtute morali peccatur etiam per excessum: vide Urbanum ab Ascensione *tr.* 2. *c.* 6. *circa finem*, & Fran. B. Spei *disp.* 6. *n.* 2. Maxima difficultas quę mihi hac in parte occurrit est, an aliquod peccatum mortale reticeri possit ad tempus, ne Confessario innotescat complex criminis: circa quam;

160. Dico secundò, certum est, pœnitentem teneri accedere alium Confessarium cui complex non est notus si omninò commodè fieri potest; aliàs committit peccatum detractionis: ac Confessarius est detractionis causa dum perquirit nomina complicum, vel alia indicia, quibus deveniat in notitiam eorum vel alicujus communitatis ad quam pertinent, ut rectè docet P. Urbanus *tract.* 3. *cap.* 2. *in fine.* Deinde etiam certum est ex antè dictis, si præter infamationem complicis timeatur ejus grave damnum, non posse tale peccatum aperiri huic Confessario: quia cùm præceptum confessionis sit valde benignum, non obligat, nec exerceri potest cum gravi damno proximi. Tertiò etiam plures volunt cum Diana *part.* 11. *tract.* 4. *res.* 41. & alibi, pœnitentem non teneri explicare tale peccatum, licèt sola sequatur infamatio complicis apud discretum Confessarium; quia cùm præceptum de non infamando proximo sit naturale, videtur huic cedere debere præceptum positivum de integritate materiali confessionis. Sed quia detrimentum famæ complicis videtur parvum, cùm Confessarius id non sciat ut homo, sed ut Deus; tum quia in hoc implicitè consentit complex dum peccat cum eo, quem novit peccatum secum perpetratum non posse aperire, nisi complicem manifestet; tu contrarium sustine cum Urbano ab Ascensione *tract.* 2. *cap.* 8. & Francisc. B. Spei *loc. cit. disp.* 6. *num.* 18. quidquid P. Lezana verbo *Confessio num.* 7. *in fine*, contrarium sibi arridere insinuet. Ponit

ergo

ergo Franciscus *lo. cit.* hanc resolutionem, *est contra Confessionis integritatem, reticere peccatum, cujus manifestatione, Confessarius necessariò venire debet in notitiam complicis* : ac pro ea citat D.Thomam, Bernardum, Bonavent. & 43. Doctores citatos à Leandro.

161. Probatur, quia præterquam quòd liceat Confessario, vel alteri amico prudenti, alterius peccatum aperire, ad consilium petendum, vel dolorem leniendum, ut ipse Diana fatetur (propter quod docet Burghaber *Centur. 1. casu* 63. posse pœnitentem ob solam consolationem animi & bonum spirituale in casu posito confiteri Confessario noto, licèt alium ad manum habeat:) complex simili peccato amisit jus famæ in ordine ad confessionem tam benè quàm pœnitens: nec apparet aliunde, cur Christus famæ author, minùs præceperit complicem illo casu revelare, quàm seipsum, aut proprium peccatum. Ita P. Franciscus. Nec hîc in tantum obstat præceptum charitatis de vitanda infamia proximi, quam in duobus casibus statim allatis, ut per se patet. Non igitur censetur complex rationabiliter invitus, si peccatum ejus reveletur in foro tam secreto, ut servetur præceptum Divinum de integritate Confessionis, & certò percipiatur remissio omnium peccatorum cum aliis fructibus spiritualibus. Et ne id, quod in initio numeri præcedentis ex P. Urbano adduximus, adhuc fortè scrupulosos reddat Confessarios; hîc addo, Fagundez apud Burghaber *lo. cit.* absolutè docere, in tali casu non esse præceptum, sed tantùm consilium, ut pœnitens alium Confessarium quærat. Insuper; pono hîc breviter quæ habet Franciscus *lo. cit. n.* 24. *& seq.*

162. Primò, potest Confessarius, etiam quando habet omnes unius familiæ notas personas pœnitentes, pœnitentem interrogare ut sciat, an sit in occasione proxima peccandi, licèt sit venturus in notitiam complicis. Si tamen pœnitens possit vocem &c. fingendo efficere, ut ipsemet non agnoscatur, ad id tenetur: sicut & ignoto Confessario confiteri si possit (*fortè de consilio, & non de præcepto ut vult Fagundez.*) Secundò, Confessarius potest pœnitentem cogere ad revelandum alterius peccatum iis, ad quos spectat, dum pœnitens per se extra confessionem illud revelare tenetur: ac potest pœnitens Confessario, ut talis persona est, suas vices hac in parte committere, si per se revelare non possit: imò ad id tenetur, si nec per se, nec per alium possit: sed in tali casu cum pœnitente agendum esset potiùs extra confessionem, ut omnis species fractionis sigilli removeatur. Talia autem peccata sunt v.g. perniciosa dogmatizatio occulta, revelatio confessionum, celebratio à non Sacerdote, venditio medicinarum venenatarum, sollicitatio uxoris ad turpia ab amico mariti, hæresis occulta, traditio civitatis, pravi mores alicujus Religiosi, ex quibus Religio periclitetur & similia. Quid hac in parte possint uxores, in quantum scil. licitè tangere possint in confessione peccata maritorum aut filiorum: habes *suprà tract.* 4. *disp.* 6. *num.*

num. 12. ubi per transennam hanc materiam tetigimus.

163. Dico tertiò, ex parte ipsius Confessarii insuper excusat ab integritate dicta; primò, si Confessarius inter audiendum Confessionem deficiat: tunc enim vel unico peccato audito, si adsit necessitas ex parte pœnitentis, eum absolvere potest. Secundò, si ex auditione omnium peccatorum timeat grave damnum spirituale vel corporale: circa quæ tamen, sicut & circa alia omnia anteriora, observandum est, semper ineundam esse aliam viam, si commodè potest, quâ possint omnia peccata mortalia integrè explicari. In casu tamen quo id fieri non potuit, minimè tenetur quis peccatum ex ratione omissum immediatè post, sive quàm primum fieri potest, confiteri; quia de hac obligatione nihil constat: sufficiet ergo illud confiteri cum cæteris, dum ex præcepto obligaris ad confessionem, vel ex pietate confiteri vis. Pro his omnibus vide Lezanam citatum, qui quoad omnia videtur nobiscum sentire; & Urbanum *tr.* 2. *cap.* 7.

§. IV.

Quid faciet qui non potest exprimere numerum peccatorum: ubi de integritate Confessionis generalis.

164. Dico primò, si ob diuturnitatem, quâ quis fuit in frequentatione actus peccaminosi, vel aliundè numerus peccatorum tam internorum quàm externorum præcisè explicari nequeat, debet verisimilior numerus aperiri, & tunc ulteriùs *plùs minùsve* addi debet: quòd si nec hoc fieri possit, referatur consuetudo & tempus ejusdem; v.g. quoties in mense, in Hebdomada, vel saltem in die: & si nequidem hoc fieri possit, petatur an contigerit quoties sese offerebat occasio. Quo casu attendi debet, an v. g. meretrix se exposuerit in civitate populosa, an tantùm in oppido aut pago, ut vel sic aliqualiter exprimatur numerus peccatorum. Deinde exprimi debet, an indifferenter dicta meretrix v. g. sit solita peccare cum omni personarum genere, ut cum conjugatis, voto ligatis, consanguineis &c. & an non commiserit peccata contra naturam: quamvis enim non possit exprimi numerus, debent tamen exprimi species quantum possunt, ut nihil desit requisitum ad Sacramenti integritatem formalem; & ex alia parte pœnitens ad impossibile vel ad nimias angustias non redigatur, prout loquitur P. Urbanus *tract.* 2. *cap.* 6. ubi insuper docet (quod & ex à nobis dictis *tract.* 1. clarè colligitur) dictam meretricem in peccatis externis concatenatis, non debere nisi explicare peccatum principale, in quo cæte-

cætera tanquam ad illud præambula consummantur: unde non erit necessarium explicare oscula, tactus &c. nisi fortè hæc & non actus principalis ratione circumstantium præbuissent scandalum.

165. Dico secundò, ad confessionem generalem non est necessarium confiteri omnia peccata mortalia totius vitæ; sed potest quilibet pro libitu omittere hæc vel illa, quæ anteà ritè fuit confessus: licitum enim est omittere materiam non necessariam, prout sunt omnia peccata semel confessa & remissa. Ita omnes communiter. Deinde qui facit confessionem generalem, juxta Sanchez, Bonacinam, Suarez &c. non tenetur necessariò explicare, an omnia mortalia, quæ modò confitetur, adhuc aliàs fuerit confessus, an verò aliqua sint, quæ commiserit ab ultima confessione. Ita Bonacinas, Homobonus, Diana, Lugo & alii. Ratio est, quia peccatum confessum & non confessum, remissum & non remissum, sunt duo actus ejusdem speciei, & differentia temporis, quo peccatum commissum est, non afficit peccatum sed ipsum pœnitentem. Nec refert quòd multum differant secundùm statum remissi & non remissi, nam ut talia ea non confitetur pœnitens, sed ut sunt actus peccaminosi. Quoad impositionem autem pœnitentiæ condignæ & proportionatæ delictis, quæ quis sic in confessione generali confitetur, potest Confessarius prudenter hîc se gerere, sicut in aliis, in quibus pœnitens non exprimit majorem vel minorem malitiam peccati in eadem specie. Adde eum, qui per diversos dies, vel per diversas distantes horas ejusdem diei confessionem generalem protrahit, posse absolvi quoties à Confessario recedit, si confiteatur sola peccata mortalia anteà confessa & remissa, ut rectè notavit P. Franciscus. Quia tamen ipse *disputat. 6. num.* 14. expressè docet contra citatos Authores, *Qui peccata mortalia, recens commissa, & nondum Ecclesiæ clavibus subjecta, ita confitetur, ut Confessarius putet, ea dudum esse commissa, & semel saltem remissa, mortaliter peccat contra confessionis integritatem:* subjungens, ita Doctores communiùs docere: tu ob securitatem, etiam in confessione generali, peccata mortalia remissa à non remissis distinctè exprime.

Petes, an Confessarius teneatur interrogare Pœnitentem?

166. Respondeo, dum videt quempiam accedere ad sibi confitendum nullo facto examine conscientiæ, vel debet eum remittere, ut diligens examen instituat, vel tenetur dictum defectum supplere interrogando eum circa decem præcepta Decalogi & Ecclesiæ, maximè circa ea, in quibus similis conditionis homines magis solent peccare. Ratio est, quia aliàs Confessarius sciens & volens cooperatur sacrilegio. In dicto autem casu hoc ultimum est utilius, nam, ut notat P. Urbanus *loc. citat. cap.* 7. si tales ad examinandam conscientiam remitterentur, sæpè non redirent: moneat interim Confessarius similem pœnitentem, ut agnoscat peccatum negligentiæ, si fuerit

mortale, quod commisit accedendo imparatus ad Sacramentum, ac ut de illo doleat sicut de aliis.

167. Insuper tenetur Confessarius pœnitentem interrogare, quem deprehendit reticere circumstantias mutantes speciem aut alia peccata mortalia, quorum pœnitens non recordatur defectu memoriæ, attentionis aut conscientiæ: tum quia charitas ad hoc Confessarium obligat, tum etiam quia id ei incumbit vi muneris assumpti seu ex officio Judicis, ne videl. vagetur in incertum, dum pronuntiat absolutionis sententiam. Ita idem Urbanus ibidem. Ordinariè tamen debet Confessarius in his omnibus acquiescere pœnitenti, quamvis fortè hîc & nunc neget peccatum, quod scit eum certò commisisse; quia vel fortè illud antea est ritè confessus, vel fortè habet rationem illud hîc & nunc non confitendi. Adde ex Joanne de Bachone *in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2.* dictas interrogationes debere esse subtiles & prudentes propter infirmitates pœnitentium; unde postquam assignarat modum examinandi rudes, subdit, non esse interrogandum expressè de vitiis minùs usitatis, ut de vitio contra naturam: imò in omni materia luxuriæ debent à Confessario institui interrogationes paucæ & prudentes, ne vel Confessarius doceat pœnitentem quæ ignorat; vel ipse aut pœnitens exponatur periculo peccati, propter quod fortè cap. *Omnis utriusque sexus de pœnitentia*, monetur, ut Confessarius sit discretus & cautus in inquisitione peccatorum & circumstantiarum.

§. V.

Quandonam Confessio sit nulla, & quale peccatum sit mentiri in Confessione?

168. Confessio potest reddi nulla ex variis capitibus: primò ex parte ministri. Secundò ex parte ipsius confessionis. Tertiò ex parte materiæ confessionis. Quartò ex parte formæ. Ita Bacho *in 4. suprà* §. 3. ubi ostendit, quandonam ex illis confessio reddatur nulla: quæ omnia etiam demonstrat P. Lezana verbo *Confessio num. 2. & seq.* Verùm quod attinet ad Confessarium & formam nos tangemus infrà suo loco: quare *hîc*;

169. Dico primò, confessio est nulla seu invalida, si fiat sine debito dolore vel proposito emendationis: constat sufficienter ex dictis. Item si in actuali confessione pœnitens delinquat mortaliter, reticendo v. g. peccatum mortale: circa quod Jacobus Marchant. *in resolution. Pastor. tract. 5. cap. 3. num. 5.* proponit utile dubium, an qui præ verecundia aliquid omittit, sciens quidem se malè agere, sed nesciens Confessionem non

non valere, teneatur postea repetere omnia, vel sola sic relicta? ad quod respondet, si talis ignorantia sit inculpabilis (qualis fortè esse potest in rustico) probabiliter dici posse cum aliquibus, talem non teneri ad repetitionem confessionum, supposito quòd, si verè scivisset per hoc reddi suam confessionem invalidam, voluisset integram facere: ordinariè tamen, cùm talis ignorantia non videatur inculpabilis, repeti debet confessio. Ita ille: addens, & bene (ut patet ex Francisco *disp.* 8. *num.* 54.) qui volenter reliquit peccatum mortale & ideò tenetur confessionem repetere, si postea hujus rei oblitus confiteatur bonâ fide alia peccata quæ fecit, validas esse illas confessiones, nec ad earum repetitionem teneri, sed sufficere illam priorem repetere & supplere. Ita etiam Lugo & Leander apud Dianam *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 60. ubi idem Leander post Dianam sustinet, rusticum qui grosso modo sine certo numero peccatorum mortalium indocto Parocho bonâ fide confessus est, non teneri postea detecto errore confessiones factas iterare, aut denuò declarare numerum peccatorum, nisi fortè nullum unquam numerum explicuisset, nequidem in confuso: sed hoc suprà refutatum est ex Franc. B. Spei; qui *lo cit. n.* 53. petit, quid in hac materia dicendum sit, dum quis ex culpa veniali tantùm omittit aliquod mortale in confessione? Respondens hoc confessionem non invalidare: quia culpa venialis, neque Sacramenti valorem, neque illius effectum impedit.

170. Dico secundò, mentiri in confessione solùm est peccatum veniale, si fiat in materia levi; nisi fortè mendacium ex se leve irritum reddat Sacramentuum, prout fieret si quis confiteretur solum peccatum veniale, quod non commisit; tunc namque nulla materia apponeretur formæ. Insuper mortale est sine justa causa negare peccatum mortale, tum quia est mendacium in re gravi, tum quia redditur Sacramentum nullum ob defectum integritatis confessionis: atque ob hanc primam rationem, & etiam, quia decipit Confessarium, communiter dicitur mortaliter delinquere, qui sciens & volens confitetur peccatum mortale quod non fecit: à quo tamen excusantur ratione bonæ fidei simplices, existimantes se inire viam tutiorem explicando numerum majorem, & peccata dubia pro veris. Adde dum quis non tenetur aliquid spontè confiteri, ut v. g. consuetudinem peccandi, peccata quæcumque venialia, mortalia remissa, &c. eum non teneri idem dicere Confessario id interroganti, sed posse dissimulare quando esset grave onus vel pudor illud fateri: quia pœnitens habet jus, non plus se in foro pœnitentiæ infamandi, quàm de facto teneatur. Ita varii apud Bassæum & Dianam *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 37. Cæterùm quodcumque mendacium circa alias materias ad confessionem non pertinentes, nullam gravitatem contrahit ex eo præcisè, quòd in confessione proferatur.

Petes, an propter consuetudinem sit neganda absolutio?

171. Raro vel nunquam negandam vel differendam esse docet Dicastillus, eò quòd experientia doceat, id rarò prodesse & sæpe nocere; tunc enim vel Confessarium mutant quotidiè, vel nimis diu differunt confessionem, quæ tamen est remedium, non tantùm ut quis absolvatur à peccatis præteritis, sed etiam ad vitanda futura; ideoque in peccatis, in quibus nec moraliter nec physicè potest occasio penitùs tolli, ut contingit in mollitie, consulunt DD. & usus Confessariorum habet, injungere frequentiam confessionis apud eundem Confessarium. Sic in his peccatis in quibus est moralis impossibilitas avertendæ occasionis, non videtur exigendum remedium denegandæ absolutionis. Deinde vel talis pœnitens accedit attritus vel contritus (suppono enim ipsum ritè dispositum:) si primum, non apparet cur melius sperandum sit de tali non habente gratiam & amicitiam Dei, quàm de illo ipso jam constituto in gratia per absolutionem collata: si secundum, multò magis videtur durum & absonum amicum Dei & amantem illum super omnia, non jam propter peccata præterita, sed propter metum futurorum, beneficio Sacramenti & absolutione privare. Hæc & alia Dicastillus. Vide etiam Leandrum *de Sacram. to. 1. tract. 5. disp. 7. à quæst. 31. usque ad 56.* in quibus discutit multa doctè & breviter. Item ea quæ nos *dub. 2.* ex P. Francisco attulimus circa propositum vitandarum occasionum.

DVBIVM QVARTVM.

De Satisfactione.

§. I.

Quid Satisfactio, & qualis imponi debeat?

Satisfactionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ integralem, non essentialem dictum est suprà: nunc de ea

172. Dico primò, satisfactio hîc, est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus & laboriosis taxatis à Confessario. Colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 8.* tenetur Confessarius, simpliciter loquendo, juxta communem DD. semper aliquam injungere; quia tenetur procurare integritatem Sacramenti: putarem tamen probabilius, contra Suarem & Reginaldum apud Busenbaum, hanc obligationem non esse gravem ubi adest parvitas materiæ, ut v. g. quan-

quando quis sola venialia confitetur; cùm enim tunc pœnitens non teneatur sub mortali pœnitentiam seu satisfactionem injunctam adimplere, non videtur unde Confessarius sub mortali teneatur eam injungere. Ita Franc. B. Spei *disp. ult. n.* 48. dicens non obstare, quòd Sacramentum tunc dicatur fore mancum & mutilum; quia tantùm potest dici mancum quoad partem levem accidentalem, sive integralem. Adde in certis casibus excusari Confessarium ab omni peccato quamvis nullam pœnitentiam injungat: ut primò, quando pœnitens tempore absolutionis est destitutus usu sensuum suorum, ita ut nihil percipere possit; tunc enim frustra pœnitentia imponeretur. Secundò, dum tanta & tam perfecta est contritio in pœnitente, ut judicio Confessarii sit omninò per se sufficiens ad omnem pœnam debitam remittendam; vel quando pœnitens ante absolutionem per varia opera satisfactoria plenè satisfecisse deprehenditur pro peccatis, quæ hîc & nunc confitetur: quia tamen hæc vix unquam Confessario constare possunt, semper aliqua, saltem levis, pœnitentia injungenda est; qualem etiam imponere debent ægrotis constitutis in extremis, ut v.g. dicendi ore vel corde ter *Iesus Maria*, vel quid simile. Ita communiter DD. Addit P. Franciscus etiam Confessarium non teneri pœnitentiam imponere, ubi pœnitens vult jubilæum aut indulgentiam plenariam lucrari. Imò nec, dum pœnitens statim post absolutionē redit & novum peccatum confitetur, si statum pœnitentis notabiliter non mutet; quia licèt peccatum illud fuisset primò confessus, eadem potuisset esse pœnitentia.

173. Dico secundò, per se loquendo tenetur Confessarius imponere pœnitentiam proportionatam peccatis. Quales autem olim pœnitentiæ fuerint constitutæ per Canones antiquos pro diversitate peccatorum, vide apud Bachonem *dist.* 14. *qu.* 3. *art.* 1. ubi gravissimas taxatas reperies, etiam pro unico peccato mortali: quamvis *art.* 3. dicat, secundùm quosdam omnes pœnitentias esse arbitrarias, quorum opinionem, inquit, consuetudo approbat; & omninò verum est quoad præsens tempus. Attendat interim Confessarius diligenter ad Tridentinum dicens, pœnitentiam non tantùm esse remedium præteritorum peccatorum, sed etiam vindictam & castigationem, prout officium Confessarii est agere Medicum simul & Judicem. Verùm moderna praxis timoratorum Confessariorum permittit imponi leves pœnitentias, etiam pro gravioribus peccatis: primò, ob pœnitentium fragilitatem, dum videl. Confessarius timet, quòd pœnitentiam gravem non esset impleturus: debet tamen tunc secundùm P. Urbanum *tr.* 2. *cap.* 9. monere pœnitentem dicendo, majorem longè pœnitentiam esse peccatis suis debitam. Secundò, dum Confessarius advertit, pœnitentem aliàs concepturum horrorem Sacramenti Pœnitentiæ. Tertiò etiam id licitum est, ne similes magni peccatores aliàs quærāt Confessarios ineptos, qui plùs palpant quàm medentur infirmis.

mis. Imò ad tollendos ſcrupulos & ad ſolatium Confeſſariorum docet Diana *part.3. tract. 4. reſol. 97.* ex Beja, poſſe à peccato excuſari generaliter Confeſſarios imponentes parvas pœnitentias pro magnis peccatis ſi apponant clauſulam illam, *quidquid boni feceris vel mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum:* quia homines ut plurimum bona multa faciunt & mala plurima ſuſtinent, quæ ſic applicata rationem Sacramentalis ſatisfactionis habent. Ita etiam Homobonus apud Dianam ſuprà; monens, hanc opinionem non eſſe intelligendam, ſi pœnitens egeat pœnitentiâ aliquâ præſervativâ. Addit inſuper Diana verba dictæ clauſulæ eſſe confitenti aperienda, ut ſciat levem pœnitentiam ideò ſibi imponi; quia omnia opera totius vitæ in ſatisfactionem pœnæ peccatis ſuis debitæ injunguntur & acceptantur. Ita Diana hanc ſententiam de novo repetens *part. 10. tr. 16. reſ. 1.* ubi pro ea citat D. Thomam, Leandrum, Martinum de San Joſeph, Baſſæum & alios plures, quibus adjungit Reverendiſſimum Candidum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum: unde hanc Dianæ ſententiam omninò in praxi tutam eſſe exiſtimo, quidquid eam non admittat Lugo, eamque univerſaliter admitti non poſſe, dicat Buſenbaum. Vide iterum Dianam *part. 11. tr. 7. reſ. 3.*

174. Nec refert, quòd Tridentinum præcipiat Confeſſariis, ut ſedulò circumſpiciant pro Pœnitentiis ſalutaribus imponendis; & ne nimiùm faciles in hac parte ſe præbeant: quia ſatis probabile eſt ex Urbano *loc. citat.* Tridentinum intelligi poſſe de pœnitentia medicinali pro vitandis peccatis futuris; non verò ita de pœnitentia punitiva pro peccatis præteritis: quia, inquit ille; *ex quo refriguit fervor ille primigenius, judicat Eccleſia ſatius eſſe, ut cum mediocri pœnitentia punitiva remittantur Pœnitentes, vel ad lucrandas indulgentias, vel ad redimenda peccata per opera conſilii & ſupererogationis, vel ad ſatisfaciendum alio modo juſtitiæ Divinæ.* Ita Urbanus ſatis conformiter verbis Authoris operis imperfecti (quæ ex N. Waſtelio P. Franciſcus tribuit noſtro Joanni Hieroſolymitano) *in Matth.* dicentis, *etſi erramus, modicam Pœnitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam, rationem reddere, quàm propter crudelitatem?* Hæc interea omnia ita dicta ſint, non ad laxandas habenas Confeſſariis pro libitu imponendi pœnitentias leves pro gravioribus peccatis, non inſpectâ neceſſitate & conditione pœnitentium; ſed ne his inſpectis, poſtquam pœnitentiam ſemel impoſuerunt, ſcrupulis angantur. Imò ea pro ſolis ſcrupuloſis Confeſſariis admittenda putat Diana *part. 10. ſuprà.* Vide etiam Tamburinum *part. 1. lib. 4. cap. 1. §. 3.* & Franciſcum B. Spei *diſput. ult. num. 50.* Quærit idem Diana *part. 11. tract. 7. reſol. 3.* an poſſit alicui pro pœnitentia imponi ut ineat matrimonium? Negat Fagundez cum Layman; ſed Leander ex Navarro & aliis affirmat in caſu quo Confeſſario conſtiterit eſſe Pœnitenti remedium, ut nòn ruat in peccata carnis: ratio eſt, tum quia ex Apoſtolo, melius

liùs est nubere quàm uri; tum etiam, quia susceptio hujus Sacramenti non est ita ardua aut onerosa, quin possit sub Pœnitentia aliqua injungi. Ita illi apud Dianam. Vide à nobis dicta supra de materia voti.

§. II.

An injunctam Pœnitentiam acceptare teneamur?

175. AD hoc affirmativè respondent 17. celebres DD. apud Dianam *par.* 2. *tr.* 1. *ref.* 52. inter quos Vasquez & Victoria volunt, id esse de fide ex Tridentino asserente, Confessarios habere potestatem ligandi; quam non haberent, inquiunt, si Pœnitens posset respuere Pœnitentiam. Verùm malo ab hac censura abstinere, tum quia Tridentinum probabiliter videtur salvari dicendo, Confessarios non habere majorem potestatem in ligando ad pœnam, quàm in solvendo à culpa, ita nimirum ut neutram potestatem exercere valeant circa invitum: tum etiam quia præstantissimi DD. post Tridentinũ adhuc contrarium sustinent. Vide Dianam *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 2. & Franc. B. Spei *disp. ult. sæpè cit. n.* 54. qui dicit oppositum post Trident. apud varios malè audire. Intereà tenetur certò pœnitens semper acceptare pœnitentiam medicinalem, si non sit observatu nimiũ difficilis conformiter ad peccata, & sit necessaria vel valdè utilis: aliàs enim non haberet contritionem sufficientem, nec propositum de vitando peccato: sicut nec habere existimo eũ, qui pœnitentiam punitivam levissimam, ut v. g. dicere unum *Ave Maria* recusaret; undè neque hunc absolverem: quidquid Tamburinus *par.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. §. 2. dicat, aliquos docere, Confessarium solùm posse pœnitenti injungere pœnitentiam per modum consilii conditionatè, in hunc v. g. modum; si vis acquirere relaxationem pœnæ ex opere operato, hoc vel aliud opus exhibeas; quod & ipse videtur ut probabile admittere, cùm solùm dicat, contrarium esse probabilius. Non est mortale omittere pœnitentiam gravem impositam pro venialibus, vel pro mortalibus peccatis aliàs confessis: quia durum videtur asserere, pro culpa levi, vel gravi aliàs confessa & remissa, obligationem satisfaciendi esse gravem. Ita Diana *par.* 3. *tr.* 4. *ref.* 136. citans Layman: quod idèm docent alii communiùs, quando pœnitentia secundùm se est levis, licèt imposita sit ob peccata mortalia. Vide eundem Dia. *lo. cit. ref.* 102.

Addo Patrem Mendo *in sua statera differt.* 10. *quæst.* 4. *n.* 106. absolutè docere, eum, qui lucratur indulgentiam plenariam, manere liberum ab exequendis pœnitentiis in confessione injunctis; quam sententiam dicit se alibi firmasse authoritate D. Thomæ, D. Bonaventuræ, & plurimorum, utpotè communem valdè inter Authores.

thores. Verùm illam ego ut summum admitterem, quando quis per revelationem certificaretur de obtenta indulgentia. Absolutè autem admitto cum Burghaber *Cent.2.casu* 77. Pœnitentem non teneri vel acceptare pœnitentiam perpetuam, vel acceptatam exequi; quia est immoderata; cùm pœna semper durans, communi hominum judicio, immoderatè duret & gravet, quantumvis parva sit, ut dicere ter Pater & Ave singulis diebus vitæ suæ. Neque etiam similis pœnitentia est rationabilis, quia non est conformis integritati Sacramenti procurandæ, cum semper differri debeat; propter cujus tamen integritatis procurationem imponitur & suscipitur: quare à similibus pœnitentiis imponendis abstinendum est.

Petes quid sit faciendum ei, qui pœnitentiæ gravis, impositæ ob peccata mortalia ante non confessa, est naturaliter oblitus?

176. Eum imprimis teneri dictam Pœnitentiam sub mortali implere, si eam acceptarit, & Confessarius voluerit eum sub mortali obligare, omnes docent, quamdiu ejusdem recordatur: si verò oblitus fuerit naturaliter, eum ad nihil aliud teneri docet Busenbaum, licèt expediat, inquit, ut in sequenti confessione similem sibi petat injungi. Verùm, cùm Busenbaum rejiciat sententiam Richardi, Antonini & Sylvest. docentium, in dicto casu confessionem esse repetendã, & ipse pœnitens prorsus oblitus supponatur pœnitentiæ, non video quomodo possit petere Pœnitentiam vel aliquousque similem sibi injungi in sequenti Confessione. Quare dico cum Diana *par.4.tr.4.res.* 241. si prædictus pœnitens suâ culpâ non recordetur pœnitentiæ, sufficit hoc peccatum confiteri, & si fortè oblivio accidisset statim post datam pœnitentiam, & crederet Confessarium adhuc esse memorem, tenetur, si possit, ab eo petere quid injunxerit, præsertim quando pœnitentia est gravis. Hæc verbotenus & nihil aliud habet Diana quem proindè in isto loco malè pro se citat Busenb. *lib.6.tr.4. cap. 1. dub.* 4. pro casu naturalis oblivionis: cùm in casu Dianæ, confitendo peccatum dictæ oblivionis, implicitè petatur alia pœnitentia loco prioris oblitæ, quam & prudens Confessarius tunc dabit, imponendo majorem, quàm aliàs dedisset, si priori fuisset satisfactum.

Petes fortè iterum, quomodo delinquat pœnitens omittens communionem pro pœnitentia sibi datam? Respondeo, simpliciter loquendo, mortaliter si data fuerit ob peccata mortalia; quia hæc obligatio videtur æstimanda ex comparatione cum obligatione, quam inducit lex humana, seu præceptum Ecclesiasticum circa eandem materiam; particularia enim decreta intelligi debent juxtà modum generalium *cap. ex litteris de constit.* nisi constet de alia intentione Confessarii. Si tamen quis ex octo vel decem communionibus injunctis unicam omitteret, posset arbitrio P. Gobat *in Alphabeto communic. casu* 4. *num.* 56. & me, benignius de sui Confessarii clementia præsumere.

§. III.

§. III.

An Pœnitentia debeat impleri in gratia: & quamdiu possit differri?

177. AD primam partem respondet Busenbaum *loc. cit.* dicens, *is qui Pœnitentiam implet in statu peccati mortalis, probabiliter quidem satisfacit præcepto, cum impleat ejus substantiam: peccat tamen, sed venialiter, ut docet Diana par. 4. suprà, quia Sacramenti partem suscipit indignè, & obicem ponit effectui; videl. remissioni pœnæ, &c.* Ita Busenbaũ; in quo est error pejor priore, nihil enim vel apparenter simile dicto loco tangit Diana: nam postquam dixisset, Barbosam docere, adimplentem Pœnitentiam in peccato mortali, peccare mortaliter, subdit absolutè, se putare negativam sententiam esse tenendam: quare independenter à Diana.

178. Dico cum Fuliensi *lib. 3. de Pœnitentia cap. 4. res. 6.* adimplere pœnitentiam in statu peccati mortalis, neque est peccatum mortale, neq; etiam probabilius veniale. Primum patet ex eo quòd in dicto casu, prout dicebat Busenbaum, satisfiat præcepto Confessarii quoad substantiam: imò etiam satisfit quoad modum, per quod probatur secundùm: nam Confessarius non præcipit, ut pœnitentia adimpleatur in gratia; quia modus non cadit sub præcepto: Deinde Confessarius ex communi DD. consensu potest interdum à Pœnitente exigere, ut pœnitentiam impleat antequam eum absolvat: ex quo infero, satisfactionem factam extra statum gratiæ sufficere ad integritatem Sacramenti; quia satisfactio facta juxtà prudens præceptum Confessarii debet dici ad hoc sufficiens. Quod verò dicatur poni obex effectui partiali Sacramenti, non urget; quia id negant Vasquez, Marsilius & Medina, quorum sententiam omninò probabilem existimo: quia, ut benè Fuliensis, satisfactio imposita à Confessario non est opus hominis sed Christi, quod ex se vivum est & effectum confert non ponenti obicem remissioni pœnæ temporalis; atqui qui est in peccato mortali non ponit illi obicem; quia non est ulla ratio, quare prædictus nequeat solvere pœnam debitam pro peccato remisso quoad culpam: quod enim communiter doceant DD. requiri statum gratiæ ad rationem satisfactionis; verum est si agatur de satisfactione extrà Sacramentum, quia hæc est opus hominis; secùs si agatur de ea, quæ imponitur in Sacramento, quia hæc est opus Christi, quatenùs per illam Christi satisfactiones nobis applicantur: adhuc tamen oppositum docet P. Franciscus *disp. ult. num. 43.* Sed quid si pro Pœnitentia injungatur offerre suffragium pro defuncto? Dico cum Dicastillo, quem citat & sequitur, Dian. *par. 11. tr. 5. res. 54.*

si suffragium injunctum, sit pro illo defuncto meritorium ex opere operato, satisfieri per illud impletum extra statum gratiæ, ut si v. g. injungatur celebratio Missæ: secùs verò si non sit meritorium nisi ex opere operantis pro dicto defuncto. Nec refert, quòd antè dixerimus omnem Pœnitentiam injunctam in Sacramento Pœnitentiæ esse meritoriam ex opere operato; quia ut sic est tantùm meritoria pro ipso Pœnitente: undè miror, Bonacinam ex hoc fundamento docere, satisfieri per quodcumque suffragium impletum in statu peccati mortalis, si illud injunctum fuerit in Sacramento Pœnitentiæ.

179. Quoad secundam §. partem, respondet Dian. *par. 2. tract.* 1. *res.* 53. *in fine, & par.* 11. *tract.* 7. *res.* 10. posse Pœnitentiam à Confessario injunctam per annum differri sinè culpa mortali, pro se citans Fernandez dicentem, id colligi ex cap. *Omnis de Pœnitentia*: idem etiam docet Pourrè *par.* 1. verbo *Pœnitentia num.* 3. modò Confessarius non injunxerit impleri Pœnitentiam intra brevius tempus: quia per se loquendo tunc debet adimpleri tempore à Confessario designato; quamvis juxtà Tamburinum *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *num.* 9. facilè à mortali excusari possit dilatio talis temporis designati, quia communiter præceptum Confessarii cadit potiùs in rem exhibendam quàm in tempus. Ita ille. Intereà omninò consultum est (nec videtur sinè omni culpa contrarium posse fieri) ut pœnitens datâ opportunitate adimpleat Pœnitentiam injunctam in confessione quamprimum id commodè fieri potest: quia per diuturnam dilationem sæpè posteà obliviscimur eam adimplere, quod ut plurimum à culpa non erit liberum: undè Tamburinus *lo. cit.* postquam dixisset aliquos simpliciter docere, dictam obligationem adimplendi pœnitentiam posse extendi ad spatium unius anni, addit id videri nimis largè prolatum: quamvis tamen ipse in aliis non sit adeò scrupulosus: ac P. Franciscus vult absolutè, Pœnitentem teneri Pœnitentiam implere quamprimùm commodè potest, si Confessarius nullum tempus statuerit: quidquid Mendo *in statera benignarum opinionum dissert.* 10. *quæst.* 4. *n.* 99. probet sententiam Dianæ & aliorum ex communi praxi Confessariorum interrogantium pœnitentes semel in anno tantùm confitentes an pœnitentiam adimpleverint, nullatenùs sollicitorũ utrum statim à confessione aut diu post id præstiterint. Addit tamen ipse in fine, *In his viri docti ac prudentis judicio est standum, cum possint occurrere circumstantiæ, quæ rem immutent.*

180. Petes hîc fortè, quomodo obligetur Pœnitens ad circumstantias operis à Confessario injuncti; v. g. ut recitet coronam flexis genibus, vel coràm tali imagine? Illum satisfacere, non servatis talibus circumstantiis, docet Vega & Burghaber *Centur.* 1. *casu* 9. quia attendi debet magis ad substantiam quàm ad circumstantias. De eo tamen meritò dubitat Dian. *par.* 2. *tract.* 4. *resol.* 55. & Lugo distinguit cum Sanch. dicens, quando res injuncta est gravis, & circumstantia levis, tunc tantùm obligatio quoad circumstantiam

levis

levis est; secus si etiam circumstantia sit gravis. An verò Pœnitens liberetur ab obligatione implendi pœnitentiam, quando non potest exequi circumstantiam à Confessario injunctam? pendet ab intentione Confessarii, pro qua discernenda vide Thomam Sanchez *lib. 4. in decal. cap. 14. à num.24.* ubi pro hoc, in simili, ponit plures regulas.

§. IV.

Quisnam possit Pœnitentiam immutare?

181. POsse Pœnitentiam immutari ab eodem Confessario, docent communiter omnes: quod & fieri posse etiam extra confessionem infra spatium mediæ horæ à confessione facta, docet Megala; quem in assignando tempore nimis scrupulosum vocat Diana *par.2.tract.1.resol.53.* addens, id posse fieri intra unum aut alterum diem; quia inquit in isto casu adhuc censetur idem judicium: quod idem dicunt Henriquez, Ledesma, & Valerus de triduo aut hebdomada: quorum ultimus ulteriùs *in differentiis utriusque fori* verbo *Iudex differ.13.num.5.* docet, posse Confessarium pœnitentiam à se injunctam commutare sine justa causa; quia sicut fuit in ejus arbitrio illam imponere, ita in eodem est illam commutare; nam unaquæque res propter quascumque causas nascitur, propter easdem dissolvitur. Ita Valerus. Ast ego non scio, quid Confessarium posit ad hoc movere si non habeat causam justam: hocque esset indicare implicitè, primam pœnitentiam esse à se malè impositam.

182. Posse etiam pœnitentiam mutari ab alio Confessario, si causa adsit, docent iidem DD. communiùs: ubi adverte certum esse, alium Confessarium posse judicare, & indicare pœnitenti, pœnitentiam injunctam eum obligare non posse quando est irrationabilis, aut dum per accidens postea fit irrationabilis: hoc enim non spectat ad potestatem jurisdictionis, cùm quilibet doctus & prudens idipsum posit deliberare. Probatur interim resolutio, quia sicut absolutio potest repeti super eadem peccata etiam ab alio Confessario, ita judicium & sententia. Nec refert, quòd par in parem non habeat imperium, & quòd ad revocandam sententiam unius Judicis adiri debeat Superior: quia Confessarius immutans pœnitentiam alterius non exercet imperium in priorem Confessarium, sed in pœnitentem; nec ejus revocat sententiam propriè loquendo, sed suam profert ad consulendum pœnitenti, in cujus commodum id fit. Sed tunc necessarium esse, ut repetatur confessio apud hunc secundum Confessarium, volunt Franc B. Spei *disp.ult.num.70.* & alii plures apud Dianam suprà, quidquid hic existimet eos in Cathedra vel in cella hanc opinionem docuisse, sed in confessionali contrariam

practicasse. Ratio Dianæ est, quia hic secundus Confessarius potest simul de tota causa pœnitentis judicare juxta præsentem dispositionem prout magis eidem pœnitenti expedire judicaverit. Ita etiam sentit Tamburinus *lib.4.cap.3.§.3.* addens, hinc sequi, justam ob causam, cum scil. pœnitens secundo Confessario dicit se, vel non posse, vel difficulter posse pœnitentiam explere; imò cum ipse Sacerdos advertit pœnitentem non implevisse, timetque non impleturum; posse prout magis in Domino expedire ipsi videbitur (si non ob aliam rationem, certè ad facilitandum usum tanti Sacramenti) commutare pœnitentiam: idque non solùm intelligit de pœnitentia satisfactivâ pro pœna à pœnitente debita; sed de medicinali & præservativa, dummodo in aliam medicinalem, prout prudentis arbitrio expediens videbitur, commutatio fiat. Ita Tamburinus, prudenter semper requirens, ut id expediens judicetur. Adde dictam commutationem ab alio Confessario debere fieri in Sacramentali confessione juxta DD. communiter teste Diana *p.2.cit.* cujus ratio est, quia tam solutio quàm ligatio pœnitentis, actus sunt clavium, qui necessariò requirunt Sacramentum. Ratio autem cur P. Franciscus tunc requirat, ut repetatur confessio, est; quia illa commutatio est actus judicialis, qui fieri non potest incognitâ causâ, circa quam versatur: alioqui semper subesset errandi periculum in commutationibus.

Petes fortè, an ipse pœnitens possit pœnitentiam per se immutare?

183. Affirmativè respondet probabiliter Diana ibid. post Portel, si nempe eam mutet in opus melius; quia, inquiunt, talis exhibet solutionem abundantiorem. Verùm ego contrarium judico sustinendum cum Francisco B.Spei, quod & absolutè sustinent Sanchez, Reginaldus, Lugo, & alii quos sequitur Tamburinus *cap.3.suprà* §.1. Ratio est, quia nullus potest, etiam ut sic, commutare præceptum Superioris, ut v.g. præceptum auditionis Sacri in opus illâ auditione excellentius, & hoc quia non est Superior: deinde illud opus, quòd à Confessario injungitur, virtute clavium elevatur ad hoc, ut sit opus Sacramenti, & ut sic gratiam causat ex opere operato, non verò illud aliud susceptum à pœnitente.

184 Nec refert quòd quilibet, saltem probabiliter, possit suum votum commutare in opus æquale aut melius; quia in voto ipse vovens est loco Superioris sibi ipsi legem voti imponentis; neque opus ex voto elevatur virtute clavium; unde est lata disparitas: quidquid apud Dianam *par.11.tract.7.resol.3.* plures contrarium doceant ex præsumpta voluntate Confessari: ex qua sententia deducit ibidem Remigius, quòd si quis ex devotione recitaret quotidie Officium D. Virginis, & illi pro pœnitentia injungeretur quotidie recitare partem Rosarii, satisfaceret recitando dictum Officium. Addo, pœnitentem debere per se adimplere pœnitentiam; damnata enim est ab Alexandro VII. inter cæteras sequens propositio. *Pœnitens propriâ authoritate substituere alium*

alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. Hæc de partibus materialibus. Pro parte formale sit:

DVBIVM QVINTVM.

De Absolutione.

§. I.
Quid sit, qualis esse debeat, & quid sit ejus sensus?

185. Dico primò, forma Sacramenti Pœnitentiæ est absolutio Ministri, essentialiter consistens in his verbis, *Absolvo te.* Ita D. Thomas cum aliis communiter: unde alia quæ adduntur, videl. *ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, &c.* non sunt de necessitate Sacramenti, sicut nec ly *ego.* Probatur, quia sola illa verba *absolvo te* ponuntur in Catechismo Pii V. & ex prævia confessione aliisque circumstantiis duo illa verba sufficienter determinantur ad significandam remissionem peccatorum. Interea omittere *à peccatis tuis, &c.* censet Sylvius, cum quibusdam aliis, esse mortale, cæteris volentibus solùm esse veniale. Quare semper addendum est. Vide circa hoc Dianam *par.* 11. *tract.6.resol.* 11. ubi docet nullatenus sufficere posse verbum *absolvo*, quod & verum esse, ait Franc. B.Spei *de Pœnit.disp.4.num.*31. ex communi sensu; quia ly *te* non includitur in verbo *absolvo*, inquiunt Doctores communiter: quidquid ipse sustineat, quòd, ex circumstantia confessionis præsuppositæ, non minùs in illo includatur quàm ly *à peccatis tuis.* Addens certiùs ly *te* includi in ly *à peccatis tuis*, vel saltem in ly *à tuis*, si aliunde exprimantur: unde ex communi sensu; utrumque omittere, dicit quidem fore mortale peccatum, secus alterutrum tantùm. Item solùm est veniale omittere ly *ego, ab omnibus* & *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; imò nullum peccatum esse, alterum omittere, si aliqualis causa subsit, saltem verisimiliùs, sustinet idem Franciscus, eò quòd illa nequidem ad formæ integritatem spectent.

186. Validæ sunt etiam formæ sequentes, *Ego tibi peccata remitto, condono; remittuntur tibi peccata; Sacramentum absolutionis tibi impendo*: imò, semoto scandalo, potest quis iis uti absque mortali culpa secundùm Sotum & Valentiam; quia forma non redditur dubia. Verùm Diana *par.*11. *tract.*4. *resol.*18. magis inclinatur in oppositam partem cum Vasquez & Præposito; eò quòd modus ordinarius absolvendi ex consuetudine videatur graviter obli-

obligare. Quoad crucem verò & preces illas *Misereatur*, *&c.* omitti possunt sine ullo peccato, prout ordinariè omittuntur dum est magnus concursus populi ; quamvis aliàs Tridentino testante laudabiliter addantur.

187. Dico secundò, absolutio dari non potest sub conditione de futuro ; imò sic data est invalida : quia non est in potestate Ministri absolventis, suspendere effectum Sacramenti usque ad purificationem conditionis de futuro, ut diximus suprà *disp.*1. Si dicas etiam ipsum Sacramentum suspendi, quod tantùm erit, dum ponetur conditio : sensus formæ erit, *Absolvam te*, & potiùs absentis, quàm præsentis absolutio, quæ non valet : quod bene notavit P. Franciscus *loc. cit. num.*35. Valet tamen data sub conditione de præsenti aut præterito si conditio subsistat : & prudenter sæpè talis conditio, saltem mente, adhibetur, cum scil. dubitatur de pœnitentis dispositione aut capacitate : quamvis tamen omnis conditio illicitè apponatur dum non adest rationabilis causa ; nam tunc impertinenter & aliquo modo irreverenter additur, ut loquitur P. Lezana verbo *Absolutio num.*11. & specialiter monet Sylvius illicitum esse, hanc vel similem conditionem apponere , *Si verum est jam, quòd restitues quod debes* : quia hoc præjudicat pœnitenti , qui jus habet ad absolutionem absolutam, cujus hîc & nunc est capax, qualiter est si hîc & nunc habeat animum restituendi, quamvis fortè ille animus postea non perveniet ad executionem. Vide Dianam *par.*11. *resol.*18. *cit.* ubi benè distinguit inter conditionem & conditionem.

188. Dico tertiò, absolutio deprecatoria etiam non valet. Ita omnes moderni post D. Thomam : Ratio est, quia aliàs sufficienter posset compleri forma per hæc verba, *Indulgentiam, absolutionem, &c.* quæ satis Deum deprecantur, ut hominem absolvat : deinde absolutio ex sua institutione est actus judicialis, qui non potest esse deprecatorius : nec Christus dixit , pro quorum peccatis deprecati fueritis, &c. sed quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ita Franciscus *num.*34.

189. Dico quartò, ut alios quæsitos sensus diversorum Authorum taceam, sensus horum verborum, *Absolvo te*, planus & legitimus est ille , quem tradit D. Thomas , *Confero tibi Sacramentum absolutionis*, id est, confero Sacramentum , quod de se sufficiens est ad remissionem peccatorum : ad cujus veritatem minimè requiritur , ut actu quis immediatè ante sit in peccato : unde per hunc sensum nos clare solvimus , quomodo detur absolutio ei, qui antea per contritionem perfectam erat in gratia, & quomodo absolutio possit sæpiùs dari de eodem peccato : quia tamen Franciscus B. Sp. hæc æquè salvat , assignando sensu dictæ formæ , verbis ejusdem form magis proprium , non possum illu hîc transire. Igitur *disp.*4. *num.*44. ait.

190. *Dico, verborum forma Sacramenti Pœnitentiæ*, Te absolvo, &c. *est hic s sus:* Tollo , *sive* remitto peccata t prout sunt tollenda: *primùm quider primùm Ecclesiæ clavibus subjiciantur*,

ante remissa non sint per contritionem perfectam: secundò verò, & iterum, prout iterum detestata & confessa absolutioni objiciuntur. Probatur: quia non apparet (inquit *num. 45.*) *cur semel remissa, minùs esse posint objectum novæ absolutionis, in sensu obvio & humano, quàm novæ detestationis; si enim paßim à me, quod non est, & fuit, per detestationem abjicere, quidni & per absolutionem; cùm abjectio illa moralis sit quædam moralis absolutio, & remißio sive dimißio? Vnde peccatum remissum, quod fuit & non est, habet esse sufficiens ad Sacramentum, uti ad esse objectum detestationis, sive contritionis præsentis, in qua realiter præsenti, utpote propriâ parte essentiali Sacramenti; sit objectivè præsens.*

191. Objicit quidem Arriaga: aliquem, qui caret omni vinculo, solvi à vinculo, est pœnitùs imperceptibile: sicut & eum, qui omni veste caret, posse spoliari vestibus, aut vestes posse ei auferri: neque si quis mihi debuisset mille, & mihi mille dedisset, nemo admittit, me posteà verè dicere, *Tibi remitto debitum.* Ergo, &c. à pari. Sed paritatem negat P. Franciscus & bene, ostendens, aliam rationem esse vinculi physici, aliam vinculi moralis: nam illud nec per solam intentionem ponitur, nec per solam intentionem tollitur; secus morale, ut patet in eo, qui intendit peccatum, & alteró qui absolutionem; sicut enim ad hoc, ut quis amore & cultu se Nativitati Christi vinciat, sufficit, si illam sibi repræsentet, quasi de novo iteraretur; ita, ut quis contritione à se, & consequenter ab alio, Judicis affectu, absolvatur, sufficit, si peccatum sibi repræsentet, quasi de novo reiteraretur; quod cùm millies facere possit, vinculum morale millies tolli potest.

192. Neque hinc sequitur, ut vult Arriaga, dari posse remissionem & absolutionem etiamsi reipsa nullum omninò præcesserit peccatum: quia, ut iterum bene Franciscus, moraliter loquendo, peccatum quod fuit, & jam reipsa non est, plùs est in apprehensione, quàm id quod nunquam fuit, & apprehenditur quasi esset: quia illud est natum causare displicentiam & ruborem in præsentia amici offensi, quod non facit peccatum quod nunquam fuit; unde illius detestatio, absolutio, &c. moraliter in apprehensione pœnitentis est de subjecto satis supponente. Nec inferas ex his sequi, eosdem homines posse matrimonium semel legitimè contractum, sæpiùs contrahere; quia hoc perficitur reali liberorum corporum traditione, qualia non habent post primam traditionem. Vide Franciscum *loc. cit.* ubi non probat, quod docet P. Herinx, scil. formam, quando peccata sunt antecedenter remissa, adhuc verificari, quia peccata remittuntur ex parte Ministri ipsius formæ sic operantis circa peccata pœnitentis, ut vi illius tollerentur si adhuc essent. Rationem dat, quia verba formæ isto casu habent hunc sensum: *Tollerem peccata si adhuc essent*, vel hunc, *Sic tollo peccata antecedenter remissa, ut tollerem illa, si adhuc essent.* Primus est mancus; secundus verò est similis huic, *Sic tollo peccata antecedenter remissa quæ non sunt, ut tollerem si adhuc essent*, qui difficilis est, quia ex una parte, sicut impossibile est tolli physi-

physicè, quod non est physicè, ita & impossibile est, tolli moraliter, quod non est moraliter; & ex altera, ly *ut tollerem* significat, nihil de præsenti tolli, sed solùm, quòd tolleretur, si esset: quod est contra Ecclesiæ & verborum formæ sensum. Ita ille.

193. Adde, verba formæ debere indispensabiliter à Sacerdote voce proferri, ut patet ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi sic habet: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cùm dicit, Ego te absolvo.* Rationem hujus aliam non appar asserit P. Franciscus, quàm Christ. institutionem, quæ per Ecclesiæ pra & communem Doctorum sententi innotescit; quia aliunde sententia foro externo, imò & sacrament. Pœnitentia solo nutu, scripto, &c. i poni potest. Ita idem Franc. *loc. suprà cit. num.* 33.

§. II.

An absolutio dari possit absenti: ubi de invalidè absoluto?

194. Dico primò, absolutio à peccatis nunquam dari potest absenti. Patet ex Bulla Clementis VIII. edita annò 1602. in qua damnatur sententia asserens, posse absolvi absentem, vel quempiam posse absenti confiteri: unde hoc non potest controverti. Ratio etiam reddi potest; quia particulæ *te*, & *tuis*, quarum saltem alterutra, est de essentia formæ hujus Sacramenti, necessariò exigunt præsentiam: quia tamen is, qui absens per litteras confessus est, si de illis præsens absolutionem petat, absolventi præsens est, absolvi potest, absque alia confessione; quia confessio alia in præsentia moraliter repetitur. Ita Franciscus sæpè citatus *num.* 38. dicens, si qui velint absolutionem quoque absenti dari posse, eos de absolutione à censuris, aut pœnis publicis, intelligendos esse. Licitum tamen manet moribundum absolvere, qu adveniente Sacerdote hîc & nunc no potest dare signa doloris, modò ante petierit confiteri vel præbuerit sign doloris. Ita DD. satis communiter addentes cum D. Thoma, etiam Sacerdotem teneri ad absolvendum similem: quod & probatur ex Ritual. Romano Pauli V. in quo de infirmo dicitur, *Si per alios ostenderit signa, absolvendus est*, id est si per alios Sacerdoti constat de signis, eum absolvere debet. Imò nec desunt, qui doceant in dicto casu necessitatis extremæ, etiam absolvendum esse moribundum, quamvis per alios de dictis signis non constet; modò notum sit, eum esse Christianum & semper Christianè vixisse: quia præsumitur talis petere absolutionem & dolere de offensa Dei. Hanc sententiam non omninò improbabilem reputat Lezana verbo *Confessionum.*

*num.*11. & absolutè docent Molfetius, Homobonus, & Marchantius: qui ultimus testatur se fuisse in eo statu, in quo nullum signum doloris poterat ostendere, cùm tamen esset capax absolutionis: quare ob summam necessitatem talis moribundi, videtur, eum posse sub conditione absolvi, prout narratur fecisse Clemens VIII. absolvendo quemdam cadentem ex fabrica S. Petri in ipso lapsu: verùm id fabulosum esse tradit post Lugo Burghaber *Centur.*1. *casu* 81. rejiciens sententiam allatam ex triplici fundamento. Interea vide Dianam *par.*11. *tract.*7. *resol.*30. ubi ponit casum rarum, in quo confessio facta per litteras absenti (modò absolutio detur præsenti) est probabiliter valida, conformiter ad statim ex Francisco allata. Quid si tempore pestis moribundus in domo existens confessionem scriptam mittat, & à Confessario foris stante rogat absolvi? Eum non posse absolvi, nisi aliunde Confessarius eum audiat, aut alio sensu percipiat, sequitur ex præmissis, cum moraliter præsens non sit, ita ut forma absolutionis verificari possit.

195. Dico secundò, Confessarius, qui alterum invalidè absolvit, si ex ejus monitione timeat oritura scandala, debet ipsum committere Christo Sacerdoti summo: si verò id non timeat, debet eum prudenter convenire dicens, esse commissum defectum in ultima confessione; ideoque eum roget, vel ut iterum confiteatur, vel det saltem licentiam docendi ipsum veritatem sub sigillo sacramentali: ac si id factum fuerit, quia pœnitens habebat casum reservatum, debet à Superiore petere jurisdictionem antequàm pœnitentem moneat; imò & ab hac monitione prorsùs abstineat, si putet eum adhuc ad se rediturum ad confitendum: tunc enim poterit in sequenti confessione interrogare, an doleat etiam de peccatis præcedenti confessione explicatis & cupiat ab iis absolvi si qua ratione necesse sit; ac si dicat quòd sic, illum absolvat nihil dicendo de defectu in alia confessione commisso. Ita Diana *par.*2. *tract.*1. *resol.*60. quorum nihil tamen dicit esse practicandum in casu quo adesset periculum scandali, quod periculum ferè semper adesse censet Faber *in disp. de pœnit. in* 4. *sentent. dist.*19. *quæst. unica disp.*33. *cap.*3. *num.*18. Verùm si aliquis error esset commissus præsente periculo ne pœnitens amplius confiteatur, ut dum esset graviter infirmus; tunc Confessarius etiam cum proprio aliquali dedecore & incommodo deberet pœnitentem admonere, ob periculum mortis æternæ pœnitentis. Ita Tamburinus, addens eum etiam extra talem casum necessitatis teneri pœnitentem admonere, quando malâ fide similem errorem commisit, etiam cum gravi suo incommodo; sic exposcente damno scienter à Confessario illato. Vide Franciscum *disp.*12. *num.*47.

Sed quid si Confessarius non obligavit pœnitentem ad restitutionem faciendam ad quam tenebatur: tenetúrne tunc ipse Confessarius restituere?

196. Respondeo quòd non, si omninò de restitutione facienda tacuerit, sive si pœnitentem nec positivè obligavit, nec positivè deobligavit, idque

que bonâ fide procedendo: quia tunc non censetur causa moralis damni tertii cum nullam commiserit culpam. Imò quamvis ex negligentia crassa omisisset dictum pœnitentem monere de facienda restitutione (quamvis graviter peccet, si eum postea non moneat de sua obligatione, cum id facilè possit.) nec ipsum deinceps moneat, adhuc juxta probatos Authores ipse ad restitutionem non tenetur: quia Confessarius ex nullo capite obligatur vi justitiæ procurare bonum temporale aliorum, sed solum bonum spirituale pœnitentis. Si tamen Confessarius similem pœnitentem positivè deobligasset, dicendo v. g. eum non teneri ad restitutionem, tunc vel deberet eum postea monere de sua obligatione, vel ipse per se satisfacere; qui in eo casu fuit causa positiva damni tertii; quare ex justitia tenetur illud resarcire; saltem si cum sua culpa eum sic deobligavit; quod addo, quia si sine culpa id fecisset, solùm teneretur ex charitate. Ita Tamburinus, quamquid de eo Busenbaum dubitare videatur. Vide Dianam *par. 2. tract. resol. 1.* & proportionaliter resolve oppositum; ad quid videl. teneat Confessarius dum jussit pœnitenti facere restitutionem, ad quam nullo modo tenebatur. Vide etiam P. Franciscum *loc. cit. num.* 50. *& seq.*

DVBIVM SEXTVM.

De Ministro Pœnitentiæ.

§. I.

Quis sit Minister hujus Sacramenti?

197. Dico primò, solus Sacerdos, est Minister hujus Sacramenti. Est de fide ex variis Conciliis, speciatim Tridentino *sess.* 14. *can.* 10. colligiturque ex Scriptura *Ioannis* 20. ubi solis Apostolis, cæterisque sacerdotibus eorum successoribus dicitur, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* neque de hoc fuit unquam dubium in Ecclesia.

198. Dico secundò, non omnis Sacerdos est Minister Pœnitentiæ. Patet ex eodem Tridentino *sess.* 14. *cap.* declarante, nullam esse absolutionem quæ datur à Sacerdote non habente jurisdictionem: rationem dat id Concilium, quòd videl. de ratione judicii sit, ut exerceatur sententia in sibi subditos; absolutionem autem esse à Christo Domino institutam per modum judicii, nullus negat. Hæc tamen limita ad absolutionem à peccatis mortalibus ante confessis; à venialibus, & mortalibus

confessis, omnis Sacerdos valet absolvere; sicut & à mortalibus quibuscumque in articulo mortis; quod quomodo sit intelligendum dicemus §. sequenti. Pro resolutione verò posita;

199. Adverte, Ordinis sacerdotalis duplicem esse potestatem; unam in Corpus Christi verum, videl. consecrandi illud in sacrificio Missæ, quæ communiter vocari solet potestas Ordinis simpliciter, eámque accipit Sacerdos in sua ordinatione, dum ei traditur patena cum pane & calix cum vino aquâ mixto: alteram in Corpus Christi mysticum, quod sunt membra Ecclesiæ sive fideles ipsi, qua redditur aptus ad Sacramenta illis ministranda in peccatorum remissionem & gratiæ susceptionem; quæ dicitur potestas jurisdictionis, ac Sacerdoti confertur dum Episcopus per manuum impositionem dicit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Verùm tunc tantùm tribuitur sacerdotibus ipsa radicalis potestas jurisdictionis, quæ nihil est aliud quàm character sacerdotalis, quo quis à Deo deputatur, ut tanquam Minister Christi possit alios judicare in foro conscientiæ: potestas enim jurisdictionis absoluta, ejúsque practicabilitas confertur per collationem officii seu beneficii Ecclesiastici, quo videl. Sacerdos constituitur Superior aliorum; vel per concessionem Ecclesiæ aut Papæ, qui suam potestatem ordinariam alicui Sacerdoti delegat, ut suos subditos possit absolvere: aliàs enim simplex Sacerdos non habet materiam, circa quam possit potestatem radicalem jurisdictionis exercere. Hinc autem

200. Adverte ulteriùs potestatem jurisdictionis etiam esse duplicem, ordinariam scil. & delegatam. Ordinariam habet Papa in omnes Christianos; Episcopus in suos Diœcesanos, & Pastor in suos Parochianos; qui omnes veniunt nomine proprii Pastoris. Delegatam verò potestatem habent, qui postquam ab Ordinario fuerint approbati, accipiunt potestatem in subditos aliorum. Vide circa hæc Franc. B. Spei *de Pœnit. disp. 9. num. 7.* & Urbanum *tract. 2. cap. 1. & 2.* ubi ponit discrimen ingens inter Ministrum ordinarium & delegatum in hoc consistens, quòd Ordinarius possit omnem suam jurisdictionem delegare cui voluerit, positis conditionibus de jure requisitis; secùs delegatus, si habeat nudum & simplex ministerium ac exercitium jurisdictionis à Superiore; nam quilibet ita tenax censetur sui juris, ut non credatur illud alio modo communicare, quàm expressè significet. Ita ille, excipiens tamen duos casus in quibus delegatus potest subdelegare suam jurisdictionem ab alio acceptam saltèm ex parte. Primus est, dum delegatus est à supremo Principe, v. g. Papa pro rebus utriusque fori: secundus, cùm ab Ordinario quocumque ad universitatem causarum quis delegatus est, ut v. g. Vicarius ab Episcopo deputatus ad visitandum suo nomine totam Diœcesim vel ejus partem; qui potest alios sibi assumere in partem sollicitudinis & potestatis, ut se adjuvent: manifestum tamen est Religiosos, etiam

Mendicantes, non posse subdelegare quemquam ad confessionum auditionem, quamvis sint à Papa delegati, nam nec ad universitatem causarum delegati sunt, nec ad res utriusque fori, sed ad eas tantùm quæ conscientiam tangunt. Hæc omnia P. Urbanus *loc. cit.* Vide etiam P. Franciscum *disp. 9. dub. 2. & 3.* qui *num. 24.* docet: *Ministrum delegatum immediatè ad tales vel tales actus subdelegare non posse, secùs delegatum concessione officii.* Item *num. 28. Insufficientem esse delegationem præsumptam, quòd Superior posteà resciens ratum habebit actum.* Nec non *num. 35. Iurisdictionem per Episcopum delegatam ad absolvendum à peccatis per mortem Episcopi non cessare.* Docet insuper *num. 37. Non licere uti jurisdictione delegatâ sub dubio purè negativo, an sit concessa, aut cessaverit*: cujus ratio est, quia certum est, jurisdictionem esse de essentia absolutionis & Sacramenti, ac proinde non magis licitum est sub isto dubio illâ uti, quàm ipso Sacramento, sub dubio purè negativo an valeat. Docet tamen *num. 39. Licitum esse omni casu uti jurisdictione probabili, invincibiliter hic & nunc putatâ verâ, sive judicante conscientiâ, quòd illius usu non peccetur, relictâ certâ & securiori.* Ratio est, quia cùm non minùs Ecclesia jurisdictionem supplere debeat, quando est communis sententia de probabilitate jurisdictionis, quàm quando est communis error de existentia jurisdictionis; receptúmque sit, hoc casu, illam supplere; etiam in primo casu certum est practicè, Sacramentum semper validè fieri. Quia autem in materia & forma, Ecclesia nihil potest supplere, eò quòd sint in stitutionis divinæ, de his aliter dicen dum est.]

Petes, quibusnam à jure concess sit facultas sibi Confessarium eli gendi?

201. Respondeo, Jure divino ea concessam esse Papæ, & jure Ecclesi stico Episcopis, aliis superioribus inferioribus Prælatis exemptis, juxt illud *cap. ult. de pœnit. & absol. Permitt mus Episcopis & aliis Superioribus, nec n minoribus Prælatis exemptis, ut etiam, pr ter sui Superioris licentiam, providum discretum possint sibi eligere Confessore* Isti autem sunt Abbates exempti, O dinum Generales, Provinciales & S periores locales; non verò Abbatiss aut Superiorissæ, nisi sit eis pro se v aliis à Prælatis concessum. Ita idem Franciscus *num. 47.* ubi insuper nota dum monet, Cardinales, Pastores, in & simplices Sacerdotes, jam solere bi Confessarium eligere, verosimilit tacitè consentientibus Superiorib dum sciunt & non contradicunt: ali qui juxtà *cap. si Episcopus de pœnit. & r miss. in 6. Nullâ potest consuetudine intr duci, quòd aliquis præter sui Superioris centiam, Confessorem sibi eligere valeat*: pro hoc citat Suarez, Vasquez & ali passim. Subintellige tamen ex appr batis ab aliquo Episcopo: quidqu id non subintelligant aliqui ap Mendo *in statera benign. opin. dissert.* 1 *quæst. 7.* nequidem quoad Parochos, simplices Sacerdotes: ac licèt Bur haber *Centur. 2. casu* 8. hos obliget eligendum Confessarium ab aliq saltem Episcopo approbatum, ab h

o:1

onere tamen disobligat Regulares, eò quòd Trident. *sess.* 27. *can.* 15. Episcopi approbationem non requirat in Confessario Regularium, sed tantùm sæcularium & Sacerdotum; quamquam in his attendendæ sint consuetudines & ordinationes Religionis cujusque. Ita ille. Quod ultimum benè addit, quia in Ordine nostro (& sic fit in aliquibus aliis quos ego novi) pro Provinciis reformatis in Statutis *par.* 1. *cap.* 23. *num.* 8. sic expresè ordinatur: *Fratres tamen itinerantes, vel extrà Monasterium occupati, cuicumque Sacerdoti professo nostri Ordinis, vel etiam Novitio, vel defectu Sacerdotis Ordinis, extraneo religioso, aut Sacerdoti sæculari confiteri possunt.* An his ultimis, licèt non sint approbati ab ullo Episcopo? sic asserit Burghaber; nec vetant per illa verba Statuta nostra: quamvis in Belgio practicetur contrarium.

202. Cæterùm etiam in Mendicantibus necessaria est modò post Tridentinum Episcoporum approbatio ad omnium fidelium confessiones excipiendas: neque hi approbati ab unico Episcopo censentur approbati pro tota Ecclesia, sic ut ubique à Parochis, aut Superioribus suis, ad confessiones excipiendas assumi possint. Vide has duas resolutiones benè discussas apud Nostrum Francisc. B. Spei *disp.* 11. quibus addit hanc tertiam: Episcopi justè, etiam Regulares, ex justa causa cum limitatione approbant; secùs si ex omni parte eos esse idoneos judicent. Quid si ex odio aut malevolentia eos Episcopi absolutè rejiciant? Docent communiùs DD. ex Clement. *dudum* de sepulturis, eos posse à Prælatis suis ad confessiones excipiendas exponi: mavult tamen dictus Franciscus dicere, Episcopos tunc contra justitiam mortaliter peccare; semper tamen consultius esse, illos non exponere. Dixi in principio hujus numeri *ad omnium fidelium confessiones excipiendas*: quia indubiè nulla requiritur approbatio ut Regularis sui Ordinis Religiosorum confessiones audiat, ad quod sufficit sola licentia Superioris in Ordine per Regulã, vel aliundè ad hoc deputati. Hinc Elamas apud Burghaber *lo. cit.* observat, quando duo ex Monasterio mittuntur peregrinatum, tacitè dari facultatem, ut unus alteri confiteri valeat, si vel unus vel uterque sit Sacerdos. Sicut & ut ille, qui solus vel cum socio non Sacerdote est in itinere, confiteatur cuivis alteri Confessario, quando ex consuetudine, vel præcepto tempus confitendi vel communicandi adest. Sed

An Religiosus in Monasterio existens possit confiteri uni ex Mendicantibus, qui ex itinere eò divertit? Respondeo non posse, nisi præsumere possit consensum, seu expressum, seu tacitum Prælati. Ita Burghaber *eodem casu* 9. cum Palao, & cæteris communiter. Nam quamvis Mendicantes gaudeant Privilegiô absolvendi quoscumque Christi fideles ad eos accedentes; quia tamen plerisque Ordinibus Religiosis peculiari privilegio à Sede Apostolica concessum est, ut ipsimet Regulares, etiam Mendicantes nulli possint confiteri sinè Prælati seu Superioris consensu, idque sub pœna nullitatis ipsius confessionis, ut testatur Liamas 1. *par. Methodi c.* 7. *p.* 4. & spe-

ſpecialia privilegia derogant generalibus; ideò à conceſſione iſta excipiendi ſunt Religioſi alterius Ordinis, quos Mendicantes abſolvere, ſaltèm intra Monaſterium, non poſſunt. Intereà addit citatus Burghaber poſſe Religioſum in caſu poſito ſaltèm tacitum conſenſum Prælati præſumere. Tum ex bono & ſpirituali profectu, quem in ſuis vehementer deſiderare quilibet Prælatus jure præſumitur. Tum ex raritate caſus, qui perinde ſe habet, ac ſi ille Pater Confeſſarius facultatem petiiſſet à Prælato audiendi, & abſolvendi unum ex Monachis certiſſimo concedendam. Ita ille. Sed nunquid ſimilis caſus à fortiori deberet extendi ad Monialem, quæ non poteſt hîc & nunc petere licentiam ab habente poteſtatem? Scio ego ſæpè Mendicantes in Belgio ad hoc rogari: quos ego judico prudenter id negare.

203. Adde cum Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 75. & iterum de novo *par.* 11. *tract.* 4. *reſol.* 13. nullatenùs tutam in praxi eſſe ſententiam, quæ docet etiam modò poſt Tridentinum, poſſe Parochum aſſumere Sacerdotem non approbatum, ut ſecum excipiat confeſſiones ſuorum, quidquid aliqui celebres Authores contra communem cæterorum dicant, illam eſſe etiam practicè probabilem. Poteſt interim unus Parochus alium Parochum exponere ad confeſſiones excipiendas in ſua parochia abſque alia Epiſcopi approbatione, ut Diana cum plurimis probat.

204. Petes hic fortè, quid dicendum ſit de Confeſſario, qui quidem jurisdictionem habet abſolvendi à peccatis non reſervatis, ſecùs de reſervatis? Reſpondeo cum P. Franciſco *diſp.* 8. *num.* 57. & cæteris communiter, confeſſionem ei bonâ fide factam eſſe validam, nec proindè repetendam quoad non reſervata; quia pœnitens etiam quoad reſervata indirectè abſolvitur, cum obligatione ea repetendi apud habentem jurisdictionem circa illa. Idem dic in caſu, quo jurisdictio Confeſſarii per ſui excommunicationem notoriam, aut nominatim declaratam impedita fuit, ſi pœnitens id invincibiliter ignoraverit, ut v.g. ſi excommunicatus ut ſic in remotiſſimis partibus ſe expoſuerit ad excipiendas confeſſiones; quia Eccleſia tunc cenſetur ſupplere jurisdictionem in commune bonum animarum. Vide Franciſcum *loc. cit.* qui *diſp.* 9. *n.* 21. idem dicit de Parocho, qui ſolùm habet titulum officii coloratum; quando ſcil. Paſtoratus eſt ei quidem collatus, ſed invalidè ob occultum impedimentum; hîc enim validè abſolvit quamdiu communiter putatur parochus legitimus, licèt Epiſcopus aut pauci alii ſciant, collationem factam eſſe nullam.

* * *

§. II.

An ſimplex Sacerdos in articulo mortis poſſit abſolvere præſente altero approbato?

205. AD hanc quæſtionem Theologi communiùs reſpondent negativè, eò quòd in præſentia alterius Confeſſarii approbati nulla cenſeatur adeſſe neceſſitas confitendi Sacerdoti ſimplici; cùm tamen non niſi ratione neceſſitatis ſimplices Sacerdotes habeant poteſtatem abſolvendi in articulo mortis. Verùm his non obſtantibus P. Lezana verbo *Confeſſio num.* 13. probabilem cenſet ſententiam oppoſitam: quia, inquit, in articulo mortis tam ſimplex Sacerdos habet jurisdictionem quàm ipſe Parochus, ut patet ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ubi expreſsè dicitur, *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt:* ubi nihil prorſus tangitur de abſentia & præſentia Confeſſarii approbati; undè nec nos id limitare dicto modo debemus; imò nec poſſumus, cùm favores ſint potiùs ampliandi quàm reſtringendi. Ob hanc rationem & maximè ob authoritatem plurium DD. apud Dianam *par.* 1. *tr.* 5. *reſol.* 5. & *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 161. (quibus addo Tamburinum & Pourrè) hanc ſententiam omninò probabilem cenſeo cum dicto Lezana *loc. cit.* qui *n.* 14. dicit, hæc etiam eſſe intelligenda de eo, qui eſt non tantùm in articulo, ſed & in periculo mortis; quia quoad præſens pro eodem ſumuntur: quod intellige, inquit, quando adeſt moralis neceſſitas tale periculum adeundi, & non quando aggreſſio talis periculi eſt omninò voluntaria. Hanc limitationem rejicit Celeſtinus *in Compendio Theol. mor. tract.* 1. *cap.* 23. *quæſt.* 1. quod & facit Layman. Vide de novo Dianam *par.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 29. ubi hæc omnia confirmat citans Dicaſtillum. Sed his omnibus minimè obſtantibus adhuc abſolutè contrarium ſuſtinet P. Franciſcus *diſp.* 9. *n.* 18. quod dicit manifeſtè colligi ex cap. *Presbyter ult.* 26. *q.* 6. dum ait: *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, extrema neceſſitas cogat.* Tridentinum autem, inquit, *loc. ſuprà cit.* ſolùm id confirmat, quod *in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit*; jam verò patet in eo id, non tantùm non ſemper cuſtoditum fuiſſe, ſed quodammodò prohibitum. Ita ille. Quare judico id etiam in praxi modò omninò eſſe ſervandum, ne in extrema neceſſitate pœnitens exponatur periculo non recipiendi abſolutionem ſinè neceſſitate. Quid ſi ſimplici Sacerdoti eſſet inchoata confeſſio dum Parochus aut alius approbatus accedit? Reſpondeo cum eodem Franciſco *num.* 19. perfici poſſe, cùm jam in audiente ſit ipſo uſu

radicata jurisdictio; siquidem jura favent rei inceptæ, voluntque ab eo perfici à quo incepta est: & alioqui peccatorum ritè confessorum repetitio esset valdè onerosa pœnitenti.

206. Adde juxtà Pourrè *p.* 1. verbo *Absolutio n.* 9. *& seq.* in articulo mortis ad effectum supradictum dici esse eum, cui mors moraliter certa proximè instat & est inevitabilis : ut qui est in gravi & acuta febri, qui ex præcepto Judicis est occidendus; item cui imminet amentia perpetua vel diuturna. In periculo vero mortis dicitur esse, inquit, qui eo loco degit ubi magna pestis imminet; item mulier prægnans, quæ periclitatur de vita arbitrio viri prudentis; imò omnis talis juxtà varios, quos citat: item qui timet hostem capitalem, qui est in manibus prædonis vel tyranni, qui navigaturus periculoso navigio, qui iturus est per periculosa itinera, qui commissurus est prælium, qui obsidet locum in quo frequenter ponuntur machinæ, balistæ, &c. ac obsessus ab hostibus si similiter telis & machinis bellicis impugnatur : nec non bannitus, qui ubique potest impunè occidi. Ita ille, subdens, in istis casibus absolvere posse quemcumque Sacerdotem, etiam in præsentia Parochi, ab omnibus casibus & censuris. Neque sunt, inquit, exspectandi dicti casus, sed sufficit quòd quis in statu sit, quo contingere debeant, pro quo citat Bellarminum & Hippolytum Riminensem. Addens ulterius *num.* 23. absolutum in articulo vel periculo mortis, si illæsus evadat, non teneri iterum habenti potestatem confiteri etsi fuisset excommunicatus, non tamen non ... tum & ad instantiam partis, nam tunc teneretur & parti satisfacere, & coram Superiore se præsentare, sub pœna in eandem excommunicationem recidendi juxtà cap. *eos qui, de sententia excommunicationis in 6.* nisi fortè bonâ fide vel ignorantia probabili putet se non teneri ampliùs comparere coram Superiore. Ratio autem prioris est, quia tunc quilibet Sacerdos habet liberam authoritatem (sive Jure divino sive humano) absolvendi, ut dictum est. Undè si absolvat, non est cur iterum absolvenda proponantur. Hæc omnia ex Pourrè sunt dicta, qui nimis latè extendit periculum mortis, quoad hunc effectum, quamvis tamen in omnibus citet aliquos pro se: & P. Lezana ubi suprà etiam absolutè docet, dictum periculum esse in aggressione belli periculosi vel longæ navigationis: ac Magister Inojosa apud Dianam *par.* 11. *tract.* 3. *resol.* 2. vult omnem mulierem prægnantem, etiam illam quæ aliàs assueta est facilè parere, posse confiteri cuicumque Sacerdoti, eò quòd sit in periculo mortis simpliciter loquendo, prout est ille, qui postquam plures alias tempestates evasit, denuò in tempestate est constitutus. De reliquis verò tu judica. Pro cautione autem petenda à prædictis casu quo supervivant, propter absolutionem à censuris, vide Lezanam verbo *Absolutio num.* 9. *&* 10. verbo *Bulla num.* 53. verbo *Bulla cruciatæ num.* 32. ac ad... in prædictis omnibus semper esse c...vendum à scandalo.

§.

§. III.

De requisitis in Confessario.

207. Dico in omni Confessario tres communiter à DD. exiguntur conditiones, videl. scientia, prudentia & bonitas.

Quoad scientiam imprimis tanta requiritur, ut sciat formam absolutionis, & noverit distinguere inter peccata mortalia & venialia; ut noscat casus reservatos, impedimenta matrimonii & alia magis communia: item ut sciat saltèm in difficilioribus dubitare ad consulendum doctiores se vel legendum Authores. Ratio est, quia sinè horum omnium scientia perniciosum redditur munus Confessarii. Non tenetur tamen audito quolibet peccato explicitè judicare, esse mortale aut veniale; sed sufficit si audiendo intelligat peccatum esse commissum, licèt non valeat determinatum ferre judicium; quia hoc sæpè est moraliter impossibile etiam viris doctis. Interà præter statim dicta debet Confessarius juxtà omnes, teste P. Urbano, insuper scire distinctionem specificam peccatorum & circumstantias speciem mutantes; item & cognoscere numerum peccatorum, ac ea quæ inducunt obligationem restituendi. Nec in his obedientia tribuit capacitatem sed supponit, & solùm facit, ut Sacerdos in dubio suæ capacitatis existens possit prudenter adhærere judicio probabili sui Superioris & prudenti præcepto; alioqui si certus sit, se non esse sufficienter instructum in supradictis, non debet se subjicere muneri Confessarii; nam *si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadent*, ut nemo sibi blandiatur de obedientia, quæ sicut omnis alia lex, essentialiter debet esse rationalis. Ita Urbanus *tract.* 5. *cap.* 16. Caramuel tamen benè & ex parte lepidè satisfacit iis Religiosis, qui satis docti cùm sint, ajunt, sibi impossibilia injungi, dum jubentur confessiones excipere aut conciones habere. Vide eum in *Theol. fund. par.* 1. *fol.* 345. *& seq.*

208. Quoad casum particularem in hac materia, nota P. Franc. B. Spei *disp.* 8. *num.* 65. hanc ponere resolutionem: *Confessio, in casu extremæ necessitatis, facta Confessario non potenti inter mortale & veniale discernere, licèt pœnitens, bonâ fide, mortale ut veniale confiteatur est valida, nec proindè iteranda; & idem etiam dicendum est de confessione ordinaria, modò Confessarius aliquod saltèm peccatum cognoscat esse peccatum, & ex parte pœnitentis sit bona fides.* Ratio est, quòd in simili casu omnis Sacerdos licitè & validè absolvat, etiam sub uno tantùm *peccavi* in genere, si pœnitens commodè plus non possit: undè peccata, à quibus pœnitens sic fuerit directè absolutus, posteà iterum confiteri non tenebitur. Nec est de confessionis necessitate, quòd pœnitens aut Confessarius totam culpæ gravitatem cognoscat, cùm oppositum sæpè etiam contingat in viris

doctis. Debet tamen doctus pœnitens Confessarium sufficienter instruere de gravitate sui peccati, si in illo ignorantiam notabilem adverterit: quo casu vix contingere potest, quòd pœnitens ob ignorantiam Confessarii confessionem suam repetere teneatur. Hæc omnia Franciscus.

209. Quoad prudentiam, debet Confessarius esse prudens in cavendis incommodis & procurandis commodis pœnitentium & aliorum; inspiciendo quid debeat interrogare, quid docere, & quid silere dum non sperat emendationem, de quibus in superioribus est actum.

210. Denique quoad bonitatem, ut licitè quis ministret Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur ut sit in gratia dum absolvit. Patet ex dictis de Ministro Sacramentorum in genere: item ut vitam saltèm exteriùs honestam ducat; quia aliàs plus obesset quàm prodesset. Intereà nulla requiritur bonitas ad validitatem absolutionis, nisi fidelitas quâ ex vera intentione absolvendi proferat verba formæ.

Petes hîc fortè primò, qualem memoriam peccatorum debeat habere Confessarius tempore absolutionis?

211. Respondeo, si propter durationem confessionis vel dilationem absolutionis, ob casum reservatum v. g. Confessarius sit oblitus peccatorum, quæ Pœnitens est confessus; non est necesse ea iterum confiteri si adhuc recordetur status Pœnitentis in confuso, vel pœnitentiæ injunctæ: sufficiet igitur si Pœnitens verbo se accuset de omnibus quæ priùs confessus est, superaddendo alia si fortè addenda occurrant; ratio est, quia hæc sufficiunt ad ferendum legitimum judicium. Imò si Confessarius anteà Pœnitentiam injunxerit, volunt aliqui, nec hujus, nec peccatorum necessariò debere meminisse tempore absolutionis: quia satis est, inquiunt, si recordetur, illum fuisse confessum & à se dignum judicatum, ut absolveretur, constetque pœnitentiam fuisse datam, quæcumque illa fuerit, & ipsum nullum de novo peccatum commisisse mortale, vel si commiserit, ritè illud nunc fuisse confessum; tunc enim poterit tutò illum absolvere nullo ulteriùs requisito; quia nullâ aliâ ratione status pœnitentis recolendus erat, quàm ut formaretur judicium & taxaretur pœnitentia: quorum utrumque jam ritè factum supponitur. Hæc & alia ex communi, ut ait, Theologorum doctrina tradit Tamburinus *lib. 3. cap. 2. num. 7. & seq.* nominatim citans Suarez & Coninck: quidquid P. Franciscus *num. 74. cit.* dicat, etiam pro se citans Doctores communiter, tunc pœnitentem teneri peccata distinctè repetere: quia hoc casu, confessio non aliter Confessarium Judicem movet ad sententiam, quàm si facta non esset: addit tamen *num. 77.* sufficere distinctam memoriam majoris partis peccatorum, secundùm speciem & numerum aliquando confessorum, & confusam cæterorum: tum quia alia memoria aliquando in confessione generali per dies protracta non videtur possibilis: tum quia judicium sive absolutio, non est de singulis distinctè distributivè, sed de omnibus collectivè, sive de tota collectione distinctè; sicut au-

autem ille rectè dicitur totam aliquam hominum collectionem distinctè videre, dum majorem eorum partem distinctè videt, aliis confusè tantùm visis: ita, &c. Cave tamen inferas: ergo sufficit hæc cætera mortalia confusè confiteri, aut à Confessario confusè audiri. Ita ille.

Petes fortè secundò, an Confessarii rectius agant, communiter opiniones benigniores sequendo, & non rigidiores? Respondet P. Georgius Gobat *in suo Clypeo clement. Iudic.* (quem pro hac sola difficultate edidit) *sect.3. num.* 58. his verbis: *Omnibus consideratis, adeoq́; à parte rei, & absolutè, seu plerumque, atque à toto genere rectius, & consultius agunt Confessarii, & Iudices Ecclesiastici ac Politici, qui ex opinionibus, præsertim circa leges positivas vigentibus, atque verè probabilibus, nec ullo modo repugnantibus receptæ consuetudini, & stylo loci, in quo jus dicunt, benignas & humanæ fragilitati favorabiles usurpant, hac ætate, quàm qui communiter rigidas, onerosasque.* Hanc doctrinam tam generaliter positam, simul ac legi reprobandam duxi: Sed quia in omnibus brevitati studeo, ad utilitatem maximè Parochorum & Confessariorum communium, nesciebam quomodo breviter tam longam probationum congeriem destruere valerem, quibus ipse hanc suam doctrinam firmare conatur. Verùm oportunè id fecit Sanctissimus D. Alexander Papa VII. per duo expressa Decreta damnando varias propositiones tamquam scandalosas, quarum praxim vetat Confessariis sub pœna excommunicationis, non definiendo an sint verè probabiles, &c. nec ne. Aliquas illarum (si non plures, nondum enim omnia illius opera ad manus devenerunt) non tantùm ut verè probabiles, quales revera esse poterant, sed ut absolutè veras supponebat ille Author; ergo & juxta ipsum rectius & consultius agebant Confessarii, &c. illas communiter usurpantes? Absit ut dicamus id rectius & consultius fieri, quòd Summus in terris actionum nostrarum Judex tamquam scandalosum damnat & sub summa pœna vetat. *Omnibus igitur consideratis* (quis namque dicat, illum supremum Judicem per se & per alios non melius considerasse omnia, quæ hac ætate rectè & consultò fiant, quàm unum Doctorem particularem) *non rectius nec consultius agunt Confessarii, &c. qui ex opinionibus, &c. verè probabilibus, &c.* (inter quas juxta ipsum P. Gobat erant aliquæ ex illis damnatis) *benignas, & humanæ fragilitati favorabiles usurpant*: quod nobis breviter notasse sufficiat. Admitto interea, quòd ante dicta Decreta licitum fuerit (simpliciter loquendo, ubi scil. hîc & nunc non apparebat periculum scandali) usurpare aliquas ex illis opinionibus probabilibus, quæ verè juxta plures probatos Authores erant practicè tales; ita tamen ut semper rectius, & consultius fuerit oppositum practicatum ob sententiam dicti Sanctissimi Domini, quæ supponit (& non facit) omnes illas propositiones esse scandalosas.

Ad quæstionem verò positam judico (salvo meliori) non posse generaliter responderi; puto enim Confessarios debere attendere ad conditiones

pœnitentium, & juxta harum exigentiam illos modò consultius benigniores, modò rigidiores opiniones sequi, semper tamen declinando à scand losis, & à sancta Sede damnatis.

§. IV.

De remanente in periculo peccandi.

212. DIco primò, qui est in periculo sive occasione remota peccandi, absolvendus est, si ex parte sua sit benè dispositus: quia cum tali occasione stat firmum propositum abstinendi à peccatis: & aliàs vix quisquam esset capax absolutionis.

213. Dico secundò, qui versatur in occasione peccandi proxima, per se loquendo, non est absolvendus nisi statuat illam deserere: quia qui voluntariè talem occasionem subit, non potest habere verum propositum non peccandi seu vitandi peccatum, juxtà axioma, *qui amat periculum peribit in illo*. Est autem periculum sive occasio proxima, quâ positâ homo frequenter labitur in peccatū; vel secundùm alios, quâ positâ homo necessariò moraliter, sive statim aut quasi statim labitur: econtrà verò occasio remota est, quâ positâ homo non frequenter vel non moraliter necessariò cadit. Dixi *per se loquendo*; quia si simul tres conditiones concurrant, adhuc juxta DD. satis communiter absolvi potest quis existens in periculo proximo mortaliter peccandi: si nimirum verè doleat de peccatis commissis quantum in se est; si habeat firmum propositum se emendandi non obstante dicto periculo; & si adsit rationabilis causa non deserendi simile periculum: addunt alic quartam conditionem, si credat nu rum se non ampliùs lapsurum sta eodem periculo. Verùm ex à no dictis *supra dub*.3. §.1. id non est n cessarium: ibi enim diximus posse f ri, ut quis absolutè proponat de ca ro non peccare, & tamen timeat, i sibi certò persuadeat, se propter fra litatem iterum lapsurum; quod p ter Silvestrum ibi citatum docent iam Sa & Joseph de ortu apud Pou *par*. 1. *verbo absolutio num*.1. Qu possunt quandoque absolvi ancil quæ sæpiùs peccarunt cum domi suis, licèt se ab iis non separent, qu do scil. servitium deserere non pos sinè magno detrimento. Ratio quia in dictis casibus non dicuntu occasionem voluntariè eligere, sed voluntariè tolerare; quod licitum cùm ipsa in se non sit peccatum, gravi necessitate. Atque hoc et maximè puto locum habere pos filiis-familias assuetis peccare cum cillis, quas nec possunt expellere, commodè ipsi paternam domum serere.

Volunt aliqui, etiam interc concubinarium posse absolvi, qui c cubinam dimittere non valet magno scandalo, si verè doleat, & in

mirer proponat emendationem; sed ego puto hunc casum vix posse accidere: & ne inconsiderati Confessarii fortè ob alios magis frivolos prætextus concubinarios absolvant concubinas non dimittentes, consideratè Sanctissimus Dominus Alexander VII. sequentem damnavit propositionem. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii,* vulgò regalo, *dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.*

214. Adde insuper meo quidem judicio, debere omnes prædictos paratos esse adhibere remedia judicio Confessarii necessaria contra relapsum: ut quòd talis ancilla nunquam sola maneat in cubiculo cum suo domino, quantum fieri potest; ut moneat eum nomine Confessarii, &c. quibus positis pluries, etiam septuagies septies, secundùm Pourrè *loc. cit. num.* 2. & toties quoties juxtà Sancium apud Dian. *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 55. post relapsum absolvi possunt; quod & vult Burghaber *Centur.* 2. *casu* 63. quamvis tamen Suarez, Navarrus & alii communiter doceant, post valdè frequentem relapsum, & dum nulla cernitur vel speratur emendatio, absolutionem esse negandam, eò quòd tunc præsumatur fictitium propositum emendationis. Verùm contra hos suam sententiam probat Sancius, quia non est moraliter impossibile, pœnitentem modò verè dolere & emendationem proponere, ac statim occasione accedente mutare propositum & relabi: dum autem pœnitens habet verum propositum & verum dolorem, dignus est absolutione, ac consequenter habet jus ad illam, nec ei negari potest nisi fiat de ipsius consensu. Ita Sancius apud Dianam supra, qui hanc doctrinam relinquit aliis judicandam, quod & facit Bassæus verbo *absolutio num.* 7. Ast ego puto omninò à Doctrina communi & veteri non esse recedendum: licèt enim concedatur Sancio, non esse moraliter impossibile, pœnitentem modò verè dolere, &c. ex adeo frequenti tamen relapsu id, quod secundùm se est possibile, hic & nunc in simili pœnitente præsumitur non contingere; nisi fortè haberet extraordinarium dolorem & propositum. Quod addo, quia hæc juxta Lugo & Tamburinum efficiunt, ut occasio jam non sit proxima, cùm homo sic armatus fortis sit, adeoque ab eo ut sic sperari possit victoria. Idem dic de eo, quem Confessarius experitur rariùs & rariùs peccare: illi verò, cui hæc desunt, meritò monet Marchantius applicanda esse verba Christi, *si oculus tuus aut pes, aut manus scandalizat te, projice eã:* hoc est, inquit, licèt aliquis tibi tam commodus aut necessarius videatur quàm est oculus, &c. & tamen propter illum tibi ruina est salutis, melius est ut ejus emolumentis careas, quàm ob illum protraharis in gehennam: ideo fac separeris, aut separa te ab illo, quamvis tibi conjunctissimus sit aut utilissimus: nam sicut præstat ut cum uno oculo, pede, &c. ingrediaris regnum cælorum, quàm cum duobus mittaris in gehennam, ita & hic. Sic Marchant.

chant. *in resol. Pastor. tract. 4. tit. 3. quæst. 1.* & etiam ego: Attende etiam ad periculum, cui pœnitens exponitur, moriendi scil. in suo peccato, quod præponderandum est omnibus aliis commodis, quæ exspectari possunt ex permanentia in occasione proxima peccandi.

DVBIVM SEPTIMVM.

De sigillo Confessionis.

§. I.

Quid sigillum, & quæ sub eo cadant?

215. Dico primò, sigillum hîc est secretum maximum & universale, ad quod omnis ille obligatur, qui accepit notitiam peccati occasione confessionis Sacramentalis. Ita DD. communiter. Unde hoc sigillo tenetur inprimis Confessarius, quod certum est apud omnes: deide etiam interpres si quis adhibeatur: sicut & Doctor vel alius quicumque, quem pro difficilioribus consulit Confessarius. Ita etiam DD. communiter, quamvis Dian. *par. 2. tract. 1. resol. 14.* cum aliis quatuor, oppositum, quoad hoc ultimum, probabile dicat. Item sæcularis, cui alter confitetur, putans eum esse Confessarium: non autem si ei quodcumque peccatum dicat extra confessionem, licet addat se id non aliter ei aperire, quàm sub sigillo confessionis: quia ubi non est confessio, saltem putata, vel vera inchoata, non potest esse sigillũ confessionis, ut contra Adrianum, & Navarrum sustinent cæteri communiter apud Burghaber *Centur. 3. casu* 8. Insuper etiam ligantur qui per malitiam Confessarii, vel casu audiunt peccatum, quod pœnitens actu confitetur. Item legentes confessionem scriptam; quamquam juxta P. Urbanum *tract. 2. cap. 10.* probabilius sit, hos ultimos solùm ligari secreto naturali, si illam legerint extra actualem confessionem. Quibus adde, Confessarium & alios prædictos non violare sigillum, etsi revelent peccatum confessum, si illud aliunde ipsis ante vel post confessionem innotescat: possunt enim hâc notitiâ uti abstrahendo à scientia parta per confessionem, ut docet Urban. *loc. cit.* & Bacho *in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 4.* qui ultimus tamen rectè monet, propter periculum scandali non deberi id à Confessario revelari; nisi vel urgeret magna necessitas vel periculum vel scandalum vel utilitas: & tunc, inquit, debet dicere, hoc vidi vel audivi ab eo extra confessionem vel ab aliis. Vide etiam Franc. B. Spei *disp. 13. num. 14. & seq.* qui in supradictis nobiscum sentit. Est & alius casus in quo liceat audita

in confessione revelare, dum scil. ad ad hoc datur licentia ab ipso pœnitente: hanc tamen unquam petere, vel obtentâ uti sub quocumque prætextu dissuadet omninò Urbanus, & bene, quia aliis hoc rescientibus fieret Sacramentum onerosum.

216. Non tenetur sigillo ipse pœnitens, cùm enim possit dare licentiam Confessario ad revelandam confessionem, potest id & per se facere: tenetur interim ex lege naturali celare acta in confessione, quæ vel seipsum sinè justa causa infamarent, vel bonæ æstimationi Confessarii detraherent. Cæterùm hoc sigillum tam graviter obligat, ut sit potiùs moriendum, quàm vel in aliquo ei contraveniatur. Ita iidem Bacho & Urbanus ex communi Ecclesiæ sensu.

217. Dico secundò, sub dicto sigillo cadunt inprimis omnia peccata mortalia tam in generali quàm in speciali, & venialia omnia in speciali. Ita ad unum omnes teste Bachone: deinde etiam omne illud ex quo deveniri potest in conjecturam peccati mortalis in genere, vel mortalis aut venialis in particulari, vel indispositionis ad absolutionem. Quare si ob pœnitentis indispositionem aut aliunde ei negetur absolutio, & ipse tamen à Confessario petat testimonium confessionis à se factæ, tenetur id Confessarius ei dare juxta Dian. in multis locis, ac novissimè *par.11. tract.5. resol.14.* cui se opponunt Franciscus & Dicast. docentes absolutè, Confessarium debere scedam negare; ac contra Aversam loquentem cum distinctione & dicentem, eum quidem teneri dare si alter publicè est Confessus, secus si insciis aliis: item contra Henriquez & Lugo qui docent Confessarium licitè posse vel concedere vel negare absolutè loquendo.

218. Insuper sub sigillo cadunt etiam circumstantiæ peccatorum & peccata sociorum, quod certum est. Deniquè juxtà Urbanum, Franciscum & plures alios etiam defectus naturales, qui innotescunt ex declaratione peccatorum: quia id ex Christi instituto colligitur: qui sicut voluit in novo testamento omnes astringere ad confessionem tanquam ad remedium pro peccatis mortalibus: ita & voluit claudi hoc arctissimo sigillo omnia, quæ aliàs possent hominibus confessionem odiosam reddere, ac jugum quodammodo importabile. Putarem tamen in hoc ultimo quandoque ob levitatem materiæ Confessarium posse excusari, saltem à peccato mortali, ut si revelet scrupulositatem, levitatem vel morositatem pœnitentis. Imò Dian. *p.5. tract.11. resol.50.* docet, Confessarium dicentem, quòd talis pœnitens in confessione sibi scrupulis obtundat caput, non frangere sigillum ullo modo, addens sic DD. communiter docere; quod & repetit *par. 10. tract.12. resol.24.* ubi arguit Tamburinum, quòd hanc sententiam vocet improbabilem, quam præter sedecim à Diana citatos docet etiam Marchant. *in resol. past.* Cujus ratio est, quia tali modo loquendi potiùs significatur pœnitentem non habere ulla peccata. Verùm cùm Franciscus B. Spei dicat, scrupulos sibi videri materiam confessionis, quia ex sola peccatorum confessio-

... rescunt ; omninò id tatimo. Addo à Burgha-casu 33. ex Cardin. de Lugo ... ncto plausibilem adferri ..., dicente, prædictum ... violare sigillum, si pœ- ... ulositatē sit confessus, vel ... erit ad declaranda pecca- ... entiam, quia sic saltem in ... materia confessionis : non si scrupulositas tantùm ... ex modo confitendi, quia ... confessione auditum reve- ... per hanc distinctionem ... fieri diversis Authorum ... : illamque nos implicitè ... initio hujus numeri quoad ... naturales in generali. Cæterùm in revelatione peccatorum juxta DD. communiter non datur ulla materiæ levitas, sed vel solùm veniale revelare docent unanimiter esse mortale, quamvis tamen propter inconsiderationem aut indeliberationem possit quandoque à culpa mortali excusari. An verò frangat sigillum Confessarius revelans pœnitentiam à se injunctam? distingui debet, frangit si revelet pœnitentiam gravem pro mortali vel gravioribus aut multis venialibus imponi solitam, secus si levem. Adde sigillum non frangi per hoc, quòd dicatur de pœnitente, ipsum esse blæsum, habere halitum fætentem, & similia, quia hæc etiam extra confessionem sunt obvia.

§. II.

An Confessarius uti possit scientia Confessionis?

219. DIco, scientiâ per solam confessionem habitâ Confessarius uti non potest in quocumque casu, quamvis nec pœnitens, nec ullus alius in notitiam illius usus venire possit, modò id cedat in detrimentum quodcumque pœnitentis. Ultima pars est contra nonnullos recentiores: probatur tamen tota resolutio manifestè, ut puto, ex prohibitione Clementis VIII. qui anno 1592. 26. Maii *inhibuit* Religionum Superioribus, *ne quidquam facerent ex scientiâ confessionis*: ubi nihil tangitur de eo quòd hoc possit innotescere cuiquam nec-ne: quod decretum juxta Caspensem & alios non solùm intelligendum est de Superioribus, sed generaliter de omnibus Confessariis, prout ex verbis ejusdem decreti colligitur. Probatur insuper ultima pars resolutionis adhuc manifestiùs hac ratione; quia si ex notitia confessionis licitū esset v.g. Superiori ob peccatū in confessione auditum, privare subditum officio amovibili ad nutum; & cuilibet Confessario negare v.g. suffragium pœnitenti, quo solùm per confessionem cognoscit indignum, dum ipse pœnitens aut ullus alius devenire

non

non potest in illius notitiam, pœnitentes meritò conciperent horrorem hujus Sacramenti & aversionem ab eodem: nam licèt ego pœnitens v. g. nec suspicari quidem possim, me deponi ab officio vel me ad illud non eligi; quia talis vel talis scit meam malam vitam ex confessione; hoc ipso tamen quòd sciam, tibi Confessario Superiori licitum esse ob dictam scientiam me deponere, mihi negare suffragium, &c. habeo sanè quod timeam si me tibi aperuero: & revera mihi durum est deponi ab officio, non eligi,&c. quamvis prorsus ignorem unde id mihi contingat. Imò id multò durius est, quàm si Confessarius revelaret aliquod peccatum veniale: ac consequenter plus à confessione avertit: quis autem dicet Christum prohibere fieri hoc secundum minùs durum & minùs avertens à confessione, quàm primum magis,&c? Quare existimo hanc esse certam resolutionem, nec ullatenus posse oppositam practicari post dictum Decretum Clementis VIII. quod non puto ob aliam rationem editum, quàm quia aliqui tum temporis contrariam sententiam probabilem judicabant. Vide etiam Decretum Claudii ab Aqua-viva Generalis PP. Societatis anno 1590. quo illud idem suis fratribus districtè inhibet: quapropter summopere miror Busenbaum *lib. 6. tract.4.cap.3. dub.*1. adhuc sententiam oppositam probabilem existimare, nostram tantùm vocans veriorem; maximè cùm absolutè dicat, eam posse pœnitentem absterrere à confessione, & parum ante doceat, sigillum confessionis esse obligationem strictissimam in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum (& consequenter ad per se etiam non utendum, quia utriusque est par ratio) omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum vel odiosum: quod mihi manifestè contingere videtur posito, quòd dictus usus scientiæ per confessionem partæ licitus esse cognoscatur. Vide Dianam *par.*11.*tract.* 5.*resol.* 15. dicentem se semper in nostra sententia persistere: & Franciscum B. Spei *de Pænit. disp.*13.*num.*47. ubi dicit,quòd in sententia opposita vix ullus Regularis ad alicujus peccati gravis confessionem obligaretur: ac objicienti, ideo Prælatis aliqua peccata reservari, ut subditos in ordine ad gubernationem meliùs nosse valeant: respondet id esse falsum,idque solùm fieri, ut inferiores eorum gravitatem magìs apprehendant.

220. Verùm per hæc non volo quòd Superiores nequeant obire suum munus æquè ac si nihil ex confessione noscerent: ut reædificare murum prolapsum, claudere clancularium aperturam, committere officia pro sua libertate, &c. ut loquitur P. Urbanus *tract.*2.*cap.*10.sed puto eum sicut & cæteros adversæ partis, contradictoria docere dum docent, posse Confessarium uti scientiâ per confessionem obtentâ quando nullus, nequidem ipse pœnitens potest devenire in ejus usus notitiam vel suspicionem,non tamen dum per hoc redderetur confessio onerosa pœnitenti: quia existimo verissimum esse & omninò manife-

 stum,

ſtum, ut dixi ſupra, reddi confeſsionem odioſam & oneroſam pœnitenti eo ipſo, quòd ſciat, Confeſſarium, etiam pœnitente omninò inſcio, poſſe uti ſcientiâ confeſsionis in pœnitentis detrimentum quodcumque: quod miror à tantis DD. non percipi. Vide Marchantium ſuprà in appendice de ſigillo confeſsionis, qui omninò accedit ad nos: & Franciſcum B. Spei ſuprà *num.* 59. ubi varios inconſequentiæ arguit.

221. Dixi *in pœnitentis detrimentum:* quia licitum eſt Confeſſario, primò in bonum pœnitentis uti dictâ ſcientiâ etiam ipſo conſcio, ut orando pro ipſo, & majorem de illius ſalute curam gerendo, modò tamen inde nullatenùs gravetur pœnitens, nec ullus alius devenire poſsit in ſuſpicionem alicujus peccati pœnitentis. Ita Urban. ibid. puta, quia in his implicitè pœnitens ordinariè reputatur conſentire. Addit tamen benè, pœnitentes, qui eodem ſemper utuntur Confeſſario, debere explicitè hanc ei impertire confidentiam, cumque illo ſæpiùs conferre de remediis ſuorum peccatorum: & aliàs in pœnitentium defectu, meo judicio, debent Confeſſarii dictam licentiam petere, ſi vel minimè dubitent de pœnitentis conſenſu; nam aliàs ex ſeipſis ſimilia colloquia inſtituere non poſſunt cùm id cedat in odium confeſſionis: quidquid tamen Sanchez *lib.* 3. *de matrim. dub.* 16. cum communiori (ut teſtatur Tamburinus) neget tunc frangi ſigillum, quia fractio ſigilli, inquit, eſt fractio ſecreti, ſecretum verò non frangit, qui cum eodem, qui ſecretum commiſit, loquitur.

222. Secundò etiam licitum putant aliqui uti ſcientiâ confeſsionis in bonum proprium, dum talis uſus nec verſatur circa perſonam pœnitentis, nec cenſetur ipſi odioſus, nec ex eo poteſt quis ullo modo venire in ſuſpicionem peccati pœnitentis. Ratio eſt, quia nec hîc uſus reddit confeſsionem pœnitenti oneroſam, nec eſt fractio ſigilli. Quare poteſt, juxta illam ſententiam, Confeſſarius ſe prudenter ſubducere à celebratione Miſſæ, quando ex confeſsione noſcit vinum veneno eſſe infectum, poſitas eſſe inſidias, &c. item poteſt arcam ſuam meliùs claudere quando ſimiliter cognoſcit res aut pecunias ſuas furto auferri, & ſimilia: quia, hæc præſumuntur nullo modo reddere confeſſionem odioſam pœnitenti: vel maximè cùm ipſe pœnitens, utpote qui per verum propoſitum ſtatuit peccata deſerere, in ſimilibus cooperari debeat potiùs quàm obſiſtere, ut occaſiones peccandi tollat. Non igitur, inquiunt, de hoc uſu ſcientiæ eſt intelligendum Decretum Clementis VIII. cujus motivum fuit, ſcientiæ per confeſsionem partæ uſum ad exteriorem gubernationem inhibere, eò quòd odioſam redderet confeſsionem. Ita Sfortia, Theulus, Leander & Buſenbaum apud Dianam *par.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 50. licèt ipſe cum Dicaſtillo negativam ſententiam etiam in tali caſu ſuſtineat: & Franciſcus B. Spei *loc. cit. n.* 57. in terminis doceat, *in caſu, quo aliqui in Confeſſarii mortem conſpiraſſent, ut de nocte dormientem occiderent, aut venenum in vino conſecrando miſcuiſſent, & Confeſſarius ex omnium illorum confeſsione id audiviſſet,* non

non posset absque fractione sigilli, sinè licentia pœnitentis fugere, aut à consecratione abstinere. Certè malo ego cum his non nihil severè obligare Confessarios in hac materia, quàm cum aliis ipsi Sacramento injuriosus apparere, ac fideles ab ejusdem usu arcere.

223. Petes, an si Confessarius sciat ex confessione, talem mulierem, dum vocat Confessarios ut domi confiteatur, sæpè illos sollicitare, possit ipse vocatus se excusare ob periculum lapsus. Respondet Dicastillus apud Dianam *par. 11. tract. 5. resol. 15.* negativè dicens: quod dictum est de periculo vitæ corporalis; scil. nec propter illud vitandum, posse aliquid fieri in detrimentum sigilli; habere etiam locum in periculo spirituali, ita ut licèt ex confessione sciat sibi parari periculum spirituale, non possit propter illud vitandum aliquid tale facere. Dixerat autem ante, licèt Prælatus ex confessione sciret, aliquem non esse Sacerdotem, adeòque omnes confessiones illi factas esse irritas, non posset tamen illum non designare in Confessarium si aliàs hoc erat facturus. Quidquid prædicti negaturi sint, in his usibus sigillum pati detrimentum, si inde nullus possit devenire in suspicionem peccati pœnitentis.

224. Adde primò, licitum esse Confessario, dum adest causa rationabilis, tempore confessionis loqui cum pœnitente de auditis in ejus præcedentibus confessionis. Patet ex praxi timoratorum Confessariorum negantium absolutionem propter nimium frequentem relapsum: & ratio est, quia sicuti dum extrà confessionem pœnitens de peccato, quod confessus est, consulit Confessarium, jam satis ei dat licentiam de eo loquendi, imò hoc ipsum ab eo requirit: ita similiter quando statum animæ suæ exponit, & de eo judicari ac tractari vult in secunda confessione, satìs censetur de necessariis ad bonam confessionis directionem Confessario tractandi secum potestatem facere: quod magìs locum habet, quando peccata prioris confessionis sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda confessione expressorum. Ita Malderus apud Dianam *par. 5. tract. 11. resol. 20.* quæ eadem verba addit Tamburinus *par. 1. lib. 5. cap. 5.* ex eodem.

225. Adde secundò, quando quis accedit ad Confessarium, non ut confiteatur sacramentaliter, sed ut Confessarium illudat, eum pertrahat ad peccatum, ei inferat injuriam, &c. quod Confessario certò constat ex apertis indiciis, tunc Confessarium non ligari sigillo: qu a tum confessio neque inchoativè est sacramentalis, sed tota ficta, pro qua sigillum non est institutum. Ita communiter omnes; quidquid Bacho *in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 4.* contrarium videatur docere, citans D. Thomam: verùm puto eum loqui, dum quis saltèm inchoativè sacramentaliter est confessus.

* * *

§. III.

Continens quædam monita quoad hanc materiam.

EX dictis duobus Paragraphis præcedentibus:

226. Colligitur, rem prorsus periculosam esse, extra confessionem, maximè coram sæcularibus, loqui quomodocumq; de auditis in cõfessione: quia facilè audientes indè judicant, Cõfessarios semper memoriâ tenere sua peccata, ac propter hæc se respici aut despici, ex quo concipiunt horrorem confessionis: & in particulari omninò illicitum est.

227. Primò, dicere, *se talem pœnitentem non absolvisse*; *eum habere casum reservatum*; *esse malæ vitæ*; item post auditas confessiones in pago aut civitate non ita populosa, aut ubi non sunt tam frequentes pœnitentes, dicere *ibi committi multa adulteria, usuras aut similia*: quia hoc esset dare occasionem suspicionis de aliquibus in particulari; præterquàm quòd ipsa Communitas per hoc aliquâ infamiâ afficiatur, reddátque audientibus confessionem odiosam.

228. Secundò, illicitum est Confessario alicujus Conventus v. g. unum præ aliis laudare, dicendo, *quantum ad istam personam, sola venialia confitetur &c.* quia per hoc indirectè alii infamantur, cùm talem comparationem instituendo detur intelligi, quòd alii graviora confiteantur; licèt id non fiat, dum de aliqua persona in particulari, præcisâ comparatione, fit sermo.

229. Tertiò, quando duo Confessarii audierunt eundem pœnitentem, non possunt de ejus peccatis auditis tractare: nec, si ex confessione unius dignoscat Confessarius complicem, potest postea hunc interrogare similiter confitentem, ita ut possit venire in cognitionem, quòd alterius peccatum sit notum per confessionem: ac si prudenter & cautè in genere interrogando illum sicut cæteros, perneget, se id fecisse, debet illi credere potiùs quàm alteri. Ita P. Urbanus. Quibus adde ex Maldero; multò minùs licere Confessario ex auditis in confessione ad aliorum correctionem procedere: quia secretum debet servare Confessarius; atque eo ipso minùs potest corripere, quò magis secreto tenetur; unde subdit, omninò illicitum esse, in confessione Confessario revelare alterius crimen in illum finem, exclamans, *ô quàm facilè hoc maligno sæculo, si hæc fenestra pateat, continget, criminatrices Prælato sua peccata venialia confiteri, ut aliorum mortalia corripienda prodant, absit hic abusus ab Ecclesia Dei.* Absit & ille, ut aliquorum Religiosorum consensu, Prælatus legem ferat, quâ obligentur ad correptionem delinquentium, singuli in confessione referre etiam peccata alio-

rum

rum: licèt enim confitenti oporteat credere pro & contra se, non est tamen contra alium ei credendum in confessione, ne detur occasio fictæ confessionis & fraudulentæ infamationis. Adde, confessionem non esse institutam, ut corripias alium, sed teipsum. Vide etiam Bassæum verbo *Confessio Sacramentalis cap.* 7. *num.* 23. & Pourrè *par.* 1. verbo *Sigillum,* qui ambo optant præcedentem doctrinam sapientissimi Antistitis altâ mente reponi à Confessariis.

230. Quartò, insuper prorsus illicitum est, joci causâ ad recreationem narrare audita in confessione, quamvis absit omne periculum revelationis: quod peccati mortalis arguit Pourrè ibid. *num.* 6. eò quòd id valdè inhonestum sit & irreligiosum, ad jocos adhibere quæ ex isto Sanctuario sunt accepta. Undè Sotus, Hostiensis, Layman, Sylvius, & alii passim volunt, tales Confessarios privandos esse facultate audiendi confessiones: de iisque dicit Malderus, quòd videantur partem habituri cum illis Babiloniis, qui temulenti biberunt ex sacris vasis Templi, *Danielis* 5.

231. Quintò, Confessarius excipiens confessionem publici peccatoris, puta usurarii, latronis, meretricis, &c. non potest dicere, *ille summo cum dolore confessus est suas injustitias, latrocinia, &c.* quamvis enim illa peccata sint omnibus nota, & videatur solùm Confessarius hoc dicere in laudem conversionis eorum; infringit tamen sigillum revelando peccata mortalia; ac confirmat audientes in scientia dictorum peccatorum. Ita communiter omnes contra Medinam. Intereà potest Confessarius generaliter dicere de prædictis, *Ille confessus est sua peccata cum lachrymis,* & similia: quia per hoc non tanguntur eorum peccata, quæ & qualia sint. Ita plures, quidquid adhuc consultiùs putem ab his locutionibus abstineri, ne audientes inde colligant similes confessos esse suas usuras, &c. sed

Quid faceret Confessarius interrogatus de peccatis auditis in confessione?

232. Respondeo regulariter loquendo, eum debere similem interrogationem abjicere tanquam execrabilem: si tamen id induceret petentem in suspicionem mali, dicat audacter, se nihil eorum scire, jurétque si opus fuerit: quia sensus similis juramenti est juxtà P. Franciscum in his circumstantiis, *Nihil scio, ut revelem, malè interrogas, &c.* vel sensus est, quòd nullam habeat scientiam communicabilem, vel quòd, ut homo est, nihil eorum sciat, prout solùm, ut homo est, interrogatur, non verò ut Deus, quomodò tantùm sciat ea, quæ in confessione audivit: quòd si autem Confessarius interrogetur, an talem pœnitentem absolverit? Respondeat se fecisse quod erat sui muneris: ac si in casu, quo pœnitenti scedam negaverit eò quòd confessus non sit debito modo, interrogetur, an scedam negaverit? Respondere potest, *Non negavi,* quia id tunc significat, *Feci quod debui, &c.* Cæterùm in pœnam frangentis sigillum, debet Confessarius detrudi in monasterium ad rigidam subeundam pœnitentiam

ad

ad vitam: quæ tamen pœna neminem ligat ante ſententiam Judicis: pro quo vide Franc. Bonæ Spei *diſp*.13. *num*.74. qui & *num*.76. oſtendit, hoc crimen difficulter probari poſſe.

DVBIVM OCTAVVM.

De Pracepto Confeſsionis.

§. I.

An exſtet Præceptum Divinum, & quos liget?

233. Dico primò, confeſsionem Sacramentalem eſſe ſub præcepto Divino, fidei eſt, prout contra Hæreticos volentes eam eſſe impoſſibilem ac proindè ab homine inventam definitum eſt in pluribus Conciliis & nominatim Tridentino *ſeſſ*. 14. *cap*. 5. citante ea verba Evangelii *Ioannis* 20. *quorum remiſeritis peccata, &c.* Conſtat item ex *cap*. 16. *Matthæi*, ubi ſimiliter Sacerdotes à Chriſto cõſtituuntur Judices ad proferendam ſententiam abſolutionis vel eam negandam: ad quod neceſſariò requiritur, ut fideles ſua peccata ſpeciatim exponant & confiteantur; judicium enim, ſive prolatio ſententiæ, ſine cognitione cauſæ nullatenùs fieri poteſt. Idem etiam patet ex dictis ſuprà, quòd Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto ſit inſtitutum, ut remedium neceſſarium ad ſalutem.

234. Dico ſecundò, hoc Divinum præceptum obligat omnes adultos baptizatos exiſtentes in ſtatu peccati mortalis, quoties ſumenda eſt vi præcepti, vel ex devotione ſumitur Euchariſtia. Aliàs autem per ſe non obligare extra periculum mortis, docent plures cum D. Thoma; quod & videtur ſatis conforme Tridentino ſuprà: quidquid non improbabiliter Baſſæus cum aliis velit, dictum præceptum obligare aliquoties in vita citra mortis periculum: cujus ratio eſt, quia cùm hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum ſit ut morbi ſpirituales animæ curentur, non videtur veroſimile, illius uſum ſolùm ſemel in vita obligare: quare mortaliter juxtà hanc ſententiam probabilem delinquit contra præceptum Divinum, qui per plures annos differt confeſſionem: de quo non eſſe dubium aſſerit Baſſæus; quia, inquit, præcepta affirmativa non ſolùm obligant in extrema neceſſitate, ſed etiam quando rationabiliter judicatur eorum actus eſſe neceſſarius. Ita etiam Reginaldus, Victoria, Sotus, Covarruvias, Suarez, Bonacinas & alii. Vide Dianam *par*.11. *tract*.

tract. 6. resol. 62. & *tract. 8. resol. 51.* ubi inquirit, an quis statim à peccato commisso teneatur ad pœnitentiam imperfectam. Vide etiam Franc. Bonæ Spei *de Pœnit. disp. 5. num.* 49 ubi docet, incertum esse, an extra periculum mortis obliget dictum præceptum Divinum.

235. Probatur interim resolutio nostra quoad articulum mortis: quia præceptum divinum confessionis, si unquam obligat, maximè tunc, cum omnis homo obligetur divino præcepto, imò & naturali, consulere necessitati gravi suæ spirituali, adeoque & prospicere proximo periculo damnationis æternæ. Hinc Innocentius III. & post ipsum Pius V. mandarunt omnibus Doctoribus Medicis, ut antequam circa sanitatem corporis ægroti quidquam disponant, eum moneant de instituenda confessione. Quod tamen mandatum non obligare, dum æger est in periculo mortis & pertinaciter perseverat in renuenda confessione, vel quando Medicus certò sibi persuadet suam monitionem nihil profuturam propter infirmi obdurationem, docent Sanchez, Diana, Suarez & alii plurimi, quos citat & sequitur Bassæus verbo *Confessio Sacramentalis num.* 7. quia mens dictorum Pontificum fuit, consulere saluti spirituali infirmi, ad quem finem inutilis in casibus positis esset monitio. Ita illi. Nec tenetur tunc Medicus infirmum obstinatum relinquere & permittere eum mori defectu medicamentorum; quia hoc potiùs cederet in damnationem æternam infirmi. Quare dum Pius V. ulteriùs præcipit, infirmum ultrà tertium diem non esse visitandum, nisi constet Medico de illius confessione, solùm obligat quando prudenter speratur, eum confessurum, eò quòd videat se à Medico derelictum, ut sic scil. obtineat reditum Medici. Ita plures. Imò nunquam deserendum esse infirmum, dum absentia Medici esset graviter nocitura infirmo, docet Diana *par. 3. tract. 4. resol.* 93. addens cum multis, juramentum à Medicis præstitum exequendi decreti, solùm intelligi in quantum præsens constitutio Pii V. usu recepta est, prout eam non esse receptam in vigore majori asserit Filliucius *tr. 7. n.* 54. Vide etiam Caramuelem *par. 1. Theol. fundam. fol.* 542. qui supposità acceptatione Bullæ agit contra Dianam & consequenter contra à Bassæo relatos, dicens;

236. Datur in Rep. quà Ecclesiastica & quà sæculari authoritas præcipiendi aliqua sub pœna capitis: & ultimâ condemnantur sententiâ Hæretici ab Inquisitoribus, & à Principibus alii scelerati: cur igitur non poterit præcipi confessio ultima sub pœna capitis? & si poterit, cur non etiam sub pœna carendi Medicis & medicinis in casu etiam (possibili & impossibili) quo præsciretur certò, ægrum sinè Medico moriturum? Ergò in tali casu Medicus non teneretur juvare ægrum quà proximum ex charitate, neque quà Medicus ex officio: qui enim à Principe ultimâ condemnatur sententiâ, non debet privatà pietate juvari. Hæc Caramuel; si non resolutivè, ea tamen proponit aliis solvenda. Verùm meo quidem judicio nihil contra Dianam habere

bere videtur: Diana enim non loquitur de potentia, nec inquirit an oppositum suæ sententiæ fieri possit: sed simpliciter docet, id de facto per dictum decretum non esse factum, quod puto omninò verum: quia ut benè Diana cum aliis, mens Pontificis est, per desertionem Medici ægrum inducere ad confessionem; non verò ad mortem temporalem & æternam condemnare, prout manifestum videtur: cùm enim hoc ultimum nullatenùs exprimat, odiáque sint restringenda, omninò in re tanti momenti in favorem rei inclinandum est: vel maximè cum à tot ac tantis DD. nullo Summo Pontifice contradicente, nostra & Dianæ sententia hucusque semper & impressa & approbata fuerit.

§. II.

Quos & quomodo liget Præceptum Ecclesiasticum Confessionis?

237. EXstare præceptum Ecclesiasticum de confessione, constat ex cap. *Omnis de pœnitentia & remissione*: ex Lateranensi sub Innocentio III. & Tridentino *sess*. 14. *can*. 8.

Dico, hoc præceptum obligat omnem baptizatum adultum, in peccatum mortale, post Baptismum lapsum, ad semel intra quemlibet annum confitendum, nullâ tamen anni parte determinatâ. Est certum ex dicto cap. *Omnis*: quia verò exstat præceptum de communicando circa Pascha, per accidens ordinariè tunc & hoc præceptum obligat; Ecclesiasticum scil. si quis reliqua parte anni non fuerit confessus; solùm verò divinum, si aliàs eodem anno adhuc sit confessus. Si tamen quis toto anni tempore esset extra statum peccati mortalis, non teneretur isto anno confiteri: nam ex Tridentino clarum est, venialia non esse materiam necessariam confessionis: hinc solùm consilii est illa confiteri. Addit tamen benè P. Urbanus *tract*. 1. *cap*. 36. eum, qui solùm propterea negligeret confiteri, quia non admisit ullum mortale, facilè citò in illud lapsurum; vel etiam, inquit, vix potest quisquam tamdiu à confitendo abstinere, qui non patiatur novam aliquam mortalem, quamvis eam non sentiat aut discernat; tutiùs est ergò ut venialia confiteatur, directéque ab his absolvatur & simul indirectè à mortalibus, si quæ lateant. Ita optimè ille. Dixi in resol. *Omnem baptizatum*: quia licèt non baptizati obligentur præcepto divino ad Baptismum suscipiendum; & ad Eucharistiam: non tamen ad Sacramentum Pœnitentiæ, cùm hoc sit tantùm peccatorum post Baptismum commissorum: nec Ecclesia habeat jurisdictionem in eos, qui foris sunt. Aliud autem est de hæreticis.

cis. Dixi etiam *omnem*; quia quoad vim directivam etiam ipse summus Pontifex comprehenditur. Vide Franc. B. Spei *de Pœnit. disp.* 5. *n.* 57.

238. Quandonam autem pueri fiant adulti, ita ut hoc præcepto incipiant ligari: communiùs dicitur, dum incipiunt mortaliter delinquere, quod juxtà DD. communiter contingit post septimum vel octavum annum, quamvis Dominic. Soto existimet, eos tantùm hoc præcepto obligari circa annum duodecimum vel decimum quartum. Verùm id ego cum aliis puto ita metaphysicè definiri non posse, sed relinquendum esse judicio prudentum Confessariorum aut parentum: quia pauci septem annorum sunt capaces hujus Sacramēti, & multi capaces sunt ante annum decimum: unde P. Franciscus docet communiùs omnes saltèm ab anno nono habere sufficiens judicium discretionis ad mortaliter peccandum. Videant ergo Pastores & Parentes an discernant bonum à malo, an pudefiant de mendacio, de commissa impudicitia, &c. ubi adverte, aliquem factum adultum, qui puer existens putavit aliquod peccatum tantùm esse veniale & ideo omisit confiteri, non teneri repetere confessiones, sed solùm repetere illud peccatū: quod fortè nec facere debet, juxtà Marchantium : quia ex imperfecto usu rationis non fuit nisi veniale, licèt ex sua natura fuerit mortale. Hoc mēte retine ob multas puellas, vel matronas, quæ sæpè torquentur ob aliquas actiones impudicas exercitas in ætate fortè quinque vel sex annorum, quas præ verecundia confiteri non audent: quia ob imperfectum judicium plerumque hæc non fuère nisi venialia, adeòque non sunt necessariò confitenda.

239. Quomodo annus, intra quem fideles confiteri obligantur, debeat computari; non ita DD. conveniunt: quidam dicunt, cum P. Francisco, eum computandum à prima die Januarii usque ad aliam primam diem anni sequentis exclusivè : alii communiùs juxtà Bassæum volunt, unicuique computandum esse suum annum ab ultima confessione. Sunt hæc omnia probabilia. Nec refert quòd juxtà primam sententiam possit quis confiteri in principio hujus anni & in fine sequentis, ac sic ferè per biennium esse absque confessione : quia sic etiam absque mortali potest sacerdos officium legere hodie in principio diei & cras in fine, ac sic ferè per duos dies esse sinè recitatione officii.

240. Cæterùm juxtà communem, ille qui prævidet se non habiturum copiam Confessarii reliquo tempore anni currentis, tenetur prævenire si sit in peccato mortali, & modò Confessarius adsit : quia hoc præceptum non habet tempus determinatum, sed obligat simpliciter ad confitendum semel in anno, quod prædictus potest facere in illa opportunitate : ergo tenetur tunc confiteri; quia alioqui sciens & volens reddit impletionem præcepti impossibilem. Est igitur in hoc disparitas inter præcepta confessionis & communionis annuæ. Attamen cùm juxtà Suarez, Medinam, Megalam & Bellarminum citatos à Bassæo suprà *cap.* 1. *num.* 9. ex consuetudine uni-

versalis ferè Ecclesiæ, quæ facit jus commune, etiam tempus determinatum sit pro præcepto confessionis scil. circa festum Paschæ, videtur etiam probabiliter dici posse, stando in horum authorum opinione, prædictum non obligari ad præveniendum tempus Paschatis conformiter ad dicta de præcepto communionis annuæ.

241. Petes primò, an qui integro anno non est confessus, teneatur statim post confiteri? Sententiam affirmativam suprà in simili de communione diximus esse probabiliorem, quam & absolutè docet P. Urbanus ibid. citatus. Probatur, quia totius anni tempus nullatenùs est determinatum ad finiendam obligationem annuæ confessionis sed ad confessionem solicitandam ne nimis diu, seu non ultra annum differatur. Ita DD. communiter. Verùm si sistatur in sententia Suarez & aliorum citatorum, videtur contraria sententia esse etiam probabilis, quòd scil. elapso tempore Paschatis non teneatur sub novo peccato ante sequens Pascha confiteri, qui integro anno non est confessus, prout non obligatur alio die audire Missam, &c. qui eam non audivit die festo aut Dominico: atque hanc probabilitatem roborat timoratorum Confessariorum praxis, qui eum absolvunt qui à multis annis non est confessus, nullatenùs eum obligantes ad plures confessiones. Adde eum, qui omisit confessionem in periculo mortis habens peccata mortalia, multò minùs teneri ad statim post confitendum; quia elapso periculo mortis cessat motivum legis, quod erat periculum damnationis æternæ. Vide circa hæc Franc B. Spei *disp.* 5. *num.* 73. *& seq.*

Petes secundò, an satisfiat præcepto Ecclesiastico confessionis per confessionem sacrilegam?

242. Ad hanc quæstionem respondens P. Urbanus *tract.* 1. *cap.* 36. sic loquitur. Porrò non expletur istud præceptum confessione sacrilegâ defectu contritionis (& idem est defectu integritatis, propositi, &c.) cùm enim hæc sit pars essentialis Sacramenti, non potest illud sinè ista subsistere, secùs est de communione, utpotè quæ semper Sacramenti rationem retinet, licèt indispositio concedatur; partes enim suas essentiales aliundè sortitur, quàm ab actibus recipientis, quod non habet similiter confessio. Ita ille, & benè: cujus sententiam, ut minùs probabilem omnes communiter dicunt: patétque ex allatis clara disparitas inter confessionem & communionem, earúmque præceptorum obligationem. Vide etiam Bassæum verbo *Confessio Sacramentalis num.* 11. 12. *&* 13. ubi dicit hanc sententiam omninò esse tenendam dum dictus defectus accidit deditâ operâ aut per ignorantiam affectatam, secùs si aliundè contigerit: & Diana *par.* 3. *suprà resol.* 120. probabiliorem reputat eandem, quia taliter Ecclesia, saltèm ut interpretatrix præcepti divini, præcipit confessionem fieri, qualiter Christus instituit, prout est nimirùm verum Sacramentum. Attamen idem Diana & Fagundez putaverunt etiam oppositum esse probabile; quod

apud

apud Dianam absolutè sustinent Paludanus, Gabriel, Victoria, Alensis, Silvester & alii : & quis sententiam tot & tantorum Doctorum omninò improbabilem dixisset ? Attamen improbabilitas illius modò constat ex declaratione Sanctissimi Dñi N. Alexandri VII. in terminis damnantis sequentem propositionem, *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit pracepto Ecclesia.*

Petes tertiò, quid excuset à facienda confessione annua ?

243. Respondeo excusare imprimis impotentiam physicam, v.g. carentiam Confessarii. Secundò dum quis nequit confiteri sinè periculo vitæ vel bonorum temporalium. Tertiò si quis prudenter timeat revelationem suorum peccatorum, vel grave odium Confessarii : verùm id meo judicio vix unquam potest prudenter timeri, uti supra adhuc insinuavimus.

244. Quoad præceptum Ecclesiæ præcipiens confessionem fieri sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, ei satisfit per confessionem factam Mendicantibus, nec debent peccata his sufficienter approbatis confessa ulteriùs proprio Parocho aperiri : nam contrarium velut erroneum damnavit Joan. XXII. in favorem Carmelitarum per extravag. *Vas electionis, de hareticis* : quod & factum est per diversas alias Bullas, pro quibus vide Urban. *tract.1. par.2. dist.1. cap.1. reg.3.* & Dian. *par.11. tract.6. resol.3.* ubi arguit Nicol. Ysambert, quòd doceat cæteris paribus consultius esse confiteri proprio parocho quàm Privilegiatis ; tum quia Religiosi habent privilegia absolvendi ab aliquibus casibus, à quibus non potest parochus, tum quia communiter sunt doctiores, & præsumendum, quòd magis sint versati in rebus spiritualibus.

245. Adverte ut Regularis censeatur sufficienter approbatus, requiri approbationem ab Episcopo, de quo nullus dubitat : an verò approbatus in una Diœcesi possit ubique locorum confessiones audire ? Affirmativam sententiam tanquam probabilem admittit Bruno Chassaing de Privilegiis Regularium *par.1. tract.5. cap.2. Propos.2.* supponit enim jurisdictionem audiendi confessiones Regulari concessam, à Papa, non ab Episcopo impertiri ; adeoque eam ab eo retineri ubique, cùm non major in uno quàm in alio loco idoneitas requiratur. Verùm quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ tempore præterito, eam de præsenti prorsus improbabilem dicit Lugo post decretum Urbani VIII. editum anno 1628. Idem etiam sustinet Dian. *par.11. tract.2. resol.11.* ob breve Innocentii X. in causa Angelopolitanæ jurisdictionis anno 1653. quamvis aliqui velint dicta decreta non habere locum in his partibus. Cum Urbano & Diana sentire etiam Franciscum B. Spei, insinuavimus *supra num.202.* Interim probabiliùs sustinetur, posse Regulares concionari in propriis Ecclesiis absque speciali licentia Episcopi loci, pro quo vide Dian. *loc. cit. resol.1.* Dictus Chassaing

apud eundem ibidem *resol.* 12. sustinet quasi certum, Prælatos Regularium non indigere examine nec approbatione Ordinariorum ad excipiendas confessiones, quidquid id meliùs neget Diana cum pluribus. An verò Regularis approbatus ab Episcopo possit in hujus Diœcesi absolvere à casibus Episcopo reservatis? Vide dicenda infra *num.* 257.

DUBIUM NONUM.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

246. Dico primò, per hoc Sacramentum remittuntur peccata mortalia post Baptismum commissa; in hunc enim finem est à Christo institutum: quare vocatur secunda post naufragium tabula. Consequenter ad remissionem peccatorum mortalium remittit etiam pœnam æternam, cùm infundatur gratia sanctificans in ipsa absolutione: non semper tamen remittit simul omnem pœnam temporalem: nam Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 14. ponit discrimen inter Sacramenta Pœnitentiæ & Baptismi in eo, quòd per Baptismum semper remittatur omnis pœna temporalis, secus per Sacramentum pœnitentiæ: & *can.* 30. anathematisat docentes oppositum. Nec opponant hîc novi hæretici, dici in Scriptura, Deum non ampliùs recordari peccatorum semel remissorum, faciem suam ab illis avertere, &c. hoc namque eatenus solùm intelligendum est, quatenùs ea non puniant pœnâ æternâ, quæ peccatori debebatur, eosque pro dictis peccatis non ampliùs respiciat ut inimicos & odio dignos; sed eos diligit ut amicos & hæredes sui regni cælestis, ac ut tales leviter punit prout parens solet filios punire, quos tamen tenerrimè amat. Adde, interdum contritionem posse ad tantam perfectionem pertingere, ut intuitu illius tota pœna temporalis deleatur.

247. Dico secundò, per Sacramentum pœnitentiæ remittuntur etiam peccata venialia, quæ juxta Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. rectè & utiliter in confessione dici possunt: ac Christus *Ioan.* 20. generaliter dicit, *quorum remiseritis peccata, &c.* Sed

Petes hîc fortè, quomodo remittantur peccata venialia in alia vita, dum quis moritur in gratia cum peccatis venialibus nondum remissis?

248. Resp. ea remitti per contritionem, quam talis immediatè post mortem elicit. Ita DD. communiter. Ratio est, quia cum ab una parte anima justi à corpore separata fide, charitate sit prædita ac libera à perturbationibus partis sensitivæ, & ab alia parte eo instanti, quo anima separata est, perfectè cognoscat statum suum, Deumque perfectè diligat: videtur negari non posse, quin eodem tempore erumpat in actum contritionis.

posito statim consequitur remissionem omnium peccatorum venialium. Adde tamen per istum contritionis actum, dictum justum neque mereri augmentum gratiæ, quia ad hoc requiritur status hujus vitæ; neque etiam remissionem pœnæ debitæ dictis peccatis venialibus, aut aliis mortalibus in hac vita quoad culpam solùm remissis; quia ex ordinatione divina satisfactio non habet locum in altera vita, sed sola satispassio.

249. Dico tertiò, opera bona, mortificata per subsequens peccatum mortale, reviviscunt per pœnitentiam. Est etiam communis: & videtur certa, tum ex Scriptura *Ezech.33.* ubi dicitur, *impietas impii non nocebit ei in quacumq; die conversus fuerit ab impietate sua*: tum etiam, quia opera mortificata reviviscere nihil aliud est, quàm hominem restitui in tali statu, ut eadem opera recuperent efficaciam perducendi illum in vitam æternam, ut docet D. Thom. *par.3.quæst.89. art. 5.* quod totum fit per pœnitentiam; licèt enim opera bona in se transeant, manent tamen in acceptatione Divina. Nec sequitur, peccata remissa per pœnitentiam juxta communem omnium non redeunt ob subsequens peccatum mortale: ergo nec opera bona per mortale peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam. Quia est lata disparitas; nam per pœnitentiam destruuntur peccata omninò secundùm se; non ita opera bona per mortale peccatum; quia illa adhuc manent in acceptatione Divina, & mortale peccatum subsequens solùm impedit eorum effectum, quare remisso peccato, tanquam obice sublato, incipiunt de novo producere effectum suum prout ante. Adde (quamvis peccata remissa non redeant propter subsequens peccatum) hoc subsequens peccatum habere majorem malitiam, quàm si priora peccata non fuissent remissa, idque ratione ingratitudinis: non debet tamen hoc in confessione explicari.

DVBIVM DECIMVM.

De casibus reservatis.

250. IN Ecclesia esse potestatem in foro conscientiæ reservandi peccata, sive negandi authoritatem pœnitentes ab eis absolvendi, definitum est in Tridentino *sess. 14. cap.7. & can. 11.* Ratio clara est; quia sicut Ecclesiæ est, concedere hos vel illos subditos, ita & concedere authoritatem illos ab his aut illis casibus & peccatis absolvendi. Verùm quamvis peccata interna à Superioribus reservari possint, eò quòd etiam in ordine ad illorum absolutionem jurisdictio à Superioribus accipiatur: tamen juxta

ta

ta communem Doctorum sensum, sola exteriùs consummata censentur reservata. Sicut & sola mortalia solent, & debent reservari: unde faciens aliquod opus externum, quod de se non est sufficiens ad peccatū mortale, etiam dato, quòd intentio esset mortaliter peccaminosa, non incideret in casum reservatum. Exemplum dat P. Lezana: si v.g. casus reservatus sit loqui cum monialibus, qui paucissima verba cum ipsis loqueretur, etiamsi intentio esset inhonesta, non incurreret casum reservatum. Vide etiam Franc. B. Spei *de Pœnit. disp.* 10. *num.* 15. Hoc notato.

251. Dico primò, casus alii reservantur Papæ, & dicuntur Papales: alii Epscopis & dicuntur Episcopales: quibus annumerantur illi, quos Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes sibi reservant. Tales autem (juxta Lezanam verbo *Casus reservati Regularium num.* 1.) sunt Prælati Regulares. Casus Papales ex Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium de speciali mandato Clementis VIII. colligit Franciscus B. Spei *disp.* 10. *num.* 24. & sunt hi:

Primò, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur.

2. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constit. Gregorii XIV. quæ incipit, *Quia aliàs nonnulli.*

3. Violatio clausuræ monialium ad malum finem.

4. Provocatio, & pugna in duello.

5. Injectio manuum violentarum in Clericos.

6. Simonia realis scienter contracta, atque etiam confidentiæ beneficialis.

Adde, in supradicto Decreto etiam inhiberi Regularibus, ne absolvant à casibus reservatis vel reservandis Ordinariis.

252. Bulla Cœnæ sunt litteræ Apostolicæ, cum Sigillo plumbeo Summi Pontificis, in Cœna Domini solitæ promulgari: in quibus excommunicantur vari, quos refero, quia (ut monet Francisc. B. Spei post Navarrum) mandat sua Sanctitas, ut omnes Confessarii habeant copiam harum excommunicationum. Ponam tamen quàm brevissimè potero, remittens lectorem ad P. Lezanam verbo *Bulla Cœna*, qui de illa latè satis discurrit, & ad Joannem à Conceptione, qui in Compendio Leandri *de censur. tract.* 3. *per totum* etiam satis fusè de ea tractat.

253. Primò ergo in dicta Bulla excommunicantur hæretici: deinde appellantes à Papa ad futurum Concilium generale: piratæ: rapientes bona Christianorum naufragantium imponentes nova pedagia, &c. sine legitima potestate: falsificantes litteras Apostolicas: deferentes arma, quos, &c. ad Christiani nominis hostes: impedientes & invadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt: spoliantes vel offendentes eos, qui ex devotione Romam vadunt, vel inde cedunt: insequentes Patriarchas Cardinales, Episcopos, Nuntios S. Apostolicæ, &c. Item qui da

vel indirectè percutiunt, occidunt aut bonis spoliant eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt pro suis negotiis, vel horum negotiorum Advocatos, agentes, &c. Nec non Officiales Principum sæcularium, & Prælati Ecclesiastici, causas Ecclesiasticas à Judicibus Apostolicis avocantes, vel quicumque illas ad se trahentes: recurrentes ad Curias sæculares in causis Ecclesiasticis, ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum: ordinantes vel facientes statuta, seu quævis decreta contra libertatem Ecclesiasticam, jura Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ: impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne suâ jurisdictione Ecclesiasticâ utantur juxta canones, & decreta Conciliorum: usurpantes Sedis Apostolicæ & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, fructus, redditus, & proventus, sine expressa licentia Papæ: imponentes tributa, decimas, & alia onera Clericis, Monasteriis, &c. absque eadem licentia; vel etiam qui sic imposita à sponte dantibus recipiunt: Judices sæculares, contra personas Ecclesiasticas in causis criminalibus se interponentes sine dicta licentia: omnes qui directè, vel indirectè invadunt Almam Urbem, aliásve terras, seu jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia: denique raptores suppellectilium, librorum, scripturarum, aut bonorum Cameræ & Palatii Apostolici ex eodem Palatio, tempore infirmitatis Pontificis, aut Sede Apostolicâ vacante.

Omnia hæc peccata & censuræ reservantur Sedi Apostolicæ: & si aliquis Confessarius temerè ab his absolvere præsumat, præterquam quòd nihil efficiat, ipso facto incurrit excommunicationem; à qua tamen potest Confessarius ordinarius absolvere. Ita P. Franciscus *disp.10.num.22.* & Lezana suprà *num. 57.* Addo tamen in Concil. Trident. *sess.24. de Reform. cap.6.* concedi Episcopis facultatem absolvendi à casibus occultis S. Sedi reservatis.

Sed quid dicendum de eo, qui in unum ex jam positis casibus incidit, nec tamen ante Paschalem communionem (cui absque infamia subducere se nequit) sive Pontificem sive Episcopum adire potest? Similem posse directè absolvi à Parocho docet Wiggers & alii sex, quos citat & sequitur Burghaber *Centur.3.casu 9.* Rationem dant, quia reservatio ad Charitatis & animarum bonum introducta, non debet in harum malum cedere; est quippe data hæc reservandi potestas in ædificationem & non in destructionem *2.Cor.13.versu 10.* Atqui cederet in grave Charitatis & animarum malum, si in talibus circumstantiis non possent Parochi à reservatis absolvere. Ergo credibile non est, eam potestatem à Pontifice denegatam fuisse Parochis. Ad Tridentinum verò *sess. 14. cap. 7. de Reform.* & Decretum Clementis VIII. dicentia Sacerdotem extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis, respondent, intelligi debere *per se*; secus si à jure vel ex privilegio concedatur; quemadmodum Suarez *tom.4.in 3.par.D.30.sect.3.*

*num.*8. existimat, concessum esse non solis Episcopis, sed etiam inferioribus Sacerdotibus, quoties Papa adiri non potest, & urget tempus communicandi *ex tex. in cap. Nuper de sent. excom.* ubi habetur: *à suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Ex quo Glossa infert. *Ergo simplex Sacerdos absolvere potest.* Manet tamen obligatio pœnes pœnitentem postea comparendi, dum fieri poterit. Ita Burghaber cum aliis citatis.

254. Dico secundò, cum eodem Lezana verbo *Casus reservati num.*2. casus Episcopales aliqui dicuntur de jure ipsis reservati: & communiùs hi quinque numerantur: peccatum quod de jure annexam habet pœnitentiam publicam: quod habet annexam excommunicationem majorem: quod habet annexam irregularitatem: peccatum incendiarii: & publica blasphemia. Sed ipse P. Lezana, post varios, ibidem ostendit, ex solo jure communi nullum esse casum Episcopis reservatum. Casus ergo Episcopales sunt illi soli, qui ex consuetudine, seu potiùs expressa Episcoporum reservatione sunt tales. Sic ab Archiepiscopo Mechliniensi expresè reservantur casus sequentes:

255. Raptus virginum. Homicidium. Incendium deliberatâ voluntate procuratum. Simonia. Sodomia. Hæresis. Apostasia. Incestus cum consanguineis, aut sanctimonialibus. Injectio manuum violenta, deliberato proposito, cum læsione in parentes. Sortilegium. Adulterium notorium. Et omnia delicta habentia excommunicationem majorem annexam; ac quæ sunt prædictis graviora. Omnes hi casus etiam reservantur ab Episcopis Antverpiensi, Brugensi, Gandensi, Iprensi, & Ruremundano: nam Pastorali, ad usum totius illius Provinciæ impresso, inserti sunt. Iprensis tamen addit casum sacrilegii, prout habes apud P. Franciscum *loc. cit. num.* 33. ac Illustrissimus modernus Archiepiscopus Mechliniensis Andreas Creuzen nuperrimè reservavit peccatum carnis complicis opere completum, sicut ab eo Confessarius complex absolvere non possit.

Petes primò, an peccatum dubium reservetur?

256. Respondet P. Lezana *loc. cit. num.* 16. peccata, de quibus dubitatur an sint mortalia, vel venialia, reservari non posse, vel fieri non debere, probabile est: addens *num.* 14. in dubio non esse censendum aliquem incidisse in casum reservatum; quia reservatio est materia odiosa, & restringi debet: excipit tamen casus Bullæ Cœnæ; & quando dubitatur, an percussio Clerici sit gravis an levis. Econtra P. Franciscus *loc. cit. num.* 8. docet, in dubio an peccatum sit reservatum necne, censeri debere reservatum; quia reservatio (utpote magis in normis peccati præcautionem & medicinam, quàm in pœnam) est in bonum Reipub. Christianæ & favorem animarum, & ideo favorabilis. Inde Superiores proculdubio intendunt reservare peccata, quæ in illa specie sunt materia cõfessionis necess

ex Christi institutione: nec ulla est ratio, cur potiùs sub præcepto confessionis mortalium simpliciter, nullâ factâ mentione dubii comprehendatur dubium mortale, quàm sub reservatione mortalium simpliciter comprehendatur dubium mortale reservatum. Hinc P. Franciscus inconsequentiæ arguit P. Herincks quòd primum secum admittat, & secundum neget: quidquid tamen utrimque plures Doctores citentur.

Petes secundò, an Religiosi Mendicantes hodie in Belgio absolvere possint à casibus Ordinario reservatis?

257. Pro affirmativa sententia citat P. Franciscus novem authores recentiores; qui illam probant; tum quia prohibitiones factæ ante Urbanum VIII. anno 1628. sunt tantùm pro Italia: tum quia hæc Urbani VIII. prohibitio, tantùm est, ne Regulares absolvant in vim Privilegiorum illis ante Tridentinum concessorum, vel post confirmatorum: est autem, inquiunt, Privilegium Pauli III. & Pauli V. (in quibus alii Mendicantes communicant) concessum PP. Societatis de novo, & non solùm in confirmationem, & quidem post Trident. absolvendi ab illis casibus: tum denique quia Bulla Cœnæ, & Decreta S. Congreg. Mendicantium Privilegia desuper revocantia, non sunt in Belgio promulgata. Verùm ipse Franciscus *disp.10. suprà num.* 49. secutus Lezanam & Dianam, negativam sententiam sustinet, maximè ob specialem Urbani VIII. declarationem, quam apud ipsum vide: & quia Alexander VII. inter propositiones sibi à Regularibus Diœcesis Andegavensis propositas 30. Januarii 1659. sequentem: *Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ipsa, ipsis indulta non fuerit*: hoc modo censurat. *Est falsa, authoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ injuriosa.* Imo idem Alexander VII. de novo tanquam scandalosam damnat eandem illam propositionem per Decretum à se nuper editum. An fortè auderet P. Joannes à Conceptione dicere per hoc Decretum non revocari privilegium Regularium, quia non est sufficienter intimata Prælatis, &c. adeoque sibi adhuc probabilissimum videri, quòd Regulares possint absolvere sæculares à casibus Episcopo reservatis, sicuti in Compendio Leandri *de censur. tract. 2. disp. 17. §.2. num.* 27. loquitur de Decreto Urbani VIII? Certè puto ego nullam intimationem necessariam esse, ut aliqua propositio scandalosa ab omnibus reprobetur; sufficit enim ad hoc, quòd in se verè scandalosa sit, prout Summus Pontifex hanc declarat esse. *Regulares habent potestatem, &c.*

Cæterùm non reservantur licitè casus, nisi ubi causa legitima subest, bene tamen validè, ut communiter Doctores: quidquid oppositum quoad secundum probabile dicat P. Lezana verbo *Casus reservati num.16.* addens tamen, certum esse, quòd in dubio, an Superior ex causa rationabili casum reservaverit, illam habuisse credendum sit.

Petes tertiò, quomodo quis possit & debeat à reservatis absolvi?

258. Respondeo id convenientissimè fieri, adeundo ipsum reservantem, à quo ab his & aliis suis peccatis absolvatur: tunc enim, licèt fortè alicujus peccati reservati obliviscatur, potest illud postea Confessario ordinario confiteri. Si verò reservans noluerit vel non potuerit integram illius confessionem audire, explicet ei casum reservatum, & absolvatur à censura si sit annexa, ac impositâ salutari pœnitentiâ, dimittatur, ut absolvatur ab alio Confessario à peccato reservato & non reservatis. Quod si hoc pœnitenti grave vel molestum fuerit, sic dimittatur absque eo, quòd peccatum reservatum revelet: ad hoc enim reservantem lege charitatis, regulariter loquendo, teneri, plures docent. Ob peccata reservata, nunquam quis potest dimidiare suam confessionem, nisi in casu necessitatis: unde dum pœnitens adit reservantem, nullo modo potest hic audita illius confessione solùm de reservatis, eum ab ipsis sacramentaliter absolvere, ac remittere ad alium Confessarium, qui eum audiat quoad non reservata, ut ab his sacramentaliter absolvat. Ratio est; quia cùm integritas confessionis sit de jure divino, nullo pacto admitti debet, ut propter solam voluntatem, aut aliqualem commoditatem Prælati dimidietur. Quare P. Lezana docet, contrariam sententiam, non paucorum Doctorum tamen, nullatenus admittendam esse. Addens admitti posse, quòd in casu gravis necessitatis, videl. quando ob justum & grave impedimentum, Prælatus non potest audire integram confessionem, & expediens non judicat illum remittere ad alium Confessarium, & urget necessitas confitendi, possit auditis in confessione solùm reservatis, ab illis directè, & à non reservatis indirectè ipsum absolvere: quia integritas solùm exigit, ut sit integra, quatenus moraliter fieri potest. Vult tamen P. Franciscus tale legitimum impedimentum non esse, continuam reservantis occupationem.

259. Hinc etiam dum reservans procul valde abest, nec adest alius habens potestatem à casu reservato absolvendi, & adest necessitas communicandi vel celebrandi, ita ut omittendo scandalum vel infamia oriretur, potest confiteri sua peccata tam reservata quàm non reservata, & absolvi à non reservatis directè, cum onere confitendi iterum reservata potestatem habenti. Imò etiam tunc possit sola non reservata confiteri propter rationem statim allegatam: pro quibus vide Lezanam & Franciscum à Spei locis citatis: nec enim possumus in his diutiùs immorari.

* * *

DVBIVM XI.

De Censuris.

§. I.

Quid censura: à quo, & in quem ferri possit?

260. Censura apud Romanos significabat sententiam Censoris mores corrigentis, aut pœnam discernentis: hinc eadem vox translata est ad significandum pœnam spiritualem, quam Prælati Ecclesiæ contumacibus infligunt, ut notant Cornejo & Lezana. Esse autem in Ecclesia potestatem ferendi censuras definitum est contra Wiclef in Concilio Constant. & patet Matth. 18. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, &c.* id est, separetur ab Ecclesia sicut ethnicus. Item ex his verbis, *Quodcumque ligaveris, &c.* Hoc posito;

261. Dico primò, censura est pœna spiritualis ab Ecclesiastica potestate inflicta privans usu aliquorum bonorum spiritualium. Alia est à jure, quæ fertur per legem vel statutum perpetuò duratura: alia ab homine, quæ per præceptum, decretum vel sententiam infligitur: quæque in scriptis ferri debet juxtà cap. *Cum medicinalis de sent. excom. in 6.* atque in Scriptura apponi debet causa, ob quam censura fertur, prout ex eodem cap. constat: intellige tamen, dum infligitur determinatæ personæ pro peccato præterito.

Censura iterum alia est latæ sententiæ, quæ ipso facto, vel criminis commissione incurritur: alia sententiæ ferendæ, quæ per Judicis sententiam infligi debet. Censuram *latæ sententiæ* innuit ly, *Ipso facto vel jure*, item *Excommunicamus, sciat se excommunicatum, &c.* E contra eam esse *sententiæ ferendæ* innuit ly, *Volumus excommunicari, excommunicetur, prohibemus sub excommunicatione, &c.* Dum verò verba sunt dubia, satis communiter DD. volunt, benigniorem interpretationem faciendam esse.

Ut censura sit valida exprimi debet species censuræ, ut *excommunico, suspendo, interdico*: undè si Episcopus sic diceret, *qui hoc vel illud fecerit, sit ligatus censurâ*, nihil efficeret: imò etiam si diceret, *sit suspensus*; qu a suspensio est species subalterna continens sub se tres infimas species, scil. suspensionem ab officio, suspensionem à beneficio, & suspensionem ab utroque. Attamen effectum obtineret si diceret, *sit excommunicatus*; eò quòd in usu & praxi Ecclesiæ ly *excommunicatus*, simpliciter stet pro excommunicato excommunicatione majori.

262. Dico secundò, censura propriè dicta est triplex; excommunicatio, suspensio, & interdictum: quidquid Cornejo apud Lezanam verbo *Censura Ecclesiastica num.* 1. septem censuras assignet; scil. præter tres relatas, irregularitatem ratione delicti, degradationem, depositionem, & cessationem à divinis quæ licet juxtà communissimam sententiam non sint propriè & strictè censuræ, possunt tamen ad censuras reduci: tres scil. priores ad suspensionem, quia per illas homo est quasi suspensus à receptione & usu Ordinum; & ultima ad interdictum. Censuram infligere possunt, Papa respectu omnium Christianorum, Patriarchæ, Archiepiscopi, Generales, Provinciales aut alii Superiores jurisdictionem in foro externo habentes, respectu sibi subditorum: & quia Parochi in foro externo & contentioso jurisdictionem non habent, sed tantùm in interno pœnitentiæ (juxtà *cap. de persona* 11. *quæst.* 1.) ideo non competit illis hæc potestas. Debet autem infligens esse Clericus; quia solus Clericus, saltèm primæ tonsuræ, est capax dictæ jurisdictionis. Ita Cornejo & Lezana. Hanc jurisdictionem amittit Clericus ineundo matrimonium, ex *cap.* 1. *de Clericis conjug. in* 6. Nec illam habere possunt perpetuò amentes, nec pueri ante usum rationis, quia non possunt ferre judicium, aut exercere actum jurisdictionis.

263. Dico tertiò, omnis & solus homo baptizatus, vivens, Superiorem habens, potest censurâ ligari. Ratio est; quia hic solus est subjectus jurisdictioni Ecclesiasticæ: unde si quandoque legatur, excommunicationem latam esse in defunctos, intelligendum est de privatione communicationis, quæ feratur directè in viventes, prohibendo ne pro defunctis orent, indirectè defunctum privando communione fidelium. Adde eum etiam debere esse utentem ratione; quia aliàs non obligatur præceptis Ecclesiæ, nec est capax contumaciæ: quare etiam impuberes à variis eximuntur à censuris ob imbecillitatem ætatis & ignorantiam ordinis judiciarii.

264. Censura ferri non potest nisi prævia aliqua admonitione, ut deciditur in capitibus apud P. Lezanam *num.* 7. Quando tamen fertur, sive à jure sive ab homine, pro vitandis culpis, non requiritur alia monitio particularis; nam ipsa censuræ impositio, quamdiu durat, continuò subditos monet, ne illud crimen committant: aliàs dum fertur pro culpis præteritis vel præsentibus, requiritur trina distincta monitio, vel una virtualiter trina, saltèm ut licitè feratur. Vide Lezan. *loc. cit.* qui *num.* 10. benè monet censuram non posse ferri ob meram voluntatem Superioris, sed ex rationabili causa: aliàs ejus potestas esset in destructionem, contra doctrinam Pauli. Unde ob solum peccatum ferri potest, cùm sit pœna spiritualis. Imo excommunicatio major, cùm sit pœna gravissima, tantùm fertur ob peccatum mortale externum, consummatum interno, & eo modo factum,

circumstantiis externis graviter sit illicitum, & actus consummatus juxtà verba legis. Hinc si censura lata est contra innocentem, probatum nocentem, quoad Deum nullius est momenti: quoad forum tamen externum habet effectum apud illos, qui ipsius innocentiam nesciunt:non vi censuræ, ut vult Suarez apud Burghaber *Centur.* 1. *casu* 76. Sed ex jure naturali, ne scil. scandalizet alios, quasi Superiorem suum & censuram talem contemneret. Insuper si quis ex metu v. g. hæresim pronuntiat sine animo hæretico, non excommunicatur: nec si exteriùs profert hæresim animo conceptam iis verbis, quæ non sunt sufficiens manifestatio hæreseos. Et generaliter à censura excusat ignorantia inculpabilis excusans à peccato: secùs culpabilis; nisi quando est lata contra præsumentes. Quando autem quis habet ignorantiam solius censuræ, tametsi sciat opus esse prohibitum, etiam Ecclesiasticâ lege, excusatur (juxtà Cornejo & Lezanam *num.* 11.) à censura: sicut & excusat metus gravis. Hinc plurimi plebeii non incurrunt excommunicationem, quamvis committant actum, quem sciunt esse graviter ab Ecclesia prohibitum; quia invincibiliter ignorant censuram annexam. Ex quo (juxta eosdem) ulteriùs fit, ut si casus tantùm sit Pontifici reservatus propter censuram annexam (prout P. Lezana in variis locis dicit, id regulariter fieri in casibus Papalibus) pœnitens absolvi possit à communi Confessario. Atque hoc juxtà Lezanam, etiam potest extendi ad casus Episcopales: quia licèt plures ex illis sinè censura reserventur; de iis tamen, qui reservantur cum illa, videtur esse eadem ratio, ac de Papalibus. Ita ille verbo *Casus reservati num.* 17. Imò Burghaber *Centur.* 3. *casu* 31. absolutè id extendit ad omnes casus Episcopales & Papales, dicens in generali ob ignorantiam reservationis, reservationem non incurri, citans tres alios: ratióque ipsius est, tum quia actus prout subStat reservationi ignoranter factus, est quà talis involuntarius, ergo non est peccatum & consequenter nec casus reservatus: tum quia nulla pœna extraordinaria à Synodo imposità incurritur, si invincibiliter ignoretur, ut cum pluribus docet Palao. Ita ille.

Adde, eum, qui falsò judicat alicui actui esse censuram annexam, & eum exercet, non incurrere censuram: v. g. percutiens laicum, quem putat esse Clericum, non excommunicatur: quia, ut *tract.* 1. *disp.* 2. *num.* 5. diximus, Legislator humanus non intendit pœnas imponere, nisi verè transgredientibus legem: &, ut parum antè, nisi actus consummatus sit juxtà verba legis. Sed quid de eo, qui intendens percutere Petrum Clericum percutit Paulum Clericum? Si per inadvertentiam hunc percutiat, quia videl. hunc adesse ignorabat, non incurrit excommunicationem, eò quòd tunc percussio Pauli, etiam in ratione percussionis ipsi sit involuntaria & inculpabilis. Si percutiat Paulum Clericum, qui est loco Petri Clerici, verosimiliùs excommunicationem incurrit.

rit. Ratio est, quia inquantum percutit verum Clericum, & etiam verum Clericum intendit percutere, licet alium ab eo quem percutit, committit sacrilegium materiale, & contrahit formale ob quod excommunicatio est lata.

Cæterùm censura lata ab homine per modum sententiæ in die festo est illicita & invalida, quia prohibetur in jure: secùs si feratur per modum legis, aut præcepti. Addo denuntiationem fieri diebus Dominicis & Festis publicè in Ecclesia, ac postmodum scriptò affigi ad Ecclesiæ januam. Censura ferri debet de die, licèt valeat lata de nocte: quæ semel validè lata, non tollitur per solam rei emendationem, sed requiritur insuper absolutio; damnata enim est ab Alexandro VII. inter cæteras sequens propositio: *Quo ad forum conscientiæ, reô correctô, ejúsque contumaciâ cessante, cessant censuræ.* Undè pœnitens censurâ innodatus priùs à censura absolvendus est, deindè à peccatis, ut iterum diximus *tract. 3. disp. 1. num. 68.* quidquid tamen absolutio data à peccatis & non ab excommunicatione, per se & ex natura rei sit valida. Addo, absolutionem à censuris non necessariò debere dari per verba, quia etiam dari potest per scriptum, ut patet ex cap. *cum desideres.* & cap. *si aliquando de sentent. excomm.* Nec ad dictam absolutionem necessaria est determinata forma, cùm nec jus, nec Ecclesia, nec praxis hanc determinent: undè potest dici, *absolvo te*; *restituo te communicationi*; *reconcilio te*; *aufero censuram à te, &c.* neque enim necesse est ut exprimatur censura in particulari: ad quam verbum *absolvo* v. g. satis determinatur per petitionem rei, in qua specificatur censura, à qua petitur absolvi.

§. II.

De Excommunicatione.

265. Dico primò, excommunicatio est censura aliquem ab Ecclesiastica communione fidelium separans. Alia est major, quæ privat omni communione fidelium, scil. Sacramentis, suffragiis Ecclesiæ, & communicatione humanâ. Alia minor, quæ privat communione, saltèm passivâ, Sacramentorum: quare hac ligatus mortaliter peccat, si aliquod Sacramentum suscipiat; eò quòd violet præceptum Ecclesiæ in materia gravi. Lezana verbo *Excommunicatio n. 2.* Joannem Beetz, & Cornejo: addens iam mortaliter peccare eum, qui ill[...] cramenta ministrat, nisi excusetu[r ra]tione ignorantiæ, scandali, aut alt[erius] mali vitandi: quia cooperatur pec[...]

alterius. Volunt varii recentiores cum Joanne Beetz, illum etiam mortaliter vel saltem venialiter peccare in administratione Sacramentorum, si sine necessitate id faciat, ex cap. *si celebrat. de Cler. excom. minist.* Sed Cornejo & Lezana docent, contrarium esse probabilius; illum textum explicantes de illa collatione Sacramentorum, quæ est conjuncta cum receptione, prout contingit in Episcopo ordinante, & Sacerdote celebrante.

266. Dico secundò, excommunicatio minor licèt ab homine ferri possit; usu tamen Ecclesiæ ferè nunquam sic fertur: ac licèt dicatur à jure lata ob varios casus; modò ob unum solùm incurritur, scil. propter communicationem aut participationem indebitam cum ligato excommunicatione majori. Dico *indebitam*; quia si communicatio sit inculpabilis, non incurritur excommunicatio minor. Sufficit tamen ad hoc culpa venialis: etsi enim communicatio in divinis sit mortalis; in humanis tamen regulariter solùm reputatur venialis, nisi adsit contemptus. Forsan etiam non sufficit ad eam incurrendam culpa, quæ solùm est venialis defectu advertentiæ, aut deliberationis, ut putat Suarez; quia in tali culpa non reperitur perfecta inobedientia, aut contumacia, ad incurrendam censuram necessaria. Hæc Lezana verbo *Excommunicatio num.* 5. Adde modò post Concilium Constantiense excommunicationem minorem non incurri ob communicationem cum ligato excommunicatione majori, nisi hic eam incurrerit ob notoriam percussionem Clerici, quę nullà tergiversatione celari possit, aut juris suffragio excusari (prout juxta Franc. B. Spei *de Iure & Iust. disp.* 19. *n.* 134. excusat probabilis ignorantia status Clericalis;) vel sit specialiter nominatim denuntiatus: quia hi solùm sunt, per decretum dicti Concilii vitandi: nec refert quòd in Concilio Basileensi quicumque notorii excommunicati vitandi dicantur; nam hoc Concilium, quoad hoc, non est approbatum, & oppositum Ecclesiæ consuetudine receptum est. Ita Cornejo, Lezana & alii. Subdit P. Joannes à Conceptione in Compendio Leandri de Censuris *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 4. probabilius etiam non incurri excommunicationem minorem ob communicationem cum eo, qui de hæresi, aut crimine, cui constat excommunicationem majorem annexam esse, denuntiatus est, si non sit expresè denuntiatus excommunicatus: quia Concilium Constant. expresè dicit, neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à Judice contra personam denuntiata specialiter & expresè. Ita ille. Nota insuper percussionem Clerici ad hunc effectum debere esse notoriam notorietate facti, sive esse factam in præsentia multorum, ut coram majori parte viciniæ, collegii aut oppidi. Unde si quis in mea præsentia & aliorum paucorum testium percuteret Clericum, non teneremur illum vitare, nisi postquam crimen esset factum publicum, sive absolutè notorium, ut docet Gobat *in Alphab. audient. Sacr. casu* 18. *num.* 406. *& seq.* Sed quid si tale crimen solùm sit notorium in hac Provincia, tenebor-

neborne illum vitare in alia ubi est occultum? Alii absolutè negant cum Burghaber *Centur.* 1. *casu* 14. Sanchez, & Avila. Alii negant sub distinctione, quòd non in publico, bene tamen in occulto: atque omnes, teste Joanne à Conceptione post Leandrum, probabiliter. Adde tamen per hoc quod parum antè diximus, nullum favorem præstari excommunicatis non denuntiatis: quare tenentur, quantum est de se, ab aliorum communione abstinere, nisi ad hoc ab aliis rogentur.

267. Dico tertiò, excommunicatio major privat ligatum participatione Sacramentorum: unde ea suscipiens aut ministrans mortaliter delinquit, simpliciter loquendo; quia facit contra mandatum Ecclesiæ in materia gravi: ac insuper incurrit irregularitatem si ministret illa ex officio, vel si suscipiat sacrum Ordinem, aut susceptum solemniter exerceat. Sacramenta tamen, administrata à quocumque excommunicato, valida sunt; quia eorum valor Jure Divino solùm pendet ex applicatione veræ materiæ & formæ. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ, quod ab excommunicato non tolerato administratum, irritum est defectu jurisdictionis: nisi in casu quo esset publicus error facti stante præsumpto titulo; tunc enim Ecclesia jurisdictionem supplet.

268. Insuper omnis sic excommunicatus etiam graviter delinquit conficiendo sacramentalia, v. g. aquam benedictam, & faciendo similes consecrationes; hoc enim est se divinis immiscere. Privatur etiam communibus suffragiis Ecclesiæ, quæ à Clericis ut Ecclesiæ Ministris pro fidelibus offeruntur, prout sunt Missa, Horæ Canonicæ, publicæ Processiones, fructus Indulgentiarum &c. quare ea illi applicans graviter delinquit. Licitum tamen manet pro eo privatim orare, eum in Memento commendare, vel etiam ei fructum Missæ ex opere operantis applicare. Imò P. Lezana *loc. cit.* *n.* 12. asserit, morem piarum personarum offerentium sacrificium Missæ pro conversione hæreticorum laudabilem videri: etsi enim illi excommunicati sint, ac proinde pro ipsis ut talibus offerri nequeat; qui tamen offerunt pro ipsorum conversione, non tam offerunt pro ipsis, inquit, quàm pro destructione hæresis & excommunicationis; quod est conforme usui Ecclesiæ. Non potest tamen excommunicatus Missæ interesse; sed ab ea, si expelli non potest, cessandum est: in qua si Canon inchoatus sit, solus Sacerdos perget usque ad calicis sumptionem, & reliqua in Sacristia absolvet. Subintellige, si non toleratus censeatur assistere moraliter; aliud enim est, si vel per Ecclesiam transeat tantùm, vel obiter in ea privatim oret. Nec etiam potest Divinum Officium cum aliis legere, nec quidquam publicè facere, quod ex Ecclesiæ institutione solùm à Clericis, ut publicis ministris fieri potest. Potest tamen, & debet privatim suas Horas legere solus si antea ad illas erat obligatus, dicendo loco, *Dominus vobiscum, Domine exaudi orationem meam.* Excusatur verò si die Festo Missam non audiat, eò quod ab hac audienda sit impeditus.

269. Privatur insuper sepulturâ

cle

clesiasticâ, ac qui scienter eum sepeliunt in loco sacro, majorem excommunicationem incurrunt. Ubi adverte excommunicationem hanc solùm incurri ab iis, qui propriis manibus cadaver excommunicati in sepulchrum inferunt: quia omnes alii, nempe qui illud ad sepulchrum deferunt, qui fodiunt &c. propriè non sepeliunt. Est etiam inhabilis ad beneficia suscipienda & conferenda, sicut ad recipiendos fructus eorum: item ad Ordines Ecclesiasticos & actus illorum. Deinde privatur à communione forensi, hoc sensu, quòd non possit esse Judex, Advocatus, Actor &c. nisi pro se in causa excommunicationis: item à communione civili; eò quòd non possit cum aliis baptizatis, etiam excommunicatis, nec alii cum ipso communicare in humana societate, v. g. per salutationes, litteras, commercia, cohabitationem, mensam, &c. nisi per accidens in eandem mensam &c. coincidant: in civilibus tamen sic communicans solùm venialiter delinquit. Adde, eum, qui adit templa hæreticorum & eorum ritibus ex curiositate v.g. interest, non peccare præcisè propter talem communicationem; suppono enim illos non esse excommunicatos denuntiatos, seu vitandos. Vide circa hæc omnia Lezanam verbo *Excommunicatio*, & Cornejo locis ab ipso citatis.

Petes hîc fortè, quid debeat facere inferior, cui superior excommunicatus denuntiatus aliquid præcipit; Tenetur non obedire, quia aliàs communicaret cum illo, & recognosceret in eo potestatem jurisdictionis, quam Ecclesia ab illo abstulit. Excusaretur tamen à gravi culpa, si absque scandalo urbanitatis causâ, & non animo obediendi faceret rem præceptam. Similiter potest civis v. g. ab omni culpa excusari, qui cum Prætore, Judice, aut Magnate excommunicatis denuntiatis communicat resalutando ipsos, aperiendo caput, respondendo &c. ad vitandas rixas, inimicitias & damna, quia facilè inciderent in manus illorum. Potest item mulier communicare cum suo marito excommunicato vitando, ab eo debitum petere & reddere &c. quia in cap. *quoniam multos*, 11. *q*. 3. Papa dat uxori generalem licentiam communicandi cum illo sine limitatione. Idem dic de filiis & servis intuitu parentum, & dominorum, ex eodem cap. & ex cap. *Si verè de Sentent. excom.* Ex quo deduco etiam pupillum posse communicare cum suo tutore excommunicato, quia hic gerit vicem patris: si tamen ipsi non cohabitat, solùm id potest in iis, quæ pertinent ad munus tutoris. Cæterùm nullus tenetur excommunicatum vitare cum gravi suo damno spirituali aut temporali.

270. Dico quartò, variis casibus possunt Episcopi absolvere ab excommunicatione & aliis censuris Papalibus: impuberes scil. mulieres, eos, qui ob inopiam aut morbum Papam adire nequeunt: si tamen impedimenta illa non sint perpetua, debent eum postea adire dum poterunt, sub pœna reincidentiæ. Deinde ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. possunt in quibusvis casibus occultis, id est non publicè notoriis, absolvere subditos suos in foro conscientiæ, per

per se vel suum Vicarium : in hæresis tamen crimine per se quidem, non tamen per Vicarium suum. Excipit ibid. Trident. casum homicidii voluntarii, & alios deductos ad forum contentiosum, in quos Episcopi non habent potestatem. Adde ab excommunicatione minori absolvere posse omnes, qui habent potestatem in mortalia.

§. III.

De suspensione, & Interdicto.

271. Dico primò, suspensio est censura, qua persona Ecclesiastica impeditur à functionibus, quæ illi conveniunt ratione officii clericalis, aut beneficii. Sub ly *persona* comprehende etiam Capitulum. Absolutè suspensus ab officio, impeditur ab omni exercitio Ordinis & jurisdictionis : suspensus verò ab aliquo officio tantùm, impeditur exercere actus proprios illius officii, aut necessariò annexos. Suspensus à beneficio impeditur percipere fructus beneficii, etiam distributiones : item arcetur ab administratione temporali sui beneficii. Potest tamen, juxta quosdam, percipere fructus labori suo correspondentes, & qui darentur substituto ; eò quòd hi sint stipendium laboris. Item, juxta Lezanam, Cornejo & alios, si fuerit pauper, poterit recipere fructus necessarios ad sui sustentationem.

Suspensio non potest alicui particulari personæ imponi, nisi ob culpam propriam, & quidem gravem, si sit suspensio major, id est ab officio & beneficio, vel ab altero horum totaliter: quia hæc est pœna valde gravis. Secus dic de suspensione minori, id est ab uno effectu, ut ab unico actu eligendi, vel à distributione unius horæ, vel etiam unius diei : quia hæc censetur pœna levis dumtaxat. Debet insuper dicta culpa esse extrema & consummata : pro quibus vide P. Lezanam verbo *Suspensio num. 3.*

272. Qui exercet actum à quo suspensus est, per se loquendo, peccat mortaliter, nisi levitas materiæ excuset : ac si sit actus ordinis, fit irregularis. Item actus exerciti à suspenso denuntiato, sunt invalidi, non verò à non denuntiato ; qui etiam licitè illos exercet, dum à fidelibus ad hoc rogatur conformiter ad dicta de excommunicatione. Quid autem prohibeatur suspenso ab ingressu Ecclesiæ, constabit ex dicendis de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, à quo parum aut nihil differt.

Nota hos esse casus magis obvios, in quibus censura suspensionis incurritur. Dum quis ante legitimam ætatem aut extra tempora sacros ordines suscipit, suspensus est ab ordinibus sic susceptis. Dum quis ordinatur per saltum, recipiendo ordinem superiorem prætermisso inferiori. Quando ordinatur ficto titulo patrimonii aut beneficii. Quando duos ordines sacros reci-

recipit eodem die; vel unum ordinem per simoniam realem. Dum post contractum matrimonium, licèt non consummatum, quis sacros ordines suscipit, suspensus manet ab ordinibus sic susceptis, & aliis suscipiendis, sicut ab omni officio & beneficio Ecclesiastico suscepto & suscipiendo. Item suspenditur Sacerdos, qui intuitu cujusvis privilegii aut consuetudinis, benedicit sponsis, vel matrimonio jungit, sinè licentia proprii Parochi eorum. Qui Missam à se inchoatam non complet. Qui sepelit publicum usurarium. Qui eligit indignum ad officium habens curam animarum annexam. Qui provocat ad duellum, vel acceptat. Qui asserit B. Virginem conceptam esse in peccato originali, &c. Addo, licèt in absolutione à suspensione non requiratur forma determinata, necesse esse ut declaretur sufficienter effectus: est igitur hæc satis usitata. *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, & restituo te executioni muneris tui, aut ordinis, aut tuo beneficio.*

Petes, quid sint depositio & degradatio?

273. Respondeo, depositionem esse pœnam Ecclesiasticam, quâ persona Ecclesiastica in perpetuum privatur omni officio & beneficio Ecclesiastico, retento solo privilegio canonis & fori. Degradationem verò, quâ depositus privatur solemniter vestibus, omnique signo Clericali, ac Privilegio canonis in perpetuum, traditurque puniendus brachio sæculari. Neutra est propriè & strictè censura, ut suprà *n.*262. dictum est.

274. Dico secundò, interdictum est censura aliquorum Sacramentorum usum, Officia Divina, & Ecclesiasticam sepulturam secundùm seipsa prohibens. Per quam ultimam particulam differt ab excommunicatione, quæ prædicta prohibet prout pertinent ad fidelium communicationem: item à suspensione, quæ ea vetat, prout sunt actus alicujus ordinis vel officii. Interdictum aliud est locale, quo interdicitur ne in certo loco prædicta exerceantur: aliud personale, quo inhibetur, ne tali personæ prædicta concedantur: aliud mixtum, quo locus ipse & persona simul interdicuntur.

275. Clericus violans interdictum, vel illicitè permittens violari, si ad eum pertineat regimen Ecclesiæ, per se loquendo, mortaliter delinquit, ac fit per se ineligibilis; præterquàm quòd irregularitatem incurrat is, qui per actum Ordinis interdictum violat. Ipsi etiam Mendicantes excommunicationem incurrunt, si non servent interdictum, quod sciunt servari ab Ecclesia matrice. Quò autem, & ad quas personas se extendant generalia interdicta, Communitatis, aut Ecclesiarum Civitatis v. g. videre poteris in Lezana verbo *Interdictum num.* 4. Ubi *num.* 5. dicit, interdictô populô, non interdici Regulares, sicut nec Clericos; quia populus absolutè prolatus solùm accipitur pro laicis, præsertim in odiosis: ac licèt interdictô Clerô videantur quoque Religiosi interdici, ut plures volunt, plures tamen adhuc oppositum sustinent: in quo, juxta Lezanam, tum attendendum est ad circumstantias & verba decreti interdicentis: pro quo, & aliis, eum consu-

per se vel suum Vicarium : in hæresis tamen crimine per se quidem, non tamen per Vicarium suum. Excipit ibid. Trident. casum homicidii voluntarii, & alios deductos ad forum contentiosum, in quos Episcopi non habent potestatem. Adde ab excommunicatione minori absolvere posse omnes, qui habent potestatem in mortalia.

§. III.

De suspensione, & Interdicto.

271. Dico primò, suspensio est censura, qua persona Ecclesiastica impeditur à functionibus, quæ illi conveniunt ratione officii clericalis, aut beneficii. Sub ly *persona* comprehende etiam Capitulum. Absolutè suspensus ab officio, impeditur ab omni exercitio Ordinis & jurisdictionis : suspensus verò ab aliquo officio tantùm, impeditur exercere actus proprios illius officii, aut necessariò annexos. Suspensus à beneficio impeditur percipere fructus beneficii, etiam distributiones : item arcetur ab administratione temporali sui beneficii. Potest tamen, juxta quosdam, percipere fructus labori suo correspondentes, & qui darentur substituto ; eò quòd hi sint stipendium laboris. Item, juxta Lezanam, Cornejo & alios, si fuerit pauper, poterit recipere fructus necessarios ad sui sustentationem.

Suspensio non potest alicui particulari personæ imponi, nisi ob culpam propriam, & quidem gravem, si sit suspensio major, id est ab officio & beneficio, vel ab altero horum totaliter : quia hæc est pœna valde gravis. Secus dic de suspensione minori, id est ab uno effectu, ut ab unico actu eligendi, vel à distributione unius horæ, vel etiam unius diei : quia hæc censetur pœna levis dumtaxat. Debet insuper dicta culpa esse extrema & consummata : pro quibus vide P. Lezanam verbo *Suspensio num. 3.*

272. Qui exercet actum à quo suspensus est, per se loquendo, peccat mortaliter, nisi levitas materiæ excuset : ac si sit actus ordinis, fit irregularis. Item actus exerciti à suspenso denuntiato, sunt invalidi, non verò à non denuntiato ; qui etiam licitè illos exercet, dum à fidelibus ad hoc rogatur conformiter ad dicta de excommunicatione. Quid autem prohibeatur suspenso ab ingressu Ecclesiæ, constabit ex dicendis de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, à quo parum aut nihil differt.

Nota hos esse casus magis obvios, in quibus censura suspensionis incurritur. Dum quis ante legitimam ætatem aut extra tempora sacros ordines suscipit, suspensus est ab ordinibus sic susceptis. Dum quis ordinatur per saltum, recipiendo ordinem superiorem prætermisso inferiori. Quando ordinatur ficto titulo patrimonii aut beneficii. Quando duos ordines sacros

reci-

recipit eodem die; vel unum ordinem per simoniam realem. Dum post contractum matrimonium, licèt non consummatum, quis sacros ordines suscipit, suspensus manet ab ordinibus sic susceptis, & aliis suscipiendis, sicut ab omni officio & beneficio Ecclesiastico suscepto & suscipiendo. Item suspenditur Sacerdos, qui intuitu cujusvis privilegii aut consuetudinis, benedicit sponsis, vel matrimonio jungit, sinè licentia proprii Parochi eorum. Qui Missam à se inchoatam non complet. Qui sepelit publicum usurarium. Qui eligit indignum ad officium habens curam animarum annexam. Qui provocat ad duellum, vel acceptat. Qui asserit B. Virginem conceptam esse in peccato originali, &c. Addo, licèt in absolutione à suspensione non requiratur forma determinata, necesse esse ut declaretur sufficienter effectus: est igitur hæc satis usitata. *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, & restituo te executioni muneris tui, aut ordinis, aut tuo beneficio.*

Petes, quid sint depositio & degradatio?

273. Respondeo, depositionem esse pœnam Ecclesiasticam, quâ persona Ecclesiastica in perpetuum privatur omni officio & beneficio Ecclesiastico, retento solo privilegio canonis & fori. Degradationem verò, quâ depositus privatur solemniter vestibus, omnique signo Clericali, ac Privilegio canonis in perpetuum, traditurque puniendus brachio sæculari. Neutra est propriè & strictè censura, ut suprà n. 262. dictum est.

274. Dico secundò, interdictum est censura aliquorum Sacramentorum usum, Officia Divina, & Ecclesiasticam sepulturam secundùm seipsa prohibens. Per quam ultimam particulam differt ab excommunicatione, quæ prædicta prohibet prout pertinent ad fidelium communicationem: item à suspensione, quæ ea vetat, prout sunt actus alicujus ordinis vel officii. Interdictum aliud est locale, quo interdicitur ne in certo loco prædicta exerceantur: aliud personale, quo inhibetur, ne tali personæ prædicta concedantur: aliud mixtum, quo locus ipse & persona simul interdicuntur.

275. Clericus violans interdictum, vel illicitè permittens violari, si ad eum pertineat regimen Ecclesiæ, per se loquendo, mortaliter delinquit, ac fit per se ineligibilis; præterquàm quòd irregularitatem incurrat is, qui per actum Ordinis interdictum violat. Ipsi etiam Mendicantes excommunicationem incurrunt, si non servent interdictum, quod sciunt servari ab Ecclesia matrice. Quò autem, & ad quas personas se extendant generalia interdicta, Communitatis, aut Ecclesiarum Civitatis v. g. videre poteris in Lezana verbo *Interdictum num.* 4. Ubi *num.* 5. dicit, interdictô populô, non interdici Regulares, sicut nec Clericos; quia populus absolutè prolatus solùm accipitur pro laicis, præsertim in odiosis: ac licèt interdictô Clerô videantur quoque Religiosi interdici, ut plures volunt, plures tamen adhuc oppositum sustinent: in quo, juxta Lezanam, tum attendendum est ad circumstantias & verba decreti interdicentis: pro quo, & aliis, eum consu-

le; nos enim, maximè hîc, brevitati studemus, cùm hæc rarò in praxi occurrant. Applica interim cum proportione interdicto ea, quæ in particulari diximus de suspensione.

Petes quid sit cessatio à divinis?

276. Respondeo eam esse desistentiam ab Officiis divinis & aliquorum Sacramentorum administratione decretam in certum locum. Hæc non est propriè censura (ut suprà *n.* 262. diximus) per quod ab interdicto differt. Neque etiam supponit peccatum: sed simpliciter decernitur in signum gravissimi mœroris ob enormem injuriam factam Ecclesiæ. Clericus eam violans, licèt peccet graviter, non incurrit tamen irregularitatem &c. Causa finalis hujus, sicut & interdicti, est resipiscentia, seu emendatio illius, cujus causâ ponuntur.

§. IV.

De Irregularitate.

277. Dico primò, irregularitas est canonicum impedimentum directè impediens susceptionem ordinum, & horum usum. Unde mulier non est ejus capax. Nec est propriè censura, sed moralis inhabilitas seu ineptitudo ad prædicta, abstrahendo quòd sit vel non sit pœna: dividitur enim in eam, quæ procedit ex defectu; & eam, quæ ex delicto; cujus utriusque causa finalis est reverentia ordinum, & functionis eorum. Nulla irregularitas incurritur, nisi in Jure Canonico expressa fuerit: nec aliqua ex delicto incurritur, saltem probabiliùs, nisi ob peccatum mortale externum consummatum, consequenter ad ante dicta: & ignorantia ab hac etiam pariformiter excusat.

278. Dico secundò, species irregularitatis ex defectu, ad quatuor reduci possunt. Prima est ex defectu natalium: ob quem primò omnes illegitimi sunt irregulares, nisi legitimentur per sequens matrimonium; vel nisi sint ex matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, bonâ fide putato vero. Potest tamen Episcopus dispensare cum irregulari occulto. Illegitimis annumerandi sunt expositi; quorum parentes ignorantur. Quomodo autem hæc irregularitas tollatur per professionem in Religione? Vide apud Lezanam verbo *Illegitimi num.* 17.

179. Secunda species est ex defectu Sacramenti, scil. bigamia, quia ponit defectum significationis conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ est unica. Sic bigamus in ordine ad hunc effectum est, qui bis verè reipsa contraxit & consummavit matrimonium: qui duxit viduam vel corruptam ab alio, & qui cognoscit suam post adulterium: quæ vocantur bigamia interpretativa. Item qui committit bigamiam similitudinariam, id est, dum Religiosus post professionem matrimonium atten-

tat,

tat, & consummat, etiam cum virgine.

280. Tertia ex defectu perfectæ lenitatis, v.g. ex occisione vel mutilatione, etiam justa, in judicio, bello &c. ut patet ex cap. 3. *Ne Clerici*, & aliis juribus. Unde Judex proferens sententiam mortis aut mutilationis, & omnes ad ejus executionem cooperantes, sunt irregulares. Non tamen reum nudè accusans ut sua recuperet, sic, ut non appareat, eum appetere ejus sanguinem. Nec etiam Clericus, qui supplicio assistit ut merus spectator: vel indeliberatè & inadvertenter accelerat mortem, reum hortando, ut scalas ascendat, ut ad ictum caput supponat &c. Si verò illa fiant cum advertentia & reflexione, non excusatur juxta multos: quidquid eum adhuc illo casu excuset Franciscus B. Spei cum Diana; quia tunc non intervenit lenitatis defectus, sive mansuetudinis, aut ratio delicti. Idem docet Burghaber *Centur.* 1. *casu* 53. post Hurtado & Vasquez dicens, *in prædicto cap.* 3. & aliis juribus, ubi mentio fit hujus irregularitatis, solùm illos comprehendi, qui ad homicidium aut mutilationem concurrunt vel ut publici ministri Justitiæ, sive ad causæ probationem, sive ad executionem; vel ut privati injustè & cum peccato: quod peccatum vult Gobat debere esse mortale injustitiæ, ut *in Alphab. Ordin. casu* 17. *num.* 668. dicit se alibi authoritate & ratione probasse. Quare non est, quòd irregularitatem timeant illi, qui infirmis assistunt, eosque in lecto movent, quamvis per accidens in motu isto moriantur, ut loquitur P. Franc. *de Iure & Iust. disp.* 19. *nu.* 132. Est tamen, quòd timeant illi, qui contra expressam ordinationem Medicorum porrigunt infirmis vinum moti horum precibus: quia illos incurrere irregularitatem, si per hoc sint causa mortis saltem notabiliter accelerandæ, docent varii apud dictum Burghaber *Centur.* 2. *casu* 47. Nec immeritò, cùm hic Author doceat, hoc facientes peccare mortaliter in posito casu. Vide & alia particularia âpud Lezanam hîc *num.* 25. 26. *& seq.* Ac licèt occidens in bello justo offensivo fiat irregularis, non tamen in defensivo, quamvis esset Clericus: in bello autem injusto etiam mandantes & cooperantes sunt irregulares. Ut autem irregularitas contrahatur ob aliquod opus, requiritur, ut illud sit consummatum, & commissum post Baptismum.

281. Quarta species irregularitatis ex defectu, provenit ex defectu corporis & animi: ex quo fit irregularis qui caret ætate à jure ad singulos ordines requisitâ: item qui caret manu, pollice, aut digitis necessariis ad elevandam vel frangendam Hostiam. Qui est ita mancus, ut sine fulcris altari adstare non possit. Carens oculo, præsertim sinistro. Hi defectus impediunt susceptionem omnium ordinum: si verò ordinatis superveniant, possunt adhuc eos ordinis actus exercere, ad quos non censentur inhabiles. Adde etiam epilepticum esse irregularem, si sæpe cadat. Item & mancipium. Insuper ex defectu usus rationis, scientiæ, aut litteraturę irregularis est, dum ideo impeditur ordines rectè exercere: neque hæc irregularitas tolli po-

poteſt niſi ipſe uſus rationis, ſcientia, aut litteratura adveniant. De hermaphroditis, vide Lezanam hîc *num.* 13.

282. Dico tertiò, ſpecies irregularitatis ex delicto etiam ſunt quatuor. Prima eſt ex illicita collatione vel ſuſceptione Baptiſmi: ut ſi quis permittat ſe rebaptizari, vel ſine neceſſitate ſinit ſe ab hæretico baptizari.

283. Secunda eſt, ex mala ſuſceptione vel uſu ordinum. Sic furtivè ordinatus eſt irregularis, ut ordines ſuperiores non poſſit ſuſcipere. Qui durante matrimonio ordinatus eſt extra caſus jure permiſſos. Qui in excommunicatione majori ordinatur, ſaltem probabiliter. Clericus exercens ordinem, quem non habet, ſcil. ſolemniter: & illicitè ſolemniter exercens aliquem actum ordinis in cenſura. Ubi adverte eum, qui falsò judicans ſe eſſe excommunicatum, celebrat v.g. non incurrere irregularitatem (quamvis æquè graviter delinquat ac ſi in excommunicatione celebraret) ob rationem datam §. 1. *num.* 264. circa finem.

284. Tertia eſt ex homicidio vel mutilatione injuſta. Unde homicida voluntarius, ſive per ſe ſive per alium, mandando, conſulendo, auxiliando, etiam cum pluribus, fit irregularis: etiam in dubio, an ex tuo vulnere, an aliunde mors ſecuta ſit, propter ſpecialem juris in hoc conſtitutionem. Non incurritur tamen irregularitas dum homicidium eſt prorſus caſuale, quod neque in ſe, neque in cauſa eſt voluntarium; ut dum quis ex vulnere non mortali, malitiâ aut negligentiâ chyrurgi, temeritate ipſius læſi vento ſe exponentis, &c. moritur. Vel ſi dans operam rei licitæ, aut illicitæ, ſufficientem adhibuit cautionem, ne aliquid incommodi inde ſequeretur, aliquem caſu occidat. Ita Franciſc. B. Spei ſuprà *num.* 129. Adde non fieri irregularem, qui alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Bene qui alterum mutilat injuſtè quoad membrum notabile, v.g. pedis abſciſſione: non tamen digiti, niſi proprii, ex jure ſpeciali.

285. Quarta ſpecies eſt illa, quæ procedit ex delictis infamibus infamiâ juris vel facti, id eſt, quæ vel per ſententiam Judicis, vel per crimen notorium incurritur: qualis infamia incurritur per crimen læſæ Majeſtatis, ſodomiam, hæreſim, &c. Addo tamen, teſte Gobat, Giballino, & aliis, hæreſim non parere infamiam in Germania, ibique filium hæretici parentis ad fidem orthodoxam converſum non eſſe pro irregulari habendum. Vide Gobat *in Alphab. Ordin. caſu* 17. *num.* 655. qui *numer.* 653. docuerat notatum infamiâ à civili Magiſtratu non manere irregularem, ſi hic eum poſtmodum priſtinæ famæ reſtituat: ejuſdem enim, inquit, eſt abſolvere, cujus ligare: in quo pro ſe citat Suarez.

286. Cæterùm irregularitas non irritat ordinem ſuſceptum: quia Eccleſia non poteſt impedire valorem, quem Sacramenta habent Jure divino, ſed facit ut ſuſcipiens, etiam ordines minores, mortaliter delinquat. Ita P. Lezana verbo *Irregularitas num.* 5. addens, quamvis verior ſententia ſit, irregularitatem impedire ſuſceptionem primæ tonſuræ, eò quòd ipſa etiam

iam veniat nomine ordinis, vel saltem sit inchoatio & dispositio ad illum: nihilominùs non est improbabilis sententia contraria, posito quòd non sit ordo; quia in odiosis ampliare non debemus. Ita ille, post Dianam. An verò dicendum sit, Legislatorem Ecclesiasticum velle obligare sub mortali, dum aliquid præcipit vel prohibet sub pœna irregularitatis? Respondi probabiliùs affirmativè, *tract.2.disp.3.num.* 22. pro quo ibid. dicta consule.

Petes, quis in irregularitatibus dispensare valeat?

287. Resp. in irregularitate ex homicidio voluntario solus Pontifex; per accidens tamen in necessitate etiam Episcopus: sicut & potest dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto. Quod extende ad eam quæ provenit ex mutilatione voluntaria, ex bigamia interpretativa, & similitudinaria. Non potest tamen Episcopus dispensare in irregularitatibus quæ non proveniunt ex delicto, ut v.g. ex defectu perfectè lenitatis, bigamia vera &c. etiam occultis. Nec qui sunt privilegiati quoad absolutionem à censuris, ideò censendi sunt posse absolvere ab irregularitatibus, quæ sunt multò difficilioris relaxationis. Pro particularioribus consule P. Lezanam: nobis enim hæc pauca, quæ de censuris hîc posuimus, cum iis, quæ de illis hinc inde per occasionem, in decursu hujus nostræ Theologiæ referimus, ad intentum sufficiunt. Sed ne quidquam desit, de quo postmodum non se offeret tractandi occasio, sit

DUBIUM DUODECIMUM.

De Indulgentiis.

288. SUppono, de fide esse, quòd detur Purgatorium, ex Trident. *sess.6.can.3.* Quod & à variis Controversistis ex pluribus locis Scripturæ probatur; quos cum opportunitate legere poteris. Nomine autem Purgatorii intelligitur locus vel status, in quo justorum animæ nondum purgatæ post hanc vitam satispatiuntur, quoadusque totaliter expiatæ in cœlum intromittantur. Animas illas inibi detentas posse viventium suffragiis juvari, etiam fidei est ex eodem Trident. *in Decreto de Purgatorio:* idque partim per modum satisfactionis, unde maximè juvant opera pœnalia, partim per modum impetrationis, qualiter illis prosunt orationes ab Ecclesia ordinatæ, maximè cùm ex Ecclesiæ sensu, eædem animæ per intercessionem Sanctorum juvari possint, quod non videtur aliter posse fieri quàm per modum impetrationis. Per suffragium ergo hîc intellige auxilium, quod unus fidelis præstat alteri ad obtinendam à Deo remissionem pœnæ temporalis, quale v. g. est oratio, jejunium, &c. sed maximè sacrificium Missæ (de quo suprà satis) & Indulgentiæ. De quibus hîc

289. Dico primò, Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis Deo debitæ ob peccata dimissa, extra Sacramentum facta ab Ecclesiæ Prælatis, per applicationem thesauri Ecclesiæ. Ita N. Hieronymus Gratianus *tract. de Iubilæo part.* 1. *cap.*4. & Lezana verbo *Indulgentia num.* 2. Thesaurus autem Ecclesiæ comprehendit satisfactiones Christi, & Sanctorum, quibus non indiguerunt: sicut enim in Repub. bene ordinata est aliquis thesaurus, sive acervus pecuniæ à Principe civibus distribuendæ; ita in acceptatione divina reservatur infinitus cumulus meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum, ex quo Prælati Ecclesiæ fidelibus Indulgentias concedunt.

290. Dico secundò, Indulgentia alia est plenaria seu totalis, per quam remittitur tota pœna temporalis debita in Purgatorio: alia est non plenaria, seu partialis, qua solum pars dictæ pœnæ remittitur, v. g. medietas unius anni &c. Quod non intelligitur, quasi remitteretur unus annus pœnæ purgatorii; sed quòd remittatur pœna correspondens pœnitentiæ, quæ juxta canones antiquos propter peccata imponebatur ad unum annum; qualiter etiam *Quadragena*, seu indulgentia 40. dierum sumitur pro ea, quâ remittitur pœna correspondens pœnitentiæ 40. dierum.

291. Dico tertiò, in concedente indulgentiam requiritur potestas illam concedendi, quæ primariò residet in solo Papa; in aliis verò Prælatis, non nisi quatenùs ab ipso iis conceditur. Conceditur autem Episcopis cap. *cum ex eo de Pœnit. & remiss.* in dedicatione Ecclesiæ unum annum, & aliis occasionibus quadraginta dies indulgentiarum elargiri. Pro aliis Prælatis, vide Lezanam *num.* 4. Insuper etiam requiritur justa causa & rationabilis; non solùm, ut indulgentia licitè; sed etiam, ut validè concedatur: quare axioma, *indulgentiæ tantùm valent quantùm sonant*, intellige, suppositâ sufficienti potestate in concedente, & debitâ proportione causæ.

292. Dico quartò, ut quis lucretur indulgentiam, debet esse baptizatus; quia Thesaurus Ecclesiæ non distribuitur nisi inter Ecclesiæ membra. Insuper etiam requiritur status gratiæ, quamvis tamen opera præscripta non debeant necessariò fieri in gratia; ut patet in jubilæo, quod quis lucrari potest, licèt solùm ultimum opus requisitum fiat in gratia: ex quo sequitur, ut quis alteri lucretur indulgentiam, non requiri gratiam in promerente. Hinc si in Bulla dicatur, *qui dederit talem eleemosynam, liberabit unam animam ex purgatorio*, dando illam etiam in malo statu, potest unam animam liberare; quia scil. sufficit, quòd indulgentiam suscipiens sit in gratia, prout docet Lezana suprà *num.* 5. Gratianus, & alii.

203. Quando in Bulla requiritur confessio per modum dispositionis ad gratiam, illa non est necessaria in gratia jam existenti; secùs si confessio requiratur ut conditio: quidquid Mercerus dicat, nunquam confessionem requiri ut conditionem; eò quòd confessio nunquam soleat ab Eccle-

Ecclesia injungi, nisi in quantum necessaria est ad statum gratiæ. Sic etiam sentit Burghaber *Centur.* 2. *casu* 26. Addens, quamvis confessio exigeretur ut conditio, adhuc aliquem satisfacere per confessionem (& idem est de communione) factam die præcedente; eò quòd censeatur facta moraliter intra requisitum tempus, in quantum facta est proximè ante: nec enim verba Bullæ mathematicè explicanda sunt, inquit, sed moraliter; prout ait patere ex usu fidelium, qui dum manè confessi sunt & communicarunt, vesperi vadunt ut lucrentur indulgentias in Ecclesiis ubi à primis vesperis alicujus festi indicuntur. Cæterùm impletio operis præscripti est conditio, sinè qua non obtinetur indulgentia, quamvis ex ignorantia vel impotentia omittatur. Non debet tamen necessariò opus esse bonum in individuo, sed etiam vitiatum conducit ad finem indulgentiæ: ut si requiratur eleemosyna pro reparatione templi v.g. & illa detur ex vana gloria: quòd si præscribatur ad placandum Deum, videtur tunc injunctum opus debere esse bonum in individuo; quia aliàs non conducit ad intentum finem, quidquid contradicat Suarez.

294. Adde primò, opus non debere fieri ex speciali intentione lucrandi indulgentiam, sed sufficere si fiat ex interpretativa, ut patet in defunctis. Hinc qui orat in Ecclesia aliqua pro concordia Principum Christianorum, Hæresum exstirpatione &c. lucratur indulgentiam illi Ecclesiæ concessam pro taliter orantibus, etsi ipse id ignoret: sufficit enim ex parte operis illud dirigi ad finem indulgentiæ. Imò nec hoc videtur semper esse necessarium, habenti v.g. numisma benedictum, qui in morte simpliciter nomen Jesu devotè pronuntiando potest dici lucrari indulgentiam, si hæc illi numismati sit concessa.

295. Adde secundò, juxta aliquos, si opus sæpè iterari non possit, ut v.g. communio, & certâ die ob diversas rationes diversæ indulgentiæ sint concessæ visitantibus eandem vel diversas Ecclesias, te posse per idem opus plures indulgentias lucrari, modò eâ devotione opus facias, quæ utrique indulgentiæ sit proportionata; quod & verum esse videtur, licèt opus iterari possit, dum plures indulgentiæ in eadem Ecclesia ob eandem rationem v.g. concessæ sunt.

296. Adde tertiò, indulgentias non solùm posse concedi vivis, sed etiam mortuis, prout definitum est à Leone X. contra Lutherum, & constat ex praxi Ecclesiæ. Diversimodè tamen his & illis conceduntur: vivis enim conceduntur per modum judicialis absolutionis, quæ est actus jurisdictionis in subditos, quo Papa indulgentiam concedens verè absolvit lucrantem à tali pœna. Ast cùm defuncti sint extra forum Ecclesiæ, non sunt ampliùs hujus subditi; adeoque his conceduntur indulgentiæ solùm per modum suffragii seu solutionis factæ Deo per oblationem satisfactionum Christi & Sanctorum ex Thesauro Ecclesiæ. Ita P. Lezana *n.* 5. post Gratianum: qui idem Lezana hæc subjungit, licet indulgentia pro

vivis semper, & infallibiliter habeat suum effectum positis omnibus requisitis, non sic tamen indulgentia pro defunctis, eò quòd liberum sit Deo admittere solutionem dictam seu commutationem, vel non; nec enim ad hoc obligatus est ex natura rei, nec vi alicujus promissionis: unde solùm habet suum effectum juxta Dei beneplacitum, attentis tamen meritis illorum pro quibus applicatur, dum erant in vita, juxta doctrinam S. Augustini *in lib. de cura pro mortuis.* Idque confirmat communis æstimatio fidelium, qui etsi indulgentiam uni defuncto applicaverint, v. g. unam Missam in altari privilegiato, non propterea cessant ab aliis Missis & suffragiis ei applicandis. Hæc & alia ille *loc. cit.* quidquid oppositum etiam judicet probabile: & Franc. B. Spei *de Relig. disp. 2. num.* 18. dicat, Missas pro animabus Purgatorii oblatas, infallibiliter illis ex opere operato prodesse.

Petes, an indulgentiæ concessæ vivis possint à persona particulari applicari animabus purgatorii Affirmat Gobat in Thesauro Indulg. *l. 2. c. 21. q. 61. n. 466.* Sed ego id nego cum Burghaber *Centur. 1. casu* 72. & aliis communiter: tum quia forma concessionis pro vivis, utpote per modum absolutionis, ut dictum est, excludit defunctos: tum quia indulgentia pendet à voluntate concedentis, ut non possit alteri applicari, nisi cui ipse concesserit: tum etiam quia praxis Ecclesiæ habet, ut semper fiat specialis mentio animarum, dum ipsis vult Summus Pontifex indulgentias applicari.

297. Pro cæteris particularioribus Consule Lezanam: & nominatim pro indulgentiis variis concessis Regularibus à *num. 6.* De concessis Confratribus & Confraternitatibus *num.* 17. De iis, quæ conceduntur medalliis seu numismatibus *n.* 19. Quæ concessæ sunt recitantibus ter *Ave Maria*, cum tribus illis Antiphonis *Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini &c. & Verbum caro &c.* ad tria signa campanæ *n.* 20. ubi ostendit has esse plenarias. Circa indulgentias stationum denique vide eum *num.* 21. Sed specialiter quoad singularem illam indulgentiam seu privilegium, quô ab Alexandro V. Clemente VIII. Pio V. & Gregorio XIII. decernitur, B. Virginem animas Fratrum & Confratrum suæ Sodalitatis Sacri Scapularis in charitate decedentium &c. suis intercessionibus continuis, suffragiis & meritis, in Thesauro Ecclesiæ relictis, ac speciali protectione, primò post transitum Sabatho adjuvare & è purgatorio liberare: Vide Franciscum Bonæ Spei *de Relig. suprà num.* 19. *& seq.* Ubi respondet aliquibus objectionibus; & efficacissimè refellit Thomam Hurtadum dicentem, *Hoc Scapularis Privilegium non esse prædicandum populo, & hoc publicare esse magnum scandalum*, verbis insignis illius Societatis Jesu Historiographi Theophyli Raynaudi in suo Scapulari Partheno-Carmelitico *par. 2. q. 5.* ubi sic ait: *At audi, quid è contrario tradat Paulus V. in Decreto, lato anno 1613. contra Inquisitorem Avenionensem,*

nensem, obstrepentem Carmelitanis proponentibus pro suggestu hoc privilegium. Permittatur Patribus Carmelitanis Prædicare, quòd populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum & consororum Sodalitatis Beatæ Virginis de Monte Carmeli, videl. B. Virginem animas Fratrum & Sororum in Charitate decedentium, quæ in vita habitum gestaverint, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, speciali protectione, post earum transitum, præcipuè in die Sabbathi, adjuturam. *Hæc postrema habet etiam Gregorius XIII. in diplomate Anni* 1577. *Liquet ergo Hurtadum corrigere decretum Pontificium &c.* Alia vide apud ipsum Authorem, vel P. Franciscum *loc. cit.* & sit

DISPVTATIO VI.

De extrema Unctione.

DVBIVM I.

De institutione & materia illius.

1. Dico primò, extrema Unctio (quam, verum esse novæ legis Sacramentum, definit Tridentinum post alia Concilia) est instituta à Christo *Marci 6.* ubi dicitur, quòd Christus miserit discipulos suos, & *ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Exercitium verò hujus Sacramenti postmodum promulgavit S. Jacobus in sua Canonica *cap. ult.* dicens, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini &c.* Ita docet Bacho *in 4. distinct. 23. quæst. unica art. 1.* quidquid Bassæus dicat, non constare quandonam hoc Sacramentum fuerit institutum: & Fuliensis asserat, id vix certò determinari posse, esseque veròsimile, Christum in nocte Cœnæ docuisse Apostolos modum observandum in hujus Sacramenti administratione. Describitur autem extrema Unctio à D. Thoma *in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 1.* Sacramentum à Christo institutum ad ægroto de vita periclitanti conferendam salutem animæ vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti & orationem Sacerdotis: quæ descriptio cum aliorum definitione coincidit, quam tradit Bassæus verbo *Extrema unctio cap. 1. num. 2.* Secundùm Franc. B. Spei, est *unctio ex oleo olivarum, in sensibus moribundi, à sacerdote facta, sub præscripta verborum forma.* Breviorem tradit Hurtado, dicens, *est Sacramentum confortativum ad spem vitæ æternæ:* quam sufficientem vocat Gobat *in Alphab. Ordin. casu 21. num. 780.*

2. Dico secundò, materia hujus Sacramenti remota est oleum olivarum ab

ab Episcopo consecratum; quod ex communi Ecclesiæ usu singulis annis renovari debet: quia tamen de hoc ultimo non exstat præceptum, saltem expressum, ut testantur Henriquez & Naldus apud P. Lezanam verbo *Extrema unctio num.* 13. potest in mortis articulo ungi æger oleo veteri, prout declaratum esse à sacra Episcoporum congregatione, tradunt Gavantus, Sa, & Diana apud eundem Lezanam, qui ibid. docet, idem dicendum esse in casu quo Episcopus oleum novum non misisset, vel juxta morem patriæ petentibus aut quærentibus non dedisset. Interim est peccatum extra casum necessitatis oleum alterius anni adhibere, ut DD. communiter tradunt apud Bassæum *suprà num.* 4. ubi dicit, hoc oleum debere esse simplex, quamvis tamen modica admixtio alterius liquoris non destruat olei naturam: imò, inquit, usus Ecclesiæ obtinuit, ut in necessitate oleum non consecratum misceatur consecrato: utrumque enim per admixtionem censetur consecratum. Attamen Marchant orat Episcopos, ut majori in quantitate distribuant oleum consecratum, ne per incautam admixtionem materia hujus Sacramenti reddatur dubia; & meritò; quia non parum anxietatis adfert mihi & ipsi dicta mixtio: quidquid unus aut alter apud Dianam *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 15. non sint scrupulosi, licèt oleum non consecratum admisceatur in majori quantitate quàm sit oleum consecratum, saltem si mixtio fiat sensim. Vide Franc. B. Spei *de extrema Unct. disp.* 1. *num.* 7. *& seq.* Quòd verò oleum necessariò debeat esse benedictum ab Episcopo, claré colligitur ex Conciliis Florentino & Tridentino, quorum utrumque dicit, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo consecratum seu benedictum: per quæ verba indicatur æquè necessariam esse Episcopi benedictionem, ac ipsum oleum. Unde meritò Diana *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 81. rejicit sententiam Martino dicentis, sufficere oleum benedictum à Sacerdote ex commissione Episcopi: imò & non benedictum adhiberi posse in casu necessitatis: quam sententiam rejiciunt omnes, eamque Magister Sacri Palatii delevit ex Aphorismis Emanuelis Sa, ut testatur idem Diana; quem vide etiam *tract.* 12. *resol.* 32. *in fine.*

3. An sufficiat unica gutta olei benedicti ad quamcumque unctionem? Colliges ex dictis suprà de materia Baptismi.

4. Dico tertiò, materia proxima hujus Sacramenti est ipsa unctio: probatur, quia in omnibus aliis Sacramentis, quæ in usu consistunt, proxima materia est applicatio, sive ipse usus materiæ remotæ.

5. Adverte ex Florentino ordinariè debere adhiberi septem unctiones, videl. oculorum, narium, aurium, oris, manuum, pedum, & renum. Dico ordinariè; quia imprimis unctio renum omittitur in fœminis propter honestatem; imò & in Religiosis, licèt apud nos oppositum fiat propter humilitatis exercitium, ut loquitur P. Lezana *num.* 9. ubi cum Naldo docet omitti posse etiam in viris sæcularibus, ubi ægrotus absque periculo moveri non

non potest. Deinde sacerdotes ungendi non sunt in palma manus, sed in exteriori parte, eò quòd in sua ordinatione hoc semel factum fuerit. Ita communiter DD. si tamen contrarium esset consuetudine receptum, observari posset juxta eundem Lezanam; quia hæc unctio est diversa ab alia.

DVBIVM SECVNDVM.

Qualis Unctio fiat: & an Parochus eam semper conferre teneatur?

6. Dico primò, cùm juxta plurimorum sententiam apud Dianam *loc.cit.resol.*168.& juxta Universitatis Lovaniensis declarationem ac Pastorale Mechliniense, simpliciter loquendo, sufficiat unica unctio in uno vel altero sensu magis exposito sub hac forma: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, parcat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, gustum, odoratum, tactum, & gressum*; tutum est in praxi unicam unctionem adhibere sub dicta forma, dum adest periculum contagionis, vel necessitas. Ratio est, quia cùm anima sit tota in toto, & tota in singulis membris, quamvis actus sensuum in singulis membris non exerceantur, unicâ unctione perficitur quod significatur; nam unctio ad sensus ipsos effectu spirituali non terminatur, sed ad ipsam animam. Interea adhuc monet P. Lezana *n.*7. etiam tunc in mente retinendam esse hanc conditionem, *si licitè possum*, vel aliam similem; addens probabiliùs in dictis casibus sufficere dictas unctiones quinque sensuum fieri in unico ipsorum organo, scil. in uno oculo, una manu, &c. quia hoc sufficit ad significationem Sacramenti, & à præcepti seu consuetudinis in contrarium obligatione excusat necessitas: cum Lezana in his convenit P. Franciscus. Hinc Diana dicit, se in casu dicto potiùs velocissimè sine crucis forma (quæ juxta dicenda debet adhiberi cùm potest) unum oculum, unam aurem &c. uncturum, dicendo *per istas sanctas unctiones & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, tactum, odoratum, gustum & gressum deliquisti.* Attamen ego judico utrumque modum fore tutum: & addo, de necessitate Sacramenti non esse, ut dictæ unctiones fiant juxta ritum per Concilium Florentinum & Rituale Romanum præscriptum, ut videl. primò ungantur oculi, secundò aures &c.

7. Dico secundò, tempore pestis infirmus inungi potest virgâ oblongâ, ligneâ, argenteâ aut alterius materiæ: cùm enim hoc non sit contra reverentiam, videtur omninò ob vitandum mortis periculum debere excusari, quamvis aliàs ob communem usum

sum Ecclesiæ digito inungi debeat. Ita Lezana & Diana; monet autem Sylvius, dictam virgam postea esse purgandam, atque in similem usum reservandam si argentea sit v. g. vel igne comburendam, si sit lignea.

8. Dico tertiò, controvertitur, an Parochus tempore pestis v. g. saltem dicto modo teneatur hoc Sacramentum conferre cum periculo vitæ? Sententiam affirmativam mordicùs defendit Nugnus *par.3.to.2.qu.33. art.2. difficult.3.* ubi oppositam vocat falsam & impiam: eam etiam sustinet Sylvius *par.3.q.32.art.3.* sed oppositam defendunt ut probabilissimam Diana *part. 3.tract. 4. resol.174.* & Villalobos, citantes Armiliam, Suarez, & Molfesium: quibus accedit P. Lezana *num. 5.* docens, non teneri aliquem extremam unctionem ministrare cum periculo vitæ, nisi in casu quo infirmus nullum aliud Sacramentum suscipere valeret, eò quòd hoc Sacramentum non sit de necessitate salutis aut præcepti divini. Verùm hac in parte mihi accomodè loqui videtur Jacobus Marchant *in Resol. Pastor. tract. 6.de Sacram. cap.3.* ubi ait, Pastores hîc non debent se facilè excusare trepidantes ubi timor non est, aut ubi charitas debet foris pellere timorem: propter quod existimat, multas Synodos Diœcesanas in Belgio ordinare, ut parochi id muneris subeant etiam tempore pestis, prout ipso teste faciunt Synodi Cameracensis, Iprensis, Audomarensis & Leodiensis, supponentes ordinariè non adesse adeò magnum periculum mortis, quin vitari possit, tum per medicamenta præservantia, tum providendo ut æger constituatur in loco ad quem securior sit accessus, tum utendo virgâ de qua suprà: si tamen his omnibus adhibitis, Medicorum vel aliorum prudentum judicio adhuc morale periculum permaneret, dicit non obligari Parochos: quos revera nec ego obligo ob rationes ipsius; quidquid cum ipso asseram, magnæ perfectionis esse, si perituræ vitæ contemnentes periculum, ad id se Parochi resolvant ex fervore charitatis. Vide eum *loc.cit.* ubi remittit ad *lib. 4. vita Caroli Borromæi cap.3.* optans ut omnes Episcopi dictum Sanctum imitentur, ut eorum exemplis Parochi succensi ad omnia promptos sese offerant absque stricto debito. His

9. Adde Sylvium suprà satis probabiliter docere, teneri Parochum etiam cum certo vitæ periculo hoc Sacramentum administrare si infirmus recipere non potuerit Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ, quod idem diximus docere P. Lezanam, cujus nunc rationem subdo: quia juxta probatos authores hoc Sacramentum potest per accidens causare primam gratiam; ex quo fieri posset ut infirmus per hoc Sacramentum salvetur, qui aliàs foret damnandus; putà si moreretur cum sola attritione, haberetque peccatum mortale non confessum. Attamen quia probabiliùs, juxta dicta *de Eucharistia*, extrema unctio nunquam causat primam gratiam, puto etiam oppositum ejus, quod docent Lezana & Sylvius, esse probabile: quidquid putarem tunc Parochum obligari ad substituendum

dum aliquem alium qui hoc munere fungatur, si talem possit reperire, & ipse Parochus satis pingue recipiat stipendium ut hoc facere queat. Vide Franc. B. Spei *disp. 2. num. 6.* Addo extra casum similis periculi non de pleno satisfacere officio suo Parochum, qui ubi munierit moribundum, eum totaliter deserit, quod, pro dolor! nimis multi faciunt; cùm tamen scriptum sit: *Vbi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum. cap. 2. de elect. in 6.* Tantò autem majus periculum intenditur, quantò vicinior est mors, prout tunc maximè serpens tartareus insidiatur calcaneo moriturientis: quod bene observat Gobat *in Alphab. Ord. casu 22. n.* 897. qui & *n. seq.* monet Parochos in hoc negligentes verbis asperis desumptis ex Manuali Pastorum.

DVBIVM TERTIVM.

De forma & ministro Extremæ-unctionis.

10. Dico primò, forma Extremæ-unctionis est; *per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum* &c. Ita Concilium Florentinum & Tridentinum: unde omnes aliæ formæ, saltem substantialiter, quoad sensum debent cum hac convenire. Vide Dianam *par. 11. tract. 1. resol.* 18. ubi in uno omnium habes opiniones hac in parte: & adverte, ad unctiones singulorum sensuum deberi prædictam formam repeti, nominando solùm illum sensum qui reipsâ inungitur, saltem extra casum necessitatis & periculum contagionis: idque sub mortali culpa, juxta omnes communiter. Hinc constat, formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam, ut omnes communiter docent cum P. Francisco *disp. 1. n.* 15. cujus & ratio est; quia hoc Sacramentum confertur infirmis, qui utpote jam viribus destituti, indigent deprecatione & oratione, sicut & misericordiâ & clementiâ Dei, quatenùs eâ mediante de hac vita in vitam æternam transire possint: atque ideò divinæ clementiæ commendantur, soliusque Dei misericordiæ relinquuntur.

11. An valeat hoc Sacramentum collatum per hanc formam, *ungo tuos oculos oleo benedicto in nomine Patris & Filii* &c. Controvertunt DD. in quo magis placet sententia negativa; quia, ut bene advertit N. Bacho *in 4. distinct. 23. quæstion. unicâ art.* 3. videtur id colligi ex verbis Jacobi dicentis, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros & orent super eum* &c. deinde ut idem Bacho probat, ejusdem Sacramenti non dantur diversæ formæ totales in sensu substantiali disconvenientes: interim hoc certum est, quòd prior semper sub peccato mortali servari debeat: vide Bachonem *loc. cit.* ubi ad id, quod objici posset, formam Ambrosianam esse indicativam, nempe, *ungo te* &c.

re &c. ut suprà; respondet indicationem affectus apud Deum esse orationem, prout ostendit in simili: unde si proferens dictam formam affectu deprecetur, videtur adhuc posse validè conferri Sacramentum: quamvis, ut dixi, in praxi alia forma servari debeat. Adde hæc verba, *per suam piissimam misericordiam*, item *per visum, auditum*, &c. non esse de essentia formæ, quia illis omissis non destruitur substantialis verborum sensus: de necessitate tamen additur *per istam unctionem*; quia in hoc Sacramento debet necessariò exprimi illius materia proxima. Essentialis igitur forma hæc esse videtur, *per istam unctionem parcat tibi Deus quidquid deliquisti*; quamvis cætera sub mortali sint addenda. Non est tamen in præcepto, ut fiant unctiones cum efformatione Crucis, prout post Hurtado, Coninck, & Reginaldum observat Gobat.

12. Petes quid faciendum sit cum cæcis & mutis? Respondetur communiter inungi debere illam partem in qua naturaliter sensus esse debebat: ac si tales partes etiam desint, inungendas esse partes propinquiores: atque hoc sustinet Marchant in Tribunali, sicut & Valentia, licèt fuerint cæci aut muti à nativitate; quia adhuc per internum desiderium secundùm illos sensus potuerunt peccare: verùm Dicastillus apud Dianam *par.* 10. *tract.* 16. *resol.* 81. dicit, id gratis & sine fundamento in veritate verborum formæ asseri; qui enim, inquit, nunquam habuit oculos, nunquam peccavit per oculos; nec illa concupiscentia videndi, si peccatum fuit, fuit peccatum oculorum. Adde quòd unctio in alia parte omninò distincta non significet remissionem peccati commissi per eam partem, quæ non existit nec unquam exstitit, nec commissi per concupiscentiam operandi per talem partem aut sensum, qui nunquam fuit. Quidquid sit, adhuc prædictis conferenda est extrema unctio in aliis sensibus; quia censetur Deus ita hoc Sacramentum instituisse, ut serviret & valeret prò hominibus quales hîc & nunc inungendi sunt.

13. Dico secundò, minister sufficiens hujus Sacramenti est omnis & solus Sacerdos. Patet ex verbis Jacobi, *inducat Presbyteros*; estque definitum in Florentino. Verùm extra casum extremæ necessitatis solus Sacerdos propriùs licitè hoc Sacramentum administrat, vel alius cum hujus licentia: & Religiosus exemptus aliquem inungens sine licentia, incurrit in excommunicationem; aliquibus tamen casibus exceptis, quos vide apud P. Lezanam *num.* 1. & 3. Peccant item mortaliter sæculares Sacerdotes qui invitô Parochô aliquem inungunt. Sed quid si Parochus nec velit inungere, nec permittere, ut alius inungat? Si sine justa causa ita se gerat, poterit quilibet alius Sacerdos præstare hoc officium charitatis Christianæ: imo & tenebitur, ut plures docent apud Gobat *in Alphabet. Ordin. casu* 22. *numer.* 861. quamvis sit incursurus odium Parochi. Ratio est, quia est mens Summi Pontificis, ac Episcopi proprii, ut tunc agatur contra irrationabilem voluntatem proprii Parochi. Ita in simili casu de Viatico

tico se *in Alphab. commun. casu* 21. *num.* 380. respondisse asserit dictus Gobat. Lezana *loc. cit.* docet, quamvis ex usu & consuetudine Ecclesiæ, sub mortali obligante, minister hujus Sacramenti debeat esse unus & idem; tamen in casu necessitatis extremæ, posse plures simul illud ministrare, ita ut unus ungat unum sensum formâ partiali prolatâ, & alius alium. An verò quis possit seipsum inungere? Respondeo negativè cum eodem Lezana & aliis communiter: tum quia Sacramenta, quæ in usu consistunt, requirunt ministrum à suscipiente diversum: tum quia illud verbum *tibi* in forma positum videtur id importare.

DVBIVM QVARTVM.

Quis possit hoc Sacramentum suscipere: ubi de ejus effectibus.

14. Dico primò, solus adultus de vita periclitans, corporeque infirmus, quique post Baptismum actu peccavit, potest suscipere extremam unctionem. Est communis; licèt Mercerus non improbabiliter *to.* 3. *tract. de Extrema Vnctione disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 2. doceat, adultum inungi posse statim à Baptismo si fuerit in extremis: quia, inquit, hoc Sacramentum habet duplicem proprium & infallibilem effectum, remissionem scil. peccati commissi, & auxilia quibus homo in extrema lucta corroboratur, ad quem secundum effectum obtinendum videtur prædicto hoc Sacramentum posse conferri. Dixi in resol. *de vita periclitans*; quia ad collationem hujus Sacramenti non sufficit quælibet infirmitas, sed debet prudentum judicio esse periculosa. Nec bellantibus, aut ultimo supplicio afficiendis est hoc Sacramentum dandum, quia hi non sunt corpore infirmi: bene tamen vulneratis ad mortem, aut iis qui sumpto veneno in mortis periculo versantur: item illis, qui ob summum senium sinè judicio alterius morbi incipiunt deficere; qui sunt in periculo mortis eò quòd nequeat sisti sanguis per nares manans: sicut & fœminis parientibus cum periculo mortis, ac peste infectis; quia hi omnes corpore sunt infirmi. Vide Dianam *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 9. & Lezanam *num.* 6. qui ait, tempore pestis ob fallacitatem hujus infirmitatis posse hoc Sacramentum conferri in principio, etiam quando medici dubitant an homo sit peste infectus: addens, in aliis infirmitatibus non esse exspectandum extremum vitæ periculum, aut donec naturaliter salus sit desperata; quia salus infirmi, quæ est secundarius unctionis effectus, non causatur ab ea miraculosè, sed virtute supernaturali ordinariâ. Bonum etiam erit si infirmus adhuc u-

tatur ratione, ut tunc ei conferatur; quatenùs sic meliùs ad illius fructum se valeat disponere: attamen inungi possunt usu rationis pro nunc privati, etiam phrenetici, si ante hunc statum id explicitè vel implicitè petierint, quæ implicita petitio juxta probatissimos authores, apud Lezanam & Bassæum, censetur esse in iis, qui Christianè vixerunt: quod & colligitur ex dictis *disp. præced. de Sacram. Pœnit.* quidquid Bacho videatur docere contrarium.

15. An ungendus sit puer, de quo dubitatur, an utatur ratione? Respondeo ungendum sub conditione, ob summam hujus Sacramenti utilitatem & fructum. Ita Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 181. ubi plures pro se citat, quibus addo P. Lezanam *num.* 17. Ex quo patet à fortiori inungendum esse puerum qui septennio egressus ante infirmitatem confiteri solitus est: quidquid Sotus & Vivaldus oppositum sustineant apud Burghaber *Centur.* 3. *casu* 95. requirentes in suscipientibus hoc Sacramentum capacitatem ad suscipiendam Eucharistiam. Utilitates autem etiam pro pueris sunt vires & auxilia spiritualia tum ad infirmitatem æquo animo sustinendam, tum ad tentationes dæmonis superandas. Item peccatorum remissio ac sanitas corporalis.

16. Hoc Sacramentum toties potest eidem conferri, quoties inciderit in morbum periculosum. Patet ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. dicente, *quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterùm hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud vitæ discrimen inciderint.* Imò satis communis habet sententia, quòd eâdem diuturnâ infirmitate durante, possit infirmus iterum inungi, quando post longum intervallum ab aliquali convalescentia incidit in gravius mortis periculum: quia hæc medicina respicit statum infirmantis & peccata venialia, quæ in longa infirmitate repetuntur. Ita Bacho. Utrum verò suscipiendum sit ante, an post sumptum viaticum? Respondet Urbanus *tractat.* 1. *cap.* 37. in fine, utrumque licitè fieri, sed ultimum decentiùs. Vide Franc. B. Spei hìc *disput.* 2. *num.* 14. & 15.

17. Cæterùm non peccat mortaliter, qui volenter sinè contemptu omittit hoc Sacramentum suscipere: quia de eo nullum exstat præceptum; nec consuetudo videtur plus quàm sub veniali obligare. Ita P. Urbanus *loc. citat.* cum communi. Imò non improbabiliter Villalobos docet, eum nec venialiter peccare: foret tamen ex circumstantiis peccatum mortale, inquit P. Franciscus, illud à sibi conferre parato respuere; quia id saperet aliqualem illius contemptum; & ideò in adstantibus scandalum causaret, *cum ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuria,* ut loquitur Tridentinum hìc *cap.* 3. Vix etiam à mortali excusandum dicit Gobat, qui videns, se graviter à dæmone tentari ad desperationem, aut aliud scelus, nollet opponere hoc Sacramentum confortativum ad spem vitæ æternæ.

18. Quoad dispositionem in suscipiente; requiritur & sufficit intentio

tio saltem interpretativa: deinde qui est rationis compos, si habeat conscientiam peccati mortalis, tenetur elicere contritionem. Jam quoad effectum;

19. Dico secundò, effectus principalis hujus Sacramenti est sanitas spiritualis sive curatio peccatorum venialium impedientium animam. Ita Bacho *in 4. dist. 23. quæst. unicâ art. 4.* & alii communiter, addentes, dictum Sacramentum etiam ex effectu primario roborare animam contra tentationes dæmonis in ultima lucta, & conferre gratiam sanctificantem, ut definitum est in Tridentino. Secundarius verò ejus effectus est etiam sanare interdum corpus si expediat; delere reliquias peccatorum; ac tollere aut imminuere pœnas restantes.

DISPUTATIO VII.

De Ordine.

DUBIUM I.

Quid & quotuplex Ordo: ac quæ materia & forma illius?

1. Dico primò, Ordo est signaculum sacrum sive Sacramentum, per quod ordinato traditur potestas spiritualis. Unde tonsura non est Ordo; quia non est Sacramentum, nec per illam confertur ulla spiritualis potestas: sed est quædam inchoatio tantùm & dispositio ad Ordines, vel, ut vult P. Franciscus, est tantùm signum aspirantis ad Ordinem. Addit P. Lezana in fine datæ definitionis, *ad conficiendum corpus & sanguinem Domini*: verùm malo ego istam particulam omittere; tum quia non videtur necessariò addenda; tum quia per eam, simpliciter loquendo, videtur solùm definiri Sacerdotium.

2. Dico secundò, Ordo est septuplex; Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Colligitur ex Tridentino *sess. 23. cap. 2.* atque ita docuêre ante Tridentinum Guido & Joannes de Bachone ambo Carmelitæ & Authores pervetusti. Vide Bachonem *in 4. distinct. 25. quæstion. 1.* An Episcopatus sit Ordo? Plures controvertunt, inter quos P. Lezana probabiliùs docet quòd sic, contra Sylvestrum, Bonacinam & alios: & Bacho post Guidonem distinguit dicens, Ordinem à Theologis sumi multipliciter: aliquando enim est nomen dignitatis, & sic Episcopatus dici-

dicitur Ordo: aliquando est nomen spiritualis & sacramentalis officii circa corpus Christi: si ultimo modo accipitur, Episcopatus non est Ordo, sed omnem Ordinem præsupponit: si insuper alio modo accipiatur Ordo pro dignitate seu potestate, quæ imprimit characterem sicut & alia Sacramenta, sic (salvo meliori judicio) est Ordo. Ita Bacho *loc. cit. art.* 2. quæ confirmat *quæst.* 2. *art.* 1. citans D. Thomam. Vide etiam Franc. B. Spei *de Sacram. Ord. disp. unicâ num.* 9. ubi dicit Episcopatum esse absolutè verum Ordinem: & *n.*10. probat eum esse à Sacerdotio distinctum. Solùm hîc obiter adverte, Episcopum debere ab aliis tribus Episcopis ordinari: quorum unus dicitur consecrator, alii duo assistentes, qui à consecratore petunt, ut electum ad onus Episcopatus sublevet, consecratore manus conjunctas electi genuflexi cum chrismate inungente, dicendo, *Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te chrismate & mystica delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ubertate fœcundet: quidquid benedixeris, benedicatur; & quidquid sanctificaveris, sanctificetur; & consecratæ manus istius vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Amen.* Quæ unctio inservit pro materia, & illa verba, vel totaliter vel particulariter, pro forma. Potest autem Summus Pontifex dispensare in illo numero Episcoporum, & dare licentiam ut unicus Episcopus assistentibus duobus sacerdotibus alium Episcopum ordinare valeat, prout constat Innocentium Papam X. Fabio Chisio Nuntio Coloniensi simul & Episcopo postea Alexandro Papæ VII. concessisse octavâ Februarii Anno 1647. ut Jacobum de la Torre ordinare posset in Archiepiscopum Ephesinum, assistentibus duabus personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quod & fecit. Imò D. Antoninus, Ugolinus, P. Herinckx, & varii alii, quos citat & sequitur P. Scilder *tract.* 2. *num.* 118. volunt, verosimilius, etiam absque dispensatione, valere similem Episcopi ordinationem: quidquid iidem PP. Scilder & Herinckx meritò addant, si quis ab uno solo vel duobus Episcopis sic ordinatus esset, eum sub conditione fore reordinandum. De cæteris Dignitatibus Ecclesiasticis si quid desideres, ut de Archidiaconatu, Decanatu, &c. consule Gobat in *Alphabet. Ordin. Append. ad casum* 5. *num.* 149. *& seq.* ubi varia adfert collecta ex Azorio & aliis: specialiter dicens cum cæteris *num.* 162. Cardinalatum non esse Ordinem, sed per se loquendo solùm nomen officii; sunt etenim Cardinales Consiliarii Summi Pontificis, ad quos potestas eligendi Pontificem redacta est tempore Alexandri III. annò 1160. aut circa, quæ antea erat penes Clerum, populumque Romanum.

3. Cæterùm supradicti septem Ordines sunt vera Sacramenta characterem imprimentia ac gratiam conferentia. Ita Lezana contra quosdam id negantes de quatuor prioribus, qui dicuntur Ordines minores & non sacri:

sacri: alii verò dicuntur majores & sacri, eò quòd propiùs accedant ad Eucharistiam: conferunt enim officium celabrandi, vel immediatè & solemniter celebranti ministrandi. Adde & tres majores dici specialiter sacros, quia corpora eos suscipientium, Deo consecrantur per votum castitatis. Hôc notatô, probatur conclusio generaliter ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi postquam dixisset, Ordinem esse Sacramentum, ac posuisset exempla de Sacerdotio, Diaconatu ac Subdiaconatu, addit, idem de aliis Ordinibus esse intelligendum. Item Tridentinum suprà, postquam omnes septem inter Ordines numerasset, absolutè subdit, Ordinem esse Sacramentum. Vide circa hanc materiam nostrum Waldensem *de Sacram., cap.*116. & ex his collige, Ordinem simpliciter loquendo esse Sacramentum, quod de fide est, & contra Hæreticos sæpiùs definitum.

4. Adverte autem, illos septem Ordines non esse simpliciter loquendo septem Sacramenta, sed unum Sacramentum Ordinis; tum quia ad eundem finem omnes referuntur, licèt unus remotiùs aliô; tum quia ex iiis omnibus unum completum Sacramentum integratur, ut loquuntur Lezana, Bonacinas & alii.

5. Dico tertiò, materia singulorum Ordinum remota est id, quod in eorum collatione traditur tangendum: proxima verò ipsa illius traditio: unde materia Sacerdotii est traditio patenæ cum pane, & calicis cum vino & aqua: item & impositio manuum quæ fit post Communionem. Forma autem sunt verba in utraque illa actione ab Episcopo prolata. Ita Waldensis, Lezana & alii communiter. Dixi *& impositio manuum*, &c. quia per hanc confertur potestas distincta, nempe absolvendi à peccatis; adeòque sine hac Sacerdotium, per solam priorem materiam collatum, esset imperfectum, ut docent Coninck, Bellarminus, Sylvius & alii apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 187. quamvis ipse cum multis oppositum non minùs probabile sentiat. Addo P. Gobat *in Alphab. Ord. casu* 3. *num.* 94. *& seq.* pluribus citatis probare apud Græcos validè & licitè Sacerdotium conferri per solam manuum impositionem sub hac forma: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum; oremus igitur pro eo* &c. Imò asserit ex Joanne de Lugo aliquos in ipsa urbe Roma sciente summo Pontifice ita ordinatos fuisse sine contradictione. Hoc tamen locum habere nullo modo potest apud Latinos, apud quos impositio manuum fit sine prolatione formæ significantis tradi potestatem sacerdotalem.

6. Materia Diaconatus est traditio libri Evangeliorum & impositio manuum Episcopi: quæ secunda pars probatur ex Scriptura *Actor.* 6. ubi septem Diaconi ordinati leguntur per manuum impositionem, & ante confectum Evangelium: postmodum autem hujus traditio introducta est per Eccle-

Ecclesiam, cui Christus reliquit hanc potestatem. Imò hanc solam traditionem libri Evangeliorũ assignat Concilium Florentinum; licèt impositionẽ manuum non excludat. Forma verò sunt verba in utraque actione prolata.

7. Subdiaconatus materia est traditio calicis vacui cum patena superposita: forma sunt verba quæ Episcopus in illa traditione profert. Patet ex Florentino. Quoad Ordines minores loquere proportionaliter: & ut evadas difficultates adferri solitas circa materias, præsertim Diaconatus & Subdiaconatus;

8. Adverte ex à nobis dictis *in fine n.* 5. item ex Diana *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 65. post utrumque de Lugo, Pontium, Amicum & alios, Christum non determinasse in individuo omnes materias Sacramentorum; sed instituendo Ordines tantùm determinasse eorum materias in genere; ut ea nimirum esset legitima Ordinis materia, quæ existens sensibilis, sui traditione debitè & scienter facta, tam ex parte ministri quàm intentionis, significaret tunc de facto potestatem tali Ordini propriam dari ei, qui dictam sensibilem materiam acciperet in sui ordinatione. Vide pro his P. Franciscum hîc *num.* 18.

Petes an ad valorem Ordinis requiratur contactus Physicus materiæ?

9. Respondetur communiter affirmativè; quia ille contactus significatus per verba formæ, & Ecclesia solicitè curat eum semper observari: non est tamen necesse, ut fiat ambabus manibus, prout docent Sylvester, Paludanus & alii apud P. Lezanam *num.* 3. qui ait sufficere, si tangatur unâ manu quomodocumque modicum quid rei, quæ nullum intermedium discontinuans habeat ab hostia: imò juxta Dianam *part.* 2. *tractat.* 16. *resol.* 3. post alios, non est necessarium ut ordinandi tangant Physicè materiam; sed sufficit quòd extensione manuum ostendant, se eam ab ordinante acceptare; quod idem repetit *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 185. Attamen licèt hæc sententia sit fortè speculativè probabilis, puto in casu, quo non adfuisset dictus contactus, nequidem quoad calicem & patenam, sub conditione reiterandum fore Ordinem ita collatum, præsertim quoad presbyteratum; quidquid dicat Burghaber *Centur.* 2. *casu* 34. Ratio est, quia si ordinatio à parte rei non sit valida, nunquam taliter ordinatus validè consecrabit, nec validè absolvet à peccatis, ex quo crearetur periculum summum proximo: in hoc igitur judico unumquemque debere absolutè partem tutiorem sequi: atque hoc ipsum docet nuperrimè Diana *part.* 10. *tractat.* 15. *resolut.* 20. ubi videtur ex parte priorem suam sententiam retractare. Vide etiam eum eâdem *part.* 10. *tractat.* 16. *resolut.* 88. ubi dicit, in casu omnis opinionis probabilis tantùm, non posse secundùm illam ordinatum celebrare, nec stipendium pro Missis accipere, nisi denuò ordinetur sub conditione: secus tamen si ordinatio facta fuerit juxta sententiam moraliter certam, ut si v.g. quis presbyteratus esset tangendo calicem

licem cum patena, non tamen vinum aut hostiam; quem moraliter certò ordinatum esse ibid. latè probat.

Addo & Gobat postquam docuisset valde probabile esse, nullum planè tactum requiri in collatione, seu receptione cujuscumque Ordinis, asserere, omittentem tactum physicum sinè dubio mortaliter delinquere, saltem in receptione Presbyteratus vel Episcopatus, esseque repetendam ordinationem taliter factam. Vide eum *in Alphab. Ordinis casu 3. num. 57. & 100.* Item *casu 6. num. 185.* Quidquid *casu 3. num. 102. & seq.* cum Diana & aliis bene, probet, absolutè sufficere tactum calicis & patenæ sinè tactu Hostiæ: & *num. 109. ac seq.* contra Dianam & Busenbaum similiter sufficere tactum calicis & Hostiæ sinè tactu patenæ.

DVBIVM SECVNDVM.

De Ministro Ordinis & ipso Ordinando.

10. Dico primò, minister ordinarius hujus Sacramenti est solus Episcopus. Ita Concilia Toletanum & Constantiense apud Bassæum; quod ultimũ requirit ut sit Episcopus proprius. Idem etiam habetur in Florentino & Tridentino apud Lezanam *num. 5.* qui proinde dicit hoc esse certum: quidquid aliquibus videatur probabile, quòd simplex sacerdos ex commissione summi Pontificis conferre possit omnes Ordines excepto Episcopatu: ratio eorum est; quia cùm Concilia dicant Episcopum esse ministrum ordinarium, videntur insinuare, alium (qui non potest esse nisi Sacerdos) posse esse extraordinarium: atque id quoad Ordines minores constat ex ipso usu Ecclesiæ, juxta quem eos conferunt Cardinales presbyteri; quod & sæpiùs fecerunt Abbates vi privilegii iis concessi. Quoad diaconatum verò & subdiaconatum videtur etiam constare ex privilegio Innocentii VIII. anno 1489. dato Abbati Cisterciensi, aliisque quatuor primis Abbatibus ejusdem ordinis; quo privilegio eos fuisse usos testatur Roderiquez *qq. Reg. tom. 1. quæst. 18. art. 3.* licèt de hoc privilegio dubitet Bassæus verbo *Ordo cap. 3. num. 1. in fine.* Vide P. Franciscum *num. 79.* & P. Lot ab ipso citatum; qui ultimus probat dicta privilegia Cisterciensibus concessa, non obstante Tridentino, adhuc esse in vigore. Vide eundem Franciscum iterum *num. 48.* Verùm quidquid de hoc sit, puto saltem non nisi Episcopum posse ordinare Sacerdotem, etiam de licentia Papæ: quia cùm hoc nunquam ex ejus commissione factum legatur, videtur quòd illa potestas non sit in Ecclesia. Quòd verò Concilia dicant, Episcopum esse ministrum ordinarium, non sequitur quòd alius debeat esse extraordinarius; quamvis dici possit id intelligi de Episcopo proprio, ita ut non

non proprius de licentia proprii possit esse extraordinarius. Dixi suprà *excepto Episcopatu*; quia cùm hic sit superior simplici sacerdotio, constat simplicem sacerdotem eum conferre non posse; major enim à minori benedici ac consecrari non potest, ut omnes communiter fatentur. Quis dicatur Episcopus proprius ad hunc effectum: habes apud P. Franciscum *num.62.* ubi dicit, eum esse triplicem; *Originis* scil. *domicilii*, & *beneficii ecclesiastici.* Habes etiam apud eundem Franciscum *num.* 64. quis in hoc sit proprius Episcopus Regularium.

11. Dico secundò, subjectum capax hujus Sacramenti est omnis mas baptizatus. Ita omnes: unde non requiritur ulla ætas, ut quis validè ordinetur, bene tamen ut licitè, prout statim videbimus: & quidem qui infantem ordinaret, gravissimè peccaret ex triplici capite; tum quia committeret irreverentiam Sacramento; tum quia infringeret præceptum Ecclesiæ; tum etiam quia imponeret gravem obligationem alteri absque ejus consensu, præsertim si conferret Ordinem majorem: quidquid tamen infans sic ordinatus non teneretur ad votum castitatis, nisi vellet Ordinis sibi collati officium exercere; nequit enim esse votum ubi deest rationis usus, cùm votum illud sit essentialiter promissio libera, ut loquitur P. Franciscus hîc *num.*50. Adde juxta Lezanam verbo *Ordines sacri num.*4. inter infantem & amentem hîc esse differentiam quòd ille validè ordinari possit licèt id nunquam petierit, hic verò non, si post rationis usum in amentiam inciderit; quia censetur hic habitualiter nolle Ordines suscipere; ac sic invitus ordinaretur, quòd validè fieri non potest, cùm in omni adulto requiratur intentio.

12. Dixi *omnis mas*; quia ex Christi institutione fœmina est incapax suscipere ullum ordinem: unde Episcopissæ, Diaconissæ, &c. sic dicebantur, quia erant uxores sic ordinatorum; qui nempe, factâ separatione quoad torum, sic ordinabantur: vel dic cum Bachone, aliquas moniales dici impropriè ordinari diaconissas, ut valeant legere Evangelium ad matutinas horas: vel etiam ad curam fœminarum, ut eis in quibusdam necessitatibus assisterent, ut indicat Epiphanius *Hæresi* 69. aut se sisterent ad ostium templi ad dignas intromittendum, & arcendum indignas; vel denique ut abstergerent fœminas, quarum frontes oleo sancto in Baptismo ungebantur, ne aspicerentur à viris, ut asserit Gobat *in Alphab. Ord. casu* 3. *num.* 88. Vide P. Franciscum *num.*48. Quod verò narratur de Joanna Papissa fabula est, ut ex variis historicis & Sanctis PP. demonstrat Diana *par.* 12. *de Consecr. Episc. resol.* 54. apud quem Marchinus & Leander putant illam fabulam ortum sumpsisse tempore Joannis VII. apud quem, cùm in ejus Pontificatu primas partes haberet quædam fœmina Joanna, cœpit vulgò Papissa nuncupari, & ita paulatim vires acquirente fama, Joannam fœminam inter viros Pontifices imperiti Scriptores enumerarunt. Vel dicendum cum Bellarmino, id initium traxisse ab alia quadam

dam fœmina, quæ teste Leone IX. *in Epist. ad Michaëlem cap.* 23. in Patriarchalem sedem Constantinopolitanam obrepsit, quam historiam hæretici à Constantinopolitano ad Romanum Pontificem converterunt.

An Hermaphroditus ordinari possit? Respondent omnes negativè, nisi in illo prævaleat sexus virilis. Pro casu speciali in hac materia, vide Dianam *par.*10.*tract.*13.*resol.*36.

13. Dico tertiò, ut quis licitè ordinetur, præter statum gratiæ requiritur, primò determinata ætas, quæ pro prima tonsura & Ordinibus minoribus debet esse septem annorum juxta Tridentinum *sess.*23.*num.*4. Imò pro minoribus Ordinibus requirit P. Francisc. ætatem novem annorum. Pro Subdiaconatu verò requiritur ætas viginti unius anni: pro Diaconatu viginti duorum: pro Sacerdotio viginti quatuor annorum completorum: ac tandem pro Episcopatu triginta & ita quidem ut ne unica hora deesse possit juxta DD. satis communiter. Ratio est, quia quando in jure pro forma, & de præsenti requiritur aliqua qualitas, seu attingentia, non valet axioma: *Parum pro nihilo reputatur*: vel, *quod parum distat, nihil distare videtur.* Et quando tempus incipit à die determinata (prout hîc incipit à die nativitatis) computatur de momento in momentum, nisi fiat expressa exceptio. *lib.*3. §. *minorem ff. de minor.* Ita expresè Gobat *in Alphab. Ordin. casu* 13. *num.* 521. quidquid dicat opinionem contrariam esse probabilem, adeoque posse aliquem ex causa gravi mane ordinari Diaconum v.g. qui solùm vesperi complet annum vigesimum secundum; tum quia parum pro nihilo reputatur; tum quia vespera illius diei ad mane retrotrahitur: & in hoc pro se citat aliquos probatos Authores.

Adverte interim eum, qui ante dictam ætatem Ordines suscipit scienter, eo ipso incidere in suspensionem; & irregularitatem, si ministraverit: hæc tamen suspensio, teste P. Lezanâ *tom.*1.*cap.*14.*num.*2. est solùm ab executione illius Ordinis, quem ante legitimam ætatem suscepit; vide eundem *tom.* 4. verbo *Ordines Sacri num.* 14.*& seq.* Ac nota Brunum Chassaing apud Dianam *par.*11. *tract.*2. *resol.*17. docere, Regulares licitè ad Sacerdotium posse promoveri post vigesimum secundum annum: item eos posse eodem die plures Ordines sacros suscipere, etiam extra tempora ordinaria: quæ tamen aliis non placent, nec in Ecclesia practicantur: quidquid extet Privilegium Gregorii XIII. in Bulla *pium & utile* concessum PP. Societatis, ut extra tempora à quocumque Episcopo, à Prælatis electo, ordinentur, confirmatum à Paulo V. anno 1606. & iterum ab Urbano VIII. anno 1634. sinè limitatione extensum ad Discalceatos, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, & consequenter (teste Francisco Bonæ Spei) ad Religiosos Mendicantes per communicationem Privilegiorum. Vide Leandrum *tract.* 6. *de Ordine disput.*11. *quæst.* 23. Dixi supra, *quæ tamen aliis non placent*: quia dictus P. Franciscus hîc *num.*51. ex-

presè docet, Mendicantium privilegia, de Ordinatione ante legitimam ætatem, per Tridentinum cessare: quod & sustinent alii.

14. Secundò requiritur ut ordinandus non sit illegitimus, nec bigamus, id est qui habuit duas uxores, vel viduam duxit, &c. Nec homicida: pro quibus vide Bachonem supra *quæst.3.6.&7.* & à nobis dicta parum supra *de irregularitate.*

15. Tertiò requiritur, ut ordinandus non sit infamis sed probatæ vitæ: ut habeat titulum sustentationis v.g. patrimonii, beneficii, vel paupertatis si sit religiosus; prout habetur in Tridentino *sess.21.cap.2.* Verùm adverte ex P. Urbano *tract.3.tit.17.fol.686.* non esse habendum pro suspenso, qui Episcopum decipiens ordinatur cum titulo insufficiente, sed suspendendus est dumtaxat ad arbitrium Episcopi: quidquid mortaliter peccet.

16. Insuper requiritur, ut careat defectibus corporalibus impedientibus ne rite fungatur munere Ordinis suscepti. Ubi nota, Dianam *par.11. tract.2.resol.51.* docere, sacerdotem non fieri irregularem quoad celebrationem Missæ, licèt non possit sumere sacram hostiam aliter quàm manu sinistra, ratio ipsius est: quia tunc ex defectu corporis inducitur irregularitas, quando, ut ait Magister Cornejo, talis defectus facit omninò hominem inhabilem ad celebrandum, ita ut non possit celebrare sinè notabili deformitate aut horrore: & hoc habetur in cap. *exposuist.* & cap. *Presbyterum de corpore vitiatis* & communiter tenent DD. ut Gibalinus & alii viginti unus: atqui communicando manu sinistrâ non celebratur cum notabili deformitate & horrore, cum id faciant sacerdotes Dominicani, ergo, &c. Hæc & alia Diana *loc.cit.* Cæterùm

17. Adverte ex Lezana verbo *Ordines sacri num.20.* dum Episcopus declarat, se non habere intentionem ordinandi excommunicatos, irregulares, accedentes furtivè, id est non verè examinatos neque admissos ab Episcopo, satis esse probabile, eos adhuc pro ordinatis haberi; quia semper censetur Episcopus retinere practicam & absolutam intentionem ordinandi hominem præsentem, non verò conditionatam, siquidem appositio talis conditionis non est conformis consuetudini Ecclesiæ, imò sacrilegio obnoxia. Ita DD. communiùs apud Lezanam, quos & sequitur Gobat *in Alphab. Ordin. casu 7. num. 316.* qui objicienti, *ergo debeo præsumere, quòd tunc Episcopus fuerit locutus contra mentem,* respondet, minus esse malum loqui tunc contra mentem, quàm habere talem intentionem.

18. Addo juxta Filliucium citatum à Francisco B.Spei *num.66.* per Mendicantium privilegia omnes irregularitates tolli, etiam ex Bigamia & homicidio voluntario: item licèt cap. *nullus Episcopus de tempore ordinationis lib.6.* prohibeatur illiterato primam tonsuram conferre, additur tamen, *nisi Religionem intret*; ac proindè, teste dicto Francisco, optimè ait Soto *in 4.dist. 26. art. ult. quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non*

rigo-

requiritur alia scientia, quàm ut mysterium Sacramenti intelligant. Quidquid in reliquis requiratur scientia & eruditio sufficiens ad executionem ministerii, ad quod assumuntur, ut v. g. ad primam tonsuram, sciant rudimenta fidei, scribere & legere. Ad minores Ordines, ut insuper sciant aliquousque Latinè loqui. Ad Subdiaconatum & Diaconatum prætereà, quæ ad hos Ordines spectant. Et ad Sacerdotium, ea maximè, quæ Eucharistiam & Missæ sacrificium concernunt, ut materiam, formam, defectus, qui in illo irrepere possunt, & insuper, ut possint populum ad fidem necessaria docere; Baptismum, Eucharistiam & extremam Unctionem administrare. Ad Episcopatum denique Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. requirit, ut Episcopus eâ scientiâ polleat, quâ muneri suo satisfacere possit. Hæc omnia Franc. B. Spei *num.* 53. Vide etiam quæ ad longum ex Quintanad. circa hæc refert Gobat *in Alphab. cit. casu* 10. *num.* 377. & *seq.*

DVBIVM TERTIVM.

De Privilegiis & Obligationibus ordinatorum seu Clericorum.

19. Dico primò, duo sunt præcipua Clericorum privilegia: primum, quod dicitur privilegium canonis, est, quòd excommunicêtur omnes conjicientes violentas manus in eos ex malitia: desumitur ex Innocentio II. *cap.* 17. *quæst.* 4. *si quis suadente Diabolo, &c.* quod privilegium latè explicat P. Lezana verbo *Clericus*; addens eo privari Clericos in minoribus Bigamos, vel etiam conjugatos non gerentes habitum clericalem, imò omnes Clericos, etiam in majoribus, qui ter ab Episcopo admoniti non reassumunt dictum habitum, qui consistit in veste & tonsura. Ubi nota, publicum seu notorium percussorem Clerici esse vitandum; post sententiam tamen Judicis declaratoriam tantùm, ut vult Dian. *par.* 11. *tract.* 8. *ref.* 21. citans alios octodecim.

20. Secundum privilegium Clericorum, quod dicitur fori, in eo situm est: quòd omninò & simpliciter exempti sint à laica potestate, ita ut ad illam nunquam trahi possint. Habetur ex can. *Non placuit* 16. *quæst.* 7. *cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* cap. *decernimus de judiciis*; & aliis juribus, quæ refert idem Lezana ibid. quare eum consule *lo. cit.* verbo *Gabella* & verbo *immunitas Ecclesiastica.*

21. Dico secundò, Clericis interdictum est ire ad bellum sinè licentia Papæ: pro quo Vide Dianam *par.* 10. *tr.* 2. *ref.* 1. Insuper nequeunt etiam sinè peccato mortali exercere artem medicam ex cap. *Clerici* 2 *de vita & honestate Clerico-*

ricorum; & ex *cap.* 1. *& seq. ne Clerici*; ubi generaliter iis interdicuntur officia sæcularia, quale est officium Medici & Chirurgi, etiam citra incisionem & adustionem. Ita Sylvester, Rosella & alii communiùs, contra Covarruviam, Bonacinam & alios: circa quod Diana *par.* 11. *tract.* 11. *res.* 49. ait, certum esse, tam Religiosum, quàm Sacerdotem sæcularem à peccato liberari, si hoc officium citra periculum mortis exerceant causâ pietatis, ac proindè gratìs circa personas miserabiles vel cognatas; quia sic exercitium non est officium sæculare statum Ecclesiasticum dedecens, sed potiùs illi conforme. Quomodo inhibitum sit Clericis, exercere munus Advocati coram Judice sæculari; vide eundem *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 69. & denique, an, & quomodo iisdem inhibita sit venatio & negotiatio, dictum est suprà *in tract. de Iure & Iustitia* suis in locis.

22. Dico tertiò, Clerici in sacris existentes obligantur gerere habitum clericalem & tonsuram sive coronam sub peccato mortali. Probatur; tum quia aliàs videntur vilipendere statum clericalem; tum quia plura possunt sequi incommoda, dum non noscuntur esse Clerici. Ita Sylvester verbo *Clericus* §. 2. Villalobos & Diana *par.* 3. *tract.* 4. *res.* 183. excusarem tamen à mortali eum Clericum, qui solùm per breve tempus careret dicto habitu; sicut & ab omni peccato excusantur, qui eô etiam per longum tempus carent justa de causa, ut verbi gratia inter Hæreticos: imò ipse Diana *loc. cit.* asserit, sententiam Cajetani docentis, id solùm esse mortale, absolutè loquendo, dum fit ex temeritate, contumacia vel contemptu, esse probabilem. Sed

23. Quid dicendum de obligatione continentiæ Clericorum in sacris existentium? De hujus introductione agit Bacho *quæst.* 10. *art.* 1. ubi *art.* 2. probat contra quemdam hæreticum sui temporis, castitatem meliorem esse matrimonio: pro quibus eum poteris consulere. Quare ad quæstionem positam:

24. Respondeo, obligationem continentiæ in dictis ordinatis immediatè procedere ex implicito voto elicito in ipsa ordinatione, cui ex lege Ecclesiastica est annexum: non verò immediatè ex constitutione Ecclesiæ. Ita Malderus & alii innumeri apud Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 27. quibus etiam adhæret Diana *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 12. Quare hoc votum puto cum Sanchez elicere omnes, qui Ordinem sacrum suscipiunt, licèt ignorent tale votum annexum esse ordinationi: quia saltèm in confuso, & quasi virtualiter, omnes sciunt, se teneri ad justas leges concernentes novum statum assumendum, voluntque virtualiter eas servare, ac consequenter etiam virtualiter vovere castitatem. Si tamen quis in ipsa sui ordinatione haberet expressam voluntatem non vovendi ullo modo castitatem; talis quidem post ordinationem non ligaretur voto castitatis, quod necessariò debet oriri ex voventis voluntate explicita vel implicita: sed peccaret graviter contra præceptum & constitutionem Ecclesiæ præcipientis omnibus similiter ordinandis ad vovendum castitatem: nec ab hoc inobedientiæ peccato talis absolvi

solvi posset nisi voveret; quia præceptum Ecclesiæ de vovendo semper durat. Neque posset similis validè contrahere matrimonium, quia impedimentum dirimens in eo adhuc oritur immediatè ex constitutione Ecclesiastica; quæ etiam invitum potest inhabilitare ad matrimonium, dum videl. non servat certas conditiones, ut constabit ex dicendis de impedimentis matrimonii infra. Cæterùm cùm talis posteà voluerit vovere castitatem & peccata sua confiteri, poterit satisfacere simpliciter dicendo peccata carnis, quæ commisit, etiam post ordinationem, & alia peccata, simul cum uno peccato inobedientiæ, dicendo v. g. *Sum transgressus praceptum Superioris in re gravi*: quæ omnia deduci videntur ex doctrina communiori, quam sequitur Diana *resol. 12. suprà.* Vide Franciscum B. Spei *num. 91. & seq.* ubi clarè contra P. Herincks demonstrat, dictam continentiam esse immediatè ex voto, & mediatè tantùm ex præcepto.

25. Quæres hîc fortè, an Diaconus, aut Subdiaconus peccent mortaliter exercentes actum sui Ordinis in mortali peccato? Affirmant Cabrera & Sylvius, quorum ratio est; quia eorum actus sunt Sacramento peculiares, & maximè accedentes ad Eucharistiam, atque ad eos actus sunt consecrati. Cum his Authoribus sentit Mendo *in statera benig. opin. dissert. 12. Append. §. 3. num. 51.* citans insuper Sylvestrum, & Armillam: & in horum sententiam non parum se inclinari asserit Marchant. *in resol. Pastor. de Sacramentis tract. 1. cap. 3. num. 4.* ob varias rationes, quas ibi adfert; quarum una ex præcipuis est, quòd in historiis legatur pluries accidisse, ut Spiritus sanctus super tremendis mysteriis non descenderit, prout tunc solebat; quia Diaconus assistens Sacerdoti sacrificanti erat in statu peccati mortalis. Addere quis posset, verba Gregorii IX. *cap. ult. de temp. ordin.* ubi de Diaconis & Subdiaconis ait: *Si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini Iudicii obtestandi, ut in testimonium sua damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent.* Ex his patet, prædictos saltèm venialiter peccare; quidquid in contrarium agat Vasquez, cujus sententiam probabilem esse dicit Tambur. *in expedita juris moralis exposit. lib. 1. cap. 2. §. 3. num. 13.* Verùm his omnibus non obstantibus, contrariam sententiam, quoad peccatum mortale, probabiliorem judico, quam & Bassæus verbo *Sacramentum cap. 3. num. 8.* vocat communiorem; & Diana *par. 3. tract. 4. resol. 195.* pro ea plures citat, quos & sequitur, quibus addo Burghaber *Centur. 1. casu* 80. Ratio est, quia actus Diaconi & Subdiaconi non sunt dispensatio meritorum Christi, prout sunt Sacramenta, adeòque nec sunt opus tam sanctum, ut debeant sub mortali exerceri in gratia; neque exstat aliqua specialis circa hoc prohibitio. Ad historias verò relatas à Marchant. respondeo, inprimis potuisse accidere in pœnam peccati mortalis in quo erant actu eo tempore, quo celebranti assistebant; deinde illi Diaconi fortè erant peccatores publici, adeòque assistebant cum gravi scandalo; vel denique fortè ex contemptu non confitebantur nec eliciebant contritionem ante suum ministerium.

Hanc

Hanc etiam ſententiam ſuſtinet P. Franciſcus *de Sacram. in genere diſp.* 4. *num.* 89. ſimilem reſponſionem adhibens verbis Gregorii IX. eò quòd de omnibus Clericis, etiam minoribus, indifferenter loquatur: quos ultimos malè volunt Sylveſter & Armilla, apud Mendo ſuprà, etiam obligare ſub mortali, exercere actum ſui Ordinis in ſtatu gratiæ. Scio Filliucium docere Diaconum peccare mortaliter ſi frequenter in ſtatu peccati mortalis ſuum munus obeat, eò quòd illa frequentia actuum in tali ſtatu contineat contemptum; ſed neſcio cur hîc potiùs contemptus inveniatur, quàm in frequentia mendaciorum aut aliorum peccatorum venialium: quidquid tamen in ſimili *ſuprà diſp.* 1. *num.* 11. ex Tamburino indicaverimus, adeſſe contemptum virtualem, ſi aliquis profiteatur, ſemper in malo ſtatu tale ſuum munus obire.

DVBIVM QVARTVM.

Quando & qualiter Ordo conferri debeat: ubi de ejus effectibus.

26. DIco primò, Tonſura conferri poteſt quocumque die, prout habet conſuetudo Eccleſiæ; minores verò Ordines (extra ſex anni tempora, de quibus ſtatim) ſolùm conferri poſſunt diebus Dominicis & Feſtis, quæ Feſta debent eſſe de præcepto, ut docent Vivaldus & Barboſa, quos citat & ſequitur Lezana ſuprà *num.* 9. Ordines autem majores de jure communi tantùm poſſunt conferri in ſex anni temporibus, quoties nimirum ſunt quatuor tempora; in Sabbatho ante Dominicam Paſſionis; & in Sabbatho ſancto. Ita omnes communiter. Ordinatus autem extra hæc tempora ſinè ſpeciali Summi Pontificis privilegio, vel licentia, peccat mortaliter, & ſuſpenſionem incurrit ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. ita P. Franciſcus *num.* 59.

27. De eodem jure communi ſervanda ſunt interſtitia inter ſuſceptionem Ordinum, quæ juxtà P. Lezanam *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 15. talia ſunt, ut Ordines ſacri non cõferantur niſi uno anno poſt invicem, quod & conſtituit Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. 13. & 14. Dixi, utrobique de *jure communi*; quia inprimis interſtitia non debent obſervari à Regularibus, ut videre eſt apud dictum Lezanam *loc. cit.* qui & *tom.* 3. verbo *Interſtitia* expreſsè dicit, in iis teneri Epiſcopos diſpenſare, ſi ad hoc à Superioribus Regularium rogentur: imò apud eundem *tom.* 1. *ſuprà*, plures docent, eam diſpenſationem fieri poſſe ab ipſis Superioribus: quibus Bacho inſuper addit, ad non ſervanda interſtitia, etiam quoad ſæculares, ſufficere ſolam conſuetudinem. Cæterùm cauſas requiſitas ad diſpenſandum

vide

vide apud dictum Lezanam *tom.* 1. *cap.* 14. *cit. num.* 16. ubi & *num.* 17. docet, annum interstitiorum esse Ecclesiasticum, non solarem, v.g. vigilia Paschatis ad aliam Paschatis vigiliam, licèt secundo anno veniat citiùs. Quoad tempus verò ordinationis, ex Privilegio Eugenii IV. dato Benedictinis, & Alexandri VI. dato Hieronymitanis, ac communicatione Clementis VII. nobis Carmelitis concessâ, possunt Regulares ordinari extrà sex anni tempora, imò & tribus continuis diebus Festorum duplicium, vel etiam Dominicis juxtà Clementis VIII. declarationem, quam refert Emanuel. Nec putandum est (inquit P. Urbanus *tr.* 2. *par.* 2. *de Privil. in speciali cap.* 5. *reg.* 2. ubi & alia Carmelitarum privilegia refert circa collationem Ordinum) hoc privilegium esse revocatum à Tridentino *sess.* 23. *cap.* 8. quia in Concilio non apponuntur ullæ non obstantiæ; nec proinde revocantur privilegia Decreto contraria, prout ipse testatur Congregationem Cardinalium declarare: vide etiam Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 31. & Lezanam verbo *Ordines sacri num.* 19. ubi nonnihil videtur dubitare de eo, quod absolutè *loc. sæpè cit.* docuerat. Vide etiam à nobis dicta *dub.* 2. *num.* 13. & P. Franciscum *n.* 77.

28. Dico secundò, Ordines suo ordine conferendi sunt, ita ut non ascendatur ad Ordinem superiorem nisi priùs obtento inferiori, & nisi ordinatus in eo se aliquando exercuerit; propter quod ultimum interstitia sunt instituta: & quidquid sit de adductis privilegiis, omnes communiter consentiunt, etiam Regularibus non posse conferri duos Ordines majores eodem die: sic enim statutum est à Tridentino *sess. cit. cap.* 13. quare contrarium nunquam licitum esse sinè dispensatione Papæ, aut alterius habentis ejus potestatem, docet Lezana post Mirandam. Intereà potest Episcopus eodem die primam tonsuram, Minores Ordines & Subdiaconatum conferre, prout probat Diana *par.* 6. idque se ab Episcopis sæpè factum vidisse testatur Dicastillus apud eundem Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 10. prout & ego testor id mihi & pluribus aliis factum esse à Reverendissimo Episcopo Gandavensi Antonio Triest; quamquam aliquot annis ante mortem hunc modum immutarit, die præcedenti tonsuram & Ordines Minores conferendo. Res igitur hæc pendet à consuetudine, quam esse ita generalem, & strictè obligatoriam, ut Episcopus nequeat in ea ex causa rationabili, etsi non gravi, dispensare nemo rectè asseruerit, ut tradit Gobat *in Alphab. Ord. casu* 12. *num.* 462.

29. Petes an Ordo teneat qui per saltum collatus est? Affirmat Ostiensis cum communi apud Bachonem *quæst.* 9. dicens, tunc verè imprimi characterem illius Ordinis qui sic suscipitur, non verò Ordinum omissorum: addens etiam, non conferri executionem Ordinis sic suscepti; sed si scienter ita promotus sit, antequam ministret, per Episcopum dispensantem impleri debet quod omissum est: ac si ministraverit, per Papam debet dispensari; sicut non ordinatus, si ministret. Ita Ostiensis: qui, contra communem, docet etiam Episcopatum tenere si conferatur sinè Ordine sacerdotii.

30. Addo hîc obiter, Franciſcum B. Spei, citato Pellizario, abſolutè docere, Prælatos Regulares, etiam locales, poſſe ſuos ſubditos in foro conſcientiæ abſolvere à qualibet ſuſpenſione, excommunicatione & interdicto, ab homine, vel jure generaliter promulgatis, imò & ab irregularitate, contractis ex ſuſceptione Ordinum ante ætatem, ſine licentia, aut per ſaltum: ſecùs ſi cenſuræ illæ ſint ad forum contentioſum deductæ. Ita ille hîc *num.* 81. remittens ad *tract. de Cenſuris*.

31. Dico tertiò, Ordines ordinariò conferuntur in templo aut ſacello aliquo quocumque; undè non admitto quod ex Eſcobar refert Gobat *in Alphab. Ordin. caſu* 7. *num.* 319. locum in ſolemni Ordinum collatione cathedralem Eccleſiam eſſe debere: quia ſi quod jus id ſtatuerit, eſt per contrariam conſuetudinem abrogatum: paſſim enim in ſuis ſacellis modò Epiſcopi ſolemniter Ordines conferunt, & nuperrimè Reverendiſſimus D. Joannes Wachtendoch Epiſcopus Namurcenſis, in his materiis verſatiſſimus, Anno 1666. Menſe Decembris Bruxellis Sede vacante, Ordines contulit in noſtra Eccleſia ſatis ſolemniter. Judico tamen Abbates habentes poteſtatem conferendi Ordines minores, eos conferre non poſſe extrà proprium Monaſterium; niſi fortè rogarentur à Prælato alterius Monaſterii exempti. Vide Lezanam verbo *Ordines ſacri num.* 8. & Gobat *lo. cit. caſu* 8. *per totum*.

32. Dico quartò, Sacramentum Ordinis confert gratiam & imprimit characterem. Patet ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 4. nec tantùm confert gratiam ſanctificantem ſive habitualem, ſed etiam actualem ad Sacramenta alia miniſtranda. Character autem, quem imprimit, etiam primus ex Ordinibus minoribus, eſt omninò indelebilis, & ſignum quo ordinatus à laïcis in perpetuum diſtinguetur. Undè degradatio, quæ fit ob enormia crimina, non eſt dejectio è gradu Clericali ſeu privatio Ordinis, ſed quædam pœna Eccleſiaſtica, quâ ordinatus privatur Eccleſiaſticis functionibus & ordinatorum privilegiis, non verò charactere: nam conſecratio Corporis aut Sanguinis Chriſti facta à Sacerdote degradato, ſi cætera adſint, valida adhuc eſt, ut omnes admittunt.

* * *

DIS-

DISPVTATIO VIII.

De Sacramento Matrimonii.

DVBIVM I.

De Sponsalibus.

§. I.

Quid Sponsalia, & quæ ætas ad ea requiratur?

DE Sponsalibus latè agit Bacho *in 4. dist. 28. & seq.* quem pro opportunitate videre poteris. Interea

1. Dico primò, Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua promissio: undè non sufficit nudum propositum, quo v. g. dicitur *Volo te habere aut accipere in uxorem*; quia propositum non inducit obligationem. Franciscus B. Spei *de Matrim. disp. 1. num. 3.* Dicitur *mutua*; quia debet promissio esse reciproca; neutra enim pars censetur se obligare, nisi sub conditione, quòd altera similiter se obliget: attamen si dicta promissio fieret absolutè in recognitionem beneficii v.g. accepti, obligaret quidem promittentem, si sit acceptata, ante repromissionem; sed si diu differatur repromissio, videtur adesse contemptus, adeòque prior promittens non ampliùs ligatur, ob tacitam alterius remissionem. Imò Vasquez & Pontius, apud dictum Franciscum *num.* 16. absolutè volunt, si compars non repromittat, promittentem non obligari, licèt alter acceptarit promissionem: quibus ipse Franciscus cum aliis pluribus contradicit; addens tamen ibi non esse sponsalia ut sponsalia, quod constat ex data definitione. Similiter *num.* 34. si Petrus v.g. dicat multis filiabus præsentibus, *Promitto me ducturum aliquam ex vobis in uxorem*, & omnes similiter repromittant, asserit, esse quidem obligationem ex illis unam ducendi; non tamen sponsalia, antè unius electionem; quia hæc ordinantur ad matrimonium, quod esse debet cum determinata persona.

2. Debet item dicta promissio esse libera & sinè dolo, saltèm qui dat causam contractus, aliàs non obligat: pro quibus vide dicta *de Iure & Iustitia*

 cir-

circa materiam contractuum. Sufficit interim consensus tacitus & interpretativus, qui scil. ab aliis prudenter talis judicatur. Hinc juxtà Urbanum *tract.* 3. *tit.* 15. *cap.* 1. & alios communiter, possunt parentes pro liberis præsentibus non contradicentibus præstare consensum, modò hi possint liberè dissentire si velint; tunc namque valet regula juris, *Qui tacet, consentire videtur.* Quia verò in contrahentibus sponsalia ficto modo nequidem hic consensus adest, sponsalia ficta non sunt valida: quamvis tamen fictè promittens teneatur de damno dato, si v. g. per hoc virginem corruperit: quo casu si huic damno aliter occurrere nequeat, nisi eam ducendo in uxorem, tenetur stare promissioni, de quo latiùs suprà *tract.* 1. *disp.* 5. *num.* 42. & P. Franciscus hîc *num.* 21. *& seq.* Si verò copula habita fuerit cum corrupta, ad nihil tenetur; non eam ducere, quia verè id non promisit, neque de damno dato, quia nullum supponitur secutum: tenetur igitur solùm dare pretium copulæ, si ea fœmina sit consueta corpus suum elocare; & alere prolem, si certò constet, eam esse secutam ex dicto copula. Verùm hoc benè limitat Cornejo ad corruptam ex illicito concubitu extra matrimonium facto, non verò de vidua integræ famæ; quia non est ratio de hac aliter circa hoc judicandi, quàm de virgine, quidquid contradicat Sanchez.

3. Cæterùm promissio sponsaliorum debet exteriùs manifestari per verba, nutus, aut facta; quia homo non potest hominis promissionem acceptare, nisi hæc ei innotescat: sufficit autem quodcumque signum exprimens promissionem; non tamen sufficiunt hæc verba, *Nullam ducam præter te*; quia, stante veritate illorum, potest promittens vel intrare Religionem vel solutus in sæculo remanere: undè illa promissio non est absoluta, sed conditionata, *Si aliquam ducam, te ducam & non aliam,* ut notat P. Franciscus *num.* 18. Probabiliùs etiam non sufficiunt verba, quibus duo intendunt inire matrimonium clandestinum per verba de præsenti; cùm enim Tridentinum talem contractum damnet & annullet, non est cur inducat illam obligationem: quidquid dictus Franciscus adhuc satis probabiliter *num.* 44. sustineat, clandestinum matrimonium vim clandestinorum sponsalium habere. Sponsalia tamen clandestina valida sunt: nihil enim Tridentinum de his novi disponit, adeòque obligant sicut priùs. Ita DD. communiter. Nec puto ullum esse peccatum per se loquendo, clandestinè inire sponsalia; quia id non est contra illam legem communem: quidquid tamen consultiùs aliter fian saltèm coram duobus testibus, ne periculum subsit non servandi fidem. Adde, contrahentes sponsalia non posse apponere pœnam frangenti fidem, ut ostendit P. Cornejo variis juribus, ex quo colligitur promissionem talis pœnæ solvendæ esse invalidam, etiamsi juramento esset asserta: ratio autem est ipsa libertas ad matrimonium requisita, quæ infringi nequit nisi in detrimentum publicum. Vide illum *tom.* 2.

di

disp. 2. dub. 7. Adhuc tamen oppositum sustinet Gobat *in Alphab. Matrim. par. 2. casu 4. num.* 172. citans pro se sex alios, & dicens jura, quæ videntur esse in contrarium, intelligenda esse dum resilitur ex causa justa, tunc cetò nequit pœna apposita exigi, bene tamen, inquit, si aliquis resiliat injustè: quod sustinet non plus libertati ad matrimonium requisitæ obesse, quàm obsit pœna, quam ipsa jura canonica minantur recedenti iniquè. Consequenter ad hæc defendit *casu 6. num. 266.* posse unum sponsorum dicere alteri volenti absque legitima causa relaxari à sponsione, *non te relaxabo nisi pendas tot, vel tot aureos*: quod & confirmat ex eo, quòd ille recessus sit alteri parti probrosus, & communiter non reperiatur tam favorabile matrimonium, quàm si similia sponsalia non præcessissent.

4. Dico secundò, in contrahentibus sponsalia, juxta juris dispositionem, requiritur ætas septem annorum in utroque sexu; nam tunc communiter solet adesse usus rationis ad promissionem obligatoriam requisitus: si tamen quis ante septem annos completos esset doli capax, ita ut in eo malitia suppleret ætatem, putarem eum validè posse contrahere sponsalia; quia non videtur illud tempus præscribi ut necessarium absolutè (quamvis id videatur velle P. Urbanus; & P. Franciscus *num.* 52. absolutè dicat, septennium ita debere esse physicè completum, ut non sufficiat, diem ultimum esse inchoatum, tametsi contrahentes perfecto rationis usu gaudeant) sed tantùm quia præsumitur antea deesse usus rationis; qui si post septem annos in aliquo necdum adest, nequidem valebunt sponsalia tunc inita ob defectum libertatis; quæ juxta varios apud Bassæum verbo *Sponsalia cap. 1. num.* 5. tanta esse debet, quanta requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter, prout ostendit P. Franciscus *disp. 1. cit. num. 5.*. Imò majorem requirunt Bonacinas & alii, nimirum etiam providentiam futurorum: sed minùs rectè meo quidem judicio; quia si ea providentia in contractu sponsalitio foret necessaria, debuisset à jure exigi major ætas quàm septem annorum. Sed quid si dicta plena libertas sive deliberatio orta sit ex ira vel alia animi passione? Nihil refert; quia etiam juramenta & vota inde orta subsistunt, cum ira, &c. plenam libertatem ad mortale necessariam communiter non tollat: quidquid interdum tanta esse possit, ut auferat liberum judicium, de quo prudenter judicabunt adstantes, aut etiam ipsi contrahentes. Ita Franciscus *numer. 6.*

5. Adde, per parentes, curatores, vel alios gerentes curam infantium, posse contrahi sponsalia si adsit gravis necessitas, etiam antequam hi expleverint septem annos; quamvis tamen hujusmodi sponsalia non sint valida nisi accedente eorum consensu, saltem tacito, post usum rationis adeptum, quod fit sufficienter quoad forum externum per filiorum taciturnitatem & non contradictionem dum ad dictam ætatem pervenerunt. Vide Dianam *par. 3. tract. 4. resol.* 271. ubi quoad hoc refert tres sententias non om-

ninò improbabiles. An autem contrahentes per se sponsalia ante completum septimum annum, peccent mortaliter: Controvertitur: affirmant Sylvius, Navarrus & alii, negantibus Sanchez, Dianâ & aliis apud Bassæum suprà, qui utrumque censet esse probabile. Verùm ego hìc utor distinctione, ac dico, eos mortaliter peccare si ad hoc habeant sufficientem rationis usum & iis constet de inhibitione facta *cap. 2. de despons. impub.* ubi dicitur: *Districtiùs inhibemus ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, nisi fortè aliquâ urgente causâ & necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur*: eos verò non peccare, si vel careant dicto rationis usu, vel ignorent dictam inhibitionem.

§. II.

De Sponsalibus inter dispares: & an ob fornicationem cum alio solvi possint?

6. Dico primò, sponsalia etiam inter valde dispares valida sunt si utrimque adfuerit vera promissio. Ita Sanchez cum aliis plurimis. Ratio est, quia talia sponsalia nulli juri repugnant: & præterquam quòd Ecclesia ista sponsalia servare cogat, censentur taliter contrahentes juri suo cedere liberè; nam suppono iis dictam disparitatem esse notam. Quòd si tamen is, qui est conditionis longè altioris, fictè tantùm promisisset, & ipsius conditio nota esset alteri, probabiliùs non teneretur ad matrimonium etiamsi decepisset virginem: quia in tali casu ex circumstantiis promittentis sufficienter ipsa potuit colligere talem solùm fictè matrimonium promittere: pro quo etiam consule dicta suprà *tract. 1. disp. 5. num. 42.* ubi ulteriùs diximus, prædictum non teneri ad contrahendum matrimonium licèt illud verè promisisset, si ex eo prævideantur secutura gravia damna vel scandala; verùm tunc tenetur ad aliam compensationem; à qua tamen liber est, si ipsa postea adhuc cum alio fornicetur; quia tunc ipsa potiùs decipit quàm decipiatur: prout etiam non tenetur ad ullam compensationem, si ipsa vel parentes ipsius nolint acceptare matrimonium oblatum post corruptionem, eò quòd præter hoc nihil aliud promiserit. Ita nos cum aliis communiter ubi suprà. Cæterùm fictè matrimonium promittere omnino liberaliter, non exigendo scil. ut altera pars repromittat, est solùm peccatum veniale per se loquendo, quia est simplex mendacium nemini perniciosum: erit tamen mortale si exigatur repromissio, quia per mendacium adigitur altera pars ad sustinendum grave onus, ad quod non ten-

tur. Ab hoc autem mortali absolvitur simulator, si dolendo de sua simulatione paratus sit resarcire damna si quæ inde obveniant, ut si v.g. pars decepta, putans omnia esse sincerè facta, negligat aliud favorabile matrimonium, quale postea non offertur.

7. An verò liceat sponsis resilire à sponsalibus dum alter relinquit se ab alio vel alia impudicè tangi? Distinguunt varii volentes id licere sponso si sponsa id permiserit; non tamen è contra sponsæ quamvis permiserit sponsus; quia id sponsæ non est magnum dedecus, nec est mutatio alicujus momenti: verùm hoc bene limitant Coninck & Layman, nisi similes tactus sint frequentes, ita ut indicent propensum sponsi in alteram animum, ex quo timeri posset ne minùs sit amaturus sponsam aut ei fidem non sit servaturus. Interea

8. Dico secundò, quando uterque post sponsalia inita commisit fornicationem, solum sponsum posse à sponsalibus resilire, volunt plures apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 284. Ratio est, quia nulla hîc potest fieri compensatio delicti sponsæ cum delicto sponsi; longè enim ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sit sponsæ tali nubere; præterquàm quòd ex fornicatione sponsæ multò majus damnum immineat sponso ob incertitudinem secuturæ prolis. Ast hoc non obstante docet Bonacinas, neutrum posse resilire ob paritatem rationis desumptam ex eo, quòd neuter conjux possit facere divortium, quando uterque post contractum matrimonium commisit adulterium: quibus etiam non obstantibus, vult P. Franciscus *num.* 135. tunc sponsalia per mutuum consensum implicitum tolli, eò quòd ambo ponant causam sufficientem sponsalium dissolutioni. Quòd autem in casu adulterii utriusque conjugis non possit fieri divortium, est; quia cap. *intelleximus, de adulteriis*, in favorem indissolubilitatis matrimonii id expresè deciditur. Quidquid sit, certum manet quando sponsus solus commisit fornicationem, posse sponsam resilire, sicut & è contra, pro quo Bacho citat cap. *quemadmodum* 25. *de jurejurando*. Sed,

9. Quid si alteruter sponsorum sit ligatus voto simplici castitatis, religionis, vel sponsus sit consanguineus sponsæ; tenetúrne tunc sponsus petere dispensationem? Resolutum est suprà negativè quoad duos primos casus; quia juxta plures DD. obligatio voti major est quàm promissionis homini factæ; contrarium tamen ibid. resolvimus non esse improbabile. Quoad consanguineum verò sponsæ, raro eum diximus teneri ad petendum dispensationem, nisi vel ad id se expresè obligasset, vel decipiendo persuasisset consanguinitatem non impedire matrimonium. Vide P. Franciscum *num.* 125. & 126. Quoad sponsalia inter consanguineos inita *sub conditione quòd Papa dispensaverit*, vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 290. ubi pluribus citatis asserit esse probabile, etiam dispensatione obtentâ, licere uni alterô invitô resilire, eò quòd dicta promissio fuerit nulla: si tamen, inquit, magnæ expensæ factæ essent causâ talis promissionis pro impetranda dispensa-

penſa-

pensatione, resiliens teneretur eas restituere: pro rationibus autem horum omnium mittit ad Valerum *in differ. utriusque fori verbo Matrimonium differ. 7. per totam*. Verùm hac in parte videtur mihi contrarium verius cum plurimis apud eundem Dianam *loc. cit.* & Sanchez *tom. 1. lib. 5. disp. 5. quæst. 3. num. 12.* Ratio est, quia ejus, quod nec malum est, nec ulli legi repugnans, justa ac firma potest esse pactio; sed pacisci de futuro matrimonio inter consanguineos ex dispensatione Summi Pontificis nec est malum, nec ulli legi repugnans; ergo, &c. Addo tamen, si consanguinitas sit talis, ut in ea Papa non nisi gravissima de causa dispenset, qualis est inter patruum & neptem, promissionem sub dicta conditione nullam vim habere, quia tunc conditio dispensationis habetur pro impossibili, prout Sanchez ex communi omnium docet, teste Gobat.

§. III.

Quomodo Sponsalia obligent, & quomodo solvantur?

10. Dico primò cum communi ex cap. *litteris* 2. & cap. *requisitum de sponsalibus*, vera sponsalia obligant sub mortali; quia sunt contractus justitiæ in re gravi. Obligant tempore præfixo, aut conditione appositâ purificatâ: vel si nullum tempus sit appositum neque conditio, obligant ad instantiam partis, cessante scil. legitimo impedimento in contrarium. Ita D. Thomas & cæteri communiter: ratio est, quia id est generale in omni debito contracto absque temporis determinatione. Hinc Bassæus *cap. 2. num. 1.* post alios infert, illum, qui absque legitima causa recusat implere fidem sponsalium, monendum esse, & si renuat, cogendum per censuras à Judice Ecclesiastico, nisi attentis circumstantiis prudenter judicet ex matrimonio invito posse timeri scandala, dissensiones, & infelices exitus. Vide etiam Pontium *de Matrim. lib. 12. cap 6. num. 2.* ubi dicit, abstinendum etiam esse à ferenda excommunicatione si ex pertinacia alterius prudenter judicetur frustra eam fieri: imò P. Urbanus *tract. 3. tit. 15. cap. 1.* docet, nunquam ad sponsalia per matrimonium complenda debere accedere coactionem; quia omnes nuptiæ coactæ difficiles exitus solent habere: vide etiam Cornejo *tom. 2. tract. 6. disp. 2. du*[illegible] & Francisc. Bonæ Spei *disp. 1. num.* Hinc dum sponsus constanter recusat ducere suam sponsam, eò quòd hac spectâ omnem amorem in aliam transtulerit, consulerem sponsæ non tum urgere, vel saltem non cogere [illegible] milem sponsum ad matrimonium efficere, ut constet, non esse à se [illegible] ipsi causam resiliendi, ut proinde

sæ cogatur satisfacere pro omni damno, quod patietur ob ejus perfidiam. Cæterùm Gobat *in Alphab. Matrim. par.2.casu 4.num.*124. ex Gallemart refert, Congregationem commendasse ne contractus matrimonialis diu differatur post sponsalia, his verbis: *Monendi sunt sponsi, ut factis sponsalibus quamprimum contrahant matrimonium per verba de præsenti coram Parocho & testibus, ne sponsæ stupri periculum subeant.* Quod meritò judico faciendum; quia dilatio matrimonii inter sponsos est sæpissimè occasio multarum turpitudinum. Intellige autem illud *quamprimum* post factas demutationes, de quibus infra.

11. Dico secundò, sponsalia solvuntur, primò, mutuo consensu, si contrahentes sint puberes, etsi nulla adsit alia ratio. Ita Urbanus *loc. cit.* pro quo etiam vide Bachonem *art.* 5. *supra*, & P. Franciscum *disp.* 1. *sæpè cit. num.*83. Quòd si contracta fuerint inter impuberes, solvi nequeunt ante pubertatem; ita enim jura statuunt ob variabilitatem eorum: qui tamen primò attingit pubertatem potest statim resilire, & cum alio sponsalia inire, si velit: quod puto certum, quamvis aliqui apud Dianam *par.2. tract.4. resol.*282. oppositum doceant: ratio mea est; quia sicut alter acceptâ pubertate non potest priorem ad hoc impedire, ita nec ante pubertatem. Quòd si verò pubes ineat sponsalia cum impubere, non potest ille resilire, bene hic cum ad pubertatem venerit, ita constituente jure canonico: si tamen impubes juraret, se semper servaturum contractum sponsalitium, putarem eum resilire non posse; sicut enim est capax jurare, ita & se obligare; supponitur enim esse doli capax. Adde ex P. Francisco, prædictam resilitionem debere fieri statim post pubertatem, ne in mora existens censeatur sponsalia tacitè confirmasse.

12. Dico secundò, solvuntur sponsalia per professionem religiosam, & probabiliter per Religionis ingressum. Ita Bacho & Cornejo, quorum tamen primus videtur per ingressum intelligere professionem: ratio interim est; quia tum accedit notabilis mutatio status, & hoc favoris videtur mereri bonum intrantis propositum: si tamen sponsus sponsam deflorasset sub spe futuri matrimonii, non posset Religionem ingredi: pro quo vide Dianam *loc.cit.resol.*207. & P. Franciscum *num.*91. ubi docet, per ingressum Religionis dissolvi sponsalia ex parte manentis in sæculo quidem, non verò ex parte ingredientis; quorum primum absolutè verum, & secundum probabilius judico, ob rationes, quas adfert. Vide eundem etiam *num.* 96. ubi dicit, eum, qui verè sponsalia cum virgine contraxit, & spe matrimonii illam defloravit, Religionem ingredi non posse, licèt ad eam se voto adstrinxisset.

13. Solvuntur tertio per susceptionem Ordinis sacri. Est certum: non potest tamen sponsus eum suscipere in casu allato: an verò peccet qui extra eum casum post sponsalia Ordinem sacrum suscipit? Affirmant varii apud Dianam *ibid.resol.*208. sed ipse judicat contrarium probabilius; quia in contractu sponsalitio semper videtur sub-

Tttt intel-

intellecta conditio melioris status. Verùm P. Franciscus hanc rationem rejiciens, *num.* 103. cùm aliis sentiens, ostendit, prædictum mortaliter peccare. Adde, neminem à sponsalibus, etiam in sententia Dianæ, posse resilire, ut simpliciter servet cœlibatum: quia cœlibatus ut sic non est status melior, nec consequenter est subintellecta conditio ipsius, quamvis simpliciter loquendo melius sit cœlibatum tenere quàm matrimonio jungi.

14. Quartò sponsalia solvuntur per matrimonium cum alio initum, hoc enim reddit observantiam prioris vinculi impossibilem. An tamen solvantur quoad contrahentem matrimonium, quando alter exspectat usque dum hoc matrimonium sit solutum? Controvertitur: affirmat Sanchez, negante Pontio, & utriusque sententiam probabilem dicit Diana *res.* 209. *seq.* quidquid absolutè affirmativam sustineat P. Cornejo *tom.* 2. *tract.* 6. *disp. ult. dub. ult.* & è contra negativam P. Franciscus *num.* 105. Interea secunda sponsalia non reddunt prima irrita, prout in jure definitum est; potest tamen resilire sponsa si sponsus cum alia contraxerit ob ipsius infidelitatem: imò si cū secunda sponsa intercesserit copula, nec par periculum damni priori immineat, juxta varios tenetur sponsus ducere secundam, præsertim si huic non constiterit de primis sponsalibus; quia hujus jus est multò strictius. Ita inquam varii, quidquid Burghaber *Centur.* 1. *casu* 57. absolutè oppositum defendat. Vide iterum Dianam *resol.* 210. apud quem etiam hoc ultimum est in controversia: quam tamen controversiam bene tollit Franciscus B. Spei *num.* 110. ubi fideliter Patris Herincks inconsequentiam detegit; quidquid hic alibi immeritò dicat, Franc. B. Spei esse sibi malæ fidei.

15. Quintò insuper solvuntur dum ultra præfixum tempus absque legitima causa differtur eorum impletio: vel dum sponsus absque licentia sponsæ vadit ad partes valde remotas: sic disponit jus commune. Hoc ultimum intellige, nisi ad illas partes iverit ob causam necessariam, ut est mors parentum, & aliud grave negotium urgens: tunc enim juxta *l. sæpe. ff. de sponsal.* expectandum esse sponsum donec cesset necessaria illa causa absentiæ, volunt plures apud Gobat *in Alph. matrim. par.* 2. *casu* 8. *num.* 353. qui tamen cum aliis melius negat necessitatem tam diuturnæ expectationis, dum spons[a] est certa de diuturna absentia sponsi quidquid prudenter moneat, pene Judicem ecclesiasticum esse, inspect[a] qualitate sponsæ, periculo inconti[nentiæ], nentiæ, aliisque circumstantiis judica[re], utrum absentia sit adeo diuturn[a] ut sit sufficiens causa dissolvendi spon[-] salia: in re enim tanti momenti n[on] debet sponsa assumere partes Judic[is]. Insuper sponsalia solvuntur ob forn[i]cationem de quo §. 2. item ob hæ[re]sim, quæ est fornicatio quædam sp[iri]tualis.

16. Sextò solvuntur sponsalia [ob] notabilem mutationem supervenie[n]tem, quæ si præcessisset vel cog[nita] fuisset, sponsalia non fuissent ini[ta]: quia promissio non obligat ultra [pro]mittentis intentionem. Talis m[uta]tio est magna deformitas; quæ ta[...]

d

debet esse major in sponso, quàm in sponsa, in qua plus consideratur pulchritudo; imò P. Urbanus & alii loquuntur communiter de sola deformitate adveniente sponsæ: quare valde magna debet esse deformitas sponsi, quæ de novo adveniens det sponsæ jus resiliendi; qualis esset si totum nasum amitteret, aut tota facies fœdè exulceraretur, aut alia ratione ita fieret deformis, ut spectantibus horrorem aliquem incuteret. Talis etiam mutatio est infirmitas habitualis, oris maleolentia incurabilis, paupertas, odium grave, inimicitia, &c. Quorum omnium ratio est; quia cùm in hoc contractu maximè spectetur conjunctio animorum, multò major requiritur libertas, quàm in aliis contractibus, adeoque quod ab initio sufficeisset ad illum impediendum, sufficit postea ad eum solvendum. Hanc materiam fusè tractat Gobat *in Alphab. matrim. par. 2. casu* 8. *à num.* 293. ubi inter cætera pro causa sufficienti ad solvendum sponsalia ponit, quando post sponsalia deprehenditur, sponsum esse valde asperum, & sævum, ut proinde meritò timeatur, ne valde asperè tractet uxorem. Refert item *num.* 340. juxtà varios licere sponso, qui post sponsalia obtinet magnam hæreditatem improvisam, quærere parem sibi opibus, relictâ sponsâ multùm jam impari: quidquid alii distinguant dicentes, id non licere, si primam sumpserit præcipuè propter formæ præstantiam. In his sententiis non audet Gobat interponere suum judicium: ego tamen noto, in secundo casu æque esse liberum resilire à contractu sponsalitio antea inito, quàm in primo; sicut enim unus, qui sumpserat primam sponsam præcipuè ob divitias, modo ditior factus potest sumere ditiorem: ita alter qui primam sumpserat præcipuè propter pulchritudinem, poterit ditior factus sumere pulchriorem.

17. Septimò solvit sponsalia omissio alicujus quod promissum erat: sicut & affinitas in primo vel secundo gradu intercedens inter sponsos, vel cognatio spiritualis, aut si adveniat aliud impedimentum dirimens matrimonium. pro quibus omnibus vide P. Urbanum *tract.* 3. *tit.* 15. & P. Franciscum *num.* 127. ubi dicit, vocem aut famam publicam, id est, majoris partis viciniæ acclamationem; si facilè extingui non possit, de substante impedimento canonico, sufficere ad dissolvendum sponsalia, licèt falsa sit: quod & probat ex cap. *Super eo.* 2. *de consanguinit. & affinit.* Sufficit etiam unus testis fide dignus juratus de simili impedimento, ut sponsalia per Judicem dissolvantur. Idem Franciscus *num.* 142.

18. Adde, ad solvenda sponsalia, si causa ipso jure inest manifestè, non esse necessariam Judicis authoritatem, secus si non sit per se manifesta: tunc enim coram Judice probanda venit, ne vel alteri sponsorum fiat injuria, vel scandalum creetur. Cæterùm fit quandoque, ut concurrant plures causæ dissolutionis, quarum licet singulæ non sint sufficientes, simul tamen sumptæ sufficere possunt, eò quod ut sic reddant contractum matrimonialem notabiliter difficiliorem.

Petes an ſponſalia ſolvi poſſint per diſpenſationem? Reſpondeo cum Gobat, quando ſponſalia ſunt firmata juramento, nequit ipſe Papa diſpenſare abſque graviſſima cauſa concernente bonum publicum: nam jus aquiſitum alteri, & firmatum juramento nequit etiam à ſupremo Principe niſi ob ſimilem cauſam auferri. Si verò non fuerint juramento firmata, poteſt, indubiè unâ parte adhuc contradicente diſpenſare, cum & poſſit in matrimonio rato: requiritur tamen cauſa admodum juſta, & gravis, ut ſi timeatur priorem ſponſum futurum eſſe cauſam peccati ſponſæ, aut ſi ex matrimonio cum altero ſperetur publica pax, aut extinctio, vel impeditio gravium diſcordiarum. Addo Epiſcopum nihil poſſe in hac materia, cum generatim nequeat diſpenſare in caſu, quo jus eſt acquiſitum alicui tertio, talis enim poteſtas eſt penes ſolum ſupremum Principem. Hæc omnia deſumpſit Gobat ex probatis Authoribus *loc. ſæpe cit. caſu 7. num. 280. & ſeq.*

§. IV.

An Sponſi teneantur revelare occultos defectus: & petere licentiam à parentibus?

19. Dico primò, ſponſi non tenentur ſibi mutuo revelare defectus occultos, niſi ſint valde perniciosi comparti; nemo enim tenetur ſeipſum accuſare, infamare, aut damnificare: quare corrupta poteſt ſe gerere pro virgine, nec nobilis tenetur ſuæ nobilitatis aut divitiarum quantitatem explicare; quod puto verum probabiliter contra Amicum etiam in caſu, quo circa hæc ſe mutuo interrogant; quia nec tunc adhuc tenentur ſe infamare, cùm ſibi mutuo non inferant grave damnum occultando, ſolumque id reddat nuptias minùs appetibiles: ſecus tamen dic de defectibus, qui redderent nuptias execrabiles; qualis v.g. eſt morbus gallicus, lepra, aut alius morbus contagioſus.

20. Dico ſecundò, contrahentes ſponſalia inſciis parentibus, mortaliter peccant contra pietatem ſi id temerè faciant: quia parentum officium & poteſtas exigit, ut ſine eorum conſenſu & conſilio à liberis nihil magni momenti agatur: quidquid tamen non ſemper teneantur eorum conſilium ſequi, nam adhuc manent verè liberi in contrahendo matrimonio. Solùm igitur obligantur diligenter examinare motiva parentum, ob quæ hoc vel illud matrimonium ſuadere vel diſſuadere conantur, ea conferendo cum motivis contrariis, quæ ipſis im[...] occurrunt. Quòd ſi parentes e[...] velint avocare aut impedire ab om[...] matrimonio, minimè debent iis o[...] temperare dum adeſt periculum i[...] continentiæ; in quo ſæpiùs poſſu[...] pare[...]

parentes delinquere. Cæterùm juxtà Sanchez, quem sequitur Bassæus verbo *Sponsalia cap.* 2. *num.* 8. & Franc. B. Spei *disp.* 1. *num.* 49. tenentur liberi datam fidem sponsaliorum servare, etsi inconsultis aut invitis parentibus imparis conditionis sponsis promiserint matrimonium; licèt enim peccarint promittendo, tenentur tamen sub obligatione gravi promissionem adimplere, & in omni foro compelli possunt. Hinc graviter peccant parentes, si illos impedire vel dissuadere conentur ne liberi faciant id, ad quod sub gravi culpa obligantur. Ita Bassæus; bene tamen addens ex Navarro & aliis, parentes posse ac debere impedire matrimonium, si ex eo ob disparitatem sponsorum vel aliam similem causam timeatur familiæ ingens dedecus, scandalum, rixæ, &c. ad quod etiam implorare debent Judicis authoritatem si opus fuerit: quia in eo casu tale matrimonium tanquam charitati ac pietati repugnans, sine peccato à liberis contrahi non potest.

Quid si sponsio matrimonialis facta sit sub conditione, *si pater consenserit?* Obligat si pater re intellectâ apertè, & constanter consentiat. Si verò initio consentiat, deindè dissentiat, vel econtra, multi volunt obligare, & multi nolunt, quos referunt Sanchez, Hurtadus, Peres, ac Dicastillo apud Gobat *in Alphab. Matrim. par.* 2. *casu* 4. *n.* 167. è quibus dicit in praxi sequendos esse illos, ex quorum sequela nascentur minora incommoda: quidquid putet ipse, & ego, ita loquentes solere esse solicitos, non tam, ut pater consentiat, quàm ne contradicat cum indignatione. Quare si non contradicat dum ipsi innotescit promissio, aut contradicat quidem hodie, sed cras consentiat, meó judiciô impleta est conditio. Hanc conditionem hoc modo intellectam *si pater meus non contradixerit*, vult Menochius semper implicitè subintelligi, cum doceat absolutè ob solum dissensum paternum posse sponsum resilire à sponsalibus. Sed ego illam doctrinam sic generaliter positam non admitto, benè si hunc dissensum secutura sint gravia valdè incommoda, ut sunt gravis, & perpetua, aut valdè diuturna illius offensa, verbera, & privatio, aut notabilis diminutio hæreditatis: pro quo vide dictum Gobat *casu* 8. *num.* 330. & 339.

Sed quid intelligunt puellæ dicentes *tibi nubam, si Deo placuerit*, vel *si Deus ita res disposuerit?* Ego primâ fronte judicabam similes promissiones esse quasi absolutas, utpotè conditionatas conditione, quæ per se semper subintelligatur; & sic teste Gobat etiam existimavit vir apprimè doctus. Verùm ipse Gobat autumat sensum prioris communiorem esse: *si re benè examinatâ deprehendero esse expediens ad animæ meæ salutem, nubam tibi:* posterioris verò, vel illum eundem, vel *nubam tibi si Deo dirigente commodum mihi fuerit*: ita ut illæ puellæ sint omninò liberæ à sua promissione, si deprehendant, esse sibi ad salutem conducibilius vel commodius manere cælibes aut nubere alteri: atque ita testatur censuisse sapientes viros à se interrogatos *casu* 4. *num.* 169. Quibus non obstantibus adhuc puto meum præcedens judicium esse sustinendum pro pluribus locis Belgii, in qui-

quibus parentes docent suas proles in omnibus promissionibus, imò & propositis, similem clausulam apponere, quia non sciunt an sint tam diu à Deo relinquendi in vita, vel an sint tempore futuro mansuri moraliter potentes adimplere promissionem : quo sensu indubiè semper implicitè subaudiuntur dictæ conditiones, & sunt ac si non essent appositæ. Quia tamen p... dictus Gobat ulteriùs testatur, ... ornatissimos viros percallentes ... Curiæ interrogatos respondisse, nullam promissionem sponsalitiam contineri in dictis verbis quoad forum ...ternum, judico, nullam similem conditionem esse in sponsalibus à Parocho permittendam.

§. V.

De Sponsalibus initis ex metu: & quænam sint licita vel illicita Sponsis?

21. Dico primò, sponsalia inita ex gravi metu, juxtà DD. satis communiter, invalida sunt, quamvis juramento firmentur: unde nec inducunt impedimentum publicæ honestatis, nec ullam obligationem. Probatur ex cap. *ex litteris de sponsal. impub.* quòd verò aliqui dicant, hoc juramentum per se parere obligationem sicut juramentum solvendi usuras, non videtur verum; quia contractus sponsalitius metu initus prohibetur à jure propter publicam utilitatem; contractus verò usurarius solùm ob utilitatem privatam: contractus autem ob utilitatem publicam inhibitus, juramento stabilitus, nequidem parit obligationem vi juramenti. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 278. & Franciscum B. Spei *disp.* 1. *num.* 30. ubi docet, metum, etiam cadentem in constantem virum, sponsalia coacta non irritare; quia meliùs est coacto sponsalia non esse irrita, eò quòd per ipsum sint irritabilia.

22. Dico secundò, contra varios apud eundem Dianam *par.* 2. *tract.* 5 *resol.* 6. tactus inter sponsos ob finem honestum, in signum v. g. benevolentiæ, &c. non sunt mortales, quando non sunt impudici nec adest periculum pollutionis: ratio, ut loquitur Diana, clara est; quia sicut copula cohonestatur à matrimonio, ita sponsalia, quæ sunt via ad illud, debent dictos tactus cohonestare, sic & oscula, quæ sunt quædam inchoa... ad copulam. Ita Diana, Sanchez, alii duodecim, quos citat. Non au... tamen cum Salas ipsis permittere a... ctum pudendorum, cujus sententiam in hoc Diana *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* ... dicit improbabilem; idem asserens sententia Sanchez, quâ docet li... oscula & tactus externos, etiam... cutura pollutio prævideatur, ...

modo adsit justa causa in sponso, videl. ad vitandam inurbanitatis seu austeritatis notam: & verè non est admittenda hæc sententia; quia alia adsunt documenta ablegandæ hujusmodi notæ. ut necesse non sit tam obnoxiam periculo demonstrationem admittere. Et P. Franciscus *num.* 78. docet, illicita esse oscula, &c. inter sponsos, causâ sensualis delectationis ex spirituum vitalium commotione ad copulam incitante: quidquid Salas velit, sponsis licitas esse delectationes & commotiones sensibiles, quæ ex cogitatis osculis & amplexibus resultant. Plura circa hæc vide apud Sanchez *lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 50.

23. Adde primò controversum esse, an sponsi cum aliis fornicantes, teneantur in confessione explicare circumstantiam sponsaliorum? Affirmant Homobonus, Naldus, Sylvius, & alii quinque apud Dianam *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 5. Horum ratio est; quia in eo reperitur duplex malitia; cùm sponsi per sponsalia acquirant jus in mutua corpora: negant tamen adhuc Covarruvias & Vivaldus, quorum sententiam probabiliorem reputat Azorius, & ut probabilem admittit Ledesma; atque horum ratio è contra est; quia dicta circumstantia non mutat speciem, cùm illa fornicatio non sit adulterium, ut tenet Henriquez *lib.* 2. *de Matrim. cap.* 13. *num.* 4. Quod & probat P. Franciscus *num.* 64. hâc ratione; promissio futuræ Religiosæ professionis non addit specie distinctam sacrilegii malitiam fornicationi, eò quòd non sit professionis factæ, sed faciendæ dumtaxat: ergò nec sponsalia, &c. quia non sunt matrimonii facti, sed faciendi tantùm: Quare hanc sententiam probabilem & tutam in praxi vocat Diana *loc. cit.* quidquid medium teneant Roderiquez, Sanchez, Filliucius & alii, volentes, dictam circumstantiam esse explicandam à sponsa fornicante, non verò à sponso.

24. Adde secundò, ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia inter sponsos per copulam post habitam, ex præsumptione Ecclesiæ, transire in matrimonium, secùs ubi Tridentinum est receptum, nisi (quod est casus metaphysicus) copula coram Parocho & testibus, tanquam mutui consensus conjugalis signum expressivum, haberetur. Ita Franciscus *num.* 74. probans primum, quia id statuitur cap. *is, qui fidem, de sponś.* Secundum, quia Tridentinum irritat matrimonium clandestinum. Tertium verò, quia tum nihil deest ad validitatem matrimonii; quidquid, ob accessum ad non suam & non suum, sit illicitum.

* * *

DU-

DVBIVM SECVNDVM.

Quid Matrimonium; quæ ejus materia & forma? Vbi aliqua de Matrimonio ficto.

25. DIco primò, matrimonium eſt maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ ſocietatem retinens; ſic ſumitur ut officium naturæ ad liberos procreandos: ut verò novæ legis Sacramentum ad onera matrimonii divinâ gratiâ ſublevanda (qualiter Sacramentum eſſe, definitum eſt in multis Conciliis) eſt ſignum Sacrum, ſive Sacramentum conferens gratiam ad reprimendam concupiſcentiam & fideliter cohabitandum in ordine ad prolem educandam. Vide Cornejo *tom. 2. tract. 6. diſp. 1. dub. 1. & 2.* ubi contra quoſdam hæreticos oſtendit, matrimonium eſſe licitum ex Scriptura & ratione. Matrimonium in officium naturæ probabiliter inſtitutum eſſe à Deo in ipſa Adami & Evæ creatione probat P. Franciſcus *diſp. 3. num* 18. Incertum verò eſſe, quando inſtitutum ſit à Chriſto ut Sacramentum; *diſp.* 4. *num.* 33.

26. Duplex igitur in hoc ente morali ratio invenitur; prima quòd ſit contractus ſicut ab initio ſemper fuit, conſtans eſſentialiter ex conſenſu mutuo prout cæteri contractus: ſecunda quòd in lege Evangelica fuerit hic contractus evectus ad dignitatem ſacramentalem. Per conjunctionem autem in definitione matrimonii poſitam, intellige mutuum vinculum conſiſtens in expreſſo conſenſu conjugum moraliter perſeverante; non tam enim intelligitur conjunctio corporum quàm animorum, ut loquitur P. Urbanus: individua verò Societas conſiſtit in Societate voluntatum & cohabitatione, ſeu, ut vult idem Urbanus, in vinculo indiſſolubili, quòd à conjugibus contrahitur uſque ad mortem alterutrius; nam cohabitati ſolvi poteſt multis de cauſis.

27. Matrimonium aliud eſt ratum quòd de facto firmatum eſt conſen conjugum in facie Eccleſiæ; ali conſummatum, quando inſuper acce ſit copula. Undè hic non eſt idem *co ſummare* & *perficere,* quidquid ſit de liis materiis: quare valdè male di bat quidem de Principe, quod co ſummaſſet matrimonium per Pro ratorem; debuiſſet dicere, quòd c feciſſet aut perfeciſſet, & omni optimè, quòd contraxiſſet illud Procuratorem.

28. Dico ſecundò, quoad ma am & formam hujus Sacramenti varias opiniones puto probabili illam, quæ docet, actus ſeu conſ contrahentium quatenùs ſunt tr

corporum utriusque, esse materiam; quatenùs verò sunt acceptatio, esse ipsam formam. Ita Urbanus, Busenbaum & alii, inter quos Cornejo *to.2. tract. 6. disp. 1. dub. 6.* respondet ad fundamenta in contrarium. Probatur quia in aliis contractibus traditio rei se habet per modum materiæ, acceptatio autem per modum formæ: hinc res ipsæ sunt tantùm materia remota. Vide etiam Franc. Bonæ Spei *disp. 4. num. 34.*

29. Adverte, consensus dictos debere esse liberos ab omni coactione & metu gravi injustè incusso: ac quamvis in foro externo metus reverentialis & levis non audiatur, eò quòd aliàs plurima matrimonia destruenda forent cum maximis incommodis, Urbanus tamen *tract. 15. tit. 15. cap. 4.* dicit, non esse dubitandum quin & hi metus in jure naturæ sistendo sæpe possint tollere libertatem necessariam ad matrimonium: quare, inquit, necesse est ut metum passus absolutè consentiat, sicque nuptiæ ratificentur: puto tamen cum eodem Urbano, dictum metum esse sufficienter purgatum, si eum passus alteri sponte cohabitarit vel se carnaliter cognoverint: hæc enim includunt implicitum consensum. Dixi *injustè incusso*: quia metus justè incussus non irritat matrimonium, pro quo vide Tambur. *in decal. par. 1. lib. 1. cap. 2. §. 7.*

30. Debet etiam mutuus consensus esse de præsenti, adeòque licèt consensus sub conditione de præterito aut præsenti sufficiat, quia tunc adimpletio contractus non suspenditur; non sufficit tamen consensus sub conditione de futuro, quamvis contractus tunc habeat rationem sponsaliorum. Quod si tamen conditio de futuro sit necessaria, impossibilis vel turpis non repugnans substantiæ matrimonii, non invalidat nec suspendit contractum; quia talis conditio habetur pro non adjecta in favorem ejusmodi pacti: præsumitur etenim quilibet similes conditiones satis agnoscere invalidas, adeòque nolle illis suum assensum affigere: cujus tamen contrarium si aliundè constaret, omninò standum esset intentioni contrahentium. Ita Urbanus *tit. 11. tract. 2.* cujus ultimi ratio est, quòd contractus ex conventionibus legem accipere dignoscantur: vide etiam Cornejo *tom. 2. suprà disp. 3. dub. 5. 6. & 7.* ubi latè hæc omnia discutit: & Franc. B. Spei *disp. 2. num. 13. & seq.*

31. Debet denique consensus sufficiens ad Sacramentum matrimonii esse expressus per signa externa, ut nimirum sit signum sensibile; sufficiunt tamen quælibet signa humano modo & juxtà consuetudinem cujusque Religionis manifestativa consensus interni; quidquid aliqui necessariò requirant verba, dū cessat omnis necessitas in contrarium. Verba, quibus matrimonium contrahi potest, sunt varia, & illa sufficiunt, quæ determinatè significant consensum de præsenti, ut *trado me tibi in virum*, alterâ addente, *accepto*, vel *& ego me tibi in uxorem*: ac si verba sint dubia, standum est in favorem matrimonii. Vide Bachonem *dist. 31. art. 5.* ubi examinat valorem variarum formarum hujus Sacramenti.

32. Cæterùm nullatenus requiritur consensus parentum ad valorem matrimonii filiorum. Est definitum in Trident. Nec debent semper filii exhæredari præcisè, quia contrahunt matrimonium invitis parentibus: nam sic tolleretur libertas ad matrimonium requisita, cùm non auderet filius nubere cui vellet. Tenetur tamen filius ex dictis de sponsalibus consulere patrem si commodè fieri possit, & non longè absit, aut si non timeat matrimonium malitiosè impediendum: imò & obedire patri si multum referat, illum cum illa contrahere quam pater designat, v. g. ad graves inimicitias inter magnas familias tollendas, ut post alios docet Burghaber *Centur.* 3. *casu* 55. Addo exstare Edictum Philippi IV. anno 1623. ut filii-familias minores 25. annis, qui insciis, aut invitis parentibus, & omnes minores, qui sinè consensu proximorum consanguineorum, paterni & materni lateris, & tutorum seu curatorum, cujuscumque sint qualitatis contraxerint, incapaces sint omnium lucrorum, quæ directè vel indirectè alter ab altero petere posset per conventiones; donationes inter vivos causâ mortis; testamenta, successiones, consuetudinem. seu alium quemcumque modum: *eaque dispositio vigeat, quamvis postea parentum consensus supervenat*, Possint ejusmodi etiam filii-familias à patre & matre exhæredari: nec recipiatur querela sub prætextu legitimæ, dotis, alimentationis &c. Hoc edictum tangit Franciscus Bonæ Spei *disp.* 2. *num.* 2. & ad longum refert Antonius Anselmo *in Tribomano Belgico cap.* 54. §. 4. in ejus explicationem varia adferens, ac inter cætera §. 13. hæc habet. *Non desunt eximia doctrina & authoritatis viri, qui hæc edicta dicunt nulla & invalida esse, nec vim legis habere; quia, inquiunt, tendunt contra libertatem Ecclesiæ, & disponunt circa matrimonia: matrimonium autem privativè esse fori Ecclesiastici, adeòque non esse in potestate laici Principis desuper quicquam statuere. Et inter cæteros hanc opinionem amplectuntur* Sarmient. Select. Interpret. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Covarr. *par.* 2. *de Matrim. cap.* 3. §. 8. *num.* 5. & alii. *Sed in cassum*: quod valdè latè probat citans pro se multos. Ac addens §. 25. pœnas has comminatas sufficientem causam non præbere dissolvendi sponsalia: pro quibus, & aliis, vide dictum Anselmo *loc. cit.* & Gobat *in Alphab. Matrimonii par.* 2. *casu* 3. *num.* 108.

Intereà simpliciter loquendo dum filius petit ut possit ab omni parte rationabile matrimonium inire, tenentur parentes consentire, ac juxtà statum & conditionem suam ei honestam dotem constituere. Hanc obligationem ponit Burghaber *Cent.* 3. *casu* 16. in fratre divite, etiam beneficiato, respectu sororis, cui jam nubili occasio se offert honesti matrimonii, ad quod defectu dotis pertingere non potest. Probat ex *l. cum plures cit.* Item *l.* 2. §. *Sed non ullos*, & Glossa *V. præstiterit ff. de Tutel. & rationibus distrahent.* atque aliis, in quibus habetur, fratrem obligari titulo sanguinis alimenta præstare sorori. Ergò & dotem, cum regulariter ex illis ad hanc efficax argumentum desumatur, ut cum pluribus Jurisctis notat Palao

tract. 32.

tract. 32. D. 9. p. 5. §. 3. num. 1. Tum quia communis DD. sententia defendit, hanc obligationem incumbere fratri respectu sororis, ut videre est apud Palao *loc. cit.* & Layman *l. 3. tract. 4. cap. 13. num. 5.* Tum quia in filium descendit officium paternum respectu filiarum. Ergò cum patris sit, dotare filiam, ad idem obligabitur frater; esto aliàs non sit hæres patris, modò aliunde habeat, ex quo dotare possit. Tum quia opus hoc est pietatis magnæ, obligationis naturalis, & juri maximè conforme. Ergò non excusabitur ab eo præstando frater, licet sit Clericus, nec alia bona nisi ex beneficio collecta habeat, ut præter alios rectè notat Navarr. *de Redditib. quæst. 2. monito 26.* Ita Burghaber, qui objicienti, filium non teneri dotare matrem, respondet hoc nil referre, quia novum connubium matris cedit in injuriam quodammodo ipsius filii, secùs istud sororis.

Petes, quid sit faciendum ei, qui fictè consensit in matrimonium?

33. Respondeo imprimis eum commisisse grave peccatum sacrilegii, eò quòd Sacramentum reddiderit nullum; & fornicatur quoties actum matrimonii exercet: undè obligatur quamprimùm præstare verum consensum; quo posito validatur matrimonium; quia verus alterius consensus, qui adfuit ab initio, adhuc perseverat: si autem ambo ab initio consensissent fictè, deberent ambo postea verè consentire, non tamen necessariò coram Parocho & testibus si hi antea adfuerint; prout id etiam non requiritur quando matrimonium fuit nullum ratione impedimenti ignorati: tunc enim obtentâ dispensatione, sufficit novum consensum inter conjuges poni, si impedimentum sit occultum: & in casu quo unus conjux solus ipsius conscius est, non est necesse, ut id indicet comparti, sed sufficit, si alterum variis amicitiæ signis provocet ad affectum conjugalem, dicendo verbi gratia. *Ego ita te amo ut si adhuc essem liber, hodie te acciperem uti de facto adhuc te accipio, nec dubito quin idem sit vester animus*: quod si alter dicat, *ita est, quis dubitat, &c.* jam ponit sufficientem consensum: imò ipsa copula habita animo conjugali est sufficiens consensus juxtà probatissimos Authores. Quæ omnia sunt benè notanda, utpotè in praxi tuta; quamvis Lothus, contra alios communiùs, doceat sententiam oppositam quoad omnia relata esse in praxi servandam: vide eum *in casibus Belgicis tract. 3. de matrim. cland. art.* 10.

Petes iterum quid dicendum de casu sequenti? Cajus negat, se verè consensisse in matrimonium cum Agnete, séque affectu matrimoniali cum ea unquam consummasse: quare relictâ Agnete ducit Bertham; Agnes verò ducit Titium.

Respondeo, si Cajus sit certus de veritate utriusque suæ negationis, tenetur remanere cum Bertha vera sua uxore, utpotè cum priùs matrimonium absolutè fuerit nullum: at debebit Agneti resarcire damna, quæ patitur ratione præteritæ fictionis. Intereà tamen tenetur Agnes recedere à Titio

ob moralem certitudinem de valore sui prioris conjugii: & consequenter etiam Titius ab Agnete, si intelligat eam fuisse nuptam Cajo nihil alleganti præter fictionem. Nec illi Cajus titulo justitiæ est obstrictus, cum neque vi, neque fraude, aut consilio induxerit ad accipiendam Agnetem.

Quid si Judex ecclesiasticus urgeat Cajum, ut redeat ad Agnetem? Debet potiùs excommunicationem sustinere, vel in alias regiones externas fugere. Hæc omnia ex Lessio desumpta ferè eodem modo refert Gobat *in Alphab. matrim. par. 2. casu* 11. *num.* 436. ubi *num.* 441. *& seq.* adfert rationes, argumenta, judicia, &c. quibus probari possit, aliquem solùm fictè consensisse: verùm ipso fatente non admittuntur à Lessio negante, dandum esse locum præsumptionibus, quantumvis multis, & magnis adversus valorem solemnis contractus: neque etiam admittuntur à Layman requirente judicia clarissima: ideo ergò prætereo.

DVBIVM TERTIVM.

Quis sit minister Matrimonii: & de aßistentia Parochi.

34. DIco, minister Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes; non verò Parochus. Ita P. Franciscus *disp.* 4. *num.* 47. dicens hanc esse communem sententiam. Probatur, quia matrimonia clandestina, quæ erant valida ante Tridentinum & adhuc modò sunt in locis ubi Tridentinum non est receptum, sunt verum Sacramentum; in iis autem non adest Parochus: deinde in quadam Cardinalium declaratione apud Amicum expressè dicitur, non pertinere ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat: & dum Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. jubet, ut Parochus, habito contrahentium consensu dicat, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* solùm ex parte Ecclesiæ matrimonium declarat factum & approbat. Undè Parochus sub istis verbis, potest quidem dici minister solemnizationis matrimonii inquit dictus Franciscus, non verò valoris. Hanc sententiam dicit etiam N. Cornejo esse communem omnium uno aut altero exceptis: atque ex ea inferunt Pontius, Vasquez & alii apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 199. contrahentes matrimonium in peccato mortali, peccare peccato mortali duplici, videl. tanquam suscipientes Sacramentum ac tanquam ministrantes: quod negant alii decem, eò quòd non sint Ministri specialiter ad hoc deputati nec ad id receperint gratiam: vide dicta suprà *disp.* 1. *dub.* 3. & adde, multò minùs mortaliter peccare Parochum

chum assistentem matrimonio in peccato mortali. Interim hic in omni casu necessariò adesse debet; quia omninò strictè & ad litteram servandum est Decretum Concilii Tridentini. Vide eundem Dianam *resol.* 234. Unde matrimonium clandestinum, id est, quod fit sine præsentia Parochi & testium, non est validum ubi Tridentinum est receptum. Si tamen adesset is, qui per communem errorem habetur pro vero Parocho, etiamsi non esset (imò licèt non esset Sacerdos, quia v.g. non esset ritè baptizatus) valeret adhuc matrimonium, ut post Bonacinam & Quintanaduennam docet Gobat *in Alphabeto baptizantium casu* 14. *num.* 444. eò quòd à Principe Ecclesiastico & civili suppleri soleat defectus solemnitatis inductæ solo jure humano, cum adest communis error, ut patet ex lege *Barbarius ff. de offic. Prætor.* Adde & illud semper fuisse illicitum prout idem Tridentinum declarat; puta ex Ecclesiæ constitutione, ob gravia incommoda, quæ ex illis quorumdam hominum malitiâ sequi solent, ut v.g. adulteria, conjugum desertiones, negationes prolium, &c. Aliàs matrimonium clandestinum non esse jure naturæ illicitum, probat P. Franciscus *disp.* 5. *num.* 3.

35. Per Parochum hîc intelligitur Pastor loci, in quo alteruter contrahentium habet domicillium animo ibi perpetuò manendi: possunt verò esse testes omnes habentes usum rationis: neque necessarium est, ut Parochus & testes adsint deditâ operâ, sed sufficit quòd possint testari de consensu conjugum. An autem sponsi rus profecti recreationis gratiâ possint ibi præsente Parocho loci contrahere matrimonium? Respondeo negativè, quia sic nec contrahitur in præsentia Parochi sponsæ aut sponsi, nec de hujus licentia. Ita DD. communiter, quidquid aliqui oppositum doceant apud Dianam *loc. cit. resol.* 231. in Parocho in ordine ad assistentiam matrimonio solùm requirentes modici temporis habitationem contrahentium in ipsius parochia. Ita Pontius, Sa & alii: verùm Diana putat à nostra sententia non recedendum, licèt difficilem esse asserat hujus rei decisionem. Interea Burghaber *Centur.* 3. *casu* 39. variis citatis absolutè docet sufficere, quod contrahentes matrimonium venerint ad alicujus Parochi parochiam animo ibi habitandi per majorem anni partem; esto fortè id postea non contingat. Rationem reddit, quia tametsi ex tali habitatione proprium domicilium non acquiratur, attamen acquiritur quasi domicilium, quod sufficit, inquit, ut per se Parochianum constituat, sicut patet tum *ex argument. cap. fin. de parochiis*: tum ex recepta praxi quoad Scholasticos in Universitatibus, Mercatores in emptoriis, &c. Idem etiam sentit Lessius *lib.* 4, *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 47. pro se citans Sancium, & plerosque recentiores. Adde, alienum Parochum aut Sacerdotem, absque proprii Parochi licentia matrimonio assistentem, incurrere suspensionem, donec ab Ordinario Parochi proprii absolvatur. Ita Trident. *sess.* 24. *de Matrim. cap.* 1. quidquid P. Franciscus dicat, ignorantiam, etiam crassam excusare. Posse pro-

proprium Parochum suorum Parochianorum matrimonio extra propriam Parochiam & Diœcesim assistere; non tamen sponsos benedicere ob constitutionem Trident. *sess.6.cap.5.*& *sess.24. cap. 1. de reform.* docet idem Franciscus *num.90.* qui & *num.91.* notat ex eodem Trident. *sess. 7. de reform. cap.7.* Parochum, non necessariò debere esse Sacerdotem, & antequam sit, posse matrimonio assistere.

Petes, quid intelligatur per faciem Ecclesiæ dum in Tridentino dicitur, matrimonium esse celebrandum *in facie Ecclesiæ.*

Respondet Gobat, videri matrimonium satis contrahi in facie Ecclesiæ, si trinâ denuntiatione præmissâ contrahatur coram Parocho, vel ejus locum tenente, & duobus, vel tribus testibus: quod etiam docet Navarr. *cap.22.num.70.* Verùm consuetudo Belgii obtinet, ut fiat in ipsa Ecclesia, vel aliqua Capella.

Occasione hujus particulæ, *vel ejus locum tenente*, ponam hîc in gratiam Pastorum ex Gobat resolutionem casus satis curiosi.

Quidam Parochus convenit cum sponsis de certa die copulationis, sed ante hanc peregrè abiit trans aliquem magnum fluvium. Dicto die adsunt sponsi cum hospitibus invitatis, ignari itineris à Parocho suscepti. Abest Parochus, neque potest propter repentinam aquarum eluvionem adesse: sponsi accedunt vicinum Parochum, qui sinè mora astitit, & copulavit. Quæritur an validè?

Respondet ille Author negativè, & & bene: quia consideratis præcisè circumstantiis illis non adfuit licentia, etiam tacita, Parochi, vel si adfuit, adfuit modô inutili. Quod absolutè non adfuerit, probatur inde, quòd nec exprimatur, nec adferatur ulla circumstantia, ex qua judicari possit, re ipsá fuisse concessam; plus enim ex allatis non colligitur, quàm quod proprius Parochus ita fuerit dispositus, ut certò dedisset isti alieno licentiam, si in mentem venisset: ast hæc dispositio non continet tacitam licentiam, quæ pendet ab aliquo actu positivo concedentis. Nec refert, quòd fortè ille proprius Parochus dixerit intra se, vel etiam verbis externis: *O utinam illi sponsi ita sapiant, ut accedant quemcumque Parochum vicinum, quàm mihi gratum foret!* quia tunc quidem fuisset data tacita licentia, sed modô inutili, & inefficaci: ut enim hanc quis concedat efficaciter, debet suam concedendi voluntatem exprimere signo externo, & manifestare alteri mediatè vel immediatè; quæ omnia ex variis DD. probantur apud dictum Gobat. Quòd si tamen ille alienus vicinus Parochus fuisset aliàs solitus conjungere in absentia sui vicini Parochi subditos ipsius, valuisset utique ejus assistentia in casu posito; tunc enim intervenisset tacita licentia, prout bene notavit ipse Gobat cum aliis à se citatis.

* * *

DU-

DVBIVM QVARTVM.

De Matrimonio Clandestino.

36. Difficultas est non parva, an matrimonia clandestina valeant in Hollandia, Frisia & aliis Regionibus Hæreticorum Belgii? Affirmat Lothus citans Chapeauvile, Sylvium, Wiggers & Zypæum, idque sive Tridentinum ibi fuerit publicatum sive non: probat, quia ex declaratione Cardinalium certis casibus matrimonia contra formam Tridentini contracta sunt valida: primus est, quando Parochialis Ecclesia utpote vacans proprio Parocho caret, & Cathedralis caret Episcopo ac capitulo habente à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi est qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium tunc validè contrahitur absque præsentia Parochi, servatâ tamen in eo, in quo potest, formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Secundus casus est si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto vicario uterque metu Hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit: vel si eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est etiam matrimonium contractum absque forma Concilii. Hos duos casus Sacra Congregatio ita expressit Archiepiscopo Philippensi 19. Januarii 1603. quæ ab Octavio Episcopo Tricaricensi per Germaniam & Belgium Nuntio Apostolico fuerat consulta pro matrimoniis, quæ in Hollandia, Zelandia, & Frisia contrahebantur. Sive ergo dispensatione Pontificiâ, sive juris interpretatione, in illis oppidis & pagis ubi nec Pastor nec vicem ejus gerens haberi potest, validè contrahunt Christiani sinè illo: si tamen in pagis vel locis vicinis essent Sacerdotes, habentes facultatem assistendi matrimoniis Christianorum, qui possent adiri sinè magno periculo, illi qui non coram tali Sacerdote contraherent, invalidè contraherent. Hæc extraxi ex Lotho *tract.3. supra art.7.* ubi circa finem addit, in similibus locis matrimonia ab ipsis hæreticis contracta sinè præsentia Parochi etiam esse valida ob easdem rationes, non enim hi plùs habent copiam Parochi quàm Catholici; quòd verò illi non velint contrahere coram Parocho etsi adesset, solùm concludit illos peccare malâ illâ voluntate erga Ecclesiam Romanam, non autem eorum matrimonia esse propterea invalida; quia talis voluntas nullibi tali pœnâ legitur punita. Vide etiam Marchant. *in Tribun. tom. 3. par.2. tract.1. tit.7. quæst.* 10. & Dianam *par.11. tract.6. resol.1.* & *tract.8. resol.56.* circa medium. Item & Franciscum Bonæ Spei *disp.5. num.*17. ubi ad longum adfert dictæ Sacræ Congregationis declarationem.

His in favorem eorum, qui inter hæreticos vivunt, addo duo illis scitu necessaria, quæ desumpsi ex Auctario Lessii.

Lessii. Primum, illi Catholici, qui à Magistratu hæretico compelluntur contrahere coram Ministro hæretico, peccant, si huic mandato pareant, licet habeant intentionem postea contrahendi coram legitimo Sacerdote; nam videtur esse hæc quædam professio sectæ hereticæ: videtur enim Minister adhiberi tanquam persona sacra. Ita ex Lessio etiam Gobat *in Alphab. matrim. par.1. casu* 18.*num.* 471. Verùm non puto hoc habere locum in partibus Hollandiæ, ubi datur libertas contrahendi vel coram Magistratu, vel coram Ministro, ubi & passim ipsi hæretici coram Magistratu in absentia Ministri contrahunt. Unde non puto ibi adhiberi Ministrum ut personam sacram, seu ad aliquam cæremoniam religiosam, v.g. ad benedictionem nuptiarum, vel ad orandum super conjuges; sed potius ob causam politicam, ut nempe nuptiæ illegitimæ impediantur, & ut hortetur ad matrimonii fidem Addo hìc prudens consilium prædecessoris mei Reverendi Admodum Domini Antonii Peelen Decani Patriæ Cuchensis Statibus Hollandiæ subjectæ, viri in hac materia ob longam experientiam versatissimi: ut nempe Missionarii efficiant, quatenus Catholici prius contrahant coram Ministro, vel potius Magistratu, & deinde coram se: ne, si tantùm coram Missionariis contrahant, filii eorū habeantur illegitimi, & ne fortè postea ipsi contrahentes divortium faciant, & cum aliis contrahant coram Ministro aut Magistratu; quod ultimum non semel à malis Catholicis est factum: nam hæretici habent matrimonia, contracta aliter quàm coram Magistratu aut Ministro, pro nullis. Debent interim ab actu conjugali, & aliis abstinere, donec coram Parocho contraxerunt.

Secundùm, non licet quidem ordinariè Catholicis honorare suâ præsentiâ convivium nuptiale hæreticorum, eò quòd eorum matrimonia sint nulla, & conjunctiones fornicariæ: quia tamen adire tale convivium alium usum habet, nempe ad servandam amicitiam, ad pascendum corpus, &c. ideo non videtur per se malum, modò conjunctis non congratuletur de conjunctione, & munera non dentur in signum congratulationis. Ita ex eodem Lessio Gobat *loc.cit.num.* 474. Dixi *eò quòd eorum matrimonia sint nulla*, &c. quia scil. non contrahunt coram vero Parocho, cum possint, in locis ubi Tridentinum receptum est, ut suppono.

37. Quærit insuper dictus Lothus *art.*8. an Belgæ euntes ad locum ubi non est receptum Tridentinum ibi validè contrahant matrimonium clandestinè? & §.6. respondet affirmativè; quia, inquit, peregrini à domicilio absentes non tenentur legibus illius si contrariæ vigeant in loco in quo degunt: citat pro se Sanchez, Pontium & alios, quibus ego addo Cornejo *tom.*2. *tr.*6.*disp.*7. *dub.*39. contra quem idem Lothus id dicit verum esse, etsi eo fine eant, ut possint ibi liberè contrahere absque Parocho & testibus, pro quo citat 7. probatos authores: ac ratio ipsius est; quia tales suo jure utuntur; ac mala eorum intentio conferre quidem potest ad committendum peccatum, non tamen ad annullandum actum

actum, cùm intentio maneat in mente, nec influat in opus externum. Ita ille: quidquid meritò P. Franciscus absolutè dicat, ad valorem dicti matrimonii necessarium esse, ut contrahentes ibi intendant domicilium constituere: quia Card. de Lugo apud Gobat *lo. sæpe cit. num.* 481. describit Authenticum Breve Urbani VIII. anno 1627. datum ad Archiepiscopum Coloniensem, quo confirmat, & ubique observari præcipit responsum S. Congreg. rescribentis ad eundem Archiepiscopum, *non esse legitimum matrimonium sic contrahentium cum fraude*; id est, *quando incolæ tam masculi quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, retinentes idem domicilium se transferunt* (ad locum, ubi non est promulgatum) *solo animo sine Parocho & testibus matrimonium contrahendi, habitationem non mutantes.*

Sed quid si sponsus habitet in Parochia in qua est promulgatum Decretum Tridentini, & sponsa in alia, in qua non est promulgatum nec receptum? Valebit matrimonium sinè Parocho ab illis initum in Parochia sponsi, secùs sic initum in Parochia sponsæ: quia contractus quoad valorem pendent à legibus territorii, in quo fiunt, ut alibi diximus. Adde ex Cornejo *lo. cit.* invalidum esse matrimonium clandestinè contractum in loco ubi Tridentinum est acceptum, quamvis in contrahentium territorio non sit acceptatum; quia ad valorem contractus necesse est ut serventur solemnitates requisitæ in eo loco ubi initur, prout probat ex cap. *finali de foro competenti l. si fundus ff. de editione.* & nos statim diximus.

38. An denique matrimonium clandestinum in articulo mortis sit validum? Affirmant Soto & à Graffiis apud Lothum *art.* 10. ut si v. g. quis lætaliter vulneratus habens concubinam, ut filios reddat legitimos & paret faciliorem viam ad salutem, clandestinè cum illa contrahit, quia copia Parochi ac testium haberi non potest; tunc enim ex æquitate & epikeia censetur Decretum Tridentini non comprehendere hunc casum. Ita illi. Sed Lothus, Cornejo & alii communiter docent contrarium cum P. Francisco, & meritò; quia, ut hic *lo. cit. n.* 17. bene probat, Tridentinum absolutè & sinè ulla exceptione, irritat directè & indirectè matrimonium clandestinum: unde in solo casu à Sacra Congregatione supra excepto potest reddi validum. Solùm hîc adde ex P. Urbano *tr.* 2. *cap.* 2. *reg.* 3. nihil Regularibus esse concessum hac in parte, nec quoad interessendum substantiali contractui matrimoniali, nec quoad benedictiones nuptiales solemnes, præterquam dum funguntur munere Parochorum; tunc namque jure communi possunt quidquid aliis est concessum. An verò Regularis prædicto munere non fungens excommunicationem ipso facto Papæ reservatam incurrat si matrimonio assistat, juxta Clem. *Religiosi 1. de Privileg.* non ita constare, dicit P. Franciscus: quidquid neget Hurtado, & Sanchez affirmet.

Sed quid facient illæ personæ quæ diu in concubinatu vixerunt, omnibus existimantibus illas esse matrimo-

nio junctas, si velint resipiscere ita secretò, ut & ipsum Parochum lateat? Posset in tali casu à Parocho, vel ab Episcopo impetrari facultas, ut ipse Confessarius agat vices Parochi: quo casu assumi possunt duo testes ignoti, vel Religiosi, qui jurent se rem secretissimam semper habituros, & ita nullum patientur incommodum.

Petes an matrimonium contrahi possit per procuratorem aut litteras?

39. Respondeo affirmativè; quia in utroque adesse possunt omnia requisita, nempe verus contractus in quo conjuges sibi mutuo corpora sua dant & acceptant per mutuos consensus sufficienter per alios homines vel litteras expressos in præsentia Parochi ac duorum testium, coram quibus procurator loquitur vel litteræ leguntur. Ita DD. satis communiter, quorum sententiam firmat P. Cornejo *loco citato disputat.* 1. *dub.* 5. Hinc

40. Infer primò, sic contrahentes teneri sub mortali esse in gratia eo tempore quo procuratores nomine ipsorum contrahunt, vel prædictæ litteræ coram Parocho & testibus leguntur; quia aliàs Sacramentum vivorum in statu peccati mortalis susciperent & obicem ponerent gratiæ divinæ: contrarium tamen dic de ipsis procuratoribus, qui omnia faciunt nomine alieno: quare diversitas sexus non est necessaria in procuratoribus, cùm tantùm per modum instrumenti subministrent verba, quibus contractus matrimonialis initur. Etiam contrahentes matrimonium per procuratorem non peccare mortaliter licèt non sint in gratia, docent Lopez, Sotus & Cajetanus apud Mendo *in Statera Benignar. Opinion. dissert.* 12. *quæst.* 1. *num.* 1. sed eos meritò rejicit *num.* 3.

41. Infer secundò si antequam procurator consensum exprimat vel litteræ legantur coram &c. alter consensum suum revocet, nullum esse matrimonium; quia non concurrit utriusque contrahentis consensus tempore ipsius contractus, ut notavit N. Bacho *in* 4. *dist.* 32. *quæst. unicâ.*

DVBIVM QVINTVM.

De ætate requisita ad Matrimonium, de eiusdem præcepto & indissolubilitate.

42. Dico primò, ad contrahendum matrimonium requiritur in filio completa ætas quatuordecim annorum, & in filia duodecim, ita constituente Jure Canonico; cujus ratio est quòd ante id tempus sint minùs capaces ad statum perpetuum eligendum: si tamen in aliquo malitia suppleret ætatem, ita ut sufficiens prudentia & potentia generandi tempus illud anteverterent; validè quidem sed non licitè talis posset matrimonium con-

contrahere, uti in simili diximus de sponsalibus: imò posse Summum Pontificem dispensare, ut impuberes matrimonium inter se contrahant, hoc ipso quòd sunt sufficientis consensus capaces, docet meritò Franc. B. Spei hîc *disp.* 7. *num.* 128. impubertas enim communissimè non est nisi impotentia temporalis, quæ matrimonium jure naturæ non dirimit: imò legitur, impuberes sæpe fuisse potentes, non tantùm ad copulam perfectam, sed etiam ad generationem; ut videre est apud Francisc. *lo. cit.* Quòd verò minor ætas requiratur in filia quàm in filio, est quia illa propter majoris humiditatis & frigiditatis temperamentum citiùs creditur adipisci experientiam rerum, citiusque apta est ad generationem. Ita Urbanus: vide etiam Bachonem *in* 4. *dist.* 28. *art.* 5. *in fine*, ubi pro ratione datur, quòd imperfecta citiùs ad suam perfectionem veniant quàm perfecta, sicut mala herba citiùs crescit quàm bona.

43. Dico secundò, matrimonium est sub præcepto divino incluso in his verbis, *Crescite & multiplicamini & replete terram*: item naturali in quantum necessarium est ad conservationem naturæ humanæ. Verùm hoc præceptum non obligat omnes homines in generali, sed singulos dumtaxat in particulari, ita scil. ut in periculo perituræ speciei humanæ quisque occurrere teneatur per suum matrimonium: unde in casu (quamvis metaphysico) quo restarent soli Religiosi, tenerentur hi uxores ducere; quia bonum speciei tanquam commune præponderat individuali. Ita DD. communiùs: quidquid Pontius, Sylvius & alii apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 289. dicant tunc potiùs cogitandum esse instare finem mundi, adeoque non esse necesse, ut tum Religiosi contrahant matrimonium quatenus sic per eos genus humanum diutiùs conservetur.

44. An verò matrimonium sit materia voti? Diximus suprà *tr.* 4. *disp.* 12. *num.* 60. Pro quo etiam videre poteris P. Franciscum *disp.* 1. *n.* 25. *& seq.* ubi dicit, promissionem internam Deo factam de contrahendo matrimonio, etiam cum paupere meretrice vel deflorata ab alio, ex motivo pietatis, ut v.g. illam ab egestate, à peccato, vel infamia liberet, non obligare; quia nec pietas hæc est melior cœlibatu, aut virginitate, quorum est impeditiva. Addit tamen, prædictam promissionem obligare dum ex matrimonio sequeretur maxima utilitas Reipublicę, ut v.g. concordia Principum, conversio multorum infidelium &c. ob rationem oppositam, quod & nos *loc. statim cit.* sustinemus.

45. Dico tertiò, matrimonium initum inter Catholicos, est omninò insolubile quoad vinculum, si consummatum fuerit. Ita Florentinum & Tridentinum; constatque ex verbis Christi, *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Dixi *si consummatum fuerit*; quia solùm ratum, juxta plures probatissimos Authores, & Canonistas communiter, ob justas & urgentes causas solvi potest per dispensationem Papæ; & hoc ipso solutum est quo alter conjugum profitetur in Religione approbata: ad

quod conceduntur duo menses, quibus neuter conjux tenetur debitum reddere si deliberare velit de intranda Religione, pro quo vide Bachonem *dist.29. art.1.* neque hoc est contra jus divinum; quia ante consummationem nondum perfectè sunt conjuges conjuncti, nec facti sunt una caro, ut repræsentent insolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. His consequenter

46. Adde, si unus ante consummationem matrimonii profiteatur in Religione, posse conjugem ipsius cum alio matrimonium inire. Quare autem id locum non habeat, dum unus post biennium Novitiatus vota simplicia in Societate emittit, ostendit Francisc. *disp.6. num.45.* Et quare idem dicendum non sit, quando vir ante consummationem suscipit sacros Ordines; vide Urbanum *tract. 2. cap. 2. reg.* 3. & Bachonem *dist.29. art.2.* ac *dist. 37. art.3.* Quid verò debeat facere uxor dum maritus de ipsius consensu post consummatum matrimonium intrat Religionem, vel suscipit sacros Ordines; habes apud eundem Bachonem *dist.37. cit. art.1.* qui cum distinctione loquitur de vetula & juvencula; ita scil. ut hæc teneatur etiam Religionem ingredi, illa verò solùm debeat manens in sæculo vovere continentiam, vel in Religione honestè vivere absque professione. Insuper matrimonium inter infideles, etiam consummatum, fit solubile, dum alter conjugum convertitur ad fidem; quamvis non solvatur antequam ad fidem conversus novum matrimonium contrahat, nec solvi possit, quando uterque conjux simul ad fidem convertitur: pro quibus vide Franc. B. Spei *disp.6. n.17. & seq.*

47. Dico quartò, quamvis matrimonium consummatum inter Catholicos sit insolubile quoad vinculum; potest tamen pluribus de causis solvi quoad thorum & cohabitationem. Primò ob adulterium; quod patet ex Scriptura *Matth. 19.* quamvis tàmen minùs consuetum sit, uxorem ob adulterium viri procurare divortium: potestque etiam vir innocens uxori reæ culpam pro libito remittere, nisi inde timeatur grave scandalum, vel contrarium necessarium sit ad ejus emendationem. Adde virum non posse dimittere uxorem adulteram si ipse quoque adulterium commiserit, ex cap. *Significasti, de divortio*: neque si ipse fuerit causa adulterii uxoris: si quis eam fraudulenter sub specie mariti cognoverit, vel per vim: nec denique si vir post notum ejus adulterium eam cognoverit. Ita DD. communiter. Dicit autem P. Franciscus, ad divortium perpetuum, requiri adulterium simpliciter, quo scil. fit divisio carnis secundùm usum naturalem & generationi aptum; non verò secundùm sodomiticum, & bestialem generationi ineptum: quia (præterquàm quòd istum solum usum promiserit, non hunc) cùm lex illa sit odiosa & pœnalis, est strictè interpretanda. Ita ille *disp. ult. num.8.* contra communem, ut fatetur.

48. Secundò potest fieri divortium ob hæresim aut idololatriam alterius conjugis, ex cap. *Quæsivit, de divortiis.* Tertiò ob inimicitias capitales, aut ni-

nimis duram conjugis tractationem, cap *Litteras, de restitutione spoliatorum.* Quartò ob lepram, aut alium morbum valde contagiosum. Verùm hæc juxta DD. solùm dant causam separationis quamdiu durant. Aliam causam divortii addit P. Franciscus satis generalem *loc. cit. nu.* 12. nimirum, si conjux alterum conjugem ad peccatum pertrahat, aut sollicitet: ex cap. 2. *de divortiis*: & cap. *idololatria* 28. *quæst.* 2. ac ratio est; quia plus ob lepram spiritualem hoc debet dici licitum, quàm ob corporalem. Cæterùm, quamvis scelerata vita unius conjugum non soleat præbere alteri per se loquendo jus ad divortium, si tamen maritus nequit flagitiosam uxorem aliter ad frugem reducere, quàm deserendo illam ad tempus, jure deseret juxta Gobat *in Alphab. Matrim. part.* 2. *casu* 20. *num.* 730. Quod etiam testatur nonnullos pronuntiare de uxore habente valde scelestum virum, nec aliter emendabilem, quàm per subtractionem suæ præsentiæ.

49. Præter separationem quoad thorum & cohabitationem, aliam insuper ponit P. Urbanus, videl. à bonis communibus, quæ fieri potest ob prodigam alterius administrationem bonorum communium, ut nimirum alter suâ parte injustè non privetur. Atque has omnes separationes posse fieri propriâ innocentis conjugis authoritate, tradit idem Urbanus, maximè si adulterium, prodigalitas, vel sævitia sint omnibus manifesta: quia tamen id non sufficeret ad satisfaciendum creditoribus casu quo prodigus contraxisset debita; vel ne per Judicem adulter aut austerus suum conjugem repetat, consultum est dictas separationes fieri authoritate utriusque Judicis, Ecclesiastici scil. & civilis. Separatio verò à solo thoro propter occultum adulterium, adhuc expedit fieri propriâ innocentis authoritate, ne tantum crimen publicetur. Ita Urbanus.

Addo, juxta omnes teste Gobat *loc. cit. n.* 755. per se loquendo teneri potius uxorem cohabitare viro, quàm hunc illi; sive viri, & non uxoris esse constituere domicilium: quia vir est caput mulieris. Unde uxor tenetur sequi maritum mutantem domicilium ex causa non turpi: nisi mutatio accidat uxori multùm incommoda, vel aliter conventum sit in contractu antenuptiali; cui maritus stare debet, nisi status rerum notabiliter mutetur. Nec maritum hinc inde vagantem obligatur uxor sequi, nisi ante matrimonium sciverit illum esse assuetum vagari. De reliquo conabitur Judex Ecclesiasticus reconciliare animos conjugum dum unus vult facere divortium, si id judicaverit profuturum, & nolentem cohabitare sinè legitima causa, coget censuris, & invocato auxilio brachii sæcularis. Imò etiam à Judice sæculari, dum non est lis de valore matrimonii, debet ad hoc adigi, juxta Palaum *de Sponsal. d.* 3. *p.* 5. §. 1. quod & Gobat testatur se scire fuisse alicubi factitatum.

Quid si maritus separatim habitans, monitus ut suam uxorem ad se vocet, jubeatque eam sibi cohabitare, respondeat, suas fores patere uxori, uxoris domum sibi: Respondeo, hoc

non sufficere, sed cogendum esse modo dicto ad cohabitationem, nisi attulerit sufficientem causam separationis: est enim præceptum Divinum *Gen. 2. cap. Homo adhærebit uxori suæ*: & sunt de furtivis amoribus suspecti, qui habentes uxores sanas mente & corpore, constituunt sibi particulare domicilium.

Peres quid requiratur ut matrimonium sit verè consummatum?

50. Respondeo juxta DD. communiter, requiri carnalem copulam completam per actualem seminationem intra vas naturale. Probabiliùs sufficit sola seminatio viri; quia, juxta communiorem, semen fœminæ non est necessarium ad generationem prolis; quamvis tamen plures non improbabiliter requirant seminationem utriusque. Ac quamvis multi D. Thomæ discipuli cum Rodriguez & Sylvestro ex opposito doceant, sufficere si vir vas fœmineum penetret licèt intra illud non seminet, id probabile non videtur, cùm per hoc præcisè vir & mulier non censeantur fieri una caro: quare tu siste in priori nostra & probabiliori sententia; juxta quam requiritur & sufficit, quòd simpliciter loquendo semen viri recipiatur intra vas naturale, quacumque arte id contingat, etiam ministerio dæmonis, ac sive fiat vasis penetratio sive non: quia ea copula ex se est sufficiens generationi (quam tantùm requirit P. Franciscus *disp. 6. n. 55.*) & per eam conjuges fiunt una caro. Ita Bassæus verbo *matrimonium cap. 2. n. 5.* citans cap. *Extraordinaria 35. qu. 3.* & Henriquez *lib. 11. cap. 18. n. 3.*

DVBIVM SEXTVM.

De Denuntiationibus.

51. Dico primò; ante contractum matrimonialem fieri debent tres denuntiationes in tribus diebus festivis, inter quorum unum & alterum ut minus debent intercedere duo alii dies. Colligitur ex Trid. juxta Lateranense apud P. Franciscum *disp. 5. n. 54.* licèt Gobat velit sufficere, si tantùm unus dies interjiciatur; imò cum Caspensi, Hurtado, Marchantio, & Dicastillo doceat, hoc non esse in præcepto, ita ut spectandam dicat solam consuetudinem cujusque loci, quæ teste Dicastillo, ut idem refert, in pluribus locis permittit tres dies immediatos. Denuntiandi sunt sponsi in Ecclesia inter Missarum solemnia, ut loquitur Tridentinum *sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.* Notat tamen Barbosa in illum locum Tridentini post plures alios validè denuntiari extra Missarum solemnia coram magno concursu populi; quod & Sanchez, ac Dicastillo volunt posse fieri sine peccato. Nec Gobat cum Marchantio improbat morem locorum, quibus in vesperis, ad quas major pars populi concurrit proclamationes fiunt, maximè

ximè si fuerint inadvertenter omissæ in Missa, aut quia nondum fuerat insinuata voluntas contrahentium, vel alia de causa. Idem Gobat testatur, Constantiæ moris esse, ut quando est sponsis commodum nuptias celebrari intra octo dies à prima denuntiatione, & hebdomada caret festo, denuntientur feria quinta, qui pertinent ad Parochiam Collegiatam S. Stephani, utpote ad quam illo die magna multitudo populi confluit ad processionem in qua Venerabile circumfertur: an verò idem vel simile fiat in aliis locis, dicit se ignorare.

Interim has denuntiationes adeò necessarias reputant Pontius & Coninck, ut velint esse peccatum mortale vel unicam omittere; quia non est materia levis, ut colligitur ex motivo, ob quod sunt institutæ: & vel unica denuntiatio omissa causare potest gravia incommoda: unde fit quòd (teste Francisco *num*. 60.) Parochus ab Episcopo graviter puniatur, si vel unicam omittat. Verùm id adhuc solùm esse veniale tuentur Sanchez, Barbosa & alii apud Dianam *part*. 3. *tract*. 4. *resol*. 236. quorum sententiam cum eodem censeo probabilem; quia periculum non manifestandi impedimenti non est adeò magnum, cùm supponantur fieri adhuc duæ denuntiationes. Quidquid sit, manet matrimonium validum etsi omittantur omnes tres denuntiationes., licèt adhuc tunc debeant fieri post initum & ante consummatum matrimonium; quia hoc ipsum expressè præcipitur à Tridentino, nisi Episcopus judicaverit eas consultiùs fore omittendas. Adde Parochum illicitè omittentem tres denuntiationes, incurrere triennalem suspensionem ab officio, juxta cap. *finale*, *de clandestina dispens*.

52. An verò peccet mortaliter Parochus contractui matrimoniali assistens ante factas denuntiationes cum animo eas faciendi ante matrimonii consummationem, si aliàs timeatur matrimonium malitiosè impediendum? Affirmat Coninck, Diana, Henriquez, qui id dicit declarandum esse per Sacram Congregationem, & Bordonus, qui deducit idem ex Tridentino *cap*. 1. *de reform*. *matrim*. *sess*. 24. verùm adhuc contrarium docet Vivaldus cum quibusdam aliis. Quidquid sit de hoc, certum est non spectare ad Parochum absolutè ante & post matrimonium dictas denuntiationes omittere; sic enim in illis dispensaret, quod quoad omnes tres spectat ad munus Ordinarii; quoad unicam verò ad Decanum Christianitatis, cui id communiter concedit Episcopus. Vide P. Franciscum *n*. 62. qui *n*. 61. dixerat; casu quo, bono communi vel etiam contrahentium particulari multùm expediat statim contrahere, neq; pateat ad Episcopum pro dispensatione recursus, matrimonium posse sine illis contrahi, quotiescumque impedimentum non præsumitur; quia leges Ecclesiasticæ non censentur cum notabili incommodo obligare. Ita ille post alios: subintellige tamen, eum teneri ante matrimonii consummationem denuntiationes facere, juxta Trid. ab ipso & à nobis citatum.

53. Dico secundò, dictæ denuntiationes faciendæ sunt in Parochiis sponsi

&

& sponsæ. Ita omnes communiter; quidquid Layman dicat id non ubique observari, adeoque attendi debere ad consuetudinem loci. Dicit Gobat *in Alphab. Matrim. part. 2. casu 13. n.* 514. me hîc sinè causa rejicere Laymannum, sed sinè causa; quia Laymannum nullatenùs rejicit, qui nudè refert id, quod hic Author in terminis docet, quod solùm hîc facio. Nisi dicat rejicere Laymannum eò quòd doceam, communem Doctorum sententiam esse, quòd denuntiationes faciendæ sint in Parochiis sponsi & sponsæ: sed & ipse Gobat *lo. cit.* in terminis docet; *quando sponsi habitant in diversis Parochiis, promulgandi sunt per se loquendo in utraque Parochia, quo scil. certius deprehendantur impedimenta:* pro qua doctrina varios & ipse citat, nullum verò pro sententia Laymanni. Parochias sponsi & sponsæ hîc intelligo illas, in quibus habitant quo tempore matrimonium contrahunt conformiter ad dicta de Parocho *num.* 35. Addoque verba Jacobi Marchantii Parochi in hac materia versatissimi. *Quod Sanchez docet debere fieri denuntiationes in Parochia, in qua diutissimè habitarunt, non est necessarium. Imò nec aliquando convenit, cùm enim aliqui jam diu antiquas Parochias deseruerunt, non censentur amplius qui ibi sunt Pastores, horum Parochi quantum ad Sacramenta, igitur nec etiam quoad denuntiationes. Prudens tamen Parochus si dubitet de aliquo impedimento, exiget testimonium à Pastore illius loci, à quo hic conjungendus recessit. Hinc patet, quid dicendum de famulis & ancillis, qui modò in uno loco habitant per unum annum aut alterum, modò in altero loco per simile spatium, & sic frequenter mutant; quæritur pro illis, in quo loco denuntiationes faciendæ sint? Respondent aliqui, in loco originis; sed id non est necessarium. Possunt enim fieri in loco, in quo contrahunt, si ibi fixerint domicilium, & maximè si per majorem partem anni commorati fuerint, & animo illic commorandi venerint. Sicut enim quantum ad Confessionem & Communionem Paschalem sunt illius Parochiæ, in qua jam degunt: ita & quantum ad matrimonium, ac ejus denuntiationes. Non nego tamen si non sint satis noti, oportere diligentiam adhibere, ut testimonia adferant de loco, in quo diutius morati sunt, vel in quo magis noti esse possunt.* Ita dictus Marchantius in Candelabro mystico tract. 8. circa finem in Resol. quæstion. Pastoral. circa matrim. cap. 1. quæsit. 4.

Petes primò, quænam censeantur causæ justæ, ut Episcopus possit dispensare in denuntiationibus? Eum sinè causa dispensare non posse, patet ex eo, quòd ejus arbitrio & prudentiæ committatur, ac quòd inferior in lege Superioris sinè justa causa dispensare non possit. Ad petitionem ergo,

54. Respondeo in primis causam justam esse, si Magnates contrahant, quorum conjugia ignota esse non solent. Secundò, si ob senium, status disparitatem, &c. sine periculo infamiæ sponsorum aut familiæ denuntiationes fieri nequeant. Tertiò si matrimonium timeatur à consanguineis vel aliis malitiosè impediendum. Ita Layman: quibus adde cum P. Francisco, si quis in articulo mortis vult concubinam ducere ad legitimandam prolem. Item juxta Gobat post tres alios à se citatos, quando denuntiationibus præ-

præmissis non possent benedici nuptiæ ob vicinitatem temporis, quo nefas est eas benedicere; quia æstimat satiùs omitti denuntiationes, quàm vel differre nuptias cum periculo fornicationis, vel has celebrare sine benedictionibus. Ita ille *lo. sæpè cit. num.* 484. Sed quomodo hoc convenit cum iis, quæ habet ille Author *casu* 14. *nu.* 561. ubi dicit; *nec venialiter per se loquendo peccant conjuges non petentes ullam benedictionem: certè Synodus Tridentina, & Constitutiones Synodales nostræ utuntur solo verbo hortandi, non præcipiendi, unde exprimit Navarrus, posse absque ullo peccato omitti.* Dixerat autem antè *casu* 13. *num.* 497. meritò; *Parochus omittens omnes denuntiationes absque causa justa peccat graviter, imò mortaliter, etenim Concilium Trid. sess. 24. c. 5. conjuges, qui eas omiserunt, vocat temerarios contemptores* &c. *Sed & Tannerus, Perez, post Coninck, ac Pontium damnant etiam mortalis Parochum, qui vel unicam negligit absque necessitate*: quorum sententiæ ita fixè inhæret, ut in fine numeri 498. cum admiratione de me dicat: *Attamen recentissimus Scriptor Stephanus à S. Paulo in Theol. mor. tr. 5. disp. 8. dub. 5. habet opinionem Hurtadi pro probabili*: nempe, *esse solum peccatum veniale si Parochus unicam denuntiationem omittat, quando est certus de absentia omnis impedimenti.* Jam peto, quomodo his à se positis, possit Gobat *casu* 13. *n.* 484. *cit.* prudenter, aut consequenter dicere; *Satius est omitti denuntiationes, quàm nuptias celebrari sinè benedictionibus?* An satius est omitti ea, quæ sub gravi, imò sub mortali peccato præcipiuntur observari, quàm ea, quæ sine ullo peccato licitè omittuntur? An satiùs, inquam, est omitti ea, quorum omissores à Tridentino vocantur *temerarii contemtores*, quàm ea, ad quæ idem Tridentinum solùm *hortatur & non præcipit*? Certè vel errat Tridentinum, vel Gobat: sive potiùs; necessariò errat Gobat in uno aut altero loco. Scio quidem, hunc Authorem *n.* 562. dicere; *in locis, in quibus* benedictiones *solent adhiberi, censeo non posse sinè scandalo prætermitti.* Sed hęc nihil ad rem nostram; in qua agitur de omittendis benedictionibus eo tempore, *quo nefas est nuptias benedicere*, ut loquitur ipse Gobat.

Ultima ergo causa omittendi denuntiationes meliùs à nobis ponitur, quotiescumque ob notabile spirituale, aut corporale contrahentium commodum, id Episcopus expedire judicaverit, si aliunde cesset impedimenti occulti suspicio. Imò Episcopus dispensare tenetur, positâ justâ causâ ex damno notabili alioqui secuturo: quia ipsi conceditur potestas dispensandi in bonum commune, & suorum subditorum. Atque in iis casibus, in quibus Episcopus ob dictam causam dispensare tenetur, posse Parochum matrimonio assistere nullis præviis denuntiationibus, absque recursu ad Episcopum, licèt hic adiri possit, docet Hurtado & Perez apud Franc. B. Spei *disp.* 5. *cit. n.* 70. qui ipsorum sententiam probat; quia hoc casu materia legis est iniqua, adeoque nulla est legis obligatio; ubi autem non est legis obligatio, dispensatio non est necessaria, ut omnes fatentur. Adde insuper sufficere dispensationem unius Episcopi quamvis contrahentes sint ex diversis Diœcesibus;

cessibus; quia hac in parte conjuges censentur quasi una persona. Quia verò pœnitentes habent communiter justissimas causas cur ipsimet non petant dispensationem, dicit Gobat, charitatem Christianam & paternam suadere, & persuadere, ut Confessarius ipse, tacitis tacendis, postulet.

Petes secundò, an quis vi denuntiationum teneatur denuntiare impedimentum matrimonii occultum, quod probare non potest?

55. Respondent communiter omnes affirmativè apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 221. ratio est, quia ex cap. *Praterea de sponsalibus* unicus testis sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum, si scil. sit juratus. Verùm in casu posito non adesse obligationem denuntiandi sustinet Pontius pro se citans Joannem Majorem, quorum sententiam probabilem & practicabilem reputat Diana. Distinguit P. Franciscus dicens, prædictum non teneri simile impedimentum revelare, si contrahentes sint in bona fide, quòd nullum subsit: secus si in mala fide & peccato continuo. Rationem primæ partis dat; quia contrahentes ob bonam fidem non peccant; & aliunde proles, re quidem sunt illegitimæ, sed in omnium opinione manent legitimę. Pro ratione secundæ partis adfert; quòd præceptum correctionis fraternæ illo casu obliget; ergo & denuntiationis. Ita Franc. *n.* 79. & 80. Interea testis volens deferre tale impedimentum cum infamia conjunctum, debet servato ordine charitatis priùs monere obnoxium illi impedimento, ut desistat à cogitato matrimonio, alioqui se eum denuntiaturum. Idem Franciscus *n.* 82. probat, ipsos contrahentes interrogatos, an non subsit impedimentum, teneri ad fatendum veritatem, licèt illud sit occultum & ex peccato ortum, ex quo ipsis infamia subsequatur: quia prout seipsis peccatum vitare tenentur, ita & à tali matrimonio desistere; aut, si nolint, impedimentum aperire, ut dispensationem obtineant.

56. Quid si Parochus solus noverit simile impedimentum: Si noverit ex sola confessione, solùm potest contrahentes in ipsa confessione monere, ut à matrimonio desistant: si verò sine notabili scandalo, aut damno non possent, consulere debet, ut sub conditione, *si Papa dispenset*, contrahant, & interea tanquam frater & soror cohabitent, donec dispensatio accedat, & matrimonium renovent: quod ultimum, locum habet dumtaxat, quando ambo contrahentes sunt impedimenti conscii; nisi fortè ille, qui solus est conscius, possit & velit prętendere, ita simul vivere per duos menses sub prætextu meditandi Religionis ingressum, & eo tempore possit dispensationem obtinere; prudenter tamen caveat à mendaciis. Quòd si solus Parochus noverit extra confessionem impedimentum occultum, quod probare non potest: dimissâ conditione Judicis matrimonium remittat ad Episcopum, & tum ei impedimentum revelet. Vide Franciscum *n.* 86. ubi addit; si autem Judicis conditionem dimittere nolit, tenetur illos conjungere: quia Judicis est, secundùm allegata & probata, non verò ex pri-

privata scientia judicare: quidquid meritò primum omninò probabilius putet, cùm ipse non sit Judex super impedimentis, sed Episcopus; ut patet ex cap. *finali*, *de clandest. dispens.* & Trident. *sess. 24. cap. 1.* ab ipso allegatis.

DVBIVM. SEPTIMVM.

De Impedimentis Matrimonii in genere.

57. Dico primò, impedimenta matrimonii, alia sunt dirimentia, quæ reddunt matrimonium nullum: alia impedientia tantùm, quæ solùm reddunt contractum matrimonialem illicitum, ita ut delinquant mortaliter qui cum tali impedimento contrahunt, sed tamen matrimonium validum perseveret. Esse verò in Ecclesia potestatem constituendi hæc utriusque generis impedimenta, patet ex praxi perenni Ecclesiæ ac Concilio Tridentino: suadetque ratio, quia matrimonium est contractus maximè subjectus variis gravibus incommodis, quibus proinde Ecclesia potest occurrere, imò & debet, sequirendo certas ad dictum contractum conducentes conditiones. Nec per hoc Ecclesia ullatenùs immutat materiam Sacramenti; quia (ut notat Urbanus *tract. 3. tit. 15. cap. 2.*) materia Sacramenti matrimonii non est contractus in specie, sed contractus in genere legitimus, hoc est, necessariis & lege taxatis circumstantiis vestitus: quemadmodum ergo videmus in aliis, v.g. testamentis, donationibus, mutuo, emptione &c. varias pro varietate locorum & temporum à Republica inductas fuisse circumstantias & conditiones, quæ, tantum abest ut destruant primævam illorum naturam & legitimitatem, quin potiùs ut validè celebrentur diversimodè observandæ sunt: ita non debet mirum videri si Ecclesiasticæ Reipublicæ administratores, pro necessitatibus temporum, matrimonii contractum, qui ad Ecclesiam maximè pertinet propter rationem Sacramentalem, vestierint quibusdam conditionibus, sine quibus deinceps invalidè celebretur. Hæc Urbanus; vide etiam Cornejo *to. 2. tr. 6. disp. 7. dub. 1.*

58. Dico secundò, impedimenta impedientia tantùm multa sunt, quorum tamen plura per contrariam consuetudinem censentur abrogata: inter quæ sunt incestus cum consanguineis uxoris, ob quem incestuosus mortuâ uxore non poterat sine culpa mortali ad alias nuptias transire: raptus sponsæ alienæ; occisio propriæ uxoris, aut Sacerdotis; receptio Monialis in uxorem: catechismus, quod impedimentum contrahebat is, qui respondet pro infante quando supplentur ceremoniæ post collatum baptismum in necessitate: ac denique pœnitentia solemnis sive publica. Verùm hæc, ut dixi, abrogata sunt,

ut docent P. Urbanus *lo. cit. cap.* 7. Busenbaum, Coninck, Sotus & alii apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *ref.* 259. quod & probabile dicit esse Cornejo *ubi suprà dub.* 41. cùm contrarium dicat non esse ita certum. Interea adhuc quatuor impedimenta impedientia sunt in vigore, quæ continentur hoc versu:

Tempus sacratum: Vetitum: Sponsalia: votum.

Tempus sacratum, seu, ut alii, *feriatum*, est à primâ Dominicâ Adventus usque ad tempus Epiphaniæ inclusivè, & à die cinerum usq; ad octavam Paschæ, quibus temporibus non est licitum celebrare solemnitates matrimoniales consistentes in benedictione Sacramentali, deductione solemni sponsæ ad domum sponsi, ac solemni convivio. *Vetitum*, seu *Interdictum* est, quô ab Ecclesia vel omnibus, vel aliquibus, vel uni soli pro certo tempore aut in perpetuum inhibetur nubere. Tertiũ impedimentum impediens sunt *sponsalia*, quæ impediunt ne ineatur matrimonium cum alio: quartum deniq; est *votum simplex castitatis, ingrediendi Religionem, suscipiendi sacros Ordines, vel nunquam nubendi.* Vide Bachonem *in* 4. *dist.* 35. *art.* 1. & adde primò, clandestinitatem esse impedimentum impediens respectivè ad loca ubi Tridentinum non est admissum; ibi enim adhuc illicitè, licèt validè, initur matrimonium clandestinè. Adde secundò, peccatum mortale, excommunicationem, &c. etiam continere ratione impedimenti impedientis, cùm reddant matrimonium illicitum. Vide Franc. *disp.* 7. *n.* 13.

59. Dico tertiò, impedimenta dirimentia jam post Tridentinum sunt quindecim his versibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

De his omnibus breviter, quantum necessitas exigit, agemus; qui ea latiùs discussa desiderat, legat Bachonem *dist.* 34. qui, quia ante Tridentinum composuit, solùm enumerat duodecim, omittens scil. amentiam, clandestinitatem & raptum, quæ cæteris per Tridentinum adjuncta sunt.

DUBIUM OCTAVUM.

De Errore, Conditione, Voto, & Ordine.

60. Dico primò, per errorem hîc intelligitur error personæ, dum quis v. g. se putat habere Joannam & habet Catharinam: quo casu defectu consensus in contractum cum Catharina non valet matrimonium sic cum ea initum, ut deciditur cap. *tua nos, de sponsal.* Valet tamen, per se loquendo, si solùm adsit error qualitatis aut fortunæ, ut v. g. nobilitatis, divitiarum, pulchritudinis &c. quia hi errores sunt tantùm accidentales, nec proinde impediunt, quin adhuc absolutè subsistat consensus in substantiam

tiam personæ; nam, ut bene Urbanus *cap.5.tract.3.suprà*, valde differunt causa finalis propter quam absolutè intenditur matrimonium, & causa solùm impulsiva, quæ quidem movet fortiùs, non tamen absolutè: quamvis enim ratio hujus deficiat, semper tamen illa primariò & efficaciter movet, esto non moveret, si crederetur per reflexivam considerationem non subsistere causam impulsivam. Ita ille: quidquid tamen mortaliter peccet inducens contrahentem matrimonium in errorem qualitatis notabilis, quem postea possit deprehendere, obtrudendo verbi gratia filiam corruptam loco virginis, pauperem loco divitis; quia hinc nata sunt sequi magna incommoda. Dixi *per se loquendo*; quia si etiam hi errores redundent in errorem personæ, id est, si consensus errantis directè feratur in personam quatenùs habet talem qualitatem aut conditionem, etiam non valebit matrimonium defectu consensus, qui tunc est quasi conditionatus, ac si contrahens diceret, *duco te filiam comitis, divitem &c. aliàs non ducturus.* Ita DD. communiter, quos sequitur Cornejo *tom.2.tract.6.disp.7.dub.7.* & Franciscus B. Spei *disp.7.num. 36.* Verùm hoc solùm videtur habere locum in foro conscientiæ, quia in foro externo similibus non adhibetur fides; eò quòd consistant in facto, quod non præsumitur, sed probari debet, nec tamen potest, ut advertit Urbanus. Adde, hoc impedimentum erroris habere ex sua natura dirimere matrimonium, & non solùm ex constitutione Ecclesiæ; quia cùm matrimonium contrahatur solo consensu, ubi est dictus error, non potest esse matrimonium, sicut nullus est consensus. Ita Bacho cum aliis omnibus.

61. Dico secundò, nomine conditionis hîc intellige servitutem, eamque strictam, à qua quis dicitur mancipium: quæ conditio ignorata dirimit matrimonium ex cap. *si quis ingenuam*: nisi fortè error sit conditionis paris, ut dum servus putat contrahere cum libera, quæ est ancilla; tunc enim, inquit Bacho, tenet matrimonium, quia utrobique est paritas. Ita etiam docet Cornejo *loc. cit. dub.8.* interea videndum est, an error talis conditionis non redundet in errorem personæ, vel an consensus non fuerit conditionatus sensu dato. Quoad specialia verò quæ tangunt matrimonia servorum, ut an contrahere possint dominis invitis, &c. vide apud Bachonem *distinct. 36.* solùm nota ex Bassæo verbo *matrimonium cap. 7. num. 13.* post alios, quando dominus servum liberæ tradit in maritum, quæ libera nescit illius servitutem, hoc ipso illum liberare à servitute, quare in hoc casu valet matrimonium.

62. Dico tertiò, per Votum prout est impedimentum dirimens, intelligitur solemne: sicut & per Ordinem, Ordo sacer; quorum utrumque dirimere matrimonium post se contractum, fidei est ex Tridentino & aliis Conciliis; quam vim etiam Gregorius XIII. concessit tribus Votis simplicibus, quæ emittunt Patres Societatis post biennium sui Novitia-

tus, ut patet ex Bulla *Ascendente Domino*; quidquid quoad hæc omnia contrarium certum sit si superveniant matrimonio consummato. Imò invalidè profitetur qui post consummatum matrimonium uxore non liberè consentiente vel nolente attentat profiteri, prout Canones declarant: ac quamvis, si quis in tali casu se faciat ordinari, Ordo susceptus teneat, eum tamen sic suscipiens mortaliter delinquit, prout omnes fatentur. Qui verò post contractum matrimonium vel etiam ante, emisit votum simplex castitatis, non potest petere debitum, licèt teneatur conjugi petenti reddere, ne innocens injustè suo jure privetur: & deinde post mortem conjugis non poterit iterum licitè matrimonium inire. Adverte hîc, ut talis conjux teneatur reddere debitum, non esse necesse ut alter expresè illud petat (quod esset pluribus fœminis verecundis onerosum, ut bene notavit Mendo) sed sufficit si in alio conjuge notet appetitum, vel signa desiderii.

Quòd si verò uxor stante matrimonio castitatem voveat, aut nunquam petere debitum, potest maritus ea vota irritare, imò etsi ea vel similia voverit ante matrimonium, ut docent Villalobos, Sanchez & alii, quos sequitur Diana; pro quibus & aliis vide dicta suprà *in fine tract. de Iure & Iustitia*, ubi egimus de Religione & voto: vide etiam Urbanum *cap. 5. suprà circa medium*, & Bachonem *loc. sæpe citat.* qui id, quod statim diximus, restringit ex communi doctrina sui temporis; nempe eum teneri debitum reddere, qui ante matrimonium emisit votum simplex castitatis: dicit autem eum non teneri illud reddere dum primâ vice exigitur, sed mortaliter peccare primâ vice reddendo; quia ante carnalem copulam adhuc potest religionem intrare & sic servare votum suum; quidquid post primam copulam reddere possit & teneatur ob rationem allatam. Dixi id illum sic restringere ex communi doctrina sui temporis, id enim tempore ipsius docuit etiam D. Thomas, Scotus & alii quos adfert Coninck *de Sacram. disp. 34. dub. 5. num. 34.* Verùm modò Diana *part. 11. tract. 5. resol. 40.* asserit, sibi magis placere sententiam oppositam, pro qua citat quinque authores, & alios ab his citatos: vult igitur talem conjugem posse matrimonium consummare non exigendo sed reddendo; quia cùm non voverit Religionem ingredi, non est ad id cogendus, ut per rem difficiliorem satisfaciat Voto minùs arduo. Ita Diana, adducens *Extravag. Ioannis XXII.*

Addo, aliquos docere, posse conjugem, qui inivit matrimonium post votum simplex castitatis emissum, ab initio petere debitum: & plures velle, id licere post primam petitionem debiti, in qua dicunt illum solum peccare. Sed horum omnium rationes destruit Mendo *in Statera Benignarum Opinionum dissertat. 5. quæst. 21.* & nostram firmat hac ratione, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, ad abstinendum ab actu omni venereo, adeoque semper & pro semper: ergo licèt

licèt teneatur reddere debitum ratione vinculi fortioris matrimonii, per quod alter conjux obtinuit jus liberum ad petendum debitum, non potest tamen ipse petere, cum matrimonium ipsum ad hoc non cogat.

DVBIVM NONVM.

De Cognatione & Affinitate.

63. DIco primò., cognatio, impedimentum dirimens matrimonium, triplex est, spiritualis, legalis, & carnalis sive naturalis, aut consanguinitatis. Cognatio spiritualis (quæ nascitur ex susceptione Baptismi, & Confirmationis juxta dicta suis in locis) docente Tridentino contrahitur à baptizato cum baptizante, & suscipientibus; ac à parentibus baptizati cum iisdem, inter quos non potest validè contrahi matrimonium. Idem dic de confirmato, confirmante, tenentibus confirmatum ac confirmati parentibus: non contrahitur tamen inter ipsos suscipientes, cujus rationem dat P. Urbanus *tract. 3. tit. 15. cap. 5.* Adde Dianam *part. 11. tract. 5. resol. 39.* docere, quamvis maritus extra casum necessitatis ex malitia baptizans prolem suam peccet mortaliter, & cognationem spiritualem contrahat, quantum jure contrahere potest, non impeditur tamen à jure petendi debitum; quia jura in contrarium statuta per decretum Nicolai primi qui floruit anno 858. correcta sunt per cap. *si vir. de cognat. spir.* ab Alexand. III. qui vixit anno 1156. Ita ille, citans & alios quatuor. Quo tamen non obstante adhuc contrarium tenendum esse, tradit Mendo *in Statera Benignarum Opinionum differt. 5. quæst. 20. n. 165.* ob communiorem consensum Theologorum & Jurisperitorum, qui, ipso teste, Glossam *in cap. si vir. de cognat. spir. verbo Institutum* cum Diana sentientem deserunt, cùm tamen illam in aliis magnifacere soleant. Cæterùm Gobat *in Alphab. matrim. par. 1. casu 22. n. 622.* dicit, neminem dissentire à Tamburino observante, non esse in petitione dispensationis exprimendum, utrum cognatio spiritualis sit contracta ex Baptismo, an ex Confirmatione, cùm utraque sit ejusdem omninò rationis.

64. Cognatio legalis oritur ex adoptione alicujus in filium, intercedit-que inter adoptatum & adoptantem hujusque filios & filias: uti & inter adoptantem & uxorem adoptati, adoptatum & uxorem adoptantis &c. Vide Sanchez.

65. Cognatio consanguinitatis nihil aliud est quàm propinquitas plurium inter se, vel quia unus ab alio, vel omnes ex eodem, carnali propagatione procedunt; quare carnalis dicitur: quæ matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusivè

clusivè juxta Concilium Lateran. cap. *non debet, de consanguinitate*. Quod si aliqui inter hos gradus scienter matrimonium contraxerint, debent postea in petitione dispensationis hujus scientiæ necessariò facere mentionem juxta dicta suprà *tract. 2. disp. 6. num. 22.* An verò consanguinitas in primo gradu dirimat matrimonium jure naturæ? Affirmant DD. communiter, quos sequitur N. Urbanus, qui id probat ex eo, quòd nec ipsi ethnici unquam licitum fecerint contrahere matrimonium inter fratrem & sororem, sed ut summum inter fratrum & sororum liberos, cum quibus proinde Papa dispensare potest. Ita Urbanus: qui idem parum antè dixerat de ascendentibus & descendentibus per rectam lineam, ita ut, si redivivus foret Adamus, nullam omninò posset uxorem ducere, nisi simul Eva surrexisset: ast oppositum quoad hoc extra primum gradum docet Cornejo *tom. 2. tract. 6. disp. 7. dub. 12.* addens *dub. 13.* in nullo gradu consanguinitatis lineæ transversæ esse irritum matrimonium jure naturæ, citans D. Thomam, Cajetanum & alios. Vide etiam Franciscum Bonæ Spei *disput. 7. num. 64. & 71.* Ut autem dignoscas gradum consanguinitatis duorum in linea recta, id est, dum unus ab alio originem ducit, computa omnes personas usque ad eam, à qua altera procedit, & quot erunt illâ demptâ (quæ est stipes, ut dicitur) tot erunt quoque gradus consanguinitatis: sic v.g. pater cum filio constituunt primum gradum, pater cum nepote secundum, cum pronepote tertium &c. Si verò dictæ personæ sint in linea transversa & distent æqualiter à stipite, oportet utrimque computare personas ab eodem stipite descendentes, ac tunc etiam tot distabunt gradibus, quot erunt personæ computabiles stipite relicto, ita ut frater & soror constituant gradum primum lineæ transversæ, prout unico gradu differunt à stipite; deinde horum filii, sive nepotes, constituunt secundum gradum; pronepotes tertium &c. Ut autem cognoscas distantiam duarum personarum in linea transversa à stipite inæqualiter distantium, debes numerare omnes gradus à persona remotiori, & quot erunt gradus seu personæ, excepto stipite, à quo ambæ procedunt, tot erunt gradus inter illas: sic nepos cum avunculo constituunt gradum secundum; pronepos cum eodem & cum nepote tertium; abnepos cum eodem avunculo, cum nepote & pronepote quartum &c. Dum verò in gradibus consanguinitatis (& idem est de gradibus affinitatis) contracturi inæqualiter à stipite distant, non necessariò in supplicatione est exprimendus gradus propinquior, sed sat est exprimere tantùm remotiorem; modò primum non attingant, id est, modò non sint neptis & avunculus verbi gratia. Vide Ecclesiæ Canones *de Consanguinitate*. Addo tamen, P. Gobat *in Alphab. Matrim. part. 1. casu 7. num. 161.* docere, etiam in dicto casu non esse exprimendum gradum propinquiorem: quod & repetit *casu 22. n. 619. ac seq.* adferens varia, quibus conabatur litteras Urbani VIII. in forma Brevis datas an-

anno 1624. quásque Barbosa & alii adferunt pro exceptione à nobis posita, ita explicare, ut non obsint suæ sententiæ: additque Pium V. solùm attendisse ad forum externum, non verò ad internum, dum sanxit, ut postquam sunt impetratæ litteræ dispensationis non expresso vicinore gradu, supplicetur pro aliis, quibus declaretur, taciturnitatem prædicti gradus nihil obesse valori impetratæ priùs dispensationis. Idem Gobat ibid. testatur, quòd Perez observet, Bullam Pii V. quæ vult expresse, ut quando propinquior stipiti proximo distat in primo, exprimatur hic primus gradus, habere locum in solo foro externo. Vide etiam circa hanc materiam Bachonem *dist.* 38. ubi inter cætera dat rationem, quare aliter in jure civili computentur gradus consanguinitatis, quàm in jure canonico. Vide etiam Franc. B. Spei *disp.* 7. *num.* 53. ubi ponit claram figuram linearum consanguinitatis.

66. Dico secundò, affinitas consanguinitati affinis & impedimentum dirimens matrimonium, est propinquitas orta ex copula carnali habita cum consanguineis alterius: unde non est affinitas inter sponsum & sponsam, nisi vel ille carnaliter cognoverit consanguineam hujus, vel hæc ab aliquo consanguineo illius cognita fuerit, licèt & hæc & ille habuerint copulam cum iis, qui erant frater & soror inter se. Hinc contingit quotidie, quòd duæ personæ se diu vocent fratrem & sororem, ac posteà sinè ulla dispensatione simul possint inire matrimonium, prout accidit dum frater & soror ineunt matrimonium cum uno & una inter se non consanguineis: hi enim ultim stantibus suis matrimoniis se vocant fratrem & sororem; mortuis tamen suis conjugibus possunt sinè dispensatione simul nubere. Hæc attende, & magnam facilitatem in hac materia acquires ad dignoscendum, an duæ personæ sint verè affines.

67. Quoad gradus verò affinitatis, eos numerabis conformiter pœnes propinquitatem consanguinitatis inter eam, quæ carnaliter cognoscitur & ejus consanguineos; in eodem namque gradu, quo hæc est alicui consanguinea, fit ipse cognoscens eidem affinis: sic qui habuit copulam cum Catharina, est ejus parentibus, prolibus, fratribus ac sororibus affinis in primo gradu; quia ipsa est iisdem in primo gradu consanguinea: deinde fit avunculis & cognatis germanis ejusdem affinis in secundo gradu, & ita consequenter.

68. Affinitas orta ex copula licita dirimit matrimonium sicut consanguinitas, videl. usque ad quartum gradum inclusivè: si verò copula sit illicita, sive inter non conjunctos matrimonio inter se, solùm illud dirimit usque ad gradum secundum. Ita determinavit Tridentinum. Hinc pariformiter dic conjugem solùm privari jure petendi debitum ob adulterium cum consanguineis conjugis usque ad secundum gradum inclusivè. Ita DD. communiter teste Diana *par.* 11. *tr.* 5. *ref.* 38. ubi post alia quærit, an qui contraxit affinitatem cum scientia juris & facti, sed cum ignorantia pœnæ non petendi debitum, illam incurrat? ac postquam varia adduxisset pro sententia affirmativa, subdit; ego alibi sententiam con-

trariam tanquam probabilem admisi & nunc iterum admitto, & illam novissimè docet Dicastillus: ratio est, tum quia pœnæ ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione, aliisque censuris, ergò & excusabit ab incurrenda hac pœna; tum quia pœnæ quantitas debet proportionari quantitati delicti juxtà cap. *felicis de pœnit. in 6.* sed minus delictum est & minor contemptus legis quando frangitur lex continens graves pœnas, pœnis ignoratis, quàm iis cognitis. Ità Dicastillus & Diana, qui dicit id à se alibi pertractatum esse: quod & absolutè docet Burghaber *Centur.* 3. *casu* 64. & Gobat *in Alphab. matrim. par.* 2. *casu* 15. *n.* 603. Ubi insuper addit, eandem pœnam, juxtà Abbatem, Sotum, Sa, & Sylvestrum, non incurri tam diu, quàm est ocultus, & incognitus ille incestus conjugi: quorum opinionem vocat probabilem, & in praxi tutam ob tantam authoritatem. Hæc à Confessario diligenter retinenda sunt cùm sint generalia, non solùm pro censuris & irregularitate (pro quibus vide Dianam *par.* 11. *tr.* 4. *ref.* 4. ubi dicit, excusari ab excommunicatione non tantùm eum, qui ignorat tali actui esse eam annexã, sed etiam eum, qui id quidem scit absolutè, sed inculpabiliter oblitus est dum actum illum committebat;) sed pro omni pœna imposita ob delictum, nisi legislator expresserit mentem suam esse, ut etiam ignorantes statutam pœnam luant. Vide etiam Tambur. *in Decal. p.* 1. *l.* 1. *c.* 2. §. 10. *num.* 22.

Sed nunquid idem dicendum est de ignorante affinitatem ex copula illicita contractam esse impedimentum dirimens matrimoniũ, ita ut ille, qui cum tali ignorãtia cognovisset Claram v.g. postea adhuc posset inire matrimoniũ cum ejus sorore? Affirmant aliqui ob paritatem rationis apud Burghaber *Cent.* 2. *casu* 54. Ipse tamen hoc ibidem negat cum communi, & meritò, quia impedimenta dirimentia matrimoniũ non sunt tantùm imposita ut pœnæ, sed præcipuè ut inhabilitates; quatenùs ab iis, qui per copulam carnalem una caro facti essent, talis reverentia & pietas erga sanguinem haberetur, ut neuter illorum sinè dispensatione posset inire matrimonium cum consanguineis alterius. Ita Burghaber.

69. Adde, ad contrahendam affinitatem debere copulam esse completam sensu dato supra, ubi egimus de consummatione matrimonii: undè posset quis se gerere pro non affini consanguineis ejus, cum qua quidem habuisset rem, sed sinè commixtione seminũ; quia, ut benè P. Urbanus, impedimenta sunt stricti juris, ideòque strictè interpretanda: quod ipsum etiam docet Bacho citans cap. *Fraternitati*: pro quo & aliis eum consule *dist.* 39. Vide etiam Dianam *par.* 11. *tr.* 5. *ref.* 26. Cornejo *to.* 2. *tr.* 6. *disp.* 7. *dub.* 32. & Franc. B. Spei *disp.* 7. *n.* 58. & 59. ubi monet copulam ad effectum prædictum, debere esse perfectam, per seminis scil. effusionem: & naturalem, ut excludat sodomiticam, quæ quia est contra naturam, non facit unum generationis principium, aut unam carnem. Adverte, quòd affinitas non pariat affinitatem, sive quòd consanguinei viri non fiant affines consanguineis uxoris, prout jure antiquo constitutum erat, sed soli uxori:

quare

quare modò licitè & validè nubunt duo fratres duobus sororibus; sicut & pater ac filius cum matre ac filia: ut omnes docent post Tridentinum. Insuper docet P. Francis. Summum Pontificem posse dispensare, ut quis contrahat cum sorore uxoris suæ demortuæ: quia Alexander VI. Emanueli Regi Lusitaniæ. Julius II. Henrico VIII. Regi Angliæ. Et Urbanus VIII. anno 1640. excellentissimo D. Principi de Liniaco Belgæ potestatem fecit contrahendi cum uxore fratris sui demortui. Vide dictum Franciscum *loc. cit. num.* 7.

70. Petes an contrahi possit matrimonium dum dubitatur de consanguinitate volentium contrahere? Ad hanc quæstionem dilucidandam ponit hunc casum Bordonus: Petrus per plures annos illicitè cognovit Bertam conjugatam, quo tempore Berta genuit filiam; eodem ferè tempore idem Petrus ex alio concubitu sæpiùs repetito cum alia conjugata, dubitat filium ex ea natum esse suum, quæritur an hic filius ducere possit prædictam filiam Bertæ?

71. Respondet Bordonus, si Petrus dubitet de utroque an sit suus & in locò de hoc sit rumor eò quòd notorium sit, Petrum cum eorum matribus maritatis ex consuetudine illicitè conversari, cupientes hoc matrimonium contrahere, removendi sunt ab hoc desiderio, ídque ob diversa capita quæ ipse citat *in tract. variarum decis. miscell. decis.* 93. in quibus significatur, famam, scandalum, seu rumorem impedimenti obstare futuro matrimonio: neque, inquit, cum dubia conscientia peccandi operandum est. Ita ille. Verùm Sanchez *in select. disp.* 43. *num.* 44. docet, factâ sufficienti diligentiâ posse iniri matrimonium sinè dispensatione in casu impedimenti modò dicto dubii; quia, inquit hîc, possessio stat pro libertate ad contrahendum, nullúsque suâ possessione sinè certo jure spoliandus est. Sanchem in hoc sequitur Burghaber *Cent.* 3. *casu* 100. cujus sententiam confirmat *ex cap. laudabili.* & *cap. fin. de frigidis.* ubi statuitur, dubium de potentia naturali non teneri ad tutiorem partem, seu abstinentiam à matrimonio; quia scil. habet jus ad contrahendum, & in dubio stat pro ipso possessio. Ergo &c. à pari. Ita etiam sustinet Gobat *in Alphab. matrim. par.* 1. *casu* 1. *n.* 62. qui benè addit, de hoc dubio monendam esse compartem, ne contra suam voluntatem exponatur periculo gravium damnorum. Ac intereà Bossius *de Matrim. cap.* 7. §. 21. dicit, convenire omnes, docendo ad impediendum matrimonium futurum sufficere rumorem & famam in loco. De eo igitur ego aliis relinquo judicium. Vide interim Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 71. *num.* 13. & *lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 18. & adde, juxtà omnes communiter, ob tale dubium superveniens matrimonio bonâ fide contracto neminem teneri à matrimonio aut ejus actu desistere; quia saltèm tunc locum habet axioma receptum; *melior est conditio possidentis.*

* * *

DUBIUM DECIMUM.

De impedimento Criminis.

72. Dico, crimen matrimonium dirimens, triplex solet assignari. Primum, dum maritus cum alia conspirat in mortem uxoris, si mors ex conspiratione sequatur, non possunt hi validè inter se matrimonium contrahere. Ita statuitur cap. *laudabilem*. Secundum est, dum maritus occidit uxorem ut contrahat cum alia, cum qua antea commisit adulterium; quod crimen eum inhabilitat, ut cum ea matrimonium contrahat, quamvis adultera ignoret illius crimen, modò ipsi notum sit alterius adulterium, sive eum, cum quo habebat copulam, esse uxoratum. Statuitur cap. *significasti*, & cap. *super hoc*. Dixi, *ut contrahat, &c.* quia si occisio non fiat eo animo, sed vel ex odio, vel ut liberiùs cum alia veneri inserviat, non contrahitur illud impedimentum. Sicut & sustinent de primo (etiam dum præcessit adulterium) multi citati à Sanchez apud Gobat *in Alphab. matrim. par.* 1. *casu* 9. *num.* 182. quos & ipse sequitur, addens insuper Dicastillum: quidquid tamen meritò cum Navarro asserat, ad hoc impedimentum inducendum sufficere, *si saltèm secundaria intentio fuit contrahendi*: & benè addit: *num.* 186. cum Lessio; difficilè creditu esse, non habuisse eos intentionem contrahendi: aliàs enim sumpsissent mitiorem ultionem. Sed quid si uterque aut unus ignoret tale crimen inducere impedimentum dirimens? Respondi *num.* 68. dubii præcedentis, ignorantiam illam nihil referre: quod & respondet Gobat *in Alphab. matrim. par.* 1. *casu* 10. *num.* 201. agens de impedimento criminis in particulari: quidquid *num. seq.* postquam in Diana legisset oppositum sustineri à Fernandez, Paludano, ac Majore, dicat, *quia tamen neque Diana ipse, neque Baucius apud eundem, ullam notam inurunt opinioni Paludani, posset saltèm post matrimonium bonâ fide initum cum tali impedimento, atque ignorantia legis dirimentis, dari locus ei sententiæ, ob rationem petitam à conditione legis pœnalis, de qua paulò superiùs.*

Tertium impedimentum criminis est, quando adulter promittit adulteræ matrimonium post mortem suæ uxoris, si hæc promissio ab illa acceptetur: vel si per verba de præsenti, uxore adhuc vivente, adulterantes inter se matrimonium contrahant, cap. *significasti*. Debet autem & in hoc casu notum esse adulterium utrique, aliàs matrimonium valebit postea contractum: imò docet Bacho *dist.* 34. mortuâ uxore legitimâ cōpelli debere adulterū, ut adhæreat secundæ, quam decipit sic, si ipsa velit: quidquid tamen in conscientia ad hoc non teneatur juxta dicta *dub.* 1. §. 1. ubi diximus, matrimonium contractum cum impedimento dirimente non transire in sponsalia. Ultimum hoc impedimentum aliqui

aliqui dividunt in duo, constituentes proinde quatuor: item aliqui duo priora confundunt admittentes solùm duo impedimenta criminis, uxoricidium videl. & adulterium; sed cùm hi postmodum debeant subdivisiones ponere, commodiùs ab initio respondetur cum Cornejo *tom.2. tract. 6. disp.7. in praeambulo ad dub.20.* impedimentum criminis esse quadruplex, vel, ut dixi cum aliis communiter, esse triplex. Cæterùm ad hoc impedimentum inducendum requiritur adulterium completum, quod idem dic de uxoricidio: unde licèt vir dedisset uxori venenum, ita tamen ut hæc postea moreretur morte naturali, nullum esset impedimentum.

73. Dixi in tertio impedimento, *si hæc promissio ab ea acceptetur*; quia (ut patet ex cap. *relatum* 4. & *tit. de eo qui duxit matrimonium*, ubi apponuntur hæ clausulæ, *dare juramentum: fidem præstare: &c.*) requiritur mutuus consensus; non enim præstamus fidem aut juramentum damus nisi exigenti, vel ut minùs acceptanti. Vide Bordonum *decis.* 44. ubi in hoc pro se adfert & & alios octo, præter quos Diana *par.* 3. *tract.*4. *resol.* 198. alios multos citat. Non requiritur autem ut alter vicissim faciat repromissionem, ut contra varios (inter quos est Burghaber *Centur.2. casu* 4.) bene probat Sanchez *lib. 7. disp.79. num.19. & seq.* qui & *num.29.* contra plures probat, dictam promissionem non necessariò debere esse juratam. Sed, sufficitne ad hoc ficta promissio adulteri? Respondeo probabiliter negativè; quia, ut diximus ex P. Urbano, impedimenta sunt stricti juris, adeoque & strictè interpretanda; strictè verò loquendo promissio ficta non est promissio. Ita Diana, Sa, Henriquez & Layman; qui ultimus requirit insuper, ut promissio sit pura; vel saltem ante mortem uxoris purificata; quia aliàs non est facta promissio simpliciter, cùm adhuc hæreat suspensa. Ita etiam docet Coninck *de Sacramentis disp.31. dub.5. num. 56.* Hæc extende etiam ad contractum matrimonialem de præsenti cum adultera, si nimirum sit fictus, &c. quæ sunt bene observanda. Cæterùm sufficit, sive fidei datio, sive matrimonium de facto initum præcedat, sive sequatur adulterium, uti patet ex *cap. fin. de eo qui duxit:* & ratio est, quòd tam in uno, quàm in alio casu detur occasio procurandi mortem conjugis præsentis: quæ, juxta omnes teste Sanchez, est ratio hujus impedimenti.

Petes primò, an hîc pariformiter loquendum sit de viricidio & uxoricidio?

74. Negant Victoria, Ledesma, Cannedo, quorum sententiam probabilem reputat Henriquez, quos omnes vide apud Sanchez *lib.7. disp.87. num.8.* Eorum ratio est, quia textus hoc impedimentum decernentes solùm loquuntur de interfectione uxoris: jam verò plures docent, similem decisionem de uxoricidio non posse extendi ad viricidium, quia hoc non est tam frequens quàm uxoricidium, propter quod Sanchez *disp.16. num.6.* cum pluribus docet, viricidium simpliciter non esse impedimentum impediens, ne uxor cum ullo alio postea contra-

hat, licèt tale sit uxoricidium: verùm hîc ipse sustinet contrarium de impedimento dirimente, & meritò; quia de hoc textus etiam exprimunt viricidium, ut colligitur ex cap. *si quis vivente* 31.*quæst*.1. *& cap*.1. *de conversione fidelium*. Vide etiam Cornejo *tom*. 2. *tract*.6.*disp*.7.*dub*.20.

75. Petes secundò, an promissio de contrahendo matrimonio cum adultera, mortuo ejus marito, vel contractum matrimonium cum illa conjuge adhuc vivente, sit impedimentum dirimens in casu, quo hæc ignorat inde provenire simile impedimentum? Affirmant DD. communiter, negante Baucio, cujus verba ad longum refert Diana *par*.10.*tract*.13.*resol*.51. ubi dictus Baucius dicit, idem esse de interfectione conjugis suprà, citans pro se Palludanum *in* 4.*dist*.34. *quæst*. 1.*num*. 17. qui ex ipsis canonibus conatur demonstrare, requiri scientiam dicti impedimenti ad hoc ut incurratur: idem etiam docent Fernandez & Major: eorum autem ratio esse potest; quia dictum impedimentum ab Ecclesia impositum est in pœnam delicti; atqui pœnæ, juxta Sanchez & alios suprà, non incurruntur ab iis, qui eas invincibiliter ignorant, ergo, &c. Major patet; quia impedimentum hoc vocatur criminis, crimini autem pœna statuitur. Interea tu sequere sententiam communem ob praxim, quæ hucusque fuit in contrarium; & ob aliam rationem hujus impedimenti, quam nos dedimus *num*.73.

Sed quid si dicta promissio solvatur per utriusque mutuam remissionem; vel uterque pœnitentiâ ductus à dicto matrimonio contracto resiliat? Si hoc fiat ante secutam copulam, quæ postea, priori contractu non iterato, casu subsequitur, non est impedimentum dirimens: quia cum prior ille contractus omninò per hoc extinguatur, non concurrunt simul adulterium & fides seu contractus de præsenti, quod est necessarium ad hoc impedimentum. Secus dic si promissio solvatur post habitam copulam, vel post illam resiliatur à matrimonio illo de facto inito: quia cùm tunc verè incurrerint impedimentum illud, nullatenus possunt se eximere propriâ authoritate. Ita Sanchez *lib*. 6.*disp*.79.*num*.7.

Adverte illos graviter peccare qui promittunt matrimonium post mortem conjugis contrahendum, uti deciditur *cap. fin. de eo qui duxit,* ubi additur similibus pœnitentiam injungendam esse. Ratio est, quia per hoc præbetur ansa procurandæ mortis conjugis.

* * *

DU-

DVBIVM VNDECIMVM.

De disparitate cultus, vi & ligamine.

76. Dico primò, disparitas cultus hîc est ea, quæ intercedit inter fidelem seu baptizatum & infidelem, inter quos non potest validè iniri matrimonium. Ita omnes cum Bachone *dist.*34. *sæpè cit.* quamvis valdè difficile sit hoc impedimentum ex aliquo juris cap. demonstrare; pro eo interim Urbanus citat duo loca Scripturæ, in quibus Apostolus ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: &, *Quæ pars fideli cum infideli?* ac ratio est, quia fidelis non potest matrimonium contrahere nisi prout est Sacramentum; infidelis verò defectu Baptismi est incapax cujusque alterius Sacramenti. Vide circa hæc Franc. B. Spei *disp.*7. *num.*91. ubi de jure reprehendit P. Herinckx, quòd doceat, tale matrimonium non posse dici irritum Jure divino positivo, imò in initio Ecclesiæ ob paucitatem fidelium necessarium fuisse contrahere cum infidelibus: ex quo Franciscus infert, ergo *erat tunc necessarium se exponere perversionis, discordiarum & malæ prolium educationis periculo, ad generandum proles, aut perversas, aut continuò perversionis, &c. periculo expositas: quod certè paucissimi approbabunt.* Ita Franciscus. An autem matrimonium infidelium fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat eo ipso quòd ambo baptizantur? habes apud Dianam *par.* 10. *suprà resol.* 253. Cæterùm valet matrimonium contractum inter Catholicum & hæreticam vel è contra; quamvis tamen sit illicitum, nisi qui hæreticam fidem profitetur, spondeat venire ad Orthodoxam fidem. Ita Concilium Chalcedonense: vel nisi matrimonium sic ineatur ad servandam amicitiam inter magnas familias, pacem obtinendam inter regna, & quando nullum est periculum subversionis: pro quo vide Lothum *tract.* 13. *quæst.*3. *art.*3. ubi post varia subjungit; in Germania, Hollandia, Anglia, ubi hæretici cum Catholocis promiscuè vivunt, vix posse talia matrimonia vitari; quare Azorius, Sanchez & alii dicunt, hujusmodi conjugia in illis & similibus locis, ob receptam consuetudinem & toleratam, licita esse: ad quod tamen juxta eundem Lothum, ut nimirum fiat tutâ conscientia, hæc requiruntur: primum, ut non oriatur scandalum: secundum, ut provideatur partis securitati & prolis educationi. Pacta autem illa quæ ab aliquibus fiunt, ut nimirum pars prolium in fide Catholica & pars in hæresi educetur, impia sunt, utpote contra legem Ecclesiasticam, quæ, ut colligitur ex cap. *Judæi* 28. *quæst.*1. præcipit, ut proles sequatur conditionem partis fidelis. Tertium est, ut sit rationabilis causa exigens in illis locis talia matrimonia. Quartum denique ut, si matrimonium ineatur extra loca in quibus Catholici vivunt permixti hæreticis,

reticis, petatur Papæ dispensatio. Ita dictus Lothus: quidquid Gobat *in praxi clement. Iudic. Decade 7. num.* 346. videatur velle (quô fundamento, non scio, nisi quòd dicat *loc. statim citando num.* 225. esse consuetudinem in Germania, ut vulgares homines contrahant cum hæreticis, vel cum nulla, vel cum sola Episcopali dispensatione) Episcopum posse hanc licentiam dare; cum dicat, *nec in loco, quo non viget publicè usus utriusque Religionis, permittet, nisi ex gravissima causa Episcopus jungi Catholicum Acatholicæ.* Interim *in Alphab. matrim. par. 1. casu* 11. *num.* 220. absolutè asserit, esse rarum casum, quo sint à parte rei, & in individuo licita hæc connubia, etiam in urbibus, aut pagis mixtæ Religionis, de quibus agit *num.* 218. Hinc ordinariè irrita sunt sponsalia Catholicæ cum hæretico, quia promissio de re turpi non potest non esse turpis.

77. Dico secundò, vis seu coactio etiam dirimit matrimonium, & quidem jure naturæ; quia, juxta dicta in anterioribus, coactio tollit libertatem requisitam ad contractum matrimonialem. Vide dicta *dub.* 2. & Bachonem *loc. cit.* ubi inter cætera dicit, matrimonium subsistere si vim passus postea expresse consenserit in copulam conjugalem. Vide etiam Cornejo *tom. 2. tract. 6. disp. 7. dub.* 25. apud quem plures ad hoc impedimentum exigunt coactionem ortam ex metu cadente in constantem virum injustè incusso: aliis volentibus, sufficere coactionem ex metu levi provenientem: contra quos ultimos Franc. B. Spei *disp. 7. num.* 84. docet; metum reverentialem præcisè, quo v.g. filius timet Patris offensam, vultum austerum, & indignationem præcisè, non sufficere ad violentiam irritantem matrimonium; quia voluntati constantis viri vim majorem inferre non censentur, quàm amor Dei filialis inferat justo, ut bene operetur. Requirit igitur ipse ad hoc efficaces minas, verbera, privationem bonorum, iram diuturniorem, importunas sive instantissimas preces, &c. quibus quis adigitur ad aliquid agendum, quod alioqui nullo modo egisset, & ut agat, sibi vim gravem infert. Vide eum *num.* 80. & à nobis dicta *tract. 1. disp. 1. num.* 16. ubi metum gravem divisimus in gravem absolutè & gravem respectivè: qui ultimus respectivè æque dirimit matrimonium, quàm primus dirimat absolutè: ut post Lessium observat Gobat *in Alphab. matrim. par. 1. casu* 12. *num.* 248. *&* 250. Debet tamen uterque esse injustè incussus, ut monuimus hîc & *dub. 2. num.* 29. Debet etiam esse incussus (ex omnium sententia, *teste Sanchez lib. 4. disp.* 12.) in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem. Unde si quis alteri minitanti mortem in vindictam injuriæ nihil cogitanti de matrimonio, dicat; *ducam tuam filiam, dotaboque si mihi mortem non inferas*, nihil impediet.

78. Dico tertiò, per ligamen hîc intelligitur matrimonium sive ratum sive consummatum, quo stante dirimitur quodcumque subsequens matrimonium: unde licèt quis bonâ fide contraxisset cum alia, teneretur ab hac abstinere postquam sciret priorem adhuc vivere: si tamen de hoc solùm du-

bitaret

bitaret nec certò posset scire, adhuc licitè debitum redderet, non verò peteret juxta DD. communiùs, quos sequuntur Bacho & Urbanus sæpè citati; licèt plures velint etiam tunc licitè debitum peti. Quòd si autem quis putans primam suam uxorem adhuc vivere, contraheret cum secunda animo hanc decipiendi, invalidè omninò contraheret, quamvis verè prima mortua esset; quia ejus consensus non est maritalis sed fornicarius: si tamen postea certus de morte ipsius, vellet verè contrahere non aperiendo nullitatem, sufficeret cognoscere secundam consensu maritali, pro quo vide dicta suprà.

Petes quæ certitudo mortis mariti requiritur, ut uxor possit alium ducere?

79. Respondeo cum Bachone *dist.* 34. eam teneri exspectare donec habeat moralem certitudinem, nec sufficere quamcumque longam absentiam præcisè. Ita decernunt Canones corrigentes jus civile, quod statuebat, fœminam posse cum alio contrahere postquam maritum, de cujus vita dubitat, quatuor vel quinque annis exspectavit. Debet igitur, juxta Bachonem, certificari de morte viri per juramentum eorum sub quibus militavit v.g. vel sociorum ejus qui noverunt mortem; vel, si publica fama adjuvet, sufficit juramentũ unius secundùm Hugonem. Insuper licet publica fama desit, quando agitur de loco distanti, ex quo difficile est habere probationes, sufficit simile testimonium unius testis jurantis se vidisse mortuum, si pensatâ qualitate personæ sit fide dignus. Ita plures apud P. Scilder *tract.* 2. *num.* 125. ex *l. non omnes* §. *A Barbaris ff. de re militar.* ubi dicitur, *Sed, licet hoc liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est.* Item sufficit sola constans fama sine teste, si ex aliis præsumptionibus verisimile est ipsum mortuum esse, ut si valde diu abfuerit, vel si senex aut ægrotus decessit, vel si recepit litteras eorum, cum quibus militavit. Ita Bacho ex Hugone & Guilielmo: quamquam fortè hoc ultimum non admitteret P. Urbanus, qui docet, certitudinem habendam esse absolutè de morte prioris conjugis, prout etiam apud Dianam *par.* 10. *tract.* 15. *resol.* 214. Villalobos, Barbosa cum aliis innumeris docent, non sufficere præsumptionem verisimilem & probabilem, sed requirunt certum nuntium & famam. Vide etiam Bassæum verbo *Matrimonium cap.* 7. *num.* 61. & 62. & adde indubiè sufficere librum Parochi, in quo nomina mortuorum describuntur: prout Seraphinus demonstrat ex Rota Romana *decis.* 1556.

Petes fortè iterum, quid intelligatur per certitudinem moralem? Intelligitur illa, quâ vir prudens attentis circumstantiis redditur certus: seu quando prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile. Dixi hanc certitudinem requiri, ut aliquis licitè transeat ad secundas nuptias. Sed si quis cum verosimili præsumptione tantùm jam ad eas transivisset bonâ fide non esset separandus: imò nec Judicem Ecclesiasticum posse similem separare, asserit Gobat *in Alphab. matrim. par.* 1. *casu* 14.

*num.*305. addens hanc rationem præter alias (docet enim contra nos *num.* 292. illam præsumptionem sufficere, ut quis licitè ad secundas nuptias transeat) quia valori matrimonii bonâ fide initi adeo favent jura Canonica, & Doctores, ut unius Doctoris opinio asserentis valorem, præferenda sit opinioni decem aliorum negantium valorem.

DUBIUM DUODECIMUM.

De publica honestate, amentia, clandestinitate & impotentia.

80. DIco primò, impedimentum publicæ honestatis contrahitur per sponsalia & dirimit matrimonium sponsi cum consanguineis sponsæ in primo gradu, & è contra. Ita omnes ex Tridentino *sess.*24. *cap.*3. *de matrim.* Contrahitur item hoc impedimentum per matrimonium ratum inter maritum & consanguineos uxoris & è contra usque ad quartum gradum inclusivè, prout dictum est de matrimonio consummato ratione affinitatis. Ita declaravit Pius V. in motu proprio *ad Romanum spectat:* qualiter etiam post declaratum esse à sacra Congregatione Cardinalium testatur Cornejo *tom.*2. *tract.*6. *disp.*7. *dub.*30.

Adde tamen nullum oriri impedimentum ex sponsalibus invalidis; vel conditionalibus ante conditionis purificationem : quia priora non sunt sponsalia ; & in posterioribus, cùm conditio suspendat consensum usque ad dictam purificationem, etiam eousque sponsalia sunt nulla defectu consensus. Ita Basseus, Cornejo & Urbanus. An verò hoc impedimentum perseveret quando sponsalia communi consensu dissolvuntur? Affirmat idem Bassæus *num.* 65. & 67. pro se citans Sanchez, sed Diana *resol.* 222. *par.*10. *suprà*, dicit Sanchez hìc non esse audiendum ; quia Congregatio Cardinalium declarat contrarium. Ad id verò quod ait Sanchez; in casu quo alter sponsorum moritur, adhuc perseverat impedimentum honestatis; ergo & in casu nostro; negat consequentiam; quia in morte, qui contraxit sponsalia, censetur in ea voluntate decessisse, vel saltem debuisse decedere quamdiu alter non dissentit, quod in nostro casu non contingit. Quia tamen Franciscus B. Spei *disp.* 1 *num.*73. dicit, per bonam consequentiam unum ex altero sequi debere, pro praxi standum judico pro sententia Bassæi & Sanchez, nisi certò constet de illa Congregatione Cardinalium. Vide eum etiam *disp.*7.*num.* 77. & *seq.* ubi adfert *in fine num.* 79. declarationem S. Congreg. factam 6. Julii 1658 quòd impedimentum illud per sponsalium mutuo consensu, &c. dissolutionem non solvatur ; quam declarationem

tionem probavit Alexander VII. eamque jussit in dubium deinceps non revocari. Ita Franciscus, & Fagnanus apud Gobat *in Alphab. matrim. par.1. casu 15. num.358.* ubi hic Author fatetur se erralle, dum antea docuit contrarium, eò quòd declaratio S. Congreg. approbata à sua Sanctitate contineat doctrinam sequendam absque omni tergiversatione. Unde miror Dianam *loc. suprà cit.* pro se adferre aliam declarationem S. Congregationis in contrarium, quam dictus Gobat *num.* 377. putat confictam ab uno aliquo, qui Dianam, & alios in errorem induxerit.

81. Quid est faciendum ei qui post sponsalia inita cum Berta contrahit matrimonium cum ejus sorore? Respondeo cum distinctione: si cognoverit sororem Bertæ ante vel post contractum cùm ea matrimonium, debet utramque relinquere; sororem Bertæ, quia matrimonium est invalidum ob impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus initis cum Berta; & etiam Bertam, ob impedimentum affinitatis in primo gradu quam contraxit ex copula habita cum ejus sorore. Si verò non cognoverit sororem Bertæ, tenetur contrahere cum Berta; quia matrimonium initum cum ejus sorore, utpote invalidum, non inducit impedimentum, adeòque sponsalia cum Berta inita adhuc eum obligant.

82. Dico secundò, amentia matrimonium dirimit, si, dum quis contraxit, ita sibi præsens non fuerit, ut potuerit præstare verum consensum, aliàs non. Loco amentiæ in versibus supra positis Busenbaum ponit *ætas*, quæ etiam dirimit matrimonium, si contrahentes non habeant ætatem à jure Ecclesiastico requisitam, id est si masculus non habeat 14. vel fœmina 12. annos, nisi fortè malitia ætatem suppleat, sive nisi adsit & doli capacitas & potentia ad copulam; de quibus judicium relinquitur penes prudentes.

83. Dico tertiò, etiam clandestinitas dirimit matrimonium ubi Tridentinum est receptum. Pro quo vide dicta *dub.3.* à medio usque ad finem.

84. Dico quartò, impotentia perpetua dirimit matrimonium contrahendum, non tamen antea contractum. Unde si impotentia superveniat matrimonio contracto non interdicitur conjugibus, quo minus exerceant omnes illos actus, quos licitè exercebant ante impotentiam, modò abstineant ab iis, quibus inest verum periculum pollutionis. Quamquam juxta Gobat *in Alphab. cit. par.1. casu 17. num.422.* post Sanchez, & Layman, si impotentia sit talis, ut tamen vir possit aliquando, etsi perraró seminare intra vas, non peccet tentando, vel exercendo actum conjugalem, etiam cum prævisо periculo pollutionis; quia, inquiunt, hoc periculum est per accidens. Consistit impotentia in ineptitudine ad generationem: non quidem ob sterilitatem, sed ob carentiam vel nimiam improportionem instrumentorum generationi subservientium, à quacumque causa proveniat. Quare Pius V. anno 1587. declaravit, matrimonia spadonum aut

eunuchorum sive castratorum esse irrita. Ratio est; quia, qui ita est impotens, non potest debitum reddere, quod est contra finem matrimonii. Hinc qui cum scientia dictæ impotentiæ contrahit, mortaliter peccat cap. *consulationi, de frigidis*, ac si statim à contracto matrimonio impotentia noscatur, contrahentes separari debent, nisi dubitetur de perpetuitate; quo casu habent triennium ad probandam perpetuitatem; quo finito, si necdum potuerint matrimonium consummare modo assignato supra, separandi sunt, utroque vel altero petente, cap. *laudabilem, de frigidis*: possunt tamen adhuc simul habitare si velint; *vir eam etsi non uxorem, habeat sororem*, ibidem: debent autem sicut alii soluti ab omni actu turpi abstinenere. Interea puto certum tempus probæ debuisse in dubio ex natura rei conjugibus concedi pro recta propagatione generis humani: quia alias in plurimis de facto conjunctis foret perplexitas an actum matrimonialem exercere possent, cum plerumque dubium occurrere possit, an saltem in uno non desit potentia, aut in utroque respectu invicem: adeoque volentes conjungi allicerentur ad fornicandu[illegible] ut certificarentur de capacitat[illegible] ierandi, ne postea conjuncti exp[illegible] ntur simili perplexitati. De cæt[illegible] dubitans, an sit potens, nec ne, graviter delinquit contrahendo, nisi compartem moneat, quia illam decipit in re valde gravi.

85. Adde, si mulier post intentatam copulam ab initio deprehenderit impotentiam esse perpetuam, neque intra bimestre contra matrimonium reclamarit, & interea vir dicat, se matrimonium consummasse, pro viro præsumendum esse, nisi mulier certis signis viri impotentiam perpetuam ostendat. Si verò intra bimestre reclamet, audiri debet, etiam viro impotentiam negante: & si per rectum judicium impotentia probetur perpetua, solvit matrimonium, juxta cap. 1. *de frigidis*. Intereà tamen, si postea naturaliter & sine remediis valde periculosis, aut illicitis cesset, quamvis à Judice Ecclesiastico fuerit judicata perpetua, sive ante sive post triennium, primum matrimonium declarari debet fuisse validum, cum impotentia fuerit solùm temporalis. Ita P. Franciscus *disp.* 7. *num.* 126. ex quibus infero hac in parte non leviter esse procedendum. Vide etiam pro hac materia Bachonem *dist.* 34. *in fine*, & Urbanum *tract.* 3. *tit.* 15. *cap.* 5. sed maximè Sanchez *lib.* 7. *disp.* 92. ubi *num.* 10. contra quosdam docet, senes, etiam decrepitos, posse matrimonium contrahere, prout praxis Ecclesiæ habet; nisi fortè ita esset quis exhaustus, ut omninò sit impotens ad copulam, nec judicio Medicorum arte juvari possit: talis namque esset incapax reddere debitum. Si verò talis senex esset potens ad copulam, posset matrimonium inire, licèt esset impotens ad seminationem. Hæc omnia confirmat Sanchez dicens, ea esse pro certis habenda: quidquid aliqui in casu ultimo velint adesse impedimentum dirimens; & aliqui alii in contrarium sustineant, etiam in priori casu illud abesse, eò quòd talis senex quantumcumque exhau-

exhaustus, habitu retineat intrinsecam potentiam, non tantùm ad copulam habendam, sed & ad seminandum intra vas, quæ potentia solùm per accidens impeditur. Vide etiam Cornejo *tom. 2. tract. 6. disp. 7. dub. 34. & seq.* Item Franciscum *disp. 7. num.* 105. ubi inter varia dicit; fortè nullam esse culpam voluntariè matrimonium contrahere cum impotentia temporali, si ad modicum duret: quia matrimonium, utpotè vim præcepti affirmativi habens, non obligat pro semper ad reddendum debitum, sed salvâ personæ incolumitate, & commodis, sive debitis temporibus dumtaxat.

86. Sed, quid hîc dicendum est de hermaphroditis, qui utrumque habent sexum? Eos posse matrimonio jungi, si utrumque, vel alterutrum habeant potentem, decisum est lêge *quæritur ff. de statu hominum:* quidquid P. Franciscus *num.* 130. *& seq.* probet, sistendo præcisè in ratione, eos omninò impotentes censeri.

DVBIVM XIII.

De impedimento raptus, & quinam possint in dictis impedimentis dispensare.

87. DIco primò, raptus mulieris irritat matrimonium raptoris cum rapta, nisi hæc constituatur in loco libero ibique consentiat. Ubi adverte, raptorem sive raptam ducat sive non, esse ipso jure excommunicatum & cogendum, ut raptam dotet juxtà illius conditionem, ex Tridentino *sess. 24. de Matrim. cap. 6.* requiritur tamen ad hæc omnia, ut eam rapuerit animo cum illa contrahendi matrimonium, ut contra Cornejo volentem, sufficere eam esse raptam causâ explendæ libidinis, docent Sanchez & Diana; addentes debere vim inferri mulieri raptæ, nec sufficere si inferatur vis parentibus consentiente raptâ, quia Tridentinum per hoc decretum solùm voluit succurrere libertati sic contrahentis; quod non obscurè colligitur ex tenore verborum ipsius Tridentini, ut advertit dictus Cornejo *tom. 2. suprà dub.* 38. Adde, juxtà communiorem, hæc locum non habere in muliere rapiente virum; nam Concilium meminit solius viri rapientis fœminam; nec fœmina venit nomine viri in odiosis, præsertim in impedimentis dirimentibus, quæ sunt stricti juris. Vide Lothum *tract. 16. quæst. 8. art. 2.* ubi insuper inquirit, an si rapta plenè consentiens in matrimonium nolit poni in alio loco tuto extra potestatem raptoris, possit validè cum raptore contrahere? & meritò respondet negativè; quia hæc conditio, ut rapta reponatur in loco tuto, *etiamsi rapta liberè consentiat*, quæ sunt verba Trid.

sess. 24. de reform. matrim. cap. 6. est essentialiter requisita à Concilio ad valorem matrimonii; conditio autem, sic requisita ad valorem actus, non potest impleri per æquivalens, sed necessariò debet specificè adimpleri. Existimat tamen dictus Lothus contrarium adhuc esse probabile; sed malè, ob citata verba Concilii: quæ quia omittuntur cap. *finali de raptoribus*, omninò judico aliter loquendum esse pro locis, ubi Tridentinum non est admissum, quod & docet P. Franciscus *disp. 7. num.* 133. qui etiam in cæteris omnibus nobiscum sentit.

88. Dico secundò, de jure ordinario in impedimentis dirimentibus solus Papa dispensare potest: ísque solùm in illis, quæ nec jure naturæ nec Divino, sed solo ecclesiastico matrimonium dirimunt. Ratio est, quia ipse est legislator horum, & quoad illa nullam potestatem legitur à Deo accepisse. Ita omnes. Sed, quid fiet si Papa dispenset cum hac clausula, *dummodò copula non intervenerit?* Respondeo, inquit Diana, quòd si commissio à Papa facta est pro foro externo, quando ea copula Ordinario non planè constat, adhuc (quantumvis illicitè negent copulam, quando infamia exstitit aut semiplena probatio) valida erit dispensatio facta ab Ordinario: & quando in petitione exprimitur copula, in commissione verò Papæ additur „ *dummodò copula habita non sit spe facilioris dispensationis*: si Ordinario plenè non constet juridicè sub ea spe fuisse habitam, valebit dispensatio, etiamsi verè fuerit sic habita: è contra dicdum commissio d[illegible] a fuit pro foro merè interno uni disc[illegible] to viro, vel Confessario. Sed quid si spes facilioris dispensationis non fu[illegible] rit exteriùs significata, & tantùm i[illegible] teriùs concepta? Respondet Diana, adhuc tunc Confessarium in foro ext[illegible]rno ex commissione Papæ validè dispe[illegible]sare, licèt Papa addiderit, *dummodò copula habita non fuerit sub spe, &c.* ac pr[illegible] se citat Castrum Palaum, Hurtadu[illegible]a, Perez, Leandrum & Martinum de San Joseph. Vide Dianam *par.* 11. *tr. act.* 5. *resol.* 36. & P. Franciscum *disp.* 8. *num.* 18. qui docet quòd comm[illegible]niter Pontifex non intendat dispe[illegible]sare, nisi positâ legitimâ dispensand[illegible] causâ.

89. Dico tertiò, extraordinaria potestas dispensandi in hac materia, saltèm post contractum bonâ fide matrimonium, etiam conceditur Episcopis, quoties id necesse est ad vitanda gravia scandala, infamiam, vel aliud grave damnum, nec facilis datur aditus ad Papam ob distantiam loci vel paupertatem eorum, qui indigent dispensatione. Debet tamen impedimentum, in quo etiam ut sic dispensat Episcopus, esse secretum, sive non constare publicè: pro quo vide Tridentinum *sess. 24. cap. 5.* Debent item, ùt insinuatum est, conjuges bonâ fide contraxisse, vel saltèm alter eorum, ut DD. communiter docent contra Henriquez & alios apud Dianam supra *tract.* 8. *resol.* 3. Dico *vel saltèm alter eorum*; quia innocentem gravare non debet aliena malitia, ut habet Lothus *tract. 1. quæst. 3. art. 2.*

art. 2. Quòd verò stantibus dictis circumstantiis Episcopi habeant hanc potestatem, est, quia non videtur credibile Summum Pontificem pro tunc velle sibi soli reservare dispensationem: ob quam causam etiam id posse Episcopum ex urgentissima causa antequam sit contractum matrimonium, docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12. & plures alii, quos citat Bassæus & sequitur Cornejo *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 7. *dub.* 43. ac consentit P. Franciscus *disput.* 8. *num.* 11. idque probat Lothus suprà *art.* 3. de Episcopis Belgii; subdens, similem necessitatem videri esse, si quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem, vel pro bono aut compositione magnæ litis, velit matrimonium contrahere, obstet autem impedimentum dirimens nec possit adiri Pontifex aut ejus ligatus. Aliud exemplum est, si fœmina aliqua nobilis sit parata matrimonium de præsenti contrahere cum viro nobili statuto aliquo die, & postea eodem die accedens ad confitendum, inveniatur habere impedimentum dirimens, cujus manifestatio esset ei causa gravis infamiæ, quæ aliâ viâ evadi nequit, si isto die non celebrentur nuptiæ, tunc posse Episcopum in isto casu dispensare ob causam allatam, docent Lothus, & Diana *par.* 11. *tract.* 8. *resol.* 3. qui insuper ait, juxtà sententiam plurium, posse Episcopum, matrimonio contracto cum dispensatione subreptitiè obtenta, dispensationem confirmare, si crimen subreptionis sit omninò occultum, nec facilè possit adiri Papa, vel timeatur grave scandalum aut periculum peccati. Imò P. Brunus apud Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 27. sustinet, Confessarios Regulares posse dispensare cum his, qui in primo gradu affinitatis contraxerunt, ob privilegium à Leone X. concessum Augustinianis: verùm de eo privilegio nimis se dicit dubitare Diana: quare illo uti non possunt regulares, meo quidem judicio.

90. Quoad causas justas, ob quas Papa dispensare potest, communiter à DD. hæ citantur; prima, dum ob loci angustiam, vel nimis amplam alicujus familiam non reperitur ibi matrimonium æquale nisi cum persona affini aut consanguinea: quod adhuc locum habet juxtà Wiggers, Dianam, & alios apud Gobat *in Alphab. Matrim. par.* 1. *casu* 23. *num.* 650. licèt reperiantur duo aut tres paris conditionis. Item id habet locum intuitu mulieris, licèt in circumvicinis locis multi inveniantur paris conditionis: quia molestum est mulieri relinquendo suos, nuptias extra suum oppidum, etiam in loco vicino quærere. Ubi nota, ad hoc ut aliqui dicantur *paris conditionis*, requiri ut se mutuo æquent nobilitate, & divitiis, ac ut non sit magna differentia in ætate, in indole, & in moribus; item ut neutra pars sit alterâ magis gravata prolibus ex prævio conjugio. Secunda causa est compositio, & pax inter consanguineos vel affines, qui cum scandalo diu in lite fuerunt. Tertia est paupertas maximè in fœmina, dum scil. hæc non po-

potest obtinere dotem, ut nubat alteri æquali huic, qui paratus est illam sinè dote ducere: quod locum habet, quamvis habeat parentes, aut cognatos à quibus multa speret in futurum, si nihilominùs modò nolint eam competente dote instruere. Quarta causa dispensationis est conservatio illustris familiæ in eodem sanguine: vel etiam amplissimarum divitiarum in eadem cognatione. Quinta, excellentia meritorum ejus, qui dispensationem petit, vel pro quo petitur. Ita Bassæus verbo *Matrimonium cap. 9. num. 5.* subdens, in casu quo unica causa non est sufficiens, multas simul junctas posse sufficere. Adde faciliorem reddi obtentionem dispensationis si filia excedat vigesimum quintum annum in ætate. Imò Papam posse sinè legitima causa dispensare in impedimentis dirimentibus, quæ sunt juris purè Ecclesiastici, docet P. Franciscus *disp.* 7. *num.* 3. & *disp.* 8. *num.* 16. ipse tamen *n.* 19. addit, ad validam dispensationem, debere justam causam subsistere, dum Pontifex ob illam dispensat. Vide circa hæc & alia, quæ *tract.* 2. *disp.* 5. *n.* 45. *& seq.* à nobis sunt dicta.

91. Quidnam autem à Confessario sit observandum, quando ei à sacra Pœnitentiaria datur facultas dispensandi super impedimento occulto? tradit dictus Bassæus *num. 6.* Solùm adverte ex Cornejo *tom. 2. disp. ult. in præambulo,* non omne impedimentum, quod, si antecederet, dirimeret matrimonium, si subsequatur, impedire petitionem debiti; ut patet in conditione servitutis, & affinitate contracta per copulam violentam: & idem existimo de cognatione legali. Ita ille. Pro horum complemento, fortè hic

Petes, quid faciendum Confessario, dum interrogatur, an matrimonium validè possit contrahi cum voto simplici castitatis, vel cum alio impedimento non dirimente?

92. Respondeo, eum debere conari divertere sermonem: & si non possit, dicat, id facere, esse magnum peccatum mortale, proponendo simul enormitatem illius, item Deum permissurum ut tale matrimonium malè succedat, ut sic quantum in se est, talem à malo proposito avertat, consulendo etiam, ut potiùs antea petat dispensationem, vel quòd aliàs peccabit mortaliter quoties petet debitum: in quo ultimo tamen probabiliter possunt dispensare Regulares, ut dictum est suprà *tract. 4. disp. 12. dub. 4. §. 3. post medium.*

* * *

DU-

DVBIVM XIV.

De Debito conjugali.

93. Dico, debitum conjugale est ipse actus matrimonialis conjugi debitus: qui non solùm est licitus prout docet fides, sed & meritorius vitæ æternæ si fiat cum debitis circumstantiis. Ita S. Augustinus 4. *contra Iulianum* 3. D. Thomas & alii communiter. Ratio est, quia est actus justitiæ, cùm per illum reddatur quod strictè est alteri debitum; obligantur enim conjuges sub mortali reddere debitum conjugi petenti seriò & rationabiliter, ut communiter omnes fatentur. Undè non malè addit quidam, dum uxor se accusat de gravi ira in maritum, quæ aliquamdiu duravit, debere Confessarium petere an ejus occasione non negaverit ei debitum, quia id est satis ordinarium, & sæpè siletur à non interrogatis. Adde tamen, dari varias causas, ob quas licitè debitum negatur: ut ratione propriæ infirmitatis vel periculi prolis: si petatur nimis frequenter: si vir petat valdè remissè, &c. tunc enim licitè negatur si absit periculum incontinentiæ in petente. Dixi *si vir petat remissè*; quia uxor præ pudore sæpè non audet etiam remissè petere; quod advertens maritus, si timeat in ea incontinentiæ periculum, tenetur ipse primò petere; quia iste pudor notatus à marito est quasi virtualis petitio uxoris. Vide Cornejo *tom. 2. tract. 6. disp. 5. dub.* 1. ubi insuper docet, in quibusdam casibus solùm esse veniale negare debitum conjugale. Primò ob parvitatem materiæ, ut si uni frequenter exigenti alter rarò debitum neget, aut illud ad breve tempus differat, ut si de die neget redditurus noctu. Secundò, quando unus ab altero non exigit ut debitum ex justitia, sed amicè solùm & benevolè se id velle insinuat. Tertiò, si non ardenter & instanter petatur, ita ut precibus alterius petere desistat: debet tamen in his omnibus casibus cessare incontinentiæ, pollutionis & morbi periculum, ut monet idem Cornejo, & meritò. Vide Franc. B. Spei *disp. 9. dub.* 1. per totum.

Dixi suprà *si petatur nimis frequenter*; quod valdè difficilè est resolvere, cum hæc nimietas dependeat à circumstantiis ætatis, virium corporis, & molestiæ peculiaris, quam persæpe adfert petulantia mariti, &c. Intereà asserit Gobat, tacentibus hac in parte aliis, generatim videri nimis frequenter peti, quando maritus non contentus nocturna redditione, petit etiam diurnam, idque quasi ex consuetudine: prout nos diximus ex Cornejo esse solùm veniale, negare de die, si reddatur noctu.

94. An verò causa sufficiens negandi debitum sinè culpa mortali sit, ne proles multiplicentur? Affirmant Sotus & Sa apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 213. Si nempe absit periculum incontinentiæ: quia, inquiunt, in hoc sicuti in aliis debitis excusat magna solvendi incommoditas vel difficultas: quapropter Sanchez & Ledesma volunt, nequidem tunc committi peccatum veniale: quidquid Layman velit id esse mortale, nisi ob novæ prolis generationem parentes vel proles ad necessitatem extremam pervenirent. Ob dictam rationem tradit Burghaber *Centur.* 3. *casu* 50. Theologos communiter docere, posse uxorem negare debitum, quæ jam tertiò consequenter tempore partus in aperto vitæ periculo extitit præ magnitudine cruciatuum. Verùm hoc non judico uxoribus insinuandum, ne sub hoc prætextu, causam fingant negandi suis maritis actum conjugalem verè debitum: quidquid concedam ipsis abstinere post partus etiam non adeò difficiles, deprecando ad hoc suos maritos: & insuper addo, esse absolutè validum pactum inter conjuges initum de se continendis ab actu matrimoniali ne proles multiplicentur, secluso incontinentiæ periculo. Ita omnes teste Diana. Sed nunquid hæc omnia destruit sequens argumentum: vel uxor v. g. ob multiplicationem prolium aut partus difficultatem negabit redditionem debiti diu, aut non diu? Si diu, exponet maritum manifesto periculo incontinentiæ, & sic indubiè delinquet mortaliter: Si non diu, ergò frustrà; quia dum tandem consentiet marito, probabilissimè concipiet; nam vir supponitur habere semen valdè prolificum, quod tantò avidius rapiet matrix uxoris, quæ similiter supponitur fecunda, quantò diutiùs illo caruit quasi alimento. Quidquid ob hoc argumentum judicaturi sint alii: ego cum Gobat existimo nunquam impertiendam esse absolutionem præferenti animum negantis, ob metum difficultatis in prole nutrienda, conjuge instanter & seriò petente. Ita ille *in Alphab. Matrim. par.* 2. *casu* 16. *num.* 625. Addens, reddendi debiti conjugalis tantam esse obligationem, ut plures DD. à se citati notent, peccare contra justitiam conjugem, qui ad illud reddendum se impotentem reddit, jejuniis, pollutionibus voluntariis, aut qui longam peregrinationem exequi vult absque alterius consensu, etsi huic non immineat incontinentiæ periculum.

Petes hìc primò, an dum conjux peccat petendo debitum, alter id reddere teneatur?

95. Respondeo teneri, juxtà DD. communiter, si tantùm venialiter peccet petens, v. g. propter situm: quia veniale peccatum sic petentis est in ipso affectu & excessu voluptatis ipsius, quibus non cooperatur conjux debitum reddens. Hinc absolutè debet uxor debitum reddere viro petenti, qui inverso modo seu præposterè, vel succumbens vult uxorem intra vas naturale cognoscere sinè periculo effundendi semen extrà illud, quòd post Henriq. sine ullo scrupulo asserit Pon-

tius

tius *de Matrim. lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 4. & Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 296. citans Sanchez & Filliucium, contra Bonacinam. Si verò petens peccet mortaliter ex circumstantia se tenente ex parte actus conjugalis, v. g. quia petit in publico, in loco sacro, &c. tunc alter reddere non potest, quin idem peccatum committat. Secùs dic si mortale peccatum petentis oriatur ex sola circumstantia personali ipsius, v. g. quia petit malo animo, contra votum à se emissum, &c. Ita Cornejo. Ratio est, quia per hæc non amittit dominium in corpus conjugis, nec reddens cooperatur alterius peccato; quia ille solùm peccat petendo actum sibi prohibitũ, at conjux non cooperatur ejus petitioni sed hâc suppositâ cooperatur actui ex se licito. Ita etiam Diana post alios, idem probabiliter dicentes de conjuge reddente debitum marito incestuoso, qui scil. peccavit cum consanguinea uxoris. Utrum autem debeat vel possit mulier menstruata reddere debitum viro petenti? Communiùs & probabiliùs negatur ob periculum prolis, quæ sæpè contraheret lepram ex sanguine menstruo corrupto: si tamen levibus precibus non posset petitionem avertere, illam nullatenùs peccaturam reddendo, sustinet Cornejo, eò quòd tunc ipsius judicio rarissimè possit fieri conceptio. Adde etiam, non teneri conjugem reddere debitum conjugi leproso, aut infecto morbo Gallico ob periculum infectionis. Limita, nisi ante matrimonium habuerit de eo notitiam, nam tunc censeretur cessisse juri suo: imò absolutè docet Cornejo, teneri in eo casu semel aut iterum reddere; quia ex non frequenti copula non imminet periculum contagii: verùm de hoc relinquo Medicis judicium.

96. Dixi suprà *sine periculo effundendi semen, &c.* ubi adverte juxtà Dianam *par.* 2. *tract.* 1. *resol.* 64. non esse adhuc mortale, etsi in casibus positis aliqua pars seminis elabatur, dummodò retineatur alia; quia secundùm Medicos non retinetur in matrice tota quantitas seminis. Ita sentit etiam P. Franciscus *disp.* 9. *num.* 15. variis citatis. Nec etiam mortale est, juxtà plures, quamvis dicto modo concubendi non ita certum sit fore prolem. Vide Dianam *loc. cit.* & *par.* 11. *tract.* 8. *resol.* 33. & 36. ubi subdit, maritalem copulam esse licitam seni, qui effundit semen extra vas, si habeat probabilem spem de opposito, utitur enim jure suo: quòd licèt dicta spes absit, potest adhuc uti osculis & amplexibus citra periculum pollutionis in utroque conjuge. Citat pro se Sanchez & Dicastillum.

97. Quoad tempus Sacrum, non impedit petitionem debiti dum adsunt rationes legitimæ: sicut nec locus sacer, quando conjuges coguntur diu in eo manere, & adest periculum incontinentiæ; ad quod aliqui tantùm ponunt tres vel quatuor dies. Consulitur tamen ut nocte præcedente communionem abstineant. De quo suprà.

Petes secundò, quandonam actus conjugalis fiat cum merito, & quando cum peccato?

98. Respondeo primò, causâ ge-

nerationis aut fidei conjugalis licitè & meritoriè fit, si adsint circumstantiæ debitæ, ut si coniux sit in gratia, & eum referant ulteriùs in Deum. Ita Augustinus *cap. 7. de bono conjugali,* & reliqui post ipsum: ratio est, quia observatur præceptum, *uxori vir debitum reddat, &c.*

99. Respondeo secundò, exercere actum coniugalem præcisè ratione voluptatis, etiam moderatæ, non vacat culpâ veniali. Idem August. *ibid.* & alibi sæpiùs: ratio est, quia turpe est rationalem creaturam ponere bonum suum in alio se inferiori, ac maximè in voluptate, quòd fit quoties obeditur concupiscentiæ. Attamen adhuc plures recentiores tuentur contrarium. Vide Dianam *par.* 11. *tract.* 1. *resol.* 41. ubi post varia dicit, raró accidere dictum actum sinè culpa veniali propter excessum. Undè ex SS PP. colligo, inquit, conjugatos venialiter peccare, dum cibis calidis, oleis, musco & aliis medicamentis utuntur ad excitandam voluptatem. Vide eundem Dianam *eâdem par. tract.* 8. *resol.* 35. ubi in fine quærit, quid sentiendum sit de illa doctrina Præpositi, quâ docet, *illum, qui accedens ad suam imaginando aliam pulchram, solùm ut ardentiùs feratur in suam ibi sistendo, id solùm esse peccatum veniale?* & meritò respondet, hoc satis periculosum esse & in praxi omninò fugiendum, neque ullo prætextu admittendum.

100. Respondeo tertiò, dictum actum exercere causâ vitandæ incontinentiæ, probabiliùs non est peccatum veniale: quia post lapsum Adæ matrimonium ordinatum est etiam in remedium concupiscentiæ. Hinc qui matrimoniũ init causâ vitandæ incontinentiæ sive senex sit sive sit juvenis, nõ peccat, prout post multos docet Diana contra S. Augustinum & D. Thomam. Verùm Augustinum intelligendum esse de peccato veniali quod sit aliquid non ordinatum ad vitam æternam, quod tamen licitè seu cum venia fit, probat Franc. B. Spei *sua Noctua dub.* 5. *append.* 2. quem consuluisse non pœnitebit. Vide eundem etiam hîc *disput.* 9. *num.* 26.

101. De actu conjugali causâ conservandæ valetudinis habito, docent Diana, Major & alii, non esse etiam ullum peccatum. Vide Dian. *par.* 11. *tract.* 1. *res.* 41. *cit.*

102. Petes tertiò, an conjuges possint inceptam copulam abrumpere ne seminatio noceat saluti, vel ob aliam justam causam? Affirmant Layman, Sanchez & alii, ponentes inter justas causas, etiam paupertatem ne multiplicentur proles, si nempe absit in utroque pollutionis periculum & adsit mutuus consensus. Imò Pontius apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 204. docet, absolutè iis licitum esse, inchoare copulam causâ delectationis, & postea eam non perficere, si desit, &c. nullam ponens causam abruptionis: idem sentit Leander, volens, similem copulam reputari inter tactus partium verendarum. Vide Dianam *par.* 11. *suprà resol.* 35. qui sententiæ Leandri adhæret. Pontius cùm Azorio putat esse veniale accedere ad uxorem gravidam, si non ãdest incontinentiæ periculum, Diana verò cum aliis, id ab omni culpa excusat *par.* 10. *tr.* 14. *res.* 55.

103. An

103. An autem & qualiter nos dispensare possimus in petitione debiti? Vide dicta *tract.* 4. *disp.* 12. *num.* 82. & & P. Urbanum *fol.* 247. 253. & 254. item Dianam *par.* 10. *fol.* 281. & Franc. B. Spei *disp.* 8. *n.* 12.

DUBIUM XV.

De Osculis, tactibus, ac delectatione conjugum.

104. Dico primò, juxtà communem peccat mortaliter coniux seipsum tangens in absentia coniugis, etsi absit proximum periculum pollutionis: quia non habet dominium corporis proprii in ordine ad venerem secum explendum. Adhuc tamen Sanchez vult, id solùm esse veniale, sicut & Ochagavia & alii apud P. Mendo *loc. statim citando quæst.* 19. *n.* 150. Sed tu ne recedas à communi, nisi tactus illi fiant animo se præparandi ad habendam copulam cum coniuge brevi adfuturo, sive qui proximè adfuturus speratur; quam ultimam limitationem ponit Vasquez 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *disp.* 113. *num.* 4. Vide etiam P. Franciscum, *disp.* 9. *num.* 31. ubi sententiam Sanchez dicit esse probabiliorem, pro ea etiam citans Palao & alios ab hoc citatos: quidquid parum antè multùm dicat se dubitare, an ab illis tactibus possit abesse pollutionis periculum, puta si diu durent.

105. Petes, an dum vir seminavit manente uxore valdè irritatâ libidine, possit hæc postea absque mortali, tactibus se excitando, seminare? Respondeo quòd non; quia dum vir se retrahit, est completa copula conjugalis, adeòq; uxorem tunc solam seminare, est peccatum mollitiei: hanc sententiā tenent plurimi, quidquid Caramuel *in Theol. fund. par.* 1. *fundam.* 56. §. 4. *num.* 1172. pro contraria adducat Sanchez & Bonacinam, ac alios quatuor qui hanc vocant probabilem. Eundem Sanchez etiam in contrarium citat P. Mendo *in sua statera differt.* 5. *q.* 18. inter novem alios, ob quorum authoritatem non audet eidem sententiæ negare probabilitatem extrinsecam, quamvis absolutè nobiscum sentiat. Eundem æquè recenter etiam citat Burghaber *Centur.* 2. *casu* 46. & Carolum de Baucio, qui ulteriùs progressus, ait, etiam virum in dicto casu posse suis manibus uxori seminationē procurare. Ducuntur hi Authores cum Lessio; quia semen muliebre vel est necessarium ad generationem, vel saltèm convenientissimū: ergo inquiunt, sic mulier complet cæptam copulam, quod debet ei esse licitū. Verùm nos statim diximus, virô se retrahente, copulā completam esse.

106. Dico secundò, verba impudica, aspectus, oscula & tactus inter coniuges etiam in secretioribus, absq; pollutionis periculo, probabiliùs non sunt mortale peccatum, licèt fiant causâ delectationis sinè intentione copulæ cōjugalis. Ita Sylvius, Zanardus, Filliuc. & Urban. *tr.* 1. *cap.* 46. ubi sic loquitur, *Certum est in materia venerea conjuges non*

peccare mortaliter, utendo invicem delectationibus & aliis actibus eam concomitantibus, modò nunquam se exponant periculo pollutionis; venialiter autem peccare possunt pro excessu nimiæ delectationis. Sic Urbanus: vide etiam Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 225. ubi dicit, hanc nostram sententiam esse communem exclamans, *Væ, væ conjugatis, si opposita sententia vera esset!* eam tamen sustinent Sylvester, Paludanus & Franciscus B. Spei. Probo interim nostram & communem; quia copula, ad quam ex natura sua ordinantur omnes dicti actus, est ipsis licita, ergò & actus illi. Verùm hoc non obstante monet Filliucius, conjuges nimiùm in his excedentes monendos esse à Confessarijs tanquam de opere arguente animum nimis mollem & libidini deditum; prout etiam tunc Urbanus dicit committi peccatum veniale; & mortale quoties illa fiunt cum periculo pollutionis: quamvis hoc ultimum adhuc restringat Zanardus *in direct. Confess. p.* 1. *de matrim. cap.* 21. *q.* 27. *fol.* 908. cujus verba sunt hæc; tactus & oscula conjugati cum conjuge cum periculo pollutionis, imò cum pollutione, quandoque non sunt peccata mortalia. Primò si pollutio accidat patienti, quia quamvis petens non possit petere oscula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamsi polluatur; quia non dat operam rei illicitæ & hoc est præter intentionem ejus. Secundò nec etiam in reddente, si intenderet copulam, & dum jam intendit per oscula eam excitare, polluitur, propter supradictam rationem. Nec tertiò, si fierent ad excitandum amorem, vel ad eum conservandum, & tum præter intentionem sequeretur pollutio. Ita Zanardus, & ante eum Sanchez, ac Filliuc. apud Dian *loc. cit. resol.* 217. ubi & hæc verba Zanardi refert: verumtamen mihi non placent, sed puto dictos conjuges, prævidentes periculum pollutionis, omninò teneri exercere actum conjugalem ut sic pollutionem evadant: quare puto, salvo meliori, ipsis prædicta non licere nisi in iis circumstantiis, in quibus ipsa copula est licita, nisi aliqui in particulari experti sint non adesse in se periculum pollutionis. Cæterùm Escobar apud Dian. *par.* 11. *tract.* 2. *resol.* 68. asserit, mortiferum esse, virile membrum in os uxoris immittere; quia hoc non est simpliciter (inquit) osculum inhonestum, sed quædam irrumatio diversæ speciei cum periculo consummandi præposterè. Ita ille & Dian. quos sequitur Roccaful. Sic etiam judico, esse mortale in conjugatis perfricare verenda circa vas præposterum, licèt id fiat sine periculo pollutionis, & sinè animo complendi sodomiam, solùm intentione majoris delectationis, excitationisque naturæ ad copulam in vase debito. Ratio est, quia prærterquam quòd id sit etiam inter conjugatos valde indecens, & graviter repugnans honestati naturali, est inchoatum peccatum contra naturam, tanquam proportionata dispositio & quasi medium ad illud: quòd à fortiori dicendum est, si copula in eo loco inchoetur, quidquid & hoc à mortali excusent Zanardus, Angelus, Navarrus, Ovandus, & alii apud Mendo *in statera benignarum opinionum differt.* 5. *quæst.* 14.

qui

qui quoad utrumque nobiscum sentit. Vide eum etiam *qq. 15. 16. & 17.* ubi dicit (& nos cum illo consequenter) ob datam rationem etiam non conjugatos teneri in Confessione exprimere illam obscœnissimam actionem, tanquam mutantem speciem luxuriæ.

107. Dico tertiò, probabile est conjugem non peccare mortaliter delectando se in commotione sensitiva orta ex imaginatione alterius conjugis absentis si absit periculum pollutionis. Prob. quia hæc delectatio, non minùs quàm tactus & oscula in conjugib⁹, per se loquendo, tendit ad opus cōjugale: per accidens autem est quòd ob absentiam alterius, vel simile impedimentum, opus non exerceatur. Ita Medina, Zanard. Layman & Dian. suprà *res.* 200. contra plures. Vide etiam Franc. B. Spei *disp. 9. num.* 31.

108. Dico quartò, quoties copula est illicita conjugibus ob circumstantiam extrinsecam, quæ per se eos non arcet ab usu matrimonii: vel ob physicum impedimentum ad ipsam copulam; vel quia iis ab Ecclesia est matrimonii usus interdictus, adhuc licita iis est delectatio appetitus sensitivi de copula cogitata ut præsenti. Exemplum primi sit, dum copula est illicita ob periculum abortus: secundi, dum impotentia coëundi supervenerit matrimonio: tertii, dum copula est interdicta ob contractam affinitatem. Ratio verò primæ partis est; quia tunc adhuc ipse actus per se manet licitus, ac tantùm est illicitus ratione charitatis aut pietatis obligantis præcaveri damnum conjugis vel prolis, quod, ut suppono, ex sola delectatione non timetur. Ratio autem secundæ & tertiæ partis etiam est; quia tale impedimentum est extrinsecum & arcens à sola copula, vel in pœnam delicti vel ob inhabilitatem ortam ex affinitate; quod extendi non debet ad delectationem, cùm id sit odiosum. Idem quod de delectatione, etiam de tactibus dicendum putant Sanchez, Granado, Villal. & Diana; quidquid Rodriquez dicat, opinionem Sanchez hac in parte à morali Theologia alienam esse: interim semper suppono abesse pollutionis periculum.

109. Hæc omnia benè observa, quia dicta sunt ex Authoribus probatis. Quod attinet ad enorme peccatum adulterii, diximus supra, ubi *de peccatis capitalibus.* Solùm adde, juxtà Hurtadum & Castrum Palaum apud Dian. *par. 5. tract. 13. resol. ult.* uxoratum si delectetur in aliena muliere, non teneri explicare circumstantiam matrimonii; quod noviter etiam docet Martinus de San Joseph; qui apud eundem Dian. *par. 10. tract. 11. res. 61.* sic ait, *mihi videtur probabile, quòd uxoratus vel maritata se delectantes in objecto libidinoso non teneantur explicare, se esse conjugatos, quia per contractum matrimonialem non se obligant ad non delectandum carnaliter circa objectum extraneum.* Ita ille: de quo aliis relinquo judicium: scio tamen P. Mendo fortiter in contrarium agere *lo. cit. suprà quæst. 13. per totam.*

Cæterùm, dum sponsa, aut recens uxorata dicit, se audivisse in concione, sæpe gravia crimina committi ab uxoratis, ideòque rogat doceri quo pacto ea fiant; quid respondebit Confes-

fessarius? Fateor me sæpe simili modo fuisse interrogatum. Quare in gratiam juvenum Confessariorum, Respondeo hîc non esse descendendum ad particularia: imò monet Gobat, ut similis petens ad matrem mittatur, à qua convenientiùs circa illa instruetur quàm à Confessario: ego interim in facti contingentia generaliter respondi, communiora peccata conjugum in hac materia versari circa negationem debiti, & circa periculum effundendi semen extra locum debitum; de cætero posse illam suo marito moram gerere. Subjungerem, modò cum dicto Gobat; si fortè maritus petat aliquid, de quo ipsa dubitat, an sit licitum, deprecetur verecundè; si deprecando nil efficiat, idcircò quòd maritus asserat, se jam nosse, quid permittant leges connubiales, tunc obediat, & proximâ occasione roget Confessarium, an id conjugibus sit licitum.

Quomodo conjuges possint mutua vota irritare; diximus suprà; & de hoc expressè agit Franciscus Bonæ Spei hîc *disp*. 8. *num*. 32. *& seq*. quem etiam consule: & sit hujus Tractatus, & totius nostræ compendiosæ Theologiæ moralis in Omnipotentis Dei, illiúsque Sanctissimæ Matris MARIÆ, & S. Patris nostri ELIÆ honorem & gloriam.

FINIS.





INDEX

INDEX TITVLORVM.

TRACTATVS I.

De actibus humanis.

DISPUTATIO I.

De voluntario & libero.

DISPUTATIO II.

De conscientia.

DISPUTATIO III.

De malitia peccati.

DISPUTATIO IV.

De peccato in genere.

DISPUTATIO V.

De peccatis capitalibus.

TRACTATVS II.

De Legibus.

DISPUTATIO I.

De Lege in generali.

DISPUTATIO II.

De lege naturali & Divina.

DISPUTATIO III.

De Lege Humana.

DISPUTATIO IV.

De subjectis legi.

DISPUTATIO V.

De interpretatione & cessatione legis.

Dub.3.

DISPUTATIO VI.

De impletione legis.

TRACTATVS III.

De virtutibus Theologicis.

DISPUTATIO I.

De Fide.

DISPUTATIO II.

De Spe.

DISPUTATIO III.

De Charitate.

INDEX

TRACTATVS IV.

De Iure & Iustitia.

DISPUTATIO I.

De jure in communi & dominio.

DISPUTATIO II.

De juribus in particulari.

DISPUTATIO III.

De Justitia.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione.

DISPUTATIO V.

De Homicidio, & Mutilatione.

DISPU-

DISPUTATIO VI.

De injuriis circa famam.

DISPUTATIO VII.

De injuriis circa bona fortunæ.

DISPUTATIO VIII.

De Contractu in genere.

DISPUTATIO IX.

De contractibus in specie.

DISPUTATIO X.

De Judiciis.

DISPUTATIO XI.

De justitia distributiva.

DISPUTATIO XII.

De Religione.

§.4.

TRACTATVS V.

De Sacramentis.

DISPUTATIO I.

DISPUTATIO II.

De Baptismo.

DISPUTATIO III.

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia.

DIS

INDEX

DISPUTATIO V.

De Pœnitentia.

DISPUTATIO VI.

De extrema Unctione.

DISPUTATIO VII.

De Ordine.

DISPUTATIO VIII.

De Matrimonio.

§.3.



INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

Ava-

Avaritia.

B.

Baptismus.

ri,

Canti-

Qui-

Confirmatio.

Consanguinitas.

Conscientia.

An

Quo-

Depo-

tam

Donatio.

Dos, Dotare.

Dubium, Dubius.

Duellum.

E.

Ebrietas, Ebrius.

Epis-

Episcopus, Episcopatus.

Eucharistia.

Excommunicatio

Explicatio, vide *Lex*.

Expositio, *Expositus*.

F.

Fallacia, vide *Dolus*.

Fama.

An

Homicida, Homicidium.

Honor, vide *Fama*.

Hora Canonica

An

Hora, Horologium.

Hospes, vide *Caupo*.

Hypocrisis

Hypotheca.

I

Ignorantia

Idololatria.

Iejunium.

Quotu-

De

Lu-

Man-

Qui-

Matrimonium clandestinum.

Medicus

Mendacium

Mendicantes, vide *Ordines Mendicantes.*

Meretrix

Merx, Mercator.

Metus

Miles

Minores.

Mutilatio.

Mutus.

N.

Necessarium, Necessitas.

Negotiatio.

Notarius.

Notorium.

Nundinæ.

O.

Obduratio.

Obedientia.

Quan-

Quando-

An

Qua-

Quid

Pistor.

Quod-

Quid

Caſus

Quali-

FINIS.

CANDIDO LECTORI.

QVam difficile sit, librum aliquem sine nævo imprimi, non scit, nisi qui usu didicit, & incubuit, intenditq; correctioni. Lynceus sis, & non satis videbis. Vt lynceus fueris & videris, manet à typothetis periculum, & contraria sæpè reposita litterula, dum ablatum unum putas erratum, facili semineo addit novum. Dum nos hic modum effugandi vitia docemus, illumq; publicamus; en quadam invitis & dolentibus nobis vitia irrepsêre quæ abscondere nolumus, sed prodimus & publicamus, quia te, Candide Lector, nullibi cupimus errantem. Itaque hæc nobis indulge, & corrige à nobis tui in gratiam hîc annotata, detq; Deus lynceum te in tuis Deiq;, ne ullus infici[illegible] nævus erroris. Itaque

MENDA SIC EMENDA.



Fol. 101. col. 1. lin. ult. *ut* lege *ne*.
Fol 125. col. 2. lin. 20. *ullo* lege *nullo*.
Fol. 200. col 1. lin. 24. *fidem* lege *finem*.
Fol. 283. col. 2. lin. 10. *positivo* lege *posito*.
Fol. 312. col. 2. lin. 3. à fine *jactare* lege *tractare*.
Fol 329. col. 2. lin. 14. à fine *ignorantiam* lege *ignominiam*.
Fol 333. col. 2. lin. 9. *dolor* lege *dolus*.
Fol. 350. col. 2. lin. 4. *na* lege *nata*.
Fol. 352. col. 1. lin. 16. aute *defuncti* pone *debita*.
Fol. 430. col. 1. lin. 4. *legibus* lege *litteris*.
Fol. 494 col. 2. lin. 4. à fine *susceptione* lege *suscipiente*.
Fol. 529 col. 2. lin. 10. *servandam* lege *superandam*.
Fol. 557. col. 2. lin. 7. à fine post *alibi* dele *non*.
Fol. 620. col. 2. lin. 2. à fine post *ante* pone *non*.
Fol. 712. col. 1. lin. 14. à fine ante *valebit* pone *non*.



